
UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE
3 1761 07096786 4


LIBRARY

ANALECTA ECCLESIASTICA

SEU

ROMANA COLLECTANEA

DE DISCIPLINIS SPECULATIVIS ET PRACTICIS

CIRCA

Theologiam - Ius Canonicum - Administrationem in Foro contentioso et gratioso - Sacram Liturgiam - Historiam - etc.

Ubi Petrus  *Ibi Ecclesia*

MODERATOR

FELIX CADÈNE Antistes Urbanus

SCRIPTORES


Mons. G. Sebastianelli, Uditore della S. Rota, Luogotenente del Tribunale Civile del Vicariato, ecc.
Mgr. Albert d'Armailhac, Recteur de Saint-Louis des Français.
Mons. Basilio Pompili, Avvocato della Curia, Datario della S. Penitenzieria, Consultore di Propaganda Fide, ecc.
Mons. Benedetto Melata, Consultore della S. C. del Concilio, e della S. C. delle Indulgenze e S. Reliquie.
Mons. Michele Lega, Professore di diritto can. al Pont. Sem. Romano di S. Apollinare, Uditore della S. C. del Concilio.
R. D. Felice Ravanat, Censore dell'Accademia Liturgica.
R. D. Gregorio Palmieri, Benedettino, Custode giubilato dell'Archivio Vaticano.
R. P. Pie de Langogne, Capucin, Consulteur du Saint-Office, de la S. C. du Concile, de l'Index, et des Ev. et Rég.
R. P. Colantuoni, de l'Ordre de Saint-Augustin, Curé de Sainte Marie du Peuple.
R. P. Mro Alessio M. Lépicier, Proc. Gen. dei Servi di Maria, Prof. di Teol. dog. a Propaganda, Consult. della S. C. degli Studi.
R. P. Dominicus Palmieri, e Societate Jesu, Theologus S. Poenitentiariae.
R. P. Franciscus Beringer, e Societate Jesu, Cons. S. C. Indulg.
R. P. Guillelmus Arendt, e Societate Jesu.
R. P. Carolus Dilgskron, Cong. SS. Redemptoris Consultor Generalis, Cons. S. Cong. Indulgentiarum.
R. P. Eschbach, Sup. du Sém. Français, Proc. Gén. de la Cong. du St. Esprit, Consult. du Concile, de l'Index, et de la Propag.
R. P. Paul Smolikowski (du rite Grec-Slave), Supérieur Général de la Cong. de la Résurrection, Cons. de la S. C. du Conc.
R. P. Emmanuel Bailly, Assistant Gén. des Augustins de l'Assomption.

Annus Undecimus — **Fasciculus Primus** — **Ianuarius 1903**

Pretium annuae adsociationis, lib. **25**

Orantur Rmi adsociati ut statim pretium transmittere velint, ac annus incoeptus evaserit, qui pro completo tenebitur

ROMAE
ADMINISTRATIO ET DIRECTIO
Palazzo Cenci (Piazza Cenci 7-A)



Omnibus juribus ad normam legum reservatis

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister

Imprimatur: Josephus Ceppetelli Arch. Myren. Vicesg.



ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS UNDECIMUS

FASCICULUS PRIMUS — IANUARIUS 1903

SUMMARIUM

Analecta Nova

Analecta Vetera

Analecta Varia

ANALECTA NOVA

EX ACTIS LEONIS XIII ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Bulla circa novam constitutionem rei sacrae in Insulis Philippinis.

LEO PP. XIII

Ad futuram rei memoriam.

Quae, mari sinico oceanoque pacifico circumfusae, latissime patent insulae, atque a Philippo II Hispaniarum rege Philippinarum nomen sunt mutuatae, vix ab Hernando de Magalhanes, saeculo XVI ineunte, apertae sunt; statim, Crucis sanctissimae simulacro defixo in litore, et Deo sunt consecratae et catholicae religionis quaedam veluti libamenta habuerunt.

Ex illo, Romanis Pontificibus, accedente Caroli V ac Philippi eius filii hispanorum Regum egregio dilatandae fidei studio, nihil antiquius fuit quam ut insulanos illos, idolatrico cultu viventes, ad Christi fidem traducerent. Quod cum, opitulante Deo, religiosis diversarum familiarum alumnis strenue adnitentibus, secundissime cederet; eo perbrevi annorum spatio, deventum est, ut Gregorius XIII de praeficiendo adolescenti Ecclesiae Antistite cogitarit, ac Manilanum Episcopatum instituerit. Coeptis felicibus, quae postmodum secuta sunt incrementa plenissime responderunt. Concordibus enim Decessorum Nostrorum atque Hispaniarum Regum industriis, deleta servitus, incolae litterarum atque artium disciplinis ad humanitatem exculti, templa sumptu magnifico erecta et instructa, auctus dioecesium numerus; ut Philippinarum gens et Ecclesia merito excelleret splendore civitatis, Religionis dignitate atque studio. Sic nempe, Regum hispanorum tutela datoque illis a Romanis Pontificibus patronatu, recte atque ordine in Philippinis Insulis res catholica ge-

rebatur. Verum quam illic armorum exitus publicae rei conversionem haud ita pridem attulit, pariter et sacrae intulit. Nam, demissa ab Hispanis ditione, patronatus etiam hispanorum Regum desiit. Quo factum est ut Ecclesia in potiorem libertatis conditionem devenerit, parto quidem cuique iure salvo atque incolumi. — Huic porro novae rerum conditioni, ne inde vigor ecclesiasticae disciplinae in discrimen veniret, qui modus agendi, quae temperatio responderet, nulla mora atque sedulo inquirendum fuit. Hanc ob rem, Venerabilem Fratrem Placidum Ludovicum Chapelle, Novae Aureliae Archiepiscopum, Delegatum Nostrum, extraordinario munere, in Philippinas Insulas misimus, qui, rebus coram inspectis quaeque moram et sustentationem non haberent, ordinatis, ad Nos referret. Delatum officium is quidem pro fiducia Nostra explevit; dignus propterea quem merita honestemus laude. Postea contigit ex auspicato ut regimen civitatum Americae Foederatarum per legationem singularem cum hac S. Sede consilia directe conferre susceperit circa modum nonnullas rem Catholicam in Philippinis Insulis respicientes quaestiones dirimendi. Coeptis libenti quidem animo fovimus et negotiatorum navitate ac moderatione iuvantibus, facile patuit aditus ad compositionem quae nunc ipso in loco curanda erit. Quae igitur, auditis sententiis nonnullorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationis extraordinariis negotiis praepositae, diuturnoque consilio agitata Ecclesiae rationibus in Philippinis Insulis conducere maxime visa sunt, praesenti Constitutione Apostolica edicimus et publicamus, sperantes fore ut, quae Nos suprema Auctoritate constituimus, publici Regiminis aequitate ac iustitia favente, studiose sancteque observentur.

I. — *De nova Dioecesium circumscriptione.* — Primum igitur de Hierarchia sacra amplificanda mens est ac propositum. Constituta quidem, ut diximus, a Gregorio XIII, Manilana dioecesi, aucto sensim fidelium coetu tum indigenarum, qui catholica sacra susciperent, tum ex Europa advenarum, Clemens VIII Episcoporum numerum, qui praeessent, augendum censuit. Quare Manilanam Ecclesiam Archiepiscopali titulo honestavit eidemque, tribus institutis dioecesibus, Episcopos Cebuanum, Cacerensem ac Neosegoviensem suffraganeos esse voluit. His porro, anno MDCCCLXV, additus est Episcopatus Iarensis. Attamen dioecesium harum ea est amplitudo ut, ob intervallum quo loca dissociantur, atque itinerum difficultatem, vix contingat Episcopis illas nisi summo labore quoquoversus lustrare. Quamobrem suadet necessitas ut, nacti opportunitatem temporum, antiquas dioeceses arctiori termino definiamus, aliasque de integro addamus. Eapropter, Manilano Archiepiscopatu ac dioecesibus Cebuana, Cacerensi, Neosegoviensi et Iarensi servatis, quatuor insuper adiicimus et instituimus dioeceses; Lipensem videlicet, Tuguegaraoanam, Capizanam et Zamboangensem, universas, ut ceterae, Manilanae Metropoli suffraganeas. In Marianis praeterea Insulis Praefecturam Apostolicam creamus, quae Nobis ac Successoribus Nostris, auctoritate nulla interposita, pareat.

II. — *De Metropolita deque Suffraganeis Episcopis.* — Metropolitani titulo, qui potiatur, in Philippinis Insulis unus esto, Archiepiscopus Manilanus; episcopos ceteros, tum qui antiquas obtinent sedes tum qui recens institutas tenebunt, eidem subesse oportet, suffraganei officio atque nomine. Quibus vero iuribus Metropolita fruatur quibusque polleat muneribus, ecclesiasticae leges, quae modo vigent, edicunt. Quas quidem dum leges inviolate servari volumus, volumus etiam Metropolitam inter et suffraganeos integra esse semper sanctae amicitiae et caritatis vincula, eaque officiis mutuis, consiliorum communicatione atque episcopalibus praesertim coetibus pro locorum intervallis frequentius agendis, arctius in dies firmari et obstringi. Maximarum enim utilitatum parens est atque custos animorum concordia.

III. — *De Capitulo Metropolitano deque Capitulis Ecclesiarum suffraganearum.* — Canonicorum collegio honestari Ecclesiae Metropolitanae decus et splendor postulat. Quae vero stipendia Canonicis singulis, elapso tempore, ab hispano regimine numerabantur, unde in posterum peti debeant, Delegatus Apostolicus videbit ac suggeret. Quod si, reddituum exiguitate, numerus Canonicorum, qui adhuc fuit, servari haud quiverit, sic ad pauciores contrahatur, ut, minime subductis iis qui dignitatum nomine veniunt, ad decem saltem censeantur. Archiepiscopus autem tum dignitates dictas et Canonicatus, tum universa, quae in Ecclesia Metropolitana sunt, beneficia privo liberoque iure conferet: iis quidem exceptis, quae vel communi lege, Sedi Apostolicae reservantur, vel in cuiusvis patronatu sunt, vel concursus conditione obstringuntur. In ceteris porro cathedralibus templis constitui Canonicorum collegia vehementer optamus. Quod quamdiu perfici haud poterit, Episcopi viros aliquot, pietate, scientia, gerendarum rerum usu conspicuos, e gemino clero delectos, Consultores habeant, prouti scilicet in dioecesibus aliis, Canonicorum coetu similiter carentibus. Ne vero eiusmodi cathedralibus aedibus, quae Capitulo carent, sollemnium sacrorum dignitas desideretur, Consultores, quos modo diximus, Episcopo operanti adstabunt. Qui si ratione aliqua praepediantur, Episcopus alios e clero cetero, tam saeculari quam regulari, digniores sufficiet.

IV. — *De sede vacante in Dioecesibus suffraganeis.* — Dioecesis suffraganea quaevis, Collegio Canonicorum expers, si Episcopo orbari contigerit, eam Metropolita administrandam suscipiet: qui si deerit, propinquiori Episcopo procuratio obveniet, ea tamen lege ut Vicarius quamprimum eligatur. Interea vero demortui Episcopi Vicarius generalis dioecesim moderetur.

V. — *De clero saeculari.* — Quoniam experiendo plane compertum est, clerum indigenam perutilem ubique esse, curent diligenter Episcopi ut indigenarum sacerdotum numerus augeri valeat; ita tamen ut illos antea ad pietatem omnem ac disciplinam instituant, idoneosque norint, quibus ecclesiastica munia demandentur. Quos vero usus et experientia praestantiores ostenderit, eos ad potiores procurationes gradatim advocent. Id vero maxime commendatum habeant qui in clero censentur, ne abripi se partium studiis unquam sinant. Quamvis enim communi lege sit cautum, ne qui militat Deo se implicet negotiis saecularibus; peculiari tamen modo, ob temporum rerumque adiuncta, hoc in

Philippinis insulis ab hominibus sacri ordinis devitandum ducimus. Praeterea, quoniam animorum coniunctio praecipua vis est ad grandia quaevis atque utilia perficienda, eam, pro religionis bono, sacerdotes omnes, nulla exceptione, sive e saeculari clero sint, sive in religiosis familiis censeantur, inter sese studiosissime foveant. Decet sane ut qui unum sunt corpus unius capitis Christi, non sibi invicem invideant, sed unius sint voluntatis, caritate fraternitatis invicem diligentes. Cui quidem caritati provehendae disciplinaeque simul vigori servando, meminerint Episcopi prodesse plurimum synodales conventus subinde cogere, pro opportunitate locorum ac temporum. Quod si faxint una erit facile omnium sentiendi ratio unaque agendi. Ne vero conceptus semel ardor in cleri hominibus deferveat, et ut virtutes sacerdotio dignae retineantur et crescant, pium spiritualium Exercitiorum institutum vel maxime conducit. Curent idcirco Episcopi ut quotquot in sortem Domini vocati sunt, tertio saltem quoque anno, in opportunum locum ad aeternarum rerum meditationem secedant, quo scilicet acceptas a mundano pulvere sordes eluant et ecclesiasticum spiritum instaurare queant. Satagendum insuper est, ut sacrarum disciplinarum studium frequenti exercitatione in clero vigeat: *Labia enim sacerdotis custodient scientiam,* quo nempe docere possit fideles, qui *legem requirent de ore eius.* Nihil vero ad hunc finem aptius quam collationes habere saepius, tum de re morum, tum de liturgicis quaestionibus. Quod si asperitas itinerum, contractus sacerdotum numerus, aliaeve id genus causae conventus eiusmodi ad disceptandum impediant, optimum factu erit, si ab iis qui coetui interesse nequeunt praepositae quaestiones scripto enodentur et Episcopis statuto tempore submittantur.

VI. — *De Seminariis.* — Quanti faciat Ecclesia adolescentium seminaria, qui in cleri spem educantur, perspicere licet ex Tridentinae Synodi decreto, quo ea primum sunt instituta. Oportet idcirco Episcopos omnem operam industriamque impendere ut domum in sua quisque dioecesi habeat, in quam tirunculi militiae sacrae a teneris recipiantur atque ad vitae sanctimoniam et] ad minores maioresque disciplinas formentur. Consultius autem erit si adolescentes, qui litteris student, aliis utantur aedibus; aliis vero iuvenes, qui, litterarum cursu emenso, in philosophiam ac theologiam incumbunt. Utrobique autem alumni perpetuo degant, quoad sacerdotio, si meriti quidem fuerint, initientur; nulla unquam, nisi ex gravi causa, facultate facta ad suos remeandi. Seminarii regimen Episcopus optimo cuique demandet, sive e saeculari clero sive e regulari, qui scilicet regendi prudentia usuque praestet vitaeque sanctitate praecellat. Quae autem a Nobis Nostrisque Decessoribus saepe sunt edicta, abunde docent quo pacto quove modo in sacris seminariis studia sint ordinanda. Sicubi vero Seminarium desit, Episcopus alumnos dioecesis suae in viciniorum dioecesium Seminariis educandos curabit. Nulla insuper ratione permittant Episcopi ut Seminarii aedes ulli pateant, nisi iis adolescentibus qui spem afferant sese Deo per sacros ordines mancipandi. Qui vero ad civilia munia institui volent, alias, si res sinunt, obtineant aedes, quae convictus vel collegia episcopalia nuncupentur. Illud denique cavendum summopere, ex Apostoli praecepto, ne cuipiam Episcopi cito manus imponant; sed eos tantum ad sacra evehant sacrisque tractandis adhibeant qui diligenter explorati, debitaque scientia ac virtute exculti, ornamento dioecesi usuique esse possint. E seminario autem egressos ne sibi permittant penitus; sed ut vitent otia nec sacrarum scientiarum studia intermittant, consilium est quam optimum illos, quinquennio saltem a sacerdotio suscepto, periculo quotannis subiicere de re dogmatica et morum, coram doctis gravibusque viris faciendo. Quia vero aedes Romae patent etiam iuvenibus e Philippinis insulis qui maioribus disciplinis dare operam velint, pergratum Nobis eveniet si Episcopi delectos subinde adolescentes huc mittent, qui religionis scientiam, in ipso veritatis centro acquisitam, cum suis deinde civibus utiliter communicent. Sancta autem haec Sedes pro sua parte curabit opportunis modis ad potiorem culturam melioremque ecclesiasticam formam clerum saecularem provehere ita ut apto tempore reperiatur idoneus qui cleri regularis partes in pastorali muneris procuratione suscipiat.

VII. — *De Religiosa puerorum eruditione deque Manilana studiorum Universitate.* — Verum non ad ecclesiastica solum seminaria Episcoporum industrias spectare oportet: adolescentes enim e laicorum ordine, qui scholas alias celebrant, eorum etiam curis et providentiae demandantur. Est igitur Antistitum sacrorum officium omni ope adniti, ut puerorum animi, qui publice litteris imbuuntur, religionis scientia ne careant. Quae ut rite tradatur, videant Episcopi ac perficiant ut et magistri tanto muneri sint pares, et libri qui adhibentur, nulla inficiantur errorum labe. Quoniam autem de scholis publicis sermo incidit, Lyceum magnum Manilanum, a Dominicianis Sodalibus Innocentii X auctoritate conditum, merita sine laude praeterire nolumus. Quod, quia doctrinae integritate praestantiaque doctorum floruit semper, neque exiguas peperit utilitates, non modo ab Episcopis omnibus benevole haberi cupimus, sed in tutelam Nostram Nostrorumque Successorum ultro recipimus. Quare, privilegia et honores a Romanis Pontificibus Innocentio X et XI et Clemente XII eidem concessa plenissime confirmantes, illud Pontificiae Universitatis titulo augemus, quique gradus accademici in eo conferuntur, eandem vim habere volumus, quam in ceteris Pontificiis Universitatibus obtinent.

VIII. — *De Regularibus.* — Opportunitatibus novi in regione illa rerum ordinis concedens S. haec Sedes Apostolica statuit tempestivis provisionibus religiosis viris adesse qui redire intendunt ad vitae rationem sui Instituti propriam, deditam nempe omnino sacri ministerii operibus bonorum in vulgus morum profectui rei christianae civilisque pacifici convictus incremento. Alumnis ergo religiosarum familiarum enixe commendamus, ut quae, nuncupatis votis, officia susceperunt, sancte impleant, *nemini ullam offensionem dantes.* Praecipimus ut clausurae leges inviolate servent; quapropter teneri omnes volumus decreto illo, quod, editum a Congregatione super Episcopis et Regularibus die XX Iulii MDCCXXXI, Clemens XII decessor Noster Litteris apostolicis *Nuper pro parte* die XXVI augusti eiusdem anni confirmavit. Clausurae autem ea sit norma iique

sint fines, quae decreto alio edicuntur, a S. Congregatione Propagandae Fidei die XXIV augusti MDCCLXXX Pio VI approbante, interposito. Ceterum Religiosi viri, quotquot in Philippinis versantur, illos summopere revereri atque observare meminerint, quos *Spiritus Sanctus posuit regere ecclesiam*: et arctissimo concordiae et caritatis foedere cum saeculari clero coniuncti, nihil antiquius habeant quam in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, sociatis studiis, vires omnes intendere. Porro ut dissensionum elementa penitus eradantur, in Philippinis etiam Insulis observari in posterum volumus Constitutionem *Firmandis* a Benedicto XIV datam VIII id. novembris MDCCXLIV, itemque aliam *Romanos Pontifices*, qua Nos VIII id. maii MDCCCLXXXI nonnulla controversiarum capita inter Episcopos et Missionarios Regulares in Anglia et Scotia definivimus.

IX. — *De Paroeciis.* — Quae paroeciae curionibus e Religiosis Familiis sint demandandae Episcopi videant, collatis sententiis cum earumdem Familiarum Praesidibus. Quod si quaestio de ea re oriatur, nec privatim componi queat, caussa ad Delegatum Apostolicum deferetur.

X. — *De Missionibus.* — Ad cetera argumenta, quibus Ecclesia magistra opportune cavetur ne fides morumque integritas aliaque ad aeternam animorum salutem pertinentia detrimentum capiant, accedunt equidem summaeque sunt utilitatis spiritualia Exercitia quaeque vulgo Missiones audiunt. Optandum quapropter omnino est ut, in provinciis singulis, singulae saltem condantur domus, octo plus minus Religiosis viris excipiundis, quibus sit unice praestitutum urbes subinde ac pagos lustrare dictaque modo ratione, sacris concionibus populos excolere. Quod tamen, si fidelibus utile, necessarium profecto illis est, qui Evangelii lucem nondum hauserunt. Ubi igitur agrestes adhuc gentes occurrunt immani idolorum cultui addicti, sciant Episcopi et sacerdotes teneri ad earum conversionem curandam. Quare inter illas etiam stationes fundentur pro sacerdotibus qui apostolico munere fungantur, nec solum idololatras ad christiana sacra traducant, verum etiam pueris instituendis dent operam. Hae porro stationes sic erunt ordinandae ut deinde opportuno tempore ad Praefecturas vel Vicariatus Apostolicos evehi queant. Ne autem qui ibidem sacris occupantur necessaria ad victum promovendamque fidem desiderent, hortamur ut in dioecesi quaque, incolumi quidem Lugdunensi Instituto quod a Propagatione Fidei appellatur, peculiares coetus instituantur virorum ac foeminarum, qui fidelium symbolis colligendis praesint, collectasque Episcopis tradant, Missionibus aequo iure ex integro distribuendas.

XI. — *De disciplina ecclesiastica.* — Conciliandae clero fidelium existimationi nihil conducit efficacius, quam, si quae sacerdotes docent verbo, ea simul opere compleant. Cum enim ut Tridentina Synodus inquit, a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos coniiciunt ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos vitam moresque suos omnes componere ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Sed enim pro hac disciplinae ecclesiasticae instauratione proque plena Constitutionis huius Nostrae exequutione Venerabilem Fratrem Ioannem Baptistam Guidi Archiepiscopum Stauropolitanum, Delegatum Apostolicum extraordinarium ad Philippinas insulas mittimus, Personam Nostram illic gesturum. Cui propterea opportunas tribuimus facultates; insuper etiam in mandatis dedimus ut provincialem Synodum quam primum per adiuncta licuerit, indicendam ac celebrandam curet.

XII. — *Animorum pacificatio ac reverentia in eos qui praesunt habenda.* — Restat modo ut ad Philippinarum incolas universos paterna caritate sermonem convertamus, eosque maiore qua possumus contentione hortemur, ut unitatem servent in vinculo pacis. Postulat hoc christianae professionis officium: *Maior est namque fraternitas Christi quam sanguinis: sanguinis enim fraternitas similitudinem tantummodo corporis refert, Christi autem fraternitas unanimitatem cordis animaeque demonstrat, sicut scriptum est, Act. IV, 32: Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una.* Postulat religionis bonum, quae prima fons et origo fuit earum laudum, quibus Philippinarum gentes superiore tempore floruerunt. Postulat denique sincera caritas patriae, quae ex publicis perturbationibus nil nisi damna capiet ac detrimenta. Eos qui imperium tenent ex Apostoli praescripto, revereantur, *omnis enim potestas a Deo est.* Et quamvis longinquo oceani spatio a Nobis seiuncti, sciant se esse in fide Apostolicae Sedis, quae sicut illos peculiari complectitur dilectione, tutandarum ipsorum rationum nunquam curam abiiciet. Decernimus tandem has nostras litteras nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio, sive intentionis Nostrae alioque quovis defectu notari vel impugnari posse et semper validas ac firmas fore, suosque effectus in omnibus obtinere, ac inviolabiliter observari debere, non obstantibus Apostolicis atque in synodalibus, provincialibus et universalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus sanctionibus, nec non veterum sedum Philippinarum et Missionum inibi constitutarum et quarumcumque Ecclesiarum ac piorum locorum iuribus aut privilegiis, iuramento etiam, confirmatione Apostolica aut alia quacumque firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque, peculiari etiam mentione dignis; quibus omnibus quatenus supra dictis obstant, expresse derogamus. Irritum quoque et inane decernimus si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manuque publici Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis, eadem habeatur fides quae Nostrae voluntatis significationi, ipso hoc diplomate ostenso, haberetur. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae erectionis, constitutionis, restitutionis, dismembrationis, suppressionis, adsignationis, adiectionis, attributionis, decreti, mandati ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem haec attentare praesumpserit, indigna-

tionem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII Septembris MDCCCCII. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo quinto.

L. ✠ S.

ALOIS. Card. MACCHI.

II.

Iterata prorogatio privilegii Sanctae Bullae Cruciatae pro Ditione Hispanica.

Dilecto in Christo Filio Nostro

Alphonso XIII

Hispaniarum Regi Catholico

LEO PP. XIII.

Charissime in Christo Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Dum infidelium furor catholicos Principes et populos continuis bellis agitaret ac variis Europae regionibus ipsique Italiae extremum discrimen cum animarum pernicie minitaretur, ad tantum periculum prohibendum Philippus II, Hispaniarum Rex Catholicus, ab hac S. Sede Apostolicas literas accepit quibus plures gratias favoresque tum spirituales tum temporales ad certum annorum intervallum tribuebantur iis ex Hispanica ditione fidelibus qui ad praelia contra infideles proficiscerentur aut militares illas expeditiones peculiari ope aut contributo in expensas necessaria pecuniae summa juvarent. Quod quidem Indultum nonnullis additis seu declaratis saepius a Romanis deinceps Pontificibus Decessoribus Nostris ac semel atque iterum prorogatum fuit nulla licet urgente contra infideles praeliandi necessitate, eo tamen consilio ut eleemosynae ex concessionibus in Indulto comprehensis collectae ad pios usus erogarentur. Porro in solemni de Eclesiasticis negotiis conventione quae cum Hispaniarum Regina Catholica, die XVI Martii, anno MDCCCLI, inita similibus litteris Apostolicis nonis Septembris eiusdem anni confirmata fuit, articulo XL cautum est ut, in posterum in ditione Hispanica, Ordinarii Praesules Bullae Cruciatae proventus in sua quisque Dioecesi administret ad eos usus erogandos iuxta normam in ultima prorogatione Apostolici indulti praescriptam, salvis obligationibus quibus iidem proventus, vi conventionum cum S. Sede initarum, obnoxii sunt; in conventione autem additionali inita die XXV Augusti anno MDCCCLIX expresse cautum fuit ut in posterum Bullae Cruciatae proventus omnes, salva eorumdem parte S. Sedi ut superius debita, in expensas divini cultus exclusive impendi debeant. Quod vero attinet ad Apostolicas facultates adnexas officio Commissarii Generalis Bullae Cruciatae et consequentes attributiones in eodem solemnis Conventionis articulo XL statutum fuit ut illae per Archiepiscopum Toletanum ex amplitudine et forma exerceantur quas S. Sedes praefiniverit. Iam vero cum memoratae Bullae Cruciatae Indultum novissime a Nobis prorogatum prima S. Adventus Dominica proxima praesentis anni MDCCCCII finem sit habiturum, per tuum apud S. Sedem oratorem Catholicae Maiestatis tuae nomine preces Nobis sunt exhibitae ut illud denuo de Apostolica Nostra auctoritate prorogare velimus. Nos igitur considerantes proventus qui ex eodem indulto colligendi sunt in expensas divini cultus fore insumendos, et in levamen Hispanicarum Ecclesiarum quae ex praeterita temporum acerbitate tot tantisque detrimentis afflictae sunt: desideriis tuis, quantum in Domino possumus, obsecundare decrevimus. Quare Apostolica Nostra auctoritate, tenore praesentium litterarum ad duodecim annos tantum qui a prima S. Adventus Dominica proximi futuri anni effluere incipient, concedimus et indulgemus ut christifideles utriusque sexus in Regno Hispaniarum et in insulis aliisque locis etiam ultramarinis civili ditioni Maiestatis tuae subditis commorantes, vel ad regnum insulas et loca eadem divertentes, qui intra annum a consuetis publicationibus harum earumdem litterarum de more computandum, sponte contulerint eleemosynam ab Archiepiscopo Toletano in officium Commissarii Generalis subrogato et harum litterarum executori pro vario eorundem christifidelium gradu et conditione taxatam et in supradictos pios usus erogandam, gratiis favoribus et privilegiis frui possint quae nunc declarabimus. De hisce vero ab executore praedicto summarium conficiendum erit quod unusquisque ex commemoratis christifidelibus accipere debebit ut privilegiis, favoribus gratiisque perfrui queat. I. Ac primum quidem iisdem christifidelibus omnibus et singulis qui vere poenitentes peccata sua intra annum praedictum confessi fuerint et SSmum. Eucharistiae Sacramentum devote susceperint, aut si non valeant haec Sacramenta suscipere, id saltem corde contrito desiderent, Plenariam omnium et singulorum peccatorum indulgentiam et remissionem, quae proficiscentibus ad recuperationem Terrae Sanctae concedi solet, tribuimus ac largimur. Eos tamen qui peccata sua confiteri non possint, et si id contrito corde desiderent, supradicta Plenaria indulgentia tunc solum frui posse statuimus, si alias intra praescriptum cuique fideli ab Ecclesia tempus confessi sint neque in huius Nostrae concessionis confidentiam praeceptum illud explere neglexerint. Item eadem indulgentia suffragabitur per modum suffragii etiam animabus defunctorum pro quibus christifideles eleemosynam de bonis suis ab Archiepiscopo Toletano taxandam et in supradictos pios usus erogandam contulerint. — II. Insuper omnibus et singulis christifidelibus praedictis ut ipsi, dicto anno durante, possint in Ecclesiis in quibus alias divina officia interdicto durante quomodolibet celebrare permissum fuerit, vel in privato oratorio ad divinum cultum tantum deputato, ab Ordinario visitando et designando, etiam tempore interdicti cui ipsi causam non dederint vel per eos non steterit quominus admoveatur, et illi qui facultatem ad id ab harum litterarum executore alias habuerunt, etiam per horam antequam illucescat dies et per horam post meridien, in sua et familiarium ac domesticorum et consanguineorum suorum praesentia, missas aliaque

divina officia per se ipsos, si presbyteri sint, vel per alium celebrari facere ac tempore interdicti illis interesse, clausis ianuis et non pulsatis campanis, et excommunicatis et specialiter interdictis exclusis, ita tamen ut si privato oratorio ad praemissa uti voluerint quoties id fecerint aliquas preces Deo pro exaltatione S. Matris Ecclesiae, propagatione Catholicae fidei, pace ac concordia Christianorum Principum, haeresum extirpatione, peccatorum conversione fundere teneantur, nec non durante huiusmodi interdicto Eucharistiam et alia Sacramenta in dictis Ecclesiis vel oratorio, praeterquam in die Paschatis, recipere ipsorumque christifidelium tempore interdicti huiusmodi decedentium corpora, nisi forte excommunicationi vinculo innodati decesserint, cum moderata funerali pompa sepelire valeant. — III. Insuper ut intra limites tantum Hispanicae ditionis, non autem in aliis locis, iidem christifideles praedicto perdurante anno tam quadragesimalibus quam ceteris eius anni diebus quibus usus carnium, ovorum et lacticiniorum prohibitus est, iisdem ovis et lacticiniis atque etiam carnibus de utriusque tamen medici consilio, si necessitas vel infirma corporis valetudo aut alia quaecumque indigentia exegerit, uti et vesci, servata scilicet in reliquis ieiunii lege, libere ac licite valeant, Apostolica pariter auctoritate concedimus et indulgemus. Verum ad quadragesimale tempus quod attinet ab hoc indulto exceptos volumus Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Praesulesque inferiores, nec non regulares Ecclesiasticos Ordinum non militarium et Presbyteros saeculares qui ad sexaginta annorum aetatem non pervenerint. — IV. Item iisdem christifidelibus, dicto durante anno, quoties extra dies ieiunio consecratos voluntarie ieiunaverint, aut a ieiunio legitime impediti, pium aliud opus sibi a Parocho vel Confessario praescribendum peregerint et pro exaltatione S. Matris Ecclesiae, propagatione Catholicae fidei, pace ac concordia Christianorum Principum, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, pias Deo preces obtulerint, quindecim annos et totidem quadragenas indulgentiae et remissionis, dummodo saltem contriti sint, misericorditer in Domino tribuimus, eosdemque participatione donamus orationum, eleemosynarum aliorumque piorum operum quae, ipso illo die quo ieiunaverint, in tota militante Ecclesia peragantur. — V. Praeterea christifidelibus ipsis, dicto anno durante, in singulis diebus stationum Almae Urbis Nostrae quinque Ecclesias seu altaria aut in illorum defectum quinquies unum et idem altare, Monialibus vero cuiusvis Ordinis et Instituti regularis ac mulieribus et puellis in quibusvis Monasteriis seu Conservatoriis degentibus, si forte Ecclesias non habuerint, Cappellas ab Ecclesiasticis viris earum legitimis superioribus designandas respective devote visitantibus, et in eis pias ad Deum preces ad praedictos fines effundentibus, omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes alias Ecclesiis tam intra quam extra moenia memoratae Almae Urbis Nostrae ad quas Stationes fixae existunt concessas, eadem Apostolica Nostra auctoritate misericorditer in Domino concedimus. Immo diebus in quibus etiam pro Stationibus Urbis partialis tantum data est, concedimus ut memorati Christifideles vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti supra memoratam visitationem peragentes, Plenariam indulgentiam omnium peccatorum suorum et remissionem unica tamen vice, singulis praefatis diebus, lucrare valeant. Omnes autem et singulas indulgentias quae in hisce Apostolicis litteris conceduntur, animabus christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, applicabiles decernimus et declaramus. — VI. Iam ut fideles praedicti sanctis indulgentiis facilius frui queant concedimus ut ipsi bis, hoc est, semel in vita et semel in mortis articulo, valeant sibi eligere presbyterum saecularem aut regularem, qui sit confessarius per Ordinarium approbatus, atque ab eo in foro conscientiae a quibuscumque peccatis et censuris cuique Ordinario atque etiam Apostolicae Sedi reservatis, excepto haeresis crimine et quoad ecclesiasticos excepta etiam censura de qua in Constitutione Benedicti PP. XIV « Sacramentum poenitentiae », absolvi possint, imposita semper poenitentia salutari aliisque iniunctis quae de iure iniungenda sunt. Insuper ut vota simplicia per christifideles ipsos emissa, excepto tamen ultramarino castitatis et religionis, ab eodem confessario in alia pia opera, ac adiunctum his subsidium aliquod executori harum litterarum supradictos pios fines transmittendum, commutari possint, Apostolica pariter auctoritate indulgemus. — VII. Ad haec ut iidem christifideles non tamen semel, sed bis, singulo ab harum litterarum publicatione anno, supradictam eleemosynam conferre, harum gratiarum summarium sumere atque hinc tam pro se, quam per modum suffragii pro animabus in purgatorio detentis, indulgentias, concessiones et indulta praedicta consequi, eisque, infra eundem annum, bis, ut praefertur, uti et potiri addictorum bonorum spiritualium participes fieri valeant, pariter in Domino concedimus. — VIII. Ulterius eidem harum litterarum executori potestatem facimus ut super irregularitate cum his qui ecclesiasticis censuris ligati missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebraverint aut alias se divinis immiscuerint, et super alia qualibet irregularitate ex delicto proveniente dummodo quis in irregularitate huiusmodi per sex menses non insorduerit, et exceptis semper irregularitatibus ex homicidio aut simonia, vel apostasia a fide aut haeresi vel a mala ordinum susceptione vel ex alio delicto scandalum in populum generante provenientibus dispensare valeat, imposita dispensatis congrua eleemosyna in supradictos pios huius Nostrae concessionis fines impendenda, aliisque iniunctis quae de iure iniungenda sunt. Itemque ut exceptis dignitatibus cuiusvis generis et Cathedralium aut maiorum ecclesiarum Canonicatibus, nec non beneficiis curam animarum adnexam habentibus, convalidare possit titulos aliorum beneficiorum sub huiusmodi irregularitate susceptorum, et super fructibus ex illis interea perceptis compositionem decernere in eosdem pios fines erogandam. — IX. Eidem facultatem tribuimus permittendi personis nobilibus aut qualificatis ut missas, per horam ante lucem ac per horam post meridiem, per se ipsos, si presbyteri sint, celebrare, vel per alium ipsis praesentibus celebrari facere valeant. — X. Insuper ut ecclesiasticos viros qui ad restitutionem fructuum beneficiorum

simplicium tantum, quae adnexam non habeant animarum curam nec personalem residentiam requirunt, ex omissione recitationis horarum canonicarum tenebantur ad congruam compositionem super iisdem fructibus erogandam pro medietate Ecclesiis vel aliis locis quorum ratione horas praedictas recitare debent et pro altera medietate in supradictos pios fines admittere possit. — XI. Ad haec ut super impedimento occulto affinitatis ex illicita copula provenientis aliqua in eosdem fines eleemosyna iniuncta, dispensare possit cum iis qui matrimonium, altero saltem coniuge in bona fide existente, contraxerint, quo illi matrimonium ipsum, renovato secreto inter se consensu rursus contrahere, ut in eo postmodum remanere licite valeant, atque ut dispensare item valeat ad petendum debitum cum illis qui eiusmodi affinitatem post matrimonium contraxissent. — XII. Eidem quoque executori potestatem facimus ut pro foro conscientiae tantum super iniuste oblatis, seu acquisitis, compositionem competentem decernere possit in praedictos pios fines erogandam, dummodo scilicet domini quibus restitutio esset facienda post debitam diligentiam pro iisdem inveniendis adhibitam, reperire non possint, et praestito a debitoribus iuramento de hac diligentia per eos facta, et dummodo iidem debitores in confidentiam et sub spe huiusmodi compositionis illa non abstulerint seu acquisiverint. — XIII. Denique volumus et iubemus ut iuxta memoratae Conventionis articulum XL necnon iuxta alteram additionalem conventionem anno MDCCCLIX Ordinarii per Hispanicam ditionem Praesules, in respectiva sua Dioecesi, eleemosynas seu proventus administrent in visu huiusmodi Nostrae concessionis percipiendas, sic ut administratio huiusmodi ecclesiastica porsus sit neque laicae potestati obnoxia, hoc est, a personis exercenda per dictos Ordinarios nominatis. Et quoniam in praecedentibus indultis atque in novissima Cruciatae concessione a Leone PP. XII Decessore Nostro decreta, statutum fuerat, ut ex eleemosynis inde collectis certae quaedam summae tum Nostris Patriarchalibus templis Lateranensi et Vaticano, tum Apostolico Nuntio ad catholicum Regem, tum Nostrae Secretariae Brevium statis temporibus solverentur: Nos pariter decernimus ut ex pecuniis ex Nostra hac concessione colligendis, eaedem ipsae summae per dictum Archiepiscopum Toletanum eodem prorsus modo persolvantur. Atque ad praecedentium eorumdem decretorum tramites executori eidem mandamus, ut ad solutionem ipsam perficiendam peculiari etiam sponsione rite se obstringat. Item volumus et mandamus ut Archiepiscopus Toletanus summaria typis edenda curet, eaque reliquis Ordinariis iuxta illorum postulationes distribuat. Praeterea Aplica auctoritate concedimus ut idem Archiepiscopus executor, hasce litteras Nostras in vernaculam linguam vertere, illasque et in eis contenta seu compendium in quibuslibet Hispanicae ditionis locis viva voce seu scriptis aut typis impressis exemplis publicare et enunciare, ac tam ipse quam in respectiva sua Dioecesi unusquisque Praesul, eleemosynas in pias supradictas causas colligere atque idoneos sibi in eam rem adiutores, necnon depositarios ratiocinatores, aliosque similes officiales, servatis tamen quae in praesentis Bullae seu Cruciatae executione, ex Sanctae huius Sedis decretis et in utraque Conventione superius memorata servanda sunt, deputare et cum idoneis facultatibus constituere atque praefatus Archiepiscopus ea omnia, quae faciliori earum litterarum executioni visa fuerint, peragere valeat. Haec omnia et singula concedimus et indulgemus, decernimus ac mandamus, non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque S. huius Sedis et Conciliorum etiam Generalium Constitutionibus et Ordinationibus, aliisque decretis quacumque forma editis, quibus omnibus et singulis, illis etiam quorum peculiaris et expressa mentio esset habenda, specialiter ad harum Nostrarum litterarum effectum et plenissime derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus quoque ut harum litterarum exemplis etiam typis impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae alicuius in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem porsus adhibeatur fides quae iisdem litteris hoc ipso diplomate ostenso haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XV Septembris MCMII Pontif. Nostri Anno XXV.

ALOIS. Card. MACCHI.

L. ✠ S.

III.

Leo XIII gratulatur Epo Nicoterien. de collatis et oblatis Regestis S. P. pro Calabra regione.

LEO PP. XIII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. Officiosa oblatum humanitate tuum opus excepimus, quod de regestis Romanorum Pontificum in Calabrae regionis Ecclesias haud ita pridem edidisti. Quae Decessoribus Nostris iam inde ab antiquissima aetate corde fuerunt curae Calabrae provinciae, quaeque in eamdem contulerunt Ipsi benefacta, placuit fuisse per te demonstrata, idque non sine multa et rerum et litterarum scientia. Industriam propterea tuam, qua te nobis et historiae et Ecclesiae bene merentem probasti, libet ea prosequi laude, quae et habita diligenter studia amplo praemio exornet, et nobile voluntati tuae addat incitamentum ad incorruptam rerum fidem praeclarius in dies asserendam atque explicandam. Gratum interea animum de munere professi, testem benevolentiae Nostrae Apostolicam Benedictionem peramanter tibi impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die III Ianuarii, anno MCMIII, Pontificatus Nostri anno vigesimo quinto.

LEO PP. XIII

(Foris)

Venerabili Fratri
Dominico
Episcopo Nicoterensium et Tropiensium
Tropium.

E S. R. UNIV. INQUISITIONE

I.

Novissimae in textu Bullae Cruciatae declarationes.

Beatissime Pater:

Cardinalis Cyriacus Maria Sancha et Hervás, Archiepiscopus Toletanus et Patriarcha Indiarum Occidentalium ad pedes S. V. provolutus, qua Commissarius Bullae Cruciatae in universo Hispaniarum Regno, Sanctitatis Vestrae iudicio nonnullas proposuit immutationes, quas in textus eiusdem Bullae Cruciatae inducere ipsi opportunum videtur.

Mutationes hae sunt:

1.° In paragrapho 2.ª Bullae ultimo concessae substituenda videntur verbis « *etiam tempore interdicti* » verba sequentia « *non modo extra tempus interdicti, sed etiam tempore interdicti* ».

Ratio huius mutationis in promptu est, nempe: convenientia finem imponendi theologorum disputationibus, quoad sensum et extensionem praedictae periodi, quae certe aliqua laborat obscuritate. Nam alii, cum in hispanicam linguam verbum « *etiam* » vertunt, id significare contendunt « *aun* » et exinde inferunt gratiam concessam, non modo extendi ad tempus interdicti, sed etiam ad tempus in quo tale non est declaratum interdictum. Haec sententia est fere communis, ut videre est in auctoribus qui de hac re tractant, eique favet ipsemet Commissarius Apostolicus Cruciatae.

Non desunt tamen qui verbum *etiam* pro *igualmente* hispanice vertunt, ut iuxta eorum sensum gratia, de qua agitur, tantummodo applicari deberet in tempore interdicti, et non extra interdictum. Quaestio igitur manet solvenda, et facillime ut arbitramur, solutionem acciperet cum simplici mutatione proposita.

2.° Item in paragrapho 3.ª periodum « *Verum ad quadragesimale tempus quod attinet ab hoc indulto exceptos volumus, etc.* » ita vel simili modo posset exprimi « *Verum ad quadragesimale tempus quod attinet ab hoc indulto exceptos volumus Patriarchas... praesulesque inferiores, necnon regulares ecclesiasticos, Ordinum non militarium extra claustra commorantes et presbyteros saeculares qui ad sexaginta annorum aetatem non pervenerint. Sacerdotes vero regulares, intra claustra degentes, exceptos tantum volumus hebdomada maiori praeter Dominicam Palmarum* ».

Huius mutationis motivum resolutio est S. C. S. O. die 31 Ianuarii huius anni data (1), in qua decisum fuit, ad consultationem E.mi Commissarii, sacerdotes saeculares (regulares dicere deberet) intra claustra commorantes, vi Bullae Cruciatae, ova et lacticinia edere posse, in ieiuniis Quadragesimae, excepta tota hebdomada maiori.

3.° Demum paragraphus 5.ª ita redigi oportet, ut soluta sequentia appareant dubia: Utrum Christifideles visitationem altarium repetentes in diebus Stationum Urbis, ultra indulgentiam plenariam pro defunctis, aliam pro se valeant lucrari. « Utrum indulgentiae omnes quae in Bulla conceduntur, applicari semper valeant animabus in Purgatorio degentibus ».

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. IX, p. 239.

Feria quarta die 7 Maii 1902.

In Cong. Gen. feria IV habita ab E.mis ac Rev.mis D. D. Card. Gen. Inquisitoribus, proposito suprascripto supplici libello, praehabitoque RR. DD. Consultorum S. O. voto, iidem E.mi respondendum censuerunt:

Ad I. Verba « *etiam tempore interdicti* » respiciunt solum tempus interdicti; ideoque interpretatio extensiva indulti extra tempus interdicti sustineri nequit.

Ad II. Satis provisum per decreta S. O. fer. IV, 4 Martii 1891 et fer. IV, 23 Ianuarii 1901.

Ad III. Unicam indulgentiam plenariam concedi in casu. Et supplicandum SS.mo ut benigne decernere ac declarare dignetur omnes et singulas indulgentias in Bulla *Cruciatae* concessas applicari posse per modum suffragii pro animabus in Purgatorio detentis; idque expressis verbis dicatur in Bulla.

Et ad mentem: 1. Ut E.mo Card. Oratori iterum transmittatur exemplar decreti editi feria IV, 23 Ianuarii 1901, nec non decreti editi feria IV, 4 Martii 1891 relate ad Bullam *Cruciatae*. 2. Ut idem E.mus tempore opportuno transmittat ad Supremam hanc Congregationem S. O. exemplar authenticum Bullae Cruciatae juxta novam formulam ad quam redigetur.

Insequenti vero feria IV, die 9 eiusdem mensis et anni Sanctissimus D. N. D. Leo Div. Prov. PP. XIII, in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, habita de omnibus relatione, responsiones E.morum plene adprobavit, atque ut indulgentiae de quibus sub N. III defunctis applicari queant suffragii ad modum prout ab E.mis fuit propositum, benigne decernere ac declarare dignatus est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

J. Can. Mancini, *S. R. et U. I. Not.us*

II.

Responsum quoad Bullam Cruciatae in quantum spectat ad Regulares.

« In Congregatione habita feria IV, die 4 curr. « mens. (Martii 1901) ad examen vocatis dubiis ab Em. « Tua positis, litteris datis die 28 Februarii anni elapsi, « circa interpretationem novissimi decreti, huius Supr. « Cognis. super Bulla Cruciata, Emi. Dni. Cardinales « una mecum Inqres Genles decretum ipsum in hunc « modum evulgandum mandarunt: *Regulares utriusque « sexus, exceptis iis qui voto speciali sunt adstricti, in « jejuniis etiam quadragesimae possunt vi Bullae Cru- « ciatae edere carnes, ova et lacticinia necnon ova et « lacticinia cum piscibus in eadem comestione miscere. « Presbyteri vero regulares extra claustra commorantes, « vulgo exclaustrados, praeter Bullam Cruciatae et Sum- « marium carnis, tenentur Summarium quoque lacticinio-*

« *rum suscipere, ut Presbyteri saeculares. At Regularibus intra claustra degentibus, sive sacerdotes sint sive laici sive moniales, sufficiunt Bulla Cruciata et Summarium carnis, nisi sint ex Ordine Minorum S. Francisci, qui nulla bona possident, quibus sufficit Bulla Cruciata.*

« Precor E. T. summopere curare, ut hoc decretum, « apostolica Summi Pontificis auctoritate firmatum, « quo primum possit, publici juris fiat, ejusque jam « publicati exemplar ad me transmittatur in Tabu- « lario supremae Congregationis asservandum.

« Interim impensos, etc. ».

E SACRA CONGREGATIONE
EPISCOPORUM ET REGULARIUM

I.

9013/14 PONENTE E.MO AC R.MO

DOMINO CARDINALI ANTONIO AGLIARDI

Die 16 Maii 1902.

Canarien. — Indemnitatis.

Vertitur controversia inter Episcopum Canarien. et Institutum Sororum a Christo Rege, circa indemnitatem ab Episcopo praestandam, eo quod Sorores dicti Instituti in Collegio Canariensi existentes, ad Regulam Tertii Ordinis S. Dominici translatae sint, inscia Moderatrice Generali, ex quo... etc.

Ad fovendam educationem et instructionem puellarum in civitate *Las Palmas* (in insulis Canariis) mense Novembris 1891 Episcopus Canariensis decrevit erectionem Collegii Sororum, quae nuncupantur Filiae a Christo Rege, nuper in eam civitatem appulsarum quarum domus princips in urbe Granatensi existit. Anno 1893-94, praevia Apostolica licentia, mutuum infructiferum in libellis 89,000 contractum est partim ex piis fundis ad dioecesim et mensam Episcopalem Canariensem spectantibus, et partim ex peculio privato Episcopi, ut domus pro novo collegio compararetur. Haec chirographaria obligatio peracto publico Instrumento suscepta fuit a duabus sororibus eiusdem novi instituti ceu personis privatis et saecularibus.

Episcopus Canariensis refert quod super dicto Instituto alia quoque duo debita gravant contracta pariter praevio Apostolico Indulto, unum in libellis 111,471, pro restauranda et amplianda fabrica Collegii, quae summa desumpta fuit pariter ex fundis piis dioecesis, et alterum in libellis 48,690 mutuatis ab Episcopo ex suo privato peculio filiabus a Christo Rege ab earum adventu in insulas Canarias usque ad Instituti mutationem.

Porro an. 1895 praefatae Sorores, una excepta, annuente Episcopo Canariensi, regulam Tertii Ordinis S. Dominici amplexatae sunt et die 15 Iunii eiusdem anni Episcopus earum professionem recepit. Hoc valde displicuit Moderatrici Generali et Fundatori Congregationis Filiarum a Christo Rege, tum quia transitus ad aliam Regulam evenerat absque Superiorissae et Fundatoris consensu, tum quia domus Collegii cum adnexis et connexis sive cum omni supellectili sive sacra sive profana adhuc ab iisdem Sororibus retinebatur. De hoc rerum statu proinde graves querelae motae sunt contra Episcopum Canariensem apud S. Congregationem Episcoporum et Regul. quae die 15 Aprilis 1899 sequens edidit decretum: — *Sorores Instituti Christi Regis quae domum eiusdem Instituti in dioecesi Canariensi sitam incolebant, et iam regulam Tertii Ordinis S. Dominici professae sunt, ad evitanda scandala relinquendas esse in bona fide; domum vero Instituto restituendam esse: verum si dimisso debito, quo Superiorissa Instituti erga Episcopum Canariensem obstringitur, res ad aequalitatem reducitur in hac resolutione contractus illam acquiescere posse. Caetera vero damna, nisi aliter reparata sint, compensanda esse ea ratione quam in praesenti statu rerum iustitia simul et prudentia docebunt.*

Ab hac resolutione appellationem interposuit Episcopus Canariensis haec subiiciens dubia: — 1. *An tuto Episcopus siquidem debitum domus valorem adaequet eam retinere possit quousque debitum non solvatur.* 2. *An possit Episcopus prudens temporis spatium Superiorissae Instituti ad hoc debitum solvendum statuere, ita ut illo elapso et debito non soluto omne Superiorissae in domum ius extinctum esse censeatur.* Quae dubia sequenti decreto dimissa sunt: — *Cum ex notitiis eidem S. Congregationi suppeditatis constet Superiorissam Filiarum a Christo Rege nuncupatarum nihil praestitisse ex debitis quibus erga Episcopum Canariensem et loca pia ipsius dioecesis obstringitur et integrum pretium pro emenda et amplianda enunciata domo ab eodem Episcopo Canariensi solutum fuisse, casus existit praevisus in secunda parte decreti diei 15 Aprilis 1899 idest illam huius in resolutione contractus acquiescere posse.*

Quum vero huic responso se submittere nollent Superiorissa et Fundator Congregationis Filiarum a Christo Rege, hinc petierunt controversiam definiri in plenario Eminentissimorum Patrum coetu maxime instantes ut reparentur damna Congregationi praefatae allata ex Episcopi Canariensis culpa.

Quamvis Superiorissa suo tempore monita fuisset, allegationes tamen non exhibuit: nonnulla proinde ex suo recursu delibantur. Iuxta Superiorissam Generalem mutui contractus cum Episcopo Canariensi ita fuit initus, ut restitutio mutuatae pecuniae statis ratis facienda esset ex pretio conductionis domus anterioris Instituti et ex summa superextante ex reditibus Collegii puellarum. Atqui haec conditio seu modus adimplendi solutionem per aggregationem Sororum Tertio Ordini S. Dominici ab Episcopo Canariensi peractam omnino frustranea

evasit, quia Institutum positum fuit in impossibilitate restituendi mutuatam pecuniam. Hinc facta aggregatio Sororum et occupatio Collegii nedum fuit arbitraria, iniusta et illegalis utpote destituta consensu Superiorissae Generalis et Fundatoris Congregationis, sed etiam damnosa Congregationi quae proinde redintegranda est ob passa damna.

Postea sic prosequitur Moderatrix Generalis: *Similiter postulamus compensationem aequam damnorum subsequentium. I. Compensanda sunt omnia dispendia facta a nostro Instituto in exordio et decursu Collegii Canariensis.* II. *Rationem horum dispendiorum habent non solum syngrapharum expeditiones, sed etiam pretium transvectionis sororum, nec non quidquid ad eruditionem ipsarum impensum fuit. Inter sorores aggregatas ab Episcopo Tertio Ordini S. Dominici, tres curriculum publici magisterii (una vero etiam in arte delineatoria institutrix) adeptae erant, tres magistrae in arte musicorum, una earum in lingua gallica perita, tres in mulierum laboribus instructae, coeterae auxiliares.* III. *Similiter aestimanda sunt supellectilia, indumenta, tria instrumenta musicorum (vulgo pianoforte), organum (vulgo harmonium), libri, imagines, picturae, paramenta ecclesiae seu oratorii.* IV. *Petimus etiam quidquid ex computationibus anni 1895 adhuc non exhibitis, nostro Instituto iuste sit exsolvendum.*

Ex adverso Episcopi patronus Superiorissae Generalis petitionem omnino reiiciendam esse autumat. Sane ratealis summae mutuatae restitutio non extitit conventionis obiectum prouti constat ex contractus littera, sed tantummodo spontanea concessio facta ab Episcopo Canariensi Superiorissae non Generali sed locali Instituti, quippe qui probe sciebat sorores oneri restituendi satisfacere non posse nisi paulatim seu per graduales solutiones. Hinc nulla obligatio ex parte Episcopi creditoris sed tantum pura remissio favore Instituti debitoris. Quo posito patronus facile deducit ea omnia esse reiicienda quae a Superiorissa Generali proferuntur ad probandum per factam Sororum aggregationem Tertio Ordini Sancti Dominici Institutum positum esse in impossibilitate adimplendi contractus, et hinc expetita ex hac parte damnorum compensatio in tenues resolvitur auras. Sed Advocatus maiora urget. Re quidem vera obligatio reficiendi damna non ex quacumque damnificatione exoritur sed tantum ex culposa et iniusta. Atqui incriminata Sororum aggregatio fuit licita: et pluribus id arguit.

Primo, tempore quo Sorores transierunt ad Congregationem Tertii Ordinis S. Dominici, hae non habebant regulam approbatam a S. Sede imo neque Decretum laudis: hinc pendebant ab Ordinario dioecesano, cuius erat eas dirigere ad ultimum aeternum finem ea via quae sibi magis expediens videretur. Sed de facto in Instituto Canariensi Filiarum a Christo Rege constabat plura desiderari tum quoad disciplinam tum quoad spiritum religiosum: et haec fuit causa motiva cur Sorores ad suis consulendum conscientiis libere decreverint transire ad aliam rigidiorem regulam Tertii Ordinis Dominicani. Age vero Episcopus qui Sororum spirituale bonum curare debebat, poterat-ne hunc transitum prohibere?

Secundo, ex recenti Constitutione *Conditae a Christo* (1) Leonis XIII ad moderandas relationes inter Instituta religiosa dioecesana et Episcopos, eisdem Episcopis facta est facultas dispensandi a votis quae Romano Pontifici non sunt reservata — *Alumni et alumnae Sodalitatum harum in foro externo eidem (Episcopo) subsunt quoad spectat ad censuras, reservationem casuum, votorum relaxationem quae non sunt uni Summo Pontifici reservata....* Iam vero votum obedientiae certe non erat de reservatis. Ergo Episcopus Canariensis poterat Sorores Instituti ab hoc voto relevare.

Tertio tandem, dato etiam sed non concesso quod facta aggregatio excessisset Episcopi facultates, haec disputatio in praesens supervacanea evadit, eo quia per rescriptum S. Congregationis Episcoporum et Regul. diei 15 Aprilis 1899 tamquam valida recognita fuit; nam dictum est Sorores quae regulam S. Dominici professae sunt relinquendas esse in bona fide. Si igitur concludit patronus incriminata Sororum aggregatio fuit licita et valida, necessario sequitur expungendam esse quaestionem damnorum moralium quam Superiorissa Generalis intentare contendit.

Dein advocatus progreditur ad quaestionem damnorum materialium et sub hoc puncto pariter contendit Moderatricis Generalis petitionem esse reiiciendam. Siquidem ab ea allata damna ad hoc reducuntur nempe ad libellas 250 traditas initio sororibus a Civitate Granatensi ad Canariensem commeantibus et ad expensas factas pro itinere 9 Sororum. Sed longe aliae et graviores sunt expensae ab Episcopo perlatae sive pro instruendo Collegio de necessaria suppellectili sacra et profana, sive pro alimentis et victu, cum annualis introitus Collegii semper inferior evaderet in exitu; et hae expensae ascendunt ad non tenuem summam libellarum 58,690: ceu facile ex documentis probari dicit patronus, quare si aliqua compensatio admitti deberet, haec profecto Episcopo competeret. Quoad damnum quod Superiorissa Generalis conqueritur Congregationi Filiarum a Christo obvenisse ex amissione nonnullarum Sororum peritarum sive in arte musica et delineatoria sive in magisterio linguarum, ob earum transitum in aliam Congregationem, advocatus reponit quod hae dotem attulerant, et hinc ius habebant ad instructionem; aliunde haec dos retinetur a Congregatione Filiarum a Christo Rege; hinc querelis locus fieri non debet. Item de computationibus an. 1895 adhuc non exhibitis, advocatus notat quod hae computationes reducuntur ad 5 menses; sed redditio huiusmodi rationum inutilis existimata fuit, cum experientia constaret quod quaelibet annalis administratio cum passivo clauderetur, cui Episcopus occurrebat de proprio aere.

Summatim advocatus concludens ita ratiocinatur. In comperto est quod domus Collegii empta fuit pecunia ab Episcopo Canariensi mutuata et super ea domo etiam hypotheca fuit capta. Haec autem domus inscripta fuit non Superiorissae Generali aut Fundatori Congregationis Filiarum a Christo Rege sed tantum duabus Sororibus eiusdem Instituti cum votis tempo-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. VIII, p. 481.

raneis: Episcopus ad Collegium regendum arcessivit 15 sorores praefatae Congregationis, quae mutata voluntate ad aliam regulam transire satius duxerunt: Episcopus censuit eas esse retinendas in regimine Collegii. Quaerit advocatus num Episcopus id facere nequiverat cum ipse dominus esset Instituti? Ergo petitio compensationis damnorum ex adverso apposita nullo valido nititur fundamento.

Quibus utrinque summatim relatis, propositum fuit sequens enodandum

DUBIUM

An Institutum Filiarum a Christo Rege ius habeat ad indemnitatem contra Episcopum Canariensem in casu?

Sacra porro Congr. re mature discussa rescripsit: — *Affirmative iuxta modum: modus est ut Superiorissa Generalis Instituti Filiarum a Christo Reje et earum Fundator canonicus Gras remittant S. Congregationi notulam indemnitatum quas petunt, devutando Romae procuratorem, et item ut Episcopus Canariensis designet suum procuratorem pro observationibus quas forte faciendas putaret super praedicta nota, et ut S. Congregatio in particulari congressu quaestionem definitive componat.*

II.

DECRETUM

Approbatur Institutum infrascriptum cum suis Constitutionibus.

Anno Domini 1885, auspice r. p. d. Marcello Spinola et Maestre, nunc Archiepiscopo Hispalensi, ortum duxit Institutum Sororum, quibus cognomentum vulgo: *Esclavas Concepcionistas del Divino Corazon de Jesus.* Quae quidem Sorores id sibi uti peculiarem finem sive scopum proponunt, ut primum propriae consulant sanctificationi, per observantiam votorum obedientiae, paupertatis et castitatis, certamque vivendi norman suis in constitutionibus praescriptam; tum ad eruditionem piamque educationem puellarum, praesertim pauperum, sedulo incumbant. Cunctae autem vitam ducunt perfecte communem sub regimine moderatricis generalis, et, exacto novitiatu, recensita tria vota, prius ad tempus, dein in perpetuum, ritu simplici nuncupant. Complures iam sunt Instituto domus canonice erectae tum in Archidioecesi Hispalensi, ubi et domus princeps constituta est, tum in dioecesi Malacitana. Porro ubicumque commoratae sunt enunciatae Sorores, superna favente gratia, bonum Christi odorem jugiter effuderunt, uberemque, ad Dei gloriam atque animarum salutem, tulere fructuum copiam.

Cum autem nuper Moderatrix Generalis, omnium Sororum nomine, SS.mo D.no N.ro Leoni Divina Providentia Pp. XIII humillime supplicaverit ut praefatum Institutum eiusque Constitutiones Apostolica Auctoritate approbare dignaretur, Antistites Hispalensis et Malacitanus, datis ultro litteris, eiusdem preces summopere commendare non dubitarunt.

Itaque Sanctitas Sua, re mature perpensa, attentisque praesertim commendatitiis litteris praedictorum Antistitum, in audientia habita ab infrascripto Cardinali S. Congregationis Episcoporum et Regularium Praefecto, die 25 Januarii 1902, memoratum Institutum, uti Congregationem votorum simplicium, sub regimine moderatricis generalis, cum suis Constitutionibus, approbare et confirmare dignata est, prout praesentis decreti tenore approbat et confirmat, salva Ordinariorum jurisdictione ad formam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium die 1 Februarii 1902.

Fr. HIERONYMUS MARIA Card. GOTTI, *Praef.*

L. ✠ S.

AL. BUDINI, *Subsecr.*

III.

DECRETUM

Approbatur Institutum Fratrum Carmelitarum a Doctrina (*de la Ensenanza*) cum suis Constitutionibus.

Anno Domini 1892 in Archidioecesi Tarraconensi canonice erectum fuit Institutum — de Hermanos Carmelitas de la Ensenanza — vulgo nuncupatum, quod iam multos ante annos ortum duxerat, auspice religioso viro fel rec. Francisco Palau y Quer. Peculiaris finis sive scopus praefati Instituti Sodalibus propositus in eo est, ut ipsi primum quidem propriae consulant sanctificationi servando vota obedientiae, paupertatis et castitatis, certisque inhaerendo Constitutionibus; tum vero sedulo incumbant ad eruditionem piamque educationem parvulorum et, sicubi opus est, iuniorum opificum. Cuncti autem vitam ducunt perfecte communem, sub regimine Moderatoris Generalis, et exacto novitiatu, recensita tria vota, prius ad tempus dein in perpetuum, ritu simplici emittunt. Porro, istiusmodi Sodalium propositis laboribusque dexter adfuit bonorum omnium largitor Deus; ita ut ipsi non mediocrem fructuum ubertatem, ad eiusdem Dei gloriam atque animarum salutem iugiter tulerint.

Quum autem nuper Moderator Generalis, optimis instructus commendatitiis litteris, SS.mo Domino Nostro Leoni Divina Providentia PP. XIII humillime supplicaverit ut Institutum ipsum et Constitutiones, quibus regitur, Apostolica auctoritate approbare dignaretur, Sanctitas Sua, universa rei ratione mature perpensa, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali S. Congregationis Episcoporum et Regularium Praefecto die 17 Martii 1902, praedictum Institutum cum suis Constitutionibus, uti Congregationem votorum simplicium sub regimine Moderatoris Generalis, approbare et confirmare dignata est, prout praesentis Decreti tenore benigne approbat et confirmat, salva Ordinariorum iu-

risdictione ad formam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

Datum Romae ex Secretaria praefatae S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 17 Martii 1902.

F. HIERONYMUS MARIA Card. GOTTI, *Praef.*
L. ✠ S.

AL. BUDINI, *Subsecrius.*

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 31 Ianuarii 1903, in palatio Apostolico Vaticano fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua praeter alia, proposita sunt infrascripta Dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure resolvenda.

A. — Per Summaria Precum.

I. ROMANA. — Circa renunciationem pii legati. — R. (reservata).

II. TAURINEN. — Dispensationis quoad ius praesentationis. — R. *Arbitrio et prudentiae Emi Archiepiscopi et ad mentem.*

III. PRATEN. ET S. MINIATIS. — Dispensationis ab incompatibilitate beneficii. — R. *Non expedire.*

B. — In Folio.

I. S. CLAUDII. — Nullitatis Matrimonii. — R. *In decisis.* (sub secreto).

II. MECHLINIEN. — Nullitatis Matrimonii. — R. *Ex noviter deductis constare de nullitate matrimonii.*

III. PARISIEN. — Nullitatis Matrimonii. — R. *Dilata - et compleantur acta processus iuxta Instructionem dandam a Def. matr. ex officio.*

IV. MONACEN. — Dispensationis Matrimonii. — R. *Dilata et suppleantur acta processus iuxta Instructionem dandam a Def. matr. ex officio* (sub-secreto).

V. SALERNITANA. — Concursus. — R. *Ad mentem. Mens est ut Archiepiscopus utatur iure suo, indicto etiam novo concursu, quatenus in Domino expedire iudicaverit.* (reservata).

VI. FESULANA. — Praestationis oneris. — R. *Ad 1um. Affirmative.*

Ad 2um. Provisum in 1°.

VII. CASSANEN. - Iurium. — R. *Ad mentem. Mens est quod electio Capellani* S. Mariae del Castello *fiat a Clero*; *et rationum redditio exhibeatur Episcopo; quoad reliqua nihil immutetur.*

A. — Per Summaria Precum.

3387/2 II.

Taurinen. — Dispensationis quoad ius praesentationis.

Remittitur arbitrio et conscientiae Ordinarii, ut, verificatis nonnullis conditionibus, derogari possit in casu dispositionibus testatoris quoad ius passivum praesentationis.

In Ecclesia Collegiata loci — *Savigliano* — Archidioecesis Taurinen. — *morte* titularis Pauli Bessè vacans reddita est praebenda Decanatus. Hoc beneficium est iuri patronatus obnoxium ex fundatione cuiusdam Philippi Torretta statuentis in suo testamento a 1823, ius patronatus *activum* favore Capituli Collegiati loci — *Savigliano* —; *passivum* vero, in primis, favore suorum agnatorum et cognatorum sed cum certo ordine. Videlicet primi vocati sunt 1) agnati de familia fundatoris 2) cognati in linea masculina (et hodie deficientibus agnatis, titulo COGNATIONIS ius passivum obtinet familia Bessè); 3) cognati in linea foeminina; 4) sacerdotes orti in civitate *Savigliano*:

Equidem ultimus titularis Paulus Bessè, de Ecclesia benemeritus est quippe e faucibus fisci vindicare valuit praebendam canonicalem uti narrant hodie Carolus Albertus et Angelus Bessè qui enixe adprecantur Sacratissimum Principem ut dignetur indulgere, beneficium hoc conferri cuidam Paulo Bessè annorum 22 at nondum s. ordinibus initiato et hinc non praedito qualitate a fundatore exquisita; utpote qui iussit, beneficium conferri Sacerdoti *celebranti*; eidemque idoneo ut, saltem intra annum, sacras confessiones exciperet.

Vicarius Generalis preces hisce animadversionibus commendabat:

« Che l'aspirante Paolo Bessè, dell'età di anni 22 è studente del *secondo* anno di teologia e dimora a Busalla, Archidiocesi di Genova, frequentando come esterno gli studi in Seminario e vestendo senz'abito talare secondo l'uso del luogo. Il suo Arcivescovo lo dice *buono, ma di poco ingegno e di poca salute*, nè è cosa sicura che gli sia conferita la tonsura per l' epoca accennata nel ricorso.

« Che il canonico Bessè, testè defunto (qualunque sia stata la somma da lui spesa per la rivendicazione del beneficio dalle mani del governo, che l'aveva illegalmente soppresso) ha lodevolmente agito pel bene della Chiesa da bravo beneficiato e potè godere ancora a lungo il frutto delle sue cure.

« Che il Capitolo della Collegiata da Noi esortato a differire anche oltre il mese (come sarebbe volontà del testatore) la presentazione del soggetto annuì benevolmente, desiderandosi da tutti le direzioni della S. Sede per procedere prudentemente in un affare a cui si è dato molta importanza ».

Ast ipsam mentem Emi Archiepiscopi cognoscere peropportunum esse duxi; quamobrem ei litteras dedi quibus Ipse reposuit *die 19 Iulii 1902* «... non ho in verità nulla da aggiungere. — Osserverei, poichè ne ho l'occasione, che qualora fosse esaudita la domanda, sarebbe risparmiato alla Collegiata di Savigliano ogni pericolo di noie per parte dei Signori Oratori, ma non intendo con ciò far pesare la bilancia più da una parte che dall'altra e mi rimetto pienamente alla sapienza degli Emi Padri.

Re sane vera *negotium est gratiosum* et pendet a benigna EE. PP. dispensatione quam concedent iuveni Paulo Bessè si derogent voluntati testatoris praescribentis, instituendum esse in beneficio clericum iam Sacerdotio initiatum eumdemque idoneum, saltem infra annum a suscepto canonicatu, confessionibus excipiendis. —Facta enim hac derogatione, Capitulum invenit in ipsa familia cui spectat ius patronatus *passivum*, personam hoc iure *passivo* fruentem.

Ceterum ista requisita veluti *extrinseca* a testatore praescripta non comprehendunt neque supplere valent alia requisita *intrinseca* nempe moralia ex ipso iure *scripto* et *naturali* penitus necessaria, videlicet illas animi dotes naturales aut acquisitas vel divina largitate concessas, quibus praestare debet sacerdos ut, pro suo officio, utile gerat et commendabile ministerium. — Sane quamvis ab H. S. O. concedatur dispensatio quoad requi-

sita *extrinseca*, nihilominus orator non obtinet *praesentationis actum* nisi Capitulum, per deliberationem capitularem, illum praesentet Ordinario pro *institutione*. Atqui Capitulares ius habent et onus perpendendi etiam requisita *intrinseca* cuicumque canonico necessaria. — De hisce requisitis autem Vicarius Generalis nobis refert: « Il suo Arcivescovo lo dice *buono ma di poco ingegno e di poca salute* ne è cosa sicura che gli sia conferita la tonsura per l'epoca accennata nel ricorso ». Verumtamen si forte tonsura adhuc iuveni Paulo Bessè collata non fuisset, res modo esse non posset de praesentatione et institutione quae uti exploratissimi iuris est non competunt nisi clerico: beneficia enim ecclesiastica nisi a clerico obtineri non possunt.

Praeterea quum advertat idem Vicarius Generalis, negotium, in praesentiarum, versari — *cui si è data molta importanza* —; et innuat ipse Emus Archiepiscopus; « *qualora fosse esaudita la domanda sarebbe risparmiata alla Collegiata di Savigliano ogni pericolo di noie per parte dei Signori Oratori* » inde patet, ipsum desiderium perpinguis praebendae non parum commovere animos et excitare studium ex utraque parte; quippe ipsi capitulares perspecte intelligunt, locupletem praebendam, ex ipsa fundatoris *praesumpta* voluntate, ei concedendam esse, qui fructus non exiguos sacri ministerii rependere valeat.

Quare etc.

Responsum fuit: *Arbitrio et prudentiae Emi Archiepiscopi, et ad mentem.*

3729/2 III.

Praten. et S. Miniatis. — Dispensationis ab incompatibilitate beneficii.

Denegatur petita facultas cumulandi duo beneficia in casu.

Cum vacasset per mortem sui rectoris Ecclesia Plebalis loci *Cerreto-Guidi* dioecesis S. Miniatis subiecta iuri patronatus *activo* Capituli Cathedralis Pratensis, petiit et obtinuit Arthurus Ciardi Canonicus Cathedralis Pratensis ut in beneficio plebali ipse institueretur, legitima cum venia sui Ordinarii. — Quare idem canonicus Ciardi hodie petit a Beatissimo Patre sibi facultatem concedi detinendi, una cum beneficio plebali, canonicatum iampridem possessum, imo refert hac de causa se petiisse beneficium parochiale quippe praebenda canonicalis hodie vix pertingit ad centum et viginti libellas (Lire 120), cui onus inest viginti septem (27) Missarum. — Praeterea recolit, hanc tenuissimam dotem canonicatus gravi in periculo versari si, ob eius renunciationem, redeat ad manus patronorum *laicorum* quorum unus cum pene ad egestatem redactus sit et aere alieno gravatus, dos beneficii facile in manus recideret creditorum. Denique memorat, quandam controversiam haberi capitulum inter et Ecclesiam Plebalem, agitatam apud H. S. O. mense Septembri a. 1901, eamdemque modo per appellationis instantiam, adhuc sub iudice manentem; quamobrem opportunum est ut canonicus in isto beneficio instituatur. — Preces ita concludit orator. « Per queste ragioni l'oratore domanda di ritenere il canonicato e di essere dispensato dal coro, essendo di ciò contento il capitolo stesso, intervenendo al coro n. 19 canonici e 11 cappellani. L'oratore poi affinchè per la sua assenza nessuno dei Canonici rimanga onerato dell'ebdomada di cantare, dichiara di essere pronto ad incaricare a proprie spese uno dei canonici ad adempiere ad un tale obbligo ».

Die 10 Iulii 1902 Capitulum Praten. in legitimo conventu unanimi suffragio consensum dedit « *perchè la Sacra Congregazione conceda al prenominato Sig. Canon. l'esenzione dalla residenza e dal coro con obbligo di soddisfare per mezzo di un collega all'ebdomada di cantare* ».

Episcopus de sua sententia perquisitus haec retulit. « Richiesto di porgere schiarimenti del perchè alla Pieve di Cerreto-Guidi sia stato nominato un Canonico, rispondo che la nomina venne dal Reverendissimo Capitolo di Prato che è il patrono di quella Chiesa. Ci fu scritto e detto che i Capitolari di Prato facevano pratiche per ottenere al Ciardi Canonico, nominato alla Pieve, la grazia e che avrebbero allegate buone e salde ragioni.

« Per noi il Ciardi è l'uomo atto a rialzare il prestigio un po' scaduto della prefata Pieve e il popolo di Cerreto lo attende come una benedizione. Speriamo adunque che il privilegio sia conceduto ».

Modo, pro meo munere, advertam dignam esse quae maxime perpendatur ratio quae ita exponitur ab oratore. « Esistendo alcune questioni tra Pieve e Capitolo, tanto l'Ordinario di San Miniato quanto il Capitolo medesimo hanno riconosciuto vantaggioso che di quel benefizio ne sia investito un patrono ». Sane haec quaestio adhuc viget, quia *die 7 Sept. 1901* Plebanus loci *Cerreto-Guidi* quaestionem movit Capitulo Praten. *patrono*, instans ut vectigal — *ricchezza mobile* — impositum a Gubernio super portione *congruae lib. 858*, nec non super alia praestatione lib. 418,32 a capitulo solutis parocho-plebano ex legitima conventione, (prouti exponitur in *folio* praecitatae causae) sustineretur ab ipso capitulo, ne congrua nimis et praeter canonicam mensuram, extenuaretur. — Et H. S. O. huic proposito dubio: « *An portiones tum lib. 852,60*; *tum lib. 418,32 sint rependendae a capitulo immunes a quacumque taxa in casu* », rescripsit: « *Affirmative* ». Capitulum petiit et obtinuit beneficium *novae audientiae*; et hodie res adhuc *sub iudice* est; quamobrem lis adhuc viget Capitulum inter et Ecclesiam Plebalem; et si interest Capitulo eique bonum est — *hanno riconosciuto vantaggioso* — parochum-plebanum fieri unum ex canonicis; attamen hoc, ex adversa ratione, aeque bonum aestimari non potest ipsi praebendae: siquidem si onus taxae — *ricchezza mobile* — non amplius sustinetur a canonicis, minuitur in perpetuum praebenda parochialis gravi cum iactura etiam boni spiritualis fidelium.

Itaque ut etiam *externe* salva maneat necessaria distinctio inter *actorem et reum* in iudicio, satius videtur, antea beneficio vacanti constituere *defensorem ex officio*, cuius sit tueri partes praebendae parochialis usque ad definitionem iudicii, qua edita definitione, postea integrum erit Capitulo quem mavult praesentare ad beneficium vacans.

Quare etc.

Emi Patres edixerunt: *Non expedire.*

B. — In-Folio.

1377/2 VI.

Fesulana. — Praestationis oneris.

Quamvis ab initio, praestatio oneris incumberet in casu Pio Operi, non autem Canonico; tamen superveniente praescriptione, onus solvendi devolutum fuit titulari Canonicatus.

Canonicus Angelus Maria Bandini per supremam voluntatem in suo testamento *diei 12 Iunii 1802* significatam, ex universis suis bonis, quoddam opus pium condidit, destinatum, in primis, institutioni iuvenum pauperum Fesulanorum tum in litteris ita-

licis et latinis, tum in re religiosa et morali; et praeterea iussit, constitui beneficium canonicale a titulo *S. Ansani* in Cathedrali Fesulana. Re sane vera canonicatus erectus fuit per decretum Episcopi Fesulani *die 14 Aug. 1804* iubentis, novo canonico tribuendam esse annuam scutatorum summam non minorem canonicali praebenda aliorum canonicorum et una simul cavit « *S'ordina di più che la detta beneficenza* » seu ipsa administratio pii operis « *a titolo di rimunerazione per tale elargità debba pagare ogni anno nel mese di Aprile alla cassa Capitolare la somma di Lire trentuna* » Elargitio de qua loquitur Episcopus, ea intelligitur facta a Capitulo quod novum canonicum admisit ad turnum Missarum attributarum canonico hebdomadario unde aliquod lucrum cessavit singulis canonicis. Siquidem damnum inde emergens singulis canonicis ob Missas numero pauciores ab ipsis celebratas aestimatum fuit ad libellas Hetruriae unam et triginta (31) in singulum canonicum.

Et de hac praestatione oneris hodie quaestio movetur; nam quamvis hoc onus ab initio disertis verbis impositum sit directe ipsi *pii operis* patrimonio, attamen, progressu temporis, uno vel alio nomine, solutum fuit ab ipso canonico a *S. Ansano.* Equidem capitulum asserit, solutionem fecisse ipsum canonicum ab a. *1825*; ex adverso hic canonicus contradictor reponit, hanc solutionem initium habuisse ab a. 1809 et in libris rationum sub an. 1832 caveri: « *Dall'Opera Pia e per essa ricevuta dal Canonico di S. Ansano* ». Attamen ipse canonicus contradictor non negat et nullimode negari posset, canonicum a S. Ansano usque ad hodiernam promotam quaestionem solvisse summam lib. 32 distribuendam singulis canonicis *pro rata parte,* sed contendit *ex errore et indebite* solutam esse; quandoquidem hoc onus in tabulis fundationum impositum fuit ipsi *pio operi,* at nullimode a canonico debetur, quod proinde pridem solvisse canonicus dicendus est nomine et mandato *pii operis,* rependentis eamdem summam ipsi canonico ob solutionem pecuniae a se non debitae factam.

Sane hodie haec praestatio nullimode repeti valet ab ipso *pio opere* quia ob novas editas leges a Gubernio Italico *de piis operibus,* confectum fuit a. 1879 *statutum organicum* subscriptione signatum ab Episcopo et a canonicis capitularibus, utpote pii operis administratoribus, nec non ab Administro Regio a *negotiis regiminis interni*: nullibi vero de hac praestatione cavetur.

Porro, uti fertur, adhuc *a Pio Opere* solvitur quaedam pecuniae summa — *a titolo di laceri e per stralcio* — imposita an. 1817, sed haec nullimode confundenda est cum praestatione de qua hodie agitur; sive haec repetatur ab ipso actu erectionis uti opinantur capitulares sive a quodam alio decreto 18 Augusti 1805 uti censent contradictores.

Iamvero origo hodiernae controversiae haec fuit.

Sacerdos Bargigli qui ab anno 1882 canonicatu S. Ansani potitus est, praedictas eidem Capitulo libellas 32 solvit usque ad an. 1892. Verum ab hoc anno dictam summam solvere renuit, asserens se hoc onere non obstringi, imo expostulans ut sibi id omne restituatur quod usque ad illum annum exsolvit. Idem repetit Sac. Ioseph Focardi, qui hactenus solvit quum eundem obtineat canonicatum, volens insuper ut in posterum a tali onere immunis ipse declaretur.

Ambo itaque asserunt libellas 32 solvendas esse Capitulo *ab Opere pio Bandini,* minime vero a *canonico S. Ansani,* iuxta ea quae tum in actu erectionis *d. 8 Aug. 1804,* tum in decreto *d. 18 Aug. a. 1805* statuta sunt.

Capitulares dictam summam a canonico S. Ansani sibi deberi autumant titulo *compensationis,* cum ipsi *emolumento* nuncium miserint quod sibi antea obveniebat ex eleemosynis Missarum quas per hebdomadas quisque canonicus celebrabat; ex quo videlicet canonicus pro tempore S. Ansani earumdem eleemosynarum particeps factus fuerit. Hanc proinde summam ab obtinente canonicatum S. Ansani saltem ab *an. 1825* usque in praesens sedulo fuisse solutam asserunt: eamque ex patrimonio eiusdem pii Operis derivari censet Capitulum, adeo ut si idem reditus adhuc apud administrationem eiusdem pii Operis maneat, ipsa administratio illum Capitulo praestet; sin autem praebendae canonici pro tempore S. Ansani additus sit, (quod opinantur canonici) tunc solvendi munus ad ipsum canonicum spectet.

Neque mirum, ait Capitulum, si dicta summa saltem ab anno 1825 a canonico S. Ansani soluta fuerit, cum id repetendum iure sit ex eo quod ipsius canonicatus reditus ex lib. 746,76 ad summam lib. 944,60 adaucti sunt, subdens. « E come per questo aumento gli fu accollato l'obbligo dell'anniversario e del titolare che gravava direttamente l'amministrazione dell'Opera Pia, così il fatto e la pratica almeno di 50 anni c'induce a concludere che lo stesso sia avvenuto per la detta corresponsione al Capitolo ».

Idemque onus etiam post *Statutum organicum* Pii Operis Bandini spectare ad dictum canonicum vult Capitulum, secus enim non adesset ratio, iuxta ipsum, cur ei praeter lib. 47,48 « per l'anniversario e il titolo, » lib. 55,36 additae fuerint. Aiunt enim «... *l'onorario del canonico essendo* di L. 850 ed il suo assegno di fondazione di L. 746,76, con più L. 47,88, per l'anniversario e il titolo, presenta un più di L. 55,36 che non apparisce perchè sieno state aggiunte se non per continuare il passaggio della prestazione annua al capitolo ».

Idque vel magis, addit, quod vix edito Statuto administratores qui Statutum condiderant dictam summam a canonico S. Ansani repetierunt, quamvis ab eo postea reclamatum fuerit, illamque solvere detrectaverit.

Nil mirum insuper addit Capitulum quod in eodem Statuto nulla fiat mentio de hoc onere ipsi canonico imposito, cum scilicet agatur de particulari pactione inter canonicum S. Ansani ipsumque Capitulum peracta, quin proinde ipsum Pium Opus attingat.

Ex adverso canonici *Bargilli* et *Focardi*; *a*) negant obesse damnum in medium a Capitulo allatum; eo vel magis quod ipse hodiernus Episcopus Camilli duos erexerit canonicatus, et admiserit ad turnum Missarum, quin idem onus ipsis imposuerit, videlicet singulis Capituli canonicis satisfaciendi.

b) Pariter negant dictas inter eos intercessisse conventiones praeter id quod in erectione d. 14 Aug. 1804 atque in Statuto 6 Maii an. 1879 sancitum est. Immerito proinde dictam summam fuisse ipsis ab eodem Capitulo expetitam asserunt.

c) Animadvertunt insuper se haud oppugnare quae Opus pium, prout ex actu erectionis constat, eidem Capitulo solvere tenetur, sed ea quae singulis canonicis debentur prout in Decreto diei 18 Aug. an. 1805 habetur, quippe haec debentur ab ipso Pio opere, non a canonico.

d) Veritati etiam haud consonum esse aiunt id quod a canonicis cap. asseritur, videlicet saltem ab an. 1825 canonicum S. Ansani praestationem dictam eisdem capitularibus solvere fuisse solitum, cum hanc potius idem canonicus solverit ab an. 1809 ad an. 1879. Usque autem ad an. 1832 in libris capitularibus id reperiri adnotatum, animadvertunt, a canonico camerario « *dall'Opera Pia, e per essa ricevuto dal Canonico di* « *S. Ansano incaricato L. 32* ». Atqui, inferunt, si ab an 1825 canonicus S. Ansani dictam peregit praestationem, hanc certe solvisse dicendum titulo quo usque ab an. 1809 soluta fuit; et quoniam ab hoc anno pro dicto Opere pio soluta est, evidens esse aiunt, canonicum S. Ansani usque in praesens pro eodem pio Opere eam solvisse.

Quod autem ab anno 1832 in illa exigenda pecunia eadem formula omissa fuerit, id repetendum esse asserunt ex eo quod aliquando sub diverso titulo erronee dictam summam lib. 32 exegerit camerarius. Certum enim est, aiunt canonici, ex errore praescriptionem induci non posse, vi cuius eadem praestatio potiusquam ab Opere pio a canonico exigi valeat.

Caeterum iidem canonici animadvertunt in Statuto organico inter onera quae canonico S. Ansani incumbunt, dictam praestationem haud recenseri solvendam capitulo. Imo addunt articulum 51 — *Disposizioni transitorie* — haec de rectore pro tempore habere. « L'Articolo 25 del presente Statuto non sarà applicabile all'attuale Rettore del canonicato di S. Ansano, il quale continuerà a godere, finchè rivestirà una tale qualità, delle rendite e assegnamenti annessi al detto canonicato nel modo e alle condizioni con cui ne ha fin qui goduto, fermo stante l'obbligo in esso dell'adempimento di tutti gli oneri contemplati a di lui carico nel precedente Capitolo VI ». Cum autem in artic. 25 eiusdem Statuti inter assignationes haud sermo habeatur de dicta praestatione capitularibus a canonico S. Ansani solvenda, consequens esse aiunt, successores in eodem canonicatu post an. 1879 haud tali onere adstringi, iustitiaeque esse consonum ut ipsis id restituatur quod erronee ab iisdem perceptum fuerit.

Postremo notant canonici contradictores, hodie amplius non haberi damnum pro singulis canonicis ex admissione ad turnum Missarum ; quippe « *l'elemosina di L. 1,68* nei giorni festivi ; e di L. 1,12 nei feriali dovuta al *canonico ebdomadario e concessa anche al canonico di S. Ansano* » *tempore* admissionis damnum afferebat singulis *canonicis* sed non *hodie*, quum pinguiores eleemosynae modo percipiuntur a quocumque sacerdote celebrante. Hac de causa novi canonici nuper admissi ad turnum Missarum ex hoc titulo nihil praestant singulis canonicis.

Huic rationi respondent reliqui capitulares, controversam praestationem impositam fuisse non tantum ob admissionem turni Missarum, sed etiam quia « *lo stesso capitolo debba dare al canonico pro tempore del suddetto canonicato la candela del peso stesso che si distribuisce ai canonici nel giorno dei Morti e Purificazione ed il Palmizio ed a correspettività dell'aggravio che sopra, alla Cassa Capitolare il Camerlengo, ossia l'amministratore della eredità Bandini debba pagare L. 7 di detta moneta* ». Ita ex actu fundationis ipsius canonicatus.

Haec mihi potiora visa sunt in partium animadversionibus. Pro meo officio haec adverto. Hodierna quaestio, equidem, haec est : an summa lib. 32 solvenda sit a canonico tituli *S. Ansani* favore singulorum capitularium. — Praeterea iuvat advertere, ipsos capitulares non inficiari, hanc praestationem, a tabulis fundationis impositam fuisse non ipsi canonico sed patrimonio *pii Operis;* itemque, omnes capitulares, et in his contradictores asseverant de facto hanc summam a remotissimo tempore, forsan ab a. 1809, uti fatentur ipsi contradictores, solutam fuisse ab ipso canonico. Attamen caute advertunt contradictores, usque ad annum 1832 ex rationum libris evinci, et probari solutionem factam fuisse a canonico *nomine et mandato* pii Operis. Ast ab illa aetate praetermittitur haec clausula in dictis libris, et simplex fit mentio secutae solutionis.

Sed cum canonici provocent ad art. 25 *Statuti organici*, hunc articulum referam advertens, inde constitui regulam *ordinariam*, cum articulus 51 exceptionem quandam firmaverit favore canonici tunc temporis obtinentis praebendam ; scilicet ne praeiudicaretur iuribus *legitime quaesitis.* — Art. 25 ita conceptus est. « Il medesimo a titolo di prebenda canonicale oltre l' uso della villa e l'usufrutto del giardino e terreno annesso, percepirà l'annua somma di L. 850 ; *a compenso di tutti gli oneri inerenti al canonicato compreso quello della festa del titolare e dell'anniversario prescritto dal testatore* rimanendo a carico dell'Opera pia la spesa per imposizioni e acconcimi, essendo il rettore sostanzialmente custode della chiesa, della canonica e annessi ». — Quia vero hoc in articulo expresse innuitur, fructus praebendales assignari » *a compenso di tutti gli oneri inerenti al canonicato* », advertunt capitulares, inter haec onera optime comprehendi etiam onus solvendi capitulo summam lib. 32.

Eo magis quod, uti supra retulimus, advertunt capitulares « l'onorario del canonico essendo di L. 850 con più L. 47,88 per l'anniversario e il titolo, presenta un più di L. 55,36 che non apparisce perché sieno state aggiunte se non per continuare il passaggio della prestazione annua al capitolo ».

Hisce autem perpensis, cum ex alia parte canonicus tituli *S. Ansani* solutionem fecerit lib. 32 quin ullam receperit *ab Opere Pio* refectionem expensae, et certe ab a. 1879 seu a condito *Statuto organico* nullimode haec refectio concedi nec sperari poterat, videntur mire conspirare omnia elementa ad *praescriptionem.* Siquidem praescriptio est iuridicum institutum, suapte natura ordinatum ad auferendas dubietates in rerum dominio et in iurium fruitione, ne lites et discordiae sint pene inextricabiles, uti advertit cap. *Vigilanti, De praes.* « *Ephesius enim legislator solum propter vitandam miserorum segnitiem et longi temporis* ERROREM *et confusionem, primus tricennali vel quadragenariae praescriptioni vigorem legis imposuit* ». Intendit autem lex praescriptionis *vitare miserorum segnitiem*, nam quisque in sua iura vigilare debet et uti habet lex — *Non enim* — ff, — *Ex quibus causis maiores*, iura seu leges vigilantibus subveniunt, non dormientibus. — Inde praescriptio nata est auferre — *longi temporis errorem et confusionem*, — quia postquam aliquis vel in possessione fuit alicuius rei vel iure aliquo fruitus est longo tempore *in bona fide*, maxime cum adesset titulus *coloratus ;* quem, in casu, nemo dicet deesse si advertantur quae refert capitulum, nempe in praebenda canonici a *S. Ansano* habita fuisse progressu temporis nonnulla redituum incrementa quae videntur concessa ad ferendum novum onus controversae solutionis ; omni procul dubio in themate vigere dicemus elementa praescriptioni necessaria, nimirum *bonam fidem, rem aptam, possessionem longo tempore continuatam et titulum iustum coloratum seu praesumptum.*

Illud autem *tempus* intelligimus *longum* iuxta legem *Unic. Cod. De usucap. transform.;* unde in § 1. *Inst. De usucap.* statuitur « *Cautum est ut res quidem mobiles per triennium, immobiles vero per longi temporis possessionem* (id est inter praesentes decennio, inter absentes viginti annis) *usucapiantur* ». Controversam vero praestationem pecuniae annuae censemus inter res *immobiles* cum *in Clem. Exiv. § Proinde — De Verb. signif.* — edicatur « *Cumque annui reditus inter immobilia censeantur a iure* ».

Modo pro ea qua pollent iuris prudentia et sapientia solemni responso E. E. P. P. edicent, quonam responso dimittendum sit

DUBIUM

I. « *Utrum annua summa lib. 32 solvenda sit a canonico tituli S. Ansani in casu.* — Et quatenus negative.

II. *An et quomodo sit locus repetitioni pecuniae indebite solutae in casu.*

Responsum fuit : *Ad 1um. Affirmative ; Ad 2um. provisum in primo.*

4934
1 VII.

Cassanen. — Iurium.

Quaerebatur utrum conventio quaedam inter Clerum loci et parochum S. Mariae del Castello inita anno 1875 sustineretur in casu. E.mi Patres rescripserunt, ad mentem, uti videre est supra.

In oppido Syphaeo (hodie *Castrovillari*) dioecesis Cassanen. iam a remota aetate tres extabant Ecclesiae parochiales ,*altera* sub titulo S. Petri *La Cattolica*, *altera* S. Mariae *del Castello*, et *tertia* S. Iuliani. — Verum cum urbis fines ampliarentur succrescente civium numero, domus aedificare aggressi sunt cives in parte editiore et amoeniore montis cui adiacet urbs vetus. Loci amoenitas, aëris salubritas illuc magis in dies pertraxit incolas Syphaeenses adeo ut pene deserta remanserit antiqua urbis planities. Inde vetustate collapsam nemo reficere studuit Ecclesiam S. Petri prope dirutam, atque veteres Ecclesias parochiales derelinquere necesse erat quippe non amplius capaces adauctae plebis; quamobrem nova extructa est Ecclesia *S. Trinitati* dicata in media urbe et facta est nova circumscriptio parochiarum sub a. 1846, quamobrem abolitis paroeciis S. Petri et Mariae *del Castello*, hisce aliae suffectae sunt duae Ecclesiae parochiales nempe Ecclesia a *S. Trinitate* et Ecclesia *S. Iosephi*; haec tamen sub appellatione paroeciae S. Mariae *del Castello in S. Giuseppe*, quippe huc translata est paroecia veteris Ecclesiae a *S. Maria del Castello*. Hodie vero quaestionis est an haec Ecclesia effecta sit Ecclesiae S. Iosephi *subsidiaria* et *filialis*.

Praeterea sub eodem tempore, maxime ut obtemperaretur celebri Brevi « *Impensa* » clerus receptitius *non numeratus* qui adscriptus erat singillatim tribus Ecclesiis parochialibus, ad certum numerum redactus fuit, et universus sub certis legibus adscriptus est novae Ecclesiae parochiali a San. Trinitate ita ut cura *habitualis parochialis* haberetur penes clerum. Inde huius cleri partem facere constitutum est etiam tres parochos: quamobrem cleri praeses ille habitus est qui parochus *Archipresbyter* ad S. Trinitatis renunciaretur; parochus vero ad S. Iosephi titulo *Praepositi*; et parochus ad S. Iuliani titulo *Primicerii* frueretur. Ad haec ordinatum fuit, ut omnia bona diversis Ecclesiis attributa sive parochialibus sive filialibus in unum corpus unirentur, atque per *duos distinctos procuratores* nimirum per procuratorem *Ecclesiae* bona Ecclesiarum; et per procuratorem *cleri* bona cleri administrarentur ea lege ut ex reditibus bonorum communium desumerentur et congruae parochiales et portiones clericorum participantium, nec non expensae necessariae ad divinum cultum aliaque munera spiritualia et ad Ecclesias conservandas et reficiendas. Haec ordinatio facta est per statuta a clero deliberata et unanimi suffragio approbata in plenariis comitiis an. 1840, et an. 1847 accessit decretum Episcopi executoriale quod iam condita statuta executioni demandari curavit.

Huiusmodi statuta plenam sortita sunt executionem usque ad a. 1866 quo leges assis ecclesiastici eversivae, abolito clero receptitio, eius bona publico fisco addixerunt exceptis portionibus congruis pro parochis; ast intacta manserunt bona Ecclesiarum utpote earumdem dotem constituentia, cultui divino et curae animarum destinatam.

Verumtamen clerus nihil immutavit in sua intima constitutione et pro bonis communibus, adhuc superstitibus, administrandis suos procuratores elegit, et hi prosecuti sunt in ordinaria administratione usque ad a. 1873 quo Sacerdos Camporota parochus ad S. Mariae *del Castello in S. Giuseppe* adiit tribunal civile, sibi vindicans adversus Ecclesiae procuratores administrationem bonorum ad suam Ecclesiam et ad Ecclesiam *S. Mariae del Castello* spectantium, et facile obtinuit suam intentionem per iudicialem sententiam diei 16 Februarii 1875, quippe leges eversivae clerum receptitium eiusque curam penitus abolere intenderunt.

Instantiam appellationis instauraverant Ecclesiae procuratores, at spe deiecti ab ista destiterunt, et potius animum adiecerunt ad concordiam ineundam. Ex sententia enim tribunalis civilis maximum damnum obvenerat aliis Ecclesiis; quia ingens bonorum communium quantitas derivabat ex Ecclesia S. Mariae del Castello, veteri Sanctuario, populi frequentia celebri et eleemosynarum et oblationum copia admodum divite. — Itaque ipse Episcopus suam interposuit auctoritatem et iussit Sacerdoti Camporota ut per transactionem discordias componeret et aliarum Ecclesiarum indemnitati consuleret.

Revera initus fuit contractus transactionis in quo interfuerunt et Episcopus Cassanensis ope sui specialis Procuratoris Sacerdotis Salvati et Sacerdos De Leo Parochus Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis, et Sacerdos Camporota Parochus Ecclesiae S. Mariae *del Castello in S. Giuseppe*, et Sacerdos Pugliese Parochus Ecclesiae S. Iuliani et Sacerdos Perna antiquior Procurator necnon Sacerdotes Bloise, et Miglio recentiores Procuratores qui Ecclesiarum Syphaei bona administraverant.

Prodest in medium referre praecipua pacta quae in illo contractu statuta fuere. In ipso partes convenerunt: « Il Parroco sig. Camporota per la Chiesa di Santa Maria del Castello, non più sede Parrocchiale, ma rimasta succursale della Parrocchia di S. Maria del Castello in S. Giuseppe, proporrà in ogni anno uno speciale Procuratore col titolo di Cappellano a Monsignore Illustrissimo che si degnerà approvarlo. Il Cappellano *pro tempore* così nominato custodirà le chiavi della Custodia di Santa Maria del Castello, introiterà colla sorveglianza di tutti e tre i Parrochi le oblazioni dei fedeli credenti per tutto il corso dell'anno, ed allo spirar dello stesso il Parroco Camporota con semplice di lui uffizio inviterà gli altri due Parroci due giorni prima ad assistere alla reddizione del conto di quelle oblazioni; e se dietro lo invito gli altri due Parrochi non interverranno prenderà conto delle ripetute oblazioni il solo Parroco Camporota, e lo spedirà pel visto all'approvazione del Diocesano. Le Messe piane che saranno raccolte nella vigilia e nel giorno festivo della Vergine del Castello, cederanno a beneficio dei tre Parrochi, e di tutti i sacerdoti secolari di questa Patria; ma le messe cantate con emolumento in tutti i giorni dell'anno cederanno a beneficio soltanto dei Parrochi e Sacerdoti intervenienti debitamente e avvisati. Quelle oblazioni poi dovranno servire per la manutenzione, restauri ed arredi Sacri della Chiesa di Santa Maria del castello principalmente, e superando quei bisogni il residuo sarà annualmente ripartito a beneficio delle tre Parrocchie in parti uguali appena però che saranno colmati tutti i debiti ».

Itidem contrahentes convenerunt: « Le rendite annue delle Parrocchie ed i pesi alle stesse inerenti (esclusa la manutenzione del così detto acquidotto di Santa Maria, nella contrada Mattina di questo territorio e le prestazioni che se ne avranno dai terraggiani utenti) verranno tripartite assegnandosi alla Parrocchia della Trinità la rendita di San Pietro la Cattolica, di Santa Maria delle Grazie, di San Giacomo e di Santa Maria delle Armi, ed alla Parrocchia di San Giuliano la rendita di San Giuliano istesso e di Santa Maria del Carmine, e rimanendo tutte le altre rendite alla Parrocchia di Santa Maria del Castello in San Giuseppe. Che se cogli assegni anzidetti le due Parrocchie della Trinità e di San Giuliano non raggiungeranno una rendita annua uguale a quella della Parrocchia di Santa Maria del Castello in San Giuseppe, il Parroco di quest'ultima ed il Procuratore da lui destinato somministrerà il dippiù a ciascuna Parrocchia a terza o quadrimestre anticipato fino ad ottenersi il conguaglio ».

Praeterea convenerunt: « Continueranno a rimanere di esclusivo dominio e possesso della Parrocchia di Santa Maria del Castello in San Giuseppe i beni immobili, ed il diritto alle prestazioni degli utenti dell'acquidotto di Santa Maria alla contrada Mattina col peso della manutenzione, intendendosi esclusi dalla presente convenzione. Le così dette quarte funebri dei filiani di tutte le tre Parrocchie andranno a vantaggio esclusivo della Parrocchia della Santissima Trinità. Ogni Parroco, per l'amministrazione della rendita assegnata alla propria Parrocchia pro-

porrà nel primo Luglio prossimo venturo e così il primo Luglio di ciascun anno uno speciale procuratore da scegliersi tra i Sacerdoti secolari di questa patria e manderà la proposta a Monsignor Illustrissimo che si degnerà approvarla. Allo spirar di ogni anno riscuoterà poi dal proprio procuratore il conto della tenuta gestione, e lo manderà pel visto all'approvazione di Monsignore. È logica pure la conseguenza che ciascun Parroco nomini direttamente il Procuratore o Cappellano delle rispettive Cappelle succursali o filiali della propria Parrocchia ».

Deinde a. 1881 assentiente Curia inter tres parochos alia inita est concordia pro determinandis congruis portionibus parochialibus.

Anno 1901 diem obiit supremum parochus Camporota, et clerus qui hactenus aegre servaverat pacta inita in concordia a. 1875 institit apud Episcopum Cassanen. ut hanc concordiam nullam esse declararet utpote innixam sententiae tribunalis civilis, et proinde ediceret servanda esse vetera statuta a. 1840, executioni data a. 1847. — In id autem potissimum instabat clerus, ut vetera statuta observarentur praesertim relate ad Eccl. *S. Mariae del Castello* quam esse filialem Eccl. *S. Trinitatis* contendebat.

Episcopus noluit *meritum* quaestionis attingere, partes remittens ad H. S. C. at *provisionale* edidit decretum die 1 Iulii 1901.

Inde cleri procurator ex una parte, et procurator parochi ad *S. Mariae del Castello in S. Giuseppe* ex altera, sequentem dubitandi formulam contestati sunt; nempe: « *Utrum conventio diei 10 Iunii 1875 sustineatur in casu* »; et procuratorum animadversiones modo subtexam.

Cleri procurator advertit, non posse approbari initam conventionem, quia quum per vim legum civilium uni de Capitulo vel de Clero plus reddituum adiudicatur quam is habuit in praeterito, certe haec legis iniquitas moderanda est aequis conventionibus ac concordiis. Ita sonat celebre Decretum « *Ad dirimendas* », diei 22 Febr. 1876 huius S. C.: ibi ab 6.um « An et quomodo Parochus de Capitulo vel Cleri gremio, qui bona massae communis accepit a Fisco sub titulo congruae Parochialis, teneatur eadem bona in massa iterum immittere? — Resp.: Generatim loquendo affirmative: in practica tamen executione curet Episcopus rem componere, secus recurrat ad S. C. »; et videri posset haec quadrare in casum nostrum. Sed non ita est, ait orator, quia lex civilis, ut vidimus sub § 6, nil immutavit in nostro casu circa Massam Ecclesiae, quae pariter unica remansit et integra a redditibus omnium ecclesiarum constituta: ita ut pariter Clerus eligeret Procuratorem ad eam administrandam. Non fuit igitur vis legis causa efficiens et directa dictae conventionis, sed prorsus mala voluntas parochi Camporota, qui principia subversiva invocavit ad sibi exclusive adiudicandum quod erat patrimonium totius Cleri.

Ad *meritum* quaestionis quod attinet notat advocatus, quod dicta conventio non solum ortum habuit a relata civili sententia, sed ulterius in illa fundatur et secundum illam regitur, ita ut ab ea totam vim accipiat. Ibi enarratur origo et causa litis et quomodo definita fuerit per civilem sententiam, eademque principia subversiva adamussim repetuntur vi quorum actus conventionis conficitur. Imo sub art. 1° clare statuitur: « Le narrative sopra enunciate formano parte integrale della presente contrattazione ». Enimvero tum sententia tum conventio duo praecipue supponunt, *suppressionem* nempe Cleri, et ecclesiam S. Mariae « del Castello » *parochialem adhuc subsistere* favore parochi S. Iosephi. Hoc *secundum* autem veritati non congruere instat orator qui recolit Ecclesiam S. Mariae del Castello non amplius esse parochialem, eamdemque vero non contineri in finibus parochialibus Ecclesiae S. Iosephi; quamvis haec successerit extinctae Ecclesiae parochiali *S. Mariae del Castello*.

Quod autem civilis *suppressio* Cleri nihil valeat quoad effectus canonicos, pergit advocatus, tritum est in iure; et passim apud hanc S. C. non deest occasio, in controversiis definiendis, hoc iterum iterumque stabiliendi. Revera, in Causa *Platien. Iurispatronatus*, 12 Aug. 1882 H. S. C. docet: « Neque oggeras praedicta beneficia ceu extincta habenda esse, ex eo quod Collegiata civitatis vulgo Terracina in vim legis anno 1867 editae suppressa fuerit, quandoquidem vulgatum in iure est quod quidquid laica potestas de bonis ad Ecclesiam pertinentibus disponat, flocci fieri debeat, etiamsi huiusmodi dispositio in Ecclesiae favorem vergeret. Idque eo vel magis in casu sentiendum esse videtur, cum explorati facti sit quod laicae potestatis dispositio non in Ecclesiae utilitatem et bonum, sed in manifestum ipsius damnum et praeiudicium vertat. *Cap. 10 de Constit.*, *cap. 12 de rebus eccles. non alien.*, *cap. 8 de arbitr.*: Fagn. in *cap. Quae in Ecclesiarum*, *n. 30 et 31.* Cuius nullitatis ratio in eo ponitur, quod laici iurisdictione carent sive in ecclesiasticas personas sive in bona ecclesiastica, Fagnan. *l. c.*, ibi: Ampliatur septimo etiamsi statuta laicorum redundent in favorem et commodum Ecclesiarum, quia nihilominus non valent ex defectu potestatis. Idem docet Piton. in *Controversiis Patron. all. 57 n. 70*, et firmat Rota cor. Cavaler. *decis. 494 n. 2.* — Posito itaque quod Collegiata a civili potestate, Ecclesia pro suo posse ex adverso reclamante, suppressa fuerit, nemo non videt, huiusmodi suppressionem nullius roboris, saltem in faciem Ecclesiae, habendam esse, ideoque praedicta beneficia tamquam existentia retineri oportere. Quod enim nullum est, nullum producere posse effectum, tradit *l. 4* § *Condemnatum de reiudicat.*, *et cap. Illud 8 de iurepatr.* ».

Opponitur quod in praxi nihil immutatum fuerit per conventionem, cum omnia ordinata sint secundum vetera Statuta. — Verum hoc etiam admisso at minime concesso, respondet advocatus, quod Clerus parere vult probatis Statutis, non civili conventioni, et vult principium propriae obligationis legale esse et canonicum, non autem illegale et sibi iniuriosum. — Attamen veras immutationes ex conventione *diei 10 Iunii 1875* inductas fuisse, ita probat procurator.

a) Vi Statutorum omnia ecclesiarum bona ac redditus communia erant, ita ut unus parochus vel alter illis indiscriminatim usufruebatur iuxta peculiares exigentias. Procurator enim omnibus et singulis suppeditare debebat absque ulla exclusione vel restrictione. Vi autem conventionis bona ecclesiarum ac redditus pari mensura in tres partes divisi sunt et unicuique parocho adiudicati. Primo adspectu divisio haec maximam aequitatem praeferre videretur, sed minime sane. Nam una ecclesia maioribus expensis ad cultum servandum potest indigere quam alia; v. gr. in ecclesia SS.mae Trinitatis quotidie habetur Missa conventualis, servitium Chori, quibus aliae ecclesiae non onerantur; utpote etiam in altera ecclesia fabricae restauratio urgere potest, vel alia huiusmodi: ita ut diversimode occurratur opporteat diversis necessitatibus. Hinc patet quod unus parochus propriam congruam superfluis reditibus potest augere, dum alter etiam necessario carere potest.

Ulterius urget orator, est adnotandum quod hoc modo translata sit proprietas bonorum ecclesiae in singulos parochos, dum e contra vi probatorum Statutorum proprietas toti Clero inhaerere debet. Quapropter cum deficiat in casu Indultum Apostolicum, etiam ex hoc capite nullitas dictae conventionis magis magisque apparet.

b) Altera gravis immutatio effecta fuit relate ad ecclesiam S. Mariae « del Castello ». Nam vi Statutorum et laudabilis consuetudinis solus Clerus vel Procurator a Clero electus ibi sacra faciebat, quin ullus parochus vel minimam ingerentiam in illa iactare posset. Ipse Procurator dein quotannis Episcopo directe rationem reddebat circa redditunm administrationem et fidelium oblationem. Ita sese exprimit Episcopus Basile in suo Decreto 1874: « Che il Santuario in discorso si amministra e si

serve dal Clero riunito fin dal 1840 sotto l'esclusiva dipendenza dell'Ordinario diocesano, e di qui il legittimo tempo, la buona fede, il giusto titolo, e tutti gli altri caratteri da raffermare una incrollabile, sicura e giuridica prescrizione a favore di esso Clero ». Nunc vero e contra maxima deordinatio per civilem conventionem 1875 introducta est. Procurator eligitur a parocho S. Iosephi, et ipse parochus ecclesiam S. Mariae tamquam propriam ac filialem retinet; administrationis autem rationem eidem parocho Procurator reddit. Considerat ergo orator, gravissimam iniuriam quae fuit Clero inflicta per hanc innovationem. — Civitatis Sanctuarium erat sub regimine Cleri, ipse erat eius dominus et Rector; nunc autem, quamvis in illud sacra facere prosequatur, semper tamen id peragere debet sub vigilantia et imperio parochi vel Procuratoris, qui est ipsius parochi fidelis servus ac subditus. — Addit ulterius advocatus inde damnum evenisse eiusdem Ecclesiae. Nam prius omnia agebantur sub vigilantia Episcopi, qui supremus dominus Sanctuarii iure considerabatur, et quotannis redditnum rationem recipiebat. Sed per funestam dictam conventionem parochus S. Iosephi loco Episcopi successit, ita ut ab anno 1875 usque hodie una vice vel altera Procurator rationem suae administrationis reddiderit.

Notat praeterea patronus, quod vetera ann. 1840 statuta non solum Episcopus pro tempore Cassanen. rata habuit, sed tum a Commissione Episcoporum, tum a Neapolitana Ecclesiastica Nuntiatura rite confirmata fuerunt, ita ut ab anno 1840 usque hodie semper uti lex unica regulatrix habita sint. Quare nullimode fieri potuit, iuxta Advocatum, ut hisce Statutis adeo solemniter probatis, promulgatisque per simplicem privatam conventionem derogaretur. Ad haec, patronus considerat, dictam conventionem initam fuisse absque ullo Cleri interventu, eiusque consensu nullimode requisito. Et quidem, ut ex dictis patet, primus qui maximum hac in re interesse habebat erat Clerus, cui a Statutis exclusive tribuitur, nedum ius functiones peragendi in ecclesia S. Mariae, sed et ius Procuratorem ipsius ecclesiae eligendi. — Quod si advertatur conventionem ab Episcopo probatam fuisse, reponit advocatus, Episcopum coacte omnino conventionem probasse, ut aliquo modo vis eluderetur sententiae a parocho Camporota contra omnes canonici iuris sanctiones obtentae. Erat enim idem Episcopus Basile qui Decretum edidit 2 Iun. 1874 et qui a sententia civili pariter damnatus fuerat.

Ex adverso, advocatus qui patrocinatur parocho ad S. Mariae contendit controversae conventioni omnimode standum esse. Nam transactionum magnus in iure valor et auctoritas est, et eae mutuae litigantium renunciationis vim habent. Quo fit, veluti docent *Cap. I de transactionibus et Cap. I. De litis contest. Decret. in Sexto* ut omnia eorum iura tollantur, pariantque litis finitae exceptionem; initaeque bona fide transactiones nec si nova quidem deinceps prodeant monumenta e medio tollendae non sint, nisi primum in integrum restitutio impetrata fuerit. « Sub praetextu instrumenti post reperti transactionem bona fide initam rescindi iura non patiuntur » lex 19 C. — de Transactionibus.

Inde deducit, adversarios frustra experiri actionem nullitatis, nam, ulterius, advocatus opponit exceptionem *praescriptionis*. Etenim viginti sex annis quibus iugiter transactionem de qua sermo est observarunt, actionis illius exercitium praescriptione amiserunt, cum neminem lateat iuxta Constitutionem Iustinianeam *in lege 12 Cod. Tit. De praescriptione longi temporis*, cunctas actiones post *decennium* inter praesentes veluti in casu extingui.

Meritum autem causae attingens patronus, notat nullitatis argumenta ab ipsis allata nullius momenti esse.

Sane adversarii obiiciunt, transactionem illam nullitatis vitio laborare quia Parochus Camporota illegitime Civile Tribunal Cassanense adivit ut favore Paroeciae S. Mariae *del Castello in S. Giuseppe* bonorum immobilium possessionem et dominium vindicaret. At reponit orator, cum Episcopus Cassanensis in illo iudicio voluntarie interfuerit, inde sequitur, ipsum illo interventu non solum Tribunalis Cassanensis iurisdictionem agnovisse, verum et quod illegitime Parochus Camporota gesserat penitus sanasse.

Quia obiiciunt adversarii, Clerum Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis servitio adscriptum minime transactionem accepisse, respondet advocatus, in iudicio stetisse Procuratores Miglio et Bloise qui a Clero electi fuerant ut omnium ecclesiarum Syphaei administrationem gererent, ac transactionis diei 10 Iunii 1875 ei Parochum Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis qui ad formam Statuti anni 1840 erat Cleri Praeses, et praedictos Procuratores participes fuisse: quae ipsos certe inaudito Clero gessisse concipi nequit. — Praeterea notat orator, transactionem de qua sermo est, Clerum et Parochum Sanctissimae Trinitatis ab anno 1875 quo inita fuit, ad annum 1901 perfecte observasse; quare ambigi ullo pacto potest, eos observantia viginti sex annorum eamdem transactionem comprobasse.

Neque meliori consilio iuxta advocatum, adversarii obiiciunt transactionis de qua loquimur nullitatem esse decernendam ob defectum Beneplaciti Apostolici. Istud enim non fuit necessarium cum ille transactionis contractus, non alienationem vel distractionem bonorum sive iurium Ecclesiae, sed obligationes invicem initas a quibus nullimode Ecclesiae iura laedebantur, solummodo respexit.

Nam docet Cardinalis De Luca *De canon. et Cap. Discursus 30 num. 17 et seq.* — ibi — « Verum in ista concordia, vel respectivo compromisso verius et necessarium non esse Beneplacitum Apostolicum, neque intrare terminos Extravagantis *Ambitiosae* de rebus Eccl. non alienan. — Licet enim verum sit, dictae Extravagantis dispositionem procedere etiam ubi agatur de transactione inter duas Ecclesias, vel Ecclesiarum Praelatos, aut ministros, attamen procedit, quando agitur de transactione per quam bona unius ecclesiae ab illa abdicentur, seu minuantur ut in aliam transeant vel accrescant, quoniam tunc intrat ratio, quod non debet discooperiri unum altare, ut alterum cooperiatur. Secus autem ubi agitur de concordia inter clericos et ministros, quoniam tunc ab ipsa Ecclesia nihil abdicatur, eiusque ius remanet intactum, sed solum agitur de pertinentia emolumentorum, vel iurium inter ipsos ministros, unde nullum praeiudicium generatur Ecclesiae, cuius nihil refert, an unus vel alter ex eius servientibus ac ministris plus participet ».

Nec secus Rota in *Sarsinaten.* 1 Februarii 1822 paragrapho 4, coram Spada. — ibi — Cognita hinc, perspectaque iusta transigendi causa, inutilius opponitur defectus Beneplaciti Apostolici. Siquidem certi exploratique iuris est, posse Clericum super pensione sibi concessa transigere sine Pontificis vel Ordinarii licentia. Praesertim vero in specie, quia concordia seu transactio inita non versatur super alienatione rei alicuius ecclesiae, sed tantummodo super modo disquirendi, utrum reditus Ecclesiae SS. Cosmatis et Damiani sint pares sustinendae pensioni. Caeterum etiamsi aliquid iuris remisissent Parochi, nihilominus nequaquam obesset. Quoties enim non agitur de bonis Ecclesiae alienandis et distrahendis, sed solum de interesse Clerici, eiusve emolumento, necessarium non est beneplacitum apostolicum quia remissio non vergit in praeiudicium ecclesiae, sed respicit ius cui possunt Clerici renunciare.

Frustra adversarii adiicient pergit advocatus, in transactionis instrumento statutum fuisse « Che se cogli assegni anzidetti le due Parrocchie della Trinità e di S. Giuliano non raggiungeranno una rendita annua uguale a quella della Parrocchia di Santa Maria del Castel in San Giuseppe, il Parroco di quest'ultima ed il Procuratore da lui destinato somministrerà il dipiù a ciascuna Parrocchia a terza o quadrimestre anticipato fino ad ottenersi il conguaglio », notat enim quod istud pactum quamvis cessionem portionis redituum Paroeciae S. Mariae del Castello in S. Giuseppe favore Ecclesiarum Sanctissimae Trini-

tatis et S. Iuliani constitueret, nihilo secius Beneplaciti Apostolici necessitatem non secumferebat. Siquidem ea cessio non solum respiciebat reditus exiguos et minus utiles pro quorum alienatione omnes Scriptores Beneplaciti Apostolici necessitatem non requirunt in vim canonis *Terrulas et Vineolas*, verum etiam facta fuit in honorem cultus Divini, ne scilicet in iis ecclesiis divinus cultus deficeret; quin imo ut eiusdem conditio melior fieret, et explorati iuris est in conventionibus in honorem Divini cultus initi, Apostolicum Beneplacitum non requiri. Equidem censuit *S. Rota Dec. 460. Par. 18, Tom. 2. Recent. num. 25.* « Posita autem legalitate Capitulorum, dubitari non potest de illorum relevantia et validitate, cum determinent differentias iamdiu agitatas inter illas Ecclesias, quamvis non doceatur de Beneplacito Apostolico, quod non requiritur in istis determinationibus initis pro concordia Ecclesiarum, et pro bono ad tollendas longas controversias in honorem divini cultus ».

Exinde infert advocatus, conventionem seu transactionem diei 10 Iunii 1875 esse servandam. Quare ait dubitari quidem non posse pacta quae in articulo tertio illius contractus relate ad Ecclesiam *S. Mariae del Castello* statuta fuerunt servari debere, quia illa pacta validi contractus participant. Equidem de ista Ecclesia ipsi contrahentes, non excepto Episcopo Cassanensi, fassi sunt, post translationem Paroeciae ad Ecclesiam S. Iosephi, huiusce filialem subsidiariam *mansisse*, proindeque non Clerum, non Parochum Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis, sed Parochum Camporota eidem consulendi ius habere.

Quod si etiam fingatur, instat patronus, nullum fuisse transactionis contractum, non inde sequitur statutum anno 1840 conditum in pristinum restitui deberi.

Nam cum ob adscriptionem Cleri servitio tantum Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis, quae locum habuit anno 1846, Paroecia S. Mariae *del Castello in S. Giuseppe* receptitiae naturam amiserit ideoque ipso iure plenam libertatem, ac plenum suorum bonorum immobilium dominium et administrationem obtinuerit, patet ipsam amplius neque posse neque debere illis regulis subiici, quibus eam eiusque Parochum tum quoad bonorum reditus et administrationem, tum quoad functiones statutum illud subiecerat.

Haec advertunt, in utramque partem, contendentium procuratores; modo Vestrum est EE. PP. solemni responso diluere

DUBIUM

An conventio diei 10 Iunii 1875 sustineatur in casu.

Emi Patres rescripserunt: ***Ad mentem. Mens est quod electio Cappellani S. Mariae del Castello fiat a Clero; et rationum redditio exhibeatur Episcopo; quoad reliqua nihil immutetur.***

Dubium circa emittendam professionem fidei.

« *R.me D.ne uti fr.*:

Postulato, in novissima Tua relatione status istius Dioecesis exhibito, quoad fidei professionem a parochis emittendam, E.mi Patres rescribendum censuerunt: Detur responsum uti in una *Tirasonen. - Visitationis SS. Liminum.* - Die 11 Maji 1782; ad I dubium, quod sic se habet: « An obtinentes beneficium cum cura « animarum, dignitates et canonicatus in ecclesiis me« tropolitanis vel cathedralibus satisfaciant praecepto « S. Concilii Tr. sess. 24, c. 12 de ref., si professionem « fidei emittant post susceptam institutionem vel colla« tionem et antequam in possessionem immittantur in « casu, etc. Resp. *Affirmative* ». Idque Tibi notificari voluerunt, prout per praesentes exequor.

Interim debito cum obsequio me profiteor

A. T. — Romae, 23 Aprilis 1902. — Zamoren. Revmo. Episcopo.

Uti fr.

A. CARD. DI PIETRO, *Praef.*

B. ARCH. NAZIANZEN., *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

DE QUERETARO.

Nonnulla solvuntur dubia.

Hodierni Caeremoniarum Magistri in Ecclesia Cathedrali de Queretaro in Mexicana Ditione, de consensu et approbatione Rmi sui Episcopi, quae subsequuntur dubia Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime exposuerunt; nimirum:

I. In ecclesia Cathedrali de Queretaro, a tempore suae erectionis, qualibet tertia Dominica mensis, Missa Conventualis canitur coram SS. Sacramento palam exposito, quod processionaliter per ecclesiam gestatur, dictis in Choro, post Missam, Sexta et Nona. Nunc vero quaeritur: An licite continuari possit mos cantandi Missam praefatam coram SS. Sacramento?

II. Ex praescripto Caeremonialis Episcoporum, Lib. I, Cap. 9, n. 6, et Lib. II, Cap. 29, n. 3, in Missis Pontificalibus « Confiteor » canendum est a Diacono, si facienda sit Communio generalis aut particularis aliquorum. Nonnulli vero Rubricistae, putant cantum « Confiteor » debere pariter habere locum in qualibet Missa solemni, licet non Pontificali, et quamvis sit de Requie, si S. Communio fidelibus in ipsa distribuatur. Quum autem hoc manifeste non constet ex ipso Caeremoniali, sed potius locus sit dubitandi, quaeritur: Utrum « Confiteor » cani debeat in omnibus Missis solemnibus, non Pontificalibus, et etiam de Requie, ante distributionem SSmae Eucharistiae?

III. Ex concessione Sacrae Rituum Congregationis, facta in approbatione kalendarii dioecesani, celebratur in Dioecesi de Queretaro Festum B. M. V. sub titulo *Refugium peccatorum*, ritu duplici 2ae cl., et usque nunc divinum Officium semper persolutum est ut in Festis B. M. V. per annum, praeter lectiones II Noct., quae sumuntur de die 8 Septemb., mutato verbo « Natali » in « Festivitate ». In Breviariis vero, inter quos Ratisbonense, rubrica apposita in praedicta festivitate tantum dicit: « omnia ut in Festis B. M. V. per annum » Hinc quaeritur: Quae lectiones II Noct. dicendae sint memorata die?

IV. Die 18 Iunii decurrentis anni, ad dubium: « Quinam versiculus sumendus est in Officio proprio S. Iacobi Apostoli, quod in Codice Hispano invenitur die 25 Iulii, ad II Vesperas; nam diversae editiones Breviarii non sunt inter se conformes? « S. R. C. die 18 Iulii rescripsit: — « In casu stetur Proprio Hispano ». Sed cum diversae istius Codicis editiones discrepent inter se, nonnullae enim ponant versiculum « Annuntiaverunt » et aliae « Nimis honorati », nunc ergo iterum quaeritur: Qualis versiculus ex duobus praedictis dicendus est?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative*, de licentia tamen Ordinarii.

Ad II. *Quoad primam partem*: Dicendum *Confiteor* alta voce vel cantando, iuxta consuetudinem; et *quoad alteram*, in Missis solemnibus sive cantatis de Requie, iuxta praxim Urbis, Communio distribui non solet, sed ubi ex rationabili causa distribuenda foret, Diaconus dicet *Confiteor* tantum alta voce.

Ad III. Ut in Festis B. M. V. per annum.

Ad IV. Dicatur versiculus: *Annuntiaverunt*.

Atque ita rescripsit. Die 28 Novembris 1902.

D. Card. FERRATA, *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

DECRETUM

Instituitur Commissio historico-liturgica.

Sacra Rituum Congregatio, probante Sanctissimo Domino Nostro Leone PP. XIII, peculiarem Commissionem historico-liturgicam constituit quam constare voluit ex quinque eximiis sacerdotibus RR. DD. Aloysio Duchesne, Iosepho Wilpert, Francisco Eherle, Iosepho Roberti, Humberto Benigni et Ioanne Mercati. Atque insuper, annuente eodem Sanctissimo Domino Nostro, Sacra eadem Congregatio sibi facultatem reservavit seligendi in posterum nonnullos socios consulentes qui ad opus apti videantur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 28 Novembris 1902.

D. Card. FERRATA *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

D. PANICI, Arch. Laodicen., *Secret.*

III.

PICTAVIEN.

Serventur dispositiones diei 29 Ian. 1894 circa Canonicos ad honorem.

Expetenti R.mo D. Episcopo Pictaviensi certam normam circa observantiam Decreti n. 3817, seu Litterarum Apostolicarum in forma Brevis d. d. 29 Ianuarii 1894 (1) quoad Canonicos ad honorem, Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, atque audito voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit: *Servandas esse dispositiones praefati Decreti seu Brevis.*

Atque ita rescripsit. Die 14 Novembris 1902.

D. Card. FERRATA, *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

IV.

LUGANEN.

Circa consuetudinem thurificandi statuas in casu.

Hodiernus Rmus Episcopus Administrator Apostolicus Pagi Ticinensis, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur dubia pro solutione humiliter exposuit; nimirum:

In aliquibus paroeciis huius Dieceseos ritu Ambrosiano utentibus, occurrentibus solemnitatibus patronalibus ceterisque Festis cum exteriori pompa concursuque populi concelebratis, simulacrum Sancti, cuius solemnia perficiuntur, prius in medio templi exponi, deinde, pomeridianis horis, a sodalibus Confraternitatis in respectiva paroecia erectae, processionaliter deferri solet.

Hisce in adiunctis ab immemorabili viget consuetudo, ut, sive mane ad Offertorium Missae solemnis, sive post meridiem dum canitur *Magnificat* inter Vesperas, ab eo qui Diaconi munere fungitur, nonnullis Confraternitatis sodalibus cum intortitiis comitantibus, post Cleri incensationem, haec sacra Icon thure adoleatur. Hinc quaeritur:

I. An tolerari possit praefata consuetudo, nempe ut huiusmodi thurificatio fiat, uti supra describitur, a Diacono?

II. Et quatenus *negative* ad I, an statuae in medio ecclesiae eminentis incensatio, tum intra Missam tum intra Vesperas prorsus omittenda sit?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. Attenta consuetudine, thurificari potest praedicta statua in Vesperis dumtaxat, ab ipsomet celebrante, post incensationem SSmi Sacramenti, ad normam Decreti n. 3547, *Sanctorien.* 4 Maii 1882.

Atque ita rescripsit. Die 28 Novembris 1902.

D. Card. FERRATA, *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. II, p. 55.

V.

CREMEN.

Serventur dispositiones Decr. Gen. n. 3865.

Instante R.mo D.no Ioanne Baptista Valdameri Archipresbytero Ecclesiae Cathedralis Cremae, et unica Dignitate illius Capituli, Sacra Rituum Congregatio, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque perpensis circa functiones solemniorum Festivitatum, quae Pontificales nuncupantur, quaeque ad primam Dignitatem Capituli spectant, absente vel impedito Episcopo, rescribendum censuit: « Servandum esse in omnibus Decretum generale n. 3865, datum die 9 Iulii 1895; neque competere eidem Dignitati, quando celebrat loco et vice Episcopi absentis vel impediti, ius habendi Presbyterum assistentem cum pluviali ».

Atque ita rescripsit. Die 21 Novembris 1902.

D. Card. FERRATA, *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

VI.

Circa translationem solemnitatis festorum.

Postulato Rmi Dni Episcopi Ogdensburgensis quoad translationem solemnitatis externae Festi Sancti Titularis cujuslibet ecclesiae in minoribus locis: « Utrum hujusmodi solemnitas translata in Dominicam ipsum Festum proxime sequentem gaudeat privilegio unicae Missae propriae de eodem Sancto Titulari? » Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit: *Negative*, nisi constet de expresso atque speciali Indulto Apostolico. Atque ita rescripsit die 22 Februarii 1902.

D. Card. FERRATA, *S. C. Rit. Praef.*

L. † S.

D. PANICI, Archiep. Laod., *S. C. Rit. Secr.*

VII.

VALENTINA — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Michaëlae a SS.mo Sacramento Fundatricis Congregationis Ancillarum SS.mi Sacramenti et Charitatis.

Quod hominum Salvator Christus Iesus in terris exhibuit ineffabile pietatis et charitatis spectaculum, Deo quidem Patri suo acceptissimum hominibusque maxime salutare, hoc idem Sponsa Christi Ecclesia eius innixa virtute et meritis, ad finem usque saeculorum felici exitu prosequitur, nuperrimis calamitosis temporibus provido consilio ad hoc praecipue selectis personis et sodalitiis perfectionem evangelicam profitentibus. Tale modo refulget illud Hispaniae decus et ornamentum Maria Michaëla a SS.mo Sacramento atque eius Institutum ancillarum SS.mi Sacramenti et Charitatis. E nobilissima Demaisieres olim vicecomitum de Jorbalán gente ortum duxit haec Dei Famula Matriti, die 1 Ianuarii anno 1809. Pueritia pie exacta in qua optimam matrem e vivis ereptam amiserat, adhuc adolescentula omnem curam impendit in templis Dei exornandis pauperibusque sublevandis, suo paternoque aere expenso, divendito etiam pretioso quodam monili. Consociationibus praeposita spiritum suum in illas transfundebat. Confraternitatem a SS.ma Trinitate Matriti hodiedum florentem ipsa fundavit. Mundi illecebras saeculique ornatum contemnens, conspicuas nuptias oblatas renuit, et, de sui moderatoris consilio, virginitatis florem integrum incolumemque servandum sibi proposuit. Quandiu morata est Parisiis ac Bruxellis cum Fratre qui ibidem hispana legatione fungebatur, nunquam a praestituto vitae genere deflexit. Precibus corporisque macerationibus Deum sibi propitium reddere satagebat, divini cultus decori prospiciebat, egenis atque infirmis opem et solatium ferebat, praestantium etiam matronarum opera conquisita. In Hispaniam reversa statim nobilium foeminarum coetui qui christianae doctrinae tradendae Matriti sedulo incumbebat, adscripta fuit; atque ipsa novas scholas puellis popularibus, praesertim famulatui addictis, ibi et alibi rogatu Episcoporum aperuit. Societati a Nostra Domina Bethlemitica pro infirmis in nosocomiis curandis nomen dedit. Puellam ob corruptos mores e paterna domo eiectam in nosocomio S. Ioannis aegrotantem invenit, eamque anima et corpore sanatam parentibus restituit. Inde exortum sodalitium a B. M. V. perdolente nuncupatum et ex foeminis nobilitate claris compositum quo deperditae puellae a nosocomiis exeuntes et ad bonam frugem redactae, a probis honestisque familiis in famulatum reciperentur. Primum parva domus ex septem puellis, deinceps nova et amplior, aucto ad quatuordecim alumnarum numero constituta fuit. Quae quidem prout fert humanarum rerum conditio non paucis coepit affligi adversitatibus, at, favente Deo, paulatim amotis dissidiorum causis pristina pax redintegratur. Interim Michaëla consilio et auctoritate suae conscientiae moderatoris suffulta, sodalitium ancillarum a SS.mo Sacramento et a Charitate erigere excogitavit; illudque, cooperante Ven. Antonio Claret, et auspice aula regia, reapse instituit atque regiis iuribus communitum et publica auctoritate recognitum laeto hilarique animo conspexit. Institutum vero huiusmodi quod Matriti egerat radices, brevi post, Deo protegente, eas in alias civitates ita dilatavit, ut decem et ultra domus ab ipsa Michaëla conditae fuerint cum fere sexcentis puellis ex quibus plures, progressu temporis, excelsos virtutis gradus attigerunt. Sodalitas iam constituta plerisque ornata privilegiis, quum prope erat ut solemni diplomate pontificiae laudis et approbationis cumularetur, veluti aurum in fornace, tribulationis igne probata est. Extemplo, teterrima lue Valentiae grassante, Dei Famula quae in Fidei et amoris obse-

quium erga Apostolicam Sedem romanum iter aggredi iam statuerat, urgente Christi charitate, nulla interposita mora, ac vitae suae prodiga, ad illam civitatem se contulit. Postridie Deiparae patrocinio implorato et Ecclesiae sacramentis refecta Archiepiscopum adit, in tanta rerum calamitate seipsam totam charitatis operibus oblatura. Statimque in coenobio quinque sodales pestifero morbo affectas materno studio curandas suscepit. Quumque paulo post ab aegrotantibus pestem et ipsa contraxisset, laetanter facto propriae vitae sacrificio, extrema sacramenta cum Apostolica benedictione recepit et religiosa vota instauravit. Aderat morienti P. Vinader Societatis Iesu, eximiae pietatis vir, aderant sorores Congregationis quibus sodalem quae sibi succederet designavit. Institutum Toletano Archiepiscopo commendatum sub tutela B. M. V. Carmelitidis posuit. Tandem, ingravescente morbo, in sororum amplexu, dum Iesum et Mariam invocabat, media fere nocte, die 24 Augusti anno 1865 animam placidissime exhalavit. Fama sanctitatis Servae Dei in vita et post obitum pluribus signis manifestata, et constans et magis in dies clara viam aperuit R.mo D.no Archiepiscopo Valentino Processum Ordinarium super eadem fama instituendi, exquisitis etiam Inquisitionibus Rogatorialibus aliarum dioecesium. Quibus omnibus ad Sacram Rituum Congregationem delatis, instante R.mo D.no Beniamino Minana Collegii Hispani in Urbe moderatore atque huius causae Postulatore, una cum universa sodalitate ancillarum SS.mi Sacramenti et Charitatis, attentis litteris postulatoriis aliquorum E.morum S. R. E. Cardinalium, plurium R.morum Sacrorum Antistitum aliorumque virorum ecclesiastica vel civili dignitate praestantium atque etiam collegiorum et sodalitatum utriusque sexus, revisione scriptorum praefatae Servae Dei iam peracta, E.mus et R.mus D.nus Cardinalis Lucidus M. Parocchi Episcopus Portuensis et S. Rufinae et eiusdem Causae Relator in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, subsignata die, ad Vaticanum habito, sequens dubium discutiendum proposuit: « An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur? » Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Cardinalis Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibusque accurato examine expensis rescribendum censuerunt: *Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 12 augusti 1902.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praefatae Venerabilis Servae Dei Mariae Michaëlae a SS.mo Sacramento, die decimanona, eisdem mense et anno.

D. Card. FERRATA, *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secr.*

INFORMATIO

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?

1. Honesto loco nasci, divitiis diffluere atque tamen, vitae deliciis posthabitis, se totum ad eos convertere, qui ex omnium hominum ordine pauperrimi sunt, vel ab humano civilique cultu prorsus abhorrent, vel morbis maxime putridis afflictantur, id praestantissimam habet laudem, quantam vix homines tribuere possunt. At celsissimo genere nasci; principem inter cives obtinere locum; gloria maiorum, opibus, auctoritate, honoribus quibuscumque, late pollere; sed tamen, invitá natura, renuentibus susceptae vitae rationibus moribusque, hanc omnium altissimam conditionem abiicere, atque simul quidquid inter homines humile magis excogitari potest ut propriam partem eligere, infimos ex infima plebecula, quos civile consortium reiecit amplecti eosdemque fovere, id omnium maxima laudum est, angelico potius quam humano celebranda praeconio. Is enim, qui talia aggreditur, propius Dei Verbo accedere videtur, quod per ineffabile charitatis consilium, humana natura suscepta, ita se ad nostram conditionem abiecit ut non solum *formam Servi*, (prout ait Apostolus) *accipiens semetipsum exinaniret*, sed illud prorsus Isaiae confirmaverit: *opprobrium hominis et abiectio plebis.* — Profecto inter eos, qui divini exempli lumine collustrati, hac nostra, in quam incidimus, aetate, Crucis ignominiam strenuo animo sequuti sunt, inclyta virgo Maria Michaëla a SS.mo Sacramento, natione hispana, merito recensetur. Haec enim clarissima stirpe generata, fastum et saeculi vanitatem ita sprevit ut proximorum saluti se totam converterit. Neque vero ex iis modo pauperiores selegit, sed ad infimos mulierum ordines, quas mundus deperdit, deperditas aspernatur, materna caritate descendit atque iis, condito sodalitio, perfugium praebuit, quo vel periclitantes tuto sese reciperent, vel deperditae e coeno surgerent ac per poenitentiam expurgatae civili religiosoque consortio restituerentur. Mirabile profecto redemptionis opus, quod, quum multorum virorum requireret vires, una Michaëla, inter opprobria et contemptus hominum, divinae caritatis instinctu, ad exitum imperturbata perduxit!

Vitae Synopsis.

2. Nata est Maria Michaëla calendis ianuariis anno MDCCCIX Matriti, quae est urbs Hispaniae omnium celebratissima. Parentes fuerunt Michaël Florez et Bernarda Lopez de Discastillo Olmeda, qui generis nobilitatem, inter omnes ordines amplissimam, christianae religionis splendore illustrabant. Fervida indoles in puella statim eluxit, sed tamen ad pietatem magnopere proclivis: ex quo iam tunc prima sanctitatis indicia coniectari licebat. Parentum curis mirum in modum respondit, atque tenerae illius aetatis fere tessera caritas fuit, qua pauperes amplexa est. Verum suapte natura ab eorum coeno ac sordibus abhorrebat. Vicit tamen se ipsam atque tanta contentione suum animum flexit ut quotidie cum eis nectere moras quam maxime delectaretur. — Qui nudi erant, vestibus, quas manuum suarum laboribus fecerat, operiebat. Cibis esurientes levabat. De matris venia, eorum mapalia adibat, illos domi excipere gaudebat. Fluxarum rerum despectus ita penitus animo insidebat ut numquam semet in speculo conspexerit. Neque se molliter curabat, tum fere omnia ornamenta aufugens, quibus puellae nobili loco natae, uti fit, comparantur: tum congressibus amoenis prorsus abstinens, qui domi, patricio nobilitatis more, ad multam noctem producebantur. Assidue divina mysteria obibat. Nec satis: saepe aequales domi ultro congregare easque ad pietatem incitare solebat. Sic evangelici operis uberioribus proventibus proludens, caritatis ministerium iam inde auspicabatur.

3. Nondum e pueris excesserat quum matre piissima orbata est. Vitae tamen rationes ab ineunte aetate susceptas non immutavit umquam: quin etiam, quum christianae perfectionis studio exarderet in dies, se totam ad conscientiae suae moderatoris arbitrium fingendi votum emisit. Vel oblatas renuit honestas nuptias, certa virginitatis florem integrum inviolatumque ad mortem usque servare. Mundanis illecebris firmo pectore obstitit: silentium et recessum adamavit atque assidua rerum coelestium commentatione mentem exercens, ne punctum quidem a Deo sese divelli sinebat. — Id temporis stomacho acerbissime laborare incoepit: ideoque a fratre, quem summopere diligebat, Lutetias Parisiorum deducta est, quo amoeniori coeli temperie uteretur. At coeli mutatio non eam a stomachi laboribus vindicavit, cui nihil longius erat quam ut Matritum convolaret ibique pietatis opera iam incoepta prosequeretur.

4. Verbis explicari vix potest quanta exinde molita sit. Paternas opes haereditate susceptas non amplius consideravit suas, sed pauperes participes effecit. Pro adiuvandis egentibus lectissimarum foeminarum sodalitium instituit, quae statis diebus eos in domiciliis inviserent. Alterum sodalitium condidit ea lege ut sodales ad templorum valvas stipem corrogarent egenarum sanctimonialium subsidio. Atque adeo, ut alias incitamento praeiret, persona pauperis induta, non raro in celebriori Matriti porticu longas egit moras manum ad stipem porrigens, qua pauperes sustentaret. — Ita, quum Angelorum vitam referret, unumquemque in sui admirationem ac benevolentiam traduxerat.

5. Verum inter tot pietatis oblectamenta saepe accedebant curae, quae Dei Servae animum summopere exagitabant. Multum enim nobilitatis moribus semper concedendum fuit: multum dignitatis gradus exigunt ab iis, qui in celebritate vivunt atque nobilium coetu et fere regio versantur. Gens unde Michaëla ortum duxerat, tota Hispania nulli secunda erat, tum splendore maiorum, tum vero insigni vitae cultu atque amplitudine, quae generis dignitati respondet. Itaque Hispaniae regibus consuetudine semper coniunctissima fuit atque in sollemnioribus regiae aulae apparatibus non modo invitabatur, sed inter regni proceres principem obtinebat locum. — Hinc tam necessariae incidere solebant causae cur Dei Serva aulam vel theatra cum fratre statis diebus celebraret ut sine dignitatis detrimento ab iis abstinere non posset. Quamvis invita, interdum igitur necessitatibus cedere cogebatur; at spectaculorum pericula per summam industriam provida mente cavebat. Praeter quam quod id temporis singulari modo nutu et arbitrio conscientiae moderatoris pendebat, eo asperioribus flagellis corpus innocentissimum cruentabat, quo splendidiori vestium ornatu induebatur: atque eo arctius adhaerebat Deo quo gravius noverat instare discrimen.

6. Interea frater ad Galliae regem missus fuerat ut hispanam legationem gereret idemque sororem Michaëlam Parisios arcessivit, quae, ibi quinquennium morata, virtutum splendore in se omnium ordinum admirationem convertit Qui ei a confessionibus erat, severiorem vitae rationem instituendam exegerat seduloque advigilabat ne mundanae illecebrae animi fervorem restinguerent. — Sic ex moderatoris praescripto vitam traducens Dei Serva, summam prudentiae laudem vel in primis adepta est, iurgia inter fratrem eiusque uxorem, diversitate ingeniorum oborta, mirum in modum componens. Aspera quaeque tulit tum gloris indole, tum acatholici viri calumniis exagitata, qui quum rei familiari praeesset, depravatae religionis erroribus contaminatus non modo eam ipse odio prosequebatur, sed in alterius invidiam acriter vocare studebat. Potuerat Michaëla tot molestias fugere, dummodo sese Matritum reciperet. Verum, fratris caritate mansit, laeta pro Christo pati; donec, tandem aliquando calumniis detectis, maiorem in lucem eximia eius virtus prolata est. Glori autem, quandiu aegrotavit, tanta cura, tantaque officiorum sedulitate adfuit ut illius animum ad omnem pietatem vicisset.

7. Ceterum precibus assidue vacabat vel oculos somno per noctem frustrata. Singulo quoque die ad sacras epulas accedebat, heic devotionis studio reficiens animum, hinc recens ac integra ad virtutem celeriori gradu contendens. Nihil, quod in ea ipsa erat, praetermisit ut a mundanis blanditiis sese facile expediret, solita etiam se flagellis caedere et catenulis ferreis sibi lumbos praecingere. His rebus Dei gratiam, favoremque sic ipsa demeruit, ut olim, quum sacra solemnia ob adventum Spiritus Sancti agerentur, novo inusitatoque fervore succenderetur. Huius vehementis caritatis impetus, quae mulieris pectus pervaserat, quum intus contineri non posset, eo Michaëlam impulerat ut christiani nominis cultum augendum susciperet et qui miserrimae conditionis erant, hos illa maiori caritate complecteretur. Dei Serva auctrice, mulierum, ex omnium nobilissimo Parisiorum ordine, Sodalitium institutum est, quae SS.mo Sacramento adorando diu noctuque perpetuam operam darent: unde vix difficile dictu est quanta vis coelestium munerum in christianam rempublicam influxerint. Decore domus Dei summopere movebatur, ob eamque causam non modo innumera templa, quae indigerent, sacra supellectile instruenda curavit, sed etiam sacella suo sumptu a fundamentis extruxit. Singula diei spatia sic definiverat ut exercendae caritati, singula quaque hora, responderent. Iter illi ad publica valetudinaria frequens; ostiatim etiam pauperes quaeritabat, quibus omni subsidiorum genere praesto esset. Olim infirmam mulierem nacta est, membris omnibus fere exustam, unde adeo teter exhalabat odor, qui quemque stomacho validissimum propulisset. Vicit tamen invitam naturam Michaëla, diuque contra foetidum morbum stetit: quod quam gratum acceptumque fuerit Deo illud argumento est, quod mulier convaluit, obstupescente medico ab institutis christianis alieno, qui eam conclamaverat. Neque alia desunt exempla, quum plena eximiae caritatis illius fuerit vita. Iamdudum adhaerebat lecto vetula, senio et languore confecta: angustum et malevolens cubiculum scrutis horridis obrutum erat: mulier ipsa, quamvis patientissima, omni destituta subsidio. Quod ubi Dei Serva rescivit, illico ad eam convolavit: ipsique tanta adfuit cura, sic eam fovit ut brevi ad sanitatem redierit. Quibus rebus eximium humilitatis exemplum accessit. Quum enim olim Michaëla induta vestibus, quae suam praenobilem conditionem decerent, per celebriores urbis vias incederet eamdemque vetulam habuisset obviam detritis panniculis opertam, sportamque gerentem manibus, eam coram amplecti deosculari-que non dubitavit. — Nec vero minus de aeterna proximorum salute sollicita fuit. Iamdiu in publico valetudinario iacebat miles, cuius in peccatis contumacem animum nemo flectere potuerat. Mors imminebat. Summam sensit acerbitatem Michaëla, quantam ferri vix potuisset. At, Dei ope confisa, arduam suscepit operam, susceptamque adeo feliciter ad exitum suum perduxit, ut durus miles, tanta victus lenitate, poenitentiae certis editis signis, pio sanctoque fine vitam clauserit.

8. Profecto altae magnificaeque virtutes, quibus Dei Serva ad miraculum praefulgebat, quamvis humilitate opertae, abdi omnino non poterant: veluti siquando obductae coelo nubes solis lumini nullo modo officiunt, qui per mediam caliginem magis desideratus gentibus splendet. — Homines nobilissimi atque ornatissimi, qui Parisiis degebant, eam summopere admirabantur; inter quos Ludovicum Philippum regem, honoris causa, memoro, qui Dei Servae virtutem ac fortitudinem verbis exquisitissimis exornare gestiebat. Verum in eam temporis atrocitatem Michaëlae incidit aetas, quum, Galliae rege e legitima sua sede exturbato, perduellionum opera, omnia tum humana tum divina iura penitus everterentur et cives cum civibus ferro inhumane decernerent. Interrita periculis Dei Serva quotidiano sacro et coelitum pane prohiberi non tulit. Ideoque, hostibus ipsis mirantibus, ac obseptum transitum ultro expedientibus, singulo quoque die Michaëla munitiones in aditu viarum extructas vel cum capitis discrimine superare non dubitavit, quo saepius sacro adesset et coelestes

epulas regustaret. Quam Fidem sic compensavit Deus ut tandem, publicis rebus compositis, duae familiae *protestantica* labe contaminatae, Dei Servae caritate, ad catholicam religionem traductae sint.

9. Iam quinquennio Parisiis exacto, divinitus provisum erat ut alibi exemplo ad virtutem Michaëla praeluceret. Belgica legatio eius fratri interea obtigerat, qui Bruxellas domicilium transtulit. Dei Serva glosque eius iam illum sequebantur, quum infirma gloris valetudine iter interceptum est. Bononiam versus viam Michaëla deflexit ibique aliquantum substitit ut omnia caritatis officia aegrotanti adhiberet. Verum illud temporis spatium satis superque fuit quod virtus Dei Servae in publicum ederetur. Impia de catholicis rebus opinio illas regiones iamdiu tenebat. Duo tantummodo templa extabant, ubi sacrae caeremoniae ex catholico ritu celebrarentur; quorum unum a solo vix inchoatum nondum perfici potuerat, pecuniae inopia. Id acerbissimum Michaëla accidit, quippe quae potissimam semper habuerit divinae gloriae propagandae curam. Itaque annulum (rem maximi pretii) quem, materni amoris pignus, summa religione servabat, praesenti pecunia vendidit. Sic munificentia eius, templum absolutum est. Neque caritati modus. In eo ipso diversorio, ubi Michaëla, morabatur, puella optimae indolis erat, famulatui addicta, in quam domina acerbius invehebatur, quod catholicam fidem profiteretur. Eius calamitate ad misericordiam commota Dei Famula, puellae patrocinium suscepit eamque, sumptu suo, pie probeque instituendam curavit.

10. Tot igitur virtutum instructa praesidio, Bruxellas venit, quae campus illi longe uberrimus extiterunt, in quo et dilatavit spatia caritatis et multos collegit manipulos animarum. Atque in primis conscientiae moderatorem exquisivit, qui magna prudentia ac pietate praeditus esset; eumque piissimum ac ad omnia consilia prudentem invenit. Hic vero quum divino quodam instinctu novisset quemnam quantumque thesaurum sibi custodiendum permisisset Deus, omnes suas cogitationes in ea ad perfectionem ductanda collocavit. Quaenam exinde sibi emolumenta effluxerint illud argumento sit quod, quamdiu Dei Serva Bruxellis degit, non modo precibus et corporis macerationibus assidue vacavit, sed numquam quiescere visa est, nullam infirmae valetudinis curam habere, unice de proximorum salute cogitare. Divina caritate rapta, ut laborantibus subsidium ferret, ab una ad aliam domum se conferebat, mapalia teterrima, vel praeruptis gradibus imposita, superabat, ubique mira caritatis suae exempla relinquens. Et quoniam praecipua divinae gloriae propagandae cura ei erat, veluti iam antea Parisiis consueverat, templorum egestati provida sedulitate consuluit, praestantium matronarum conquisita opera ut sacras supellectiles compararent. Per summam liberalitatem communicatis subsidiis vel bonos mores populares fovit: christianas enim scholas aperuit optimasque magistras adiecit, quae curam omnem et ingenium ad puellas probe instituendas conferrent. — Inter tot divinae caritatis opera saluberrimum quidem fuit quod, erga sanctissimum Eucharistiae sacramentum devotionis sensu mire affecta sodalitatem perpetuae adorationis provexerit. Nocturnas divinae hostiae adorandae sibi constituerat horas. Ad multam noctem precibus vigilabat et siquando ii, qui legationi praepositi erant, domum albente coelo sese reciperent, Dei Famula languido lumine illustrata, inter orandum hoc tempus transegerat. Ipsi vero rem ioco vertentes, sed tamen mirati « *En* (inquiebant) *Michaëla ad matutinos psalmos recitandos surrexit* ».

11. Medio horum laborum cursu obtigit ut fratria valetudine ingravesceret. Etiam Michaëla nondum plane stomacho convaluerat. — Quum ad utriusque valetudinem recuperandam amoenioris coeli temperiem multum conducere medici suaderent, Bruxellis ipsa discessit, glorique itineris sese sociam adiunxit. In longa quam suscepit peregrinatione, Michaëlae immutata parumper exterior vivendi ratio, non mutatus animus. Quot enim urbes adivit, totidem edidit documenta pietatis. Iter, quocumque pergeret, a Virgine beatissima auspicabatur, quo coram Deo et cum Deo deambularet. Nacta solitudinem et ad divinum amorem camporum amoenitate illecta, amori laxabat habenas et ad Deum incensissimis adspirationibus sese erigebat. Quum nihil aliud nisi divinam gloriam in omnibus rebus spectaret, numismata sacra, imagines coelitum aere expressas, aliaque huiusmodi edere studebat in vulgus, quibus Christifidelium pietas excitaretur. Neque erga pauperes benignitatem suam remisit: magnam enim pecuniae vim in eorum commodum erogavit. Qua data urbe transibat, templa invisere, ibique diu orare gaudebat, aegre ferens siquando coelitum pane vesci non potuisset. Unde magnam gratiarum copiam hausit. Haud perperam enim pro fratria, prole carente, S. Francisci a Paula patrocinium invocavit eademque stomachi morbo, quo iamdiu afflictabatur, SS. Eucharistiae ope, mirum in modum convaluit.

12. At iam tempus properabat, quo Michaëla in Hispaniam rediret: quae sicut eius virtutibus princeps theatrum fuit, ita maxime beneficia sensit. — Iam adeo secunda fama eius reditum praeverterat ut inter faustas amicarum voces effuso sinu exciperetur. Verum P. Carasa, qui Dei Famulae a confessionibus erat, innumera emensus pericula, quibus ipsa, pro nobilitatis ratione, obiiceretur, nihil potius habuit quam ut redeunti omnia perfectioris vitae impedimenta penitus submoverentur. Ideoque in primis eam nobilissimo matronarum coetui, qui id temporis christianae doctrinae tradendae Matriti maxime florebat, adscribendam curavit eamdemque praeponendam sororibus. Invita, ex sua animi demissione, munus suscepit atque plures e sodalibus sibi primum adversarias nacta est. At brevi ea industria et caritate demandatum sibi munus implevit, sic omnes in sui admirationem traduxit ut vel ipsis, quas modo sibi adversarias experta esset, nunc, conversa mente, amantissimis potiretur. Infirmis etiam summo studio opitulata est. Erat in iis foemina, scatente lepra infecta, quae sola, sine ullo subsidio, manserat. — Dei Famula, quippe quae fervida caritate homines complectebatur universos, ita prorsus ut quos ceteri refugere aut superbius fastidire consuevissent, iis potissimum delectaretur, quamquam animus abhorrebat, omnia ei adhibere officia aggressa est. Quum olim igitur aegrotae suis manibus lectum sterneret eamque, apertis brachiis amplexata, arcte teneret, morbum inde ipsa contraxit. Non tristitiae se tradidit: minime questa est; gaudebat enim siquando, caritatis causa, obviam sese vel manifesto capitis periculo ultro offerret. Qua in re parem a Deo voluntatem accepit, quum prodigiose morbo discusso, praeter opinionem ipsa convaluit.

13. Verum, ut reliqua huiusmodi praetermittam, Michaëlae animum ad misericordiam valde concitaverat popularium puellarum status, quae famulatui addictae, satis commode christianis praeceptis erudiri non poterant. Itaque scholas aperuit, quas singulo dominico die celebrarent, eisque totam operam impendit suam. Idque prospere atque uberrimo animarum fructu gestum est; siquidem, Episcoporum rogatu, similes famularum scholae pluribus in Dioecesibus ad Michaëlae mentem institui coeptae sint.

14. At Dei Servae inexplebilis caritas angustiis illius sodalitii finibus coërceri non poterat, sed ab illo sodalitio initium capiens brevi ad minores, atque etiam ad infimos civitatis coetus, descendit. Unde tale institutum conflatum est ad hanc tempestatem mirabiliter opportunum, quo proiectae famae mulieres vel puellae periclitantes per poenitentiam coeno ac virginitatis amittendae discrimini ereptae, omnem maculam sibi inustam detergerent. — Huius instituti haec fuerunt initia. Erat Dei Serva adscripta piae societati a Nostra Domina Bethlemitica nuncupatae, infirmis in nosocomiis curandis. Officii sui causa, saepe saepius Nosocomium S. Ioannis de Deo visitabat, eamque matrona nobilis comitabatur. — Virgini innocentissimae ignara adhuc erant mala, quibus puellae pudicitiam, quae omnium rerum maximum ornamentum

est, a se profligare non dubitant. Olim tamen, cum suis misericordiae muneribus perfungeretur, puellam aegrotantem in nosocomio nacta est, iamdiu ob corruptos mores paterna domo eiectam, a qua omnes casus et supremum harum mulierum finem audivit. Obstupuit Dei Serva atque inauditae calamitati illacrymata, puellam male actorum poenitentem parentibus restituit. At exinde maiora molita, Sodalitium mente concepit, quo deperditae puellae e nosocomiis exeuntes, virtute honestatae, bene moratis domibus famulatui reciperentur. In hoc opere omnium sanctissimo, mulieribus, nobilitate spectandis, usa est; quibus P. Carasa auctor accesserat. Parva, sed apta domus conducitur. Honori Virginis perdolentis ac septem gladiis transfixae, primum septem puellae hospitio recipiuntur: quibus praesens ipsa Michaëla vel per noctem, tenerrimae matris ad instar, advigilabat. Res, quamvis penuria oppressae, eo usque florebant ut vere domicilium pacis et divinae caritatis positum ibi esse videretur. Nec longa apud exteros mora eius studium erga adolescentem Sodalitatem restinxerat. Quotidie enim de instituti rationibus certior fieri voluit atque ut eius egestati consuleret, vel equum generosissimum alienavit. Nam quamdiu Dei Serva abfuit, semper Collegium secunda uti non potuit fortuna, praesertim quum eius collegii magisterium talibus foeminis demandatum fuerat, quae, quamvis nobilissimae, tamen impares erant tanto oneri ferendo ac in contraria scissae studia aliae ab aliis secesserant.

15. Iam vix Michaëla Matritum reversa erat, quum subito matronae, illud obtendentes quod alumnae taediosa capita erant, desperataeque emendationis, itemque institutum inopia extrema quo citius dissolutum iri, rebus nuntium remiserunt, illico domo egressae. Sed non idcirco despondit animum Michaëla aut Collegii procurationem dimisit. Unice Dei ope confisa, totum negotium in se suscepit acrius rei instans, quo alumnarum emendatio desperatior videretur: quod bene cessit. Aucto enim ad quatuordecim alumnarum numero, domus amplior conducta est; quam praeterea Dei Serva sic ordinavit ac instruxit ut neque sacellum, neque suppellectilem, neque demum quidquam, quod ad vitae usum pertineret, alumnae desiderarent. Atque ut inceptis quasi cumulus accederet, Moniales ex recentioribus ordinibus Collegio praefecit, natione Gallicas, quibus aptiorem regendae iuventuti neminem sese reperisse putabat. At spem fefellit eventus. Nam, veluti saepe in rebus humanis fit ut vel sanctissimae rerum, ingenio hominum, corrumpantur, invide Moniales in Dei Servam coeperunt agere, incertis dictis alumnarum inflare animos, malignum rumorem de eius arrogantia spargere. Acerbam id attulit curam Michaëlae. Pressit tamen alto corde dolorem. Odium longiores progressus fecit quum Dei Famula aliquot dies domo aberat ut in solitudinem recepta piis exercitationibus vacaret. Matritum redeunti ei nihil antiquius erat quam suum institutum invisere. Verum obstupuit quum sibi coram portam obtrudi vidit per vim ingressu prohibita. Viribus dolore fractis, voce ipsa faucibus interclusa, ante portam genibus occubuit. Forte oculi in iconem B. M. V. perdolentis inciderant, quae ex adverso pariete pendebat. Illius adspectu recreata, orat; eius opem appellat, qua sibi viam ad tale negotium peragendum sternat. Ne quid per iram aut inconsultius ageret, ad Toletanum Praesulem ac Pontificis Nuntium confugit. Diu cum ipsis consilium agitat: iis auctoribus, res civili potestati defertur: inde moniales eiectae: iustitiae partes integrae, ita vero ut nihil Dei Famula de caritatis officio remisisset. — Sic certa relictam uni sibi suisque dumtaxat humeris incumbentem molem constanter ferre, impavida instituti domum ingreditur, turbulentasque puellas, iam ad seditionem paratas, maiestate adspectus composuit: deindeque, commodis exquisitioris vitae abiectis, illuc stabile domicilium transfert. Brevi, per summam prudentiam domus expurgata est ac puellae, quae Moniales in Galliam sequi vellent, dimissae, ita ut omnia quieta esse viderentur.

16. Sed tamen ad cumulandam Famulae suae patientiam multa, Deo sic permittente, evenerunt. Fuere tum haud ita pauci iidemque nobilitate ac virtute praeclari, qui humanis rationibus metientes rem, aperte negarent collegium eo statu, nulla rerum meliorum affulgente spe, conservari ultra posse. Et quidam Michaëlam temeritatis coarguebant, quae molem suis maiorem viribus (quam frustra adeo susceperant Franciscus Salesius et Vincentius a Paula, viri Sanctissimi) sustinere pergeret, invitis quodammodo hominibus superisque. Odium acri mulierum ira alebatur, quae, ab illo opere dissociatae, insulsa dicacite in invidiam Dei Servam apud reginam vocare gaudebant. Earum ardenti ingenio rumor quoque inflatus erat Michaëlam de mentis potestate exiisse. Curio etiam, qui antea Collegii fautor studiosissimus erat, non modo omnem curam ultra dimiserat, sed olim ad institutum accessit ut divinum Sacramentum exinde transferret: quod si minime evenit coelesti Dei auxilio tribuendum fuit.

17. Verum Dei Famula, quae parum quidem praesidii in humana ope collocaverat, at in divina plurimum, perstabat obfirmato ad omnes casus animo, ut non tam frangi, quam magis incitari difficultatibus videretur. Iamdiu de aliquo sacro ineundo ordine cogitaverat. At nunc magis inter orandum, subito divinae gratiae illapsu, se ad incoeptum opus sentiebat impelli atque simul ei olim maior humana vox exaudita est: *Perfice opus, quod suscepisti: hoc esse iubeo.* — Neque minus admirationis habet oblata divinitus Michaëlae ipsi species, cum sibi videre visa est scalas vertice adhaerentes coelo, perque eas puellas innumeras ascensu ac descensu gradientes, quum fastigio moniales, alba nigraque veste, indutae insiderent. Quae tamquam sibi indita interpretata, continuo abdicat se rebus omnibus: humiles induit pannos: caput calantica operit: sacramenti figuram pectori imponit atque effusam Dei hominumque caritatem, quam celso erectoque animo amplexa erat, sociam sibi et comitem constituit in omni vita futuram.

18. Paulatim, Deo protegente, Collegium commodiori fortuna uti coepit. Vel ipsi, qui modo infensi erant, nunc mutato animo aut ad benevolentiam aut saltem ad admirationem descenderant. Alumnarum numerus ita coaluit ut proventu maior esset ac mutanda itaque sedes fuerit, quae crescentem multitudinem caperet. Quare auctoritatem eius secuta, cui animi secreta omnia aperuerat, rudimentum sodalitii quale sibi iamdiu adumbraverat id ipsum ignara sibi, divino consilio perficere coepit, Ancillarum a SS.mo Sacramento et a Caritate indito nomine. Brevi huic Instituto summa accessio honoris facta est. Rex ipse ac regina, quamvis multa accepissent, quae contra Collegii famam circumferebantur, non ea crediderunt temere nec ob incertas improborum voces unquam mutarunt mentem. Atque etiam ut Instituti simul ac Collegii famam sarcirent, omnemque in posterum obtrectationi apud se aditum intercluderent, Michaëlam saepe apud se esse, privatim eorum stipem largiri, preces secum fundere, accedere vel discedere ex aula pro libitu, haec omnia, certa amoris significatione, voluerunt. A quibus rebus ipsa, propter summam animi demissionem, libenter abstinuisset. Cedere tamen cogebatur, hortatu P. Claret, qui a confessionibus reginae erat et sanctitatis fama late florebat. Quippe Michaëla adeo Principibus gratiosa fuit ut saepe nonnulla, quae in aula licentiora viderentur, eius virtute sublata fuerint. Regius favor magistratuum benevolentiam excitaverat; inde Institutum, regiis iuribus assertis, publica etiam auctoritate recognitum est. Accedebant Toletani Archiepiscopi et Pontificii Nuntii incitamenta, laeta omnia Sodalitio comprecantium. Quibus rebus permota Dei Famula, scribendis novi Collegii legibus adiecit animum. Constitutiones vero, quas Sororibus regundis exarare incoeperat, immatura mors intercepit.

19. Sensit Matritum urbs, sensere remotiores etiam regiones quae beneficiorum vis in christianam civilemque rempublicam ex Instituto Dei Servae proventura esset. Hinc late excitari asceteria complura quae a Dei serva latis legibus responderent: hinc etiam

magis de Michaëlae sanctitate famam augeri. Brevi, tam altas defixasque radices Institutum egit ut ad decem et ultra enumerarentur domus a Michaëla conditae, quum vitae cursus ei morte interruptus est: ad sexcentum vero alumnae erant, extractae e luto vel a discrimine ereptae; quarum plurimae religiosa instituta professae, ad virtutis fastigium acri corporis maceratione perrexerunt. Felicitate quadam, nec sane fortuito obtigit ut interea Summi Pontificis privilegiis recens Sodalitas cumularetur. Iamque prope aderat tempus quum amplissimorum hominum rogatu Pius IX solemni diplomate Congregationem probaret. Ad ea Michaëla occurrentem suis votis providentiam Numinis admirata, iter Romam versus moliebatur ut, ante Apostolorum sepulcra prostrata, grati animi sui sensus Pontifici explicaret. At laetam spem succidit in ipso ortu casus nec opinatus et maxime luctuosus, qui effusam Dei Famulae caritatem extremo, sed splendido tamen specimine, demonstravit.

20. Iam lues teterrima, quam *asiaticum morbum* vocant, Valentiam urbem invaserat: cuius invalescente morbi vi, plurimi mortalium prosternebantur. Movit caritas Dei Servam incenditque sic ut magnae animae prodiga sese in medium discrimen coniicere non dubitasset. Ex aegrotantium congressu pestem et ipsa contraxit: sed laeta quod pro caritatis munere mortem contigisset oppetere, coelesti pabulo sustentata, in sororum sinu ad superos evolavit IX Kal. Sept. anno MDCCCLXV. Ut iustos aestimatores virtutis suae omnes aequales, quamdiu vixit, nacta erat, ita post mortem erga eam nullo modo deferbuit populorum studium. Ipsam vero validiorem, quam in terris, attulisse de coelo opem, augescente in dies magis Sodalitii fortuna, et gloria, praeclare demonstratum est.

VIII.

NAMURCEN. — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Iuliae Billiart fundatricis Congregationis Sororum B. Mariae Virginis.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et Proximum, itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Providentissimus Deus, qui investigabili sapientiae suae consilio « *infirma mundi eligit ut fortia quaeque confundat* » saepe nefariis ausibus perditorum hominum divina et humana omnia permiscentium opposuit muliebres vires, quae et illata Religioni damna sarcirent et impendentia pericula summoverent. Praeclara haec civilis societatis et Ecclesiae praesidia admirata maxime Gallia est labente saeculo XVIII cum scilicet haud unius sanctae foeminae strenua opera « *arcus fortium superatus est et infirmi accincti sunt robore* » (I Reg. c. II, v. 4). Ad illustrem hanc aciem profecto pertinet Ven. Dei Famula IULIA BILLIART de christiana republica per puellarum institutionem optime merita eademque Mater Congregationis Sororum B. Mariae Virginis.

Ortum habuit in oppidulo Cuvilly Bellovacensis Dioecesis quarto idus iulias anno MDCCLI. Qua morum innocentia puerilem aetatem egerit, qua doctrina religionis praestiterit inter aequales, id ex eo facile coniici potest, quod ipsi septenni munus fuerit commissum fidei rudimenta pueros puellasque docendi, eidemque novenni concessum sit ut sacrae mensae particeps fieret, idque secreto ne ceterarum invidiam excitaret. Annum agens decimum quartum se voto castitatis obstrinxit quo liberius caelesti sponso deserviret. Interim in dies crescentibus rei familiaris angustiis, ad parentum inopiam sublevandam vel agrestes labores aggressa est, ingenti cum fructu colonorum, quos inter ipsa versabatur haud minus operum socia quam pietatis magistra. Neque vero ceteros exemplo, consilio adhortationibus iuvare destitit quamdiu crurium paralysi afflicta est, cuius causa duo et viginti annos in lectulo iacuit, mirae sane fortitudinis et patientiae documentum. Atque hoc nimirum religionis provehendae studium odia in Ven. Dei Famulam conflavit factiosorum hominum, a quibus haud semel ad necem petita piorum ope evasit incolumis.

Ubi paulum resedit civilis illa tempestas, accidit ut Patres a Fide nuncupati, sacrae missionis causa, eas regiones peterent, duce R. P. Varin, qui biennio ante Ven. Servae Dei auctor fuerat novae societatis instituendae ad christianam puellarum educationem. Tunc IULIA cum paucis, quas adsciverat sibi, sodalibus operam religiosis iis viris contulit saluberrimam, de rudioribus edocendis maxime sollicita. Quo vero utilius illo munere fungi posset, enixe a Deo petita est, continuoque impetrata sanatio a paralysi. Sic divinitus restitutis viribus alacrior effecta IULIA, asperrima per aestus, per glacies itinera suscepit, quae numquam fere intermisit, sive ut sodalitii sui, cui nomen a Domina Nostra indiderat, nova domicilia excitaret, sive ut iam institutis consuleret melius. Quam quidem sollicitudinem atque constantiam uberrimus excepit fructus, sparso felici semine ferme ubique terrarum, constitutis domibus vel in remotissimis plagis, iisque religionis et optimarum artium laude florentibus, aucto denique in immensum alumnarum numero. In huiusmodi autem plane apostolico ministerio, etsi ardua multa multaque adversa nacta est, numquam tamen a patientia, a caritate, a pia fiducia deflexit nec ardoris quidquam remisit; sed certare viriliter non ante desiit quam ad iustitiae coronam vocaretur in caelis.

Tot exantlatis pro Dei gloria et proximorum salute laboribus iisque brevi spatio quantum vitae superfuit a propulsata paralysi, simulque voluntariis cruciatibus extenuata, tandem anno MDCCCXVI adesse sibi finem persensit. Extremi morbi dolores aequissimo animo perpessa, et indubia sanctitatis indicia exhibens septimo idus Apriles coelestes virginum choros assequuta est, Eius adspectu potita, « *in quem desiderant Angeli prospicere* ».

Vita functae vultus, recepto colore, nova quadam pulchritudine nituit; corpus aliquot post menses ab obitu, corruptionis expers repertum. Quae autem viventem prosequuta est fama sanctitatis, ea non defecit mortuam; quin etiam Galliae fines praetergressa, per Belgium, per Angliam, per Americae regiones maxime propagata est, vigetque recens roborata miraculis quae per Ipsam a Deo patrata feruntur. His de causis, etsi

serius, id est non ante annum MDCCCLXXXI, testimonia collecta sunt et Processus instituti de vita rebusque gestis Ven. Servae Dei. Qua inquisitione ad iuris normam persoluta, res ad S. RR. Congregationem devoluta est eâque triplici disceptatione de heroico gradu virtutum eiusdem Servae Dei actum est. Ac primum quidem pridie idus novembres anno MDCCCCI habito coetu penes cl. me. Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella causae Relatorem; deinde octavo idus iulias superioris anni in aedibus Vaticanis; denique in Congregatione universa penes Ss.mum D. N. LEONEM PP. XIII decimonono calendas Decembres eiusdem anni coacta, in qua R.mus Cardinalis Dominicus Ferrata S. R. C. Praefectus, vice et loco praedicti Cardinalis Caietani Aloisi-Masella causae Relatoris, discutiendum proposuit dubium « *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et proximum, itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia Ven. Iuliae Billiart in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur* ». Omnium qui aderant tum PP. Cardinalium tum Consultorum agnitis perpensisque suffragiis Beatissimus Pater his verbis conventum dimisit: « *Ven. Dei Famulae Iuliae Billiart alte Nobis insidet menti vetus eaque iucunda recordatio. Quo enim tempore (sexaginta iam elapsi sunt anni) quum Nuntii Apostolici munere apud Belgas fungebamur, saepenumero graves e clero viros atque etiam episcopos audivimus efferre cum laudibus sanctimoniam huius praeclarissimae Feminae, quae illic, scilicet Namurci, sedem Instituti sui principem collocaverat. At vero in hodierno conventu excellentia virtutum eius per unanimes vestras et consultorum sententias visa est Nobis emicare splendidius. Vota hinc nuncupamus ut cognitio huius causae quantocius ad optatum exitum progressa, novum addat Ecclesiae sanctae ornamentum et decus, et Belgarum et Gallorum genti feliciter benevertat. Verumtamen de virtutibus Iuliae Billiart decretorium nostrum proferre iudicium, ut moris est, in aliud tempus reservamus* ».

Hodierna vero die, qua tres Sapientes Deum puerum adoratum porrexerunt, sacris piissime operatus in privato suo Sacello, nobiliori huic aulae Vaticanae successit, et ad se accivit R.mum Cardinalem Dominicum Ferrata S. R. Congregationi Pro-Praefectum Causaeque Ponentem, in Cardinalis Aloisi-Masella vita defuncti locum, suffectum, una cum R. P. D. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, meque infrascripto a Secretis, iisque adstantibus solemniter edixit: « *Ita constare de virtutibus* V. IULIAE BILLIART *in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur ut procedi possit ad ulteriora, id est ad quatuor miraculorum discussionem* ».

Hoc autem decretum promulgari et in acta S. R. C. referri mandavit, octavo idus ianuarias anno MDCCCCIII.

DOMINICUS Card. FERRATA *S. R. C.*
Pro-Praefectus.

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI
Arch. Laodicen., *S. R. C. Secretarius.*

IX.

BAIOCEN. — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis Eudes Missionarii Apostolici Institutoris Congregationis Iesu et Mariae atque Ordinis Dominae Nostrae a caritate.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide Spe, Caritate in Deum et proximum; nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Pulchrum sane est atque iucundum a praesenti facie malorum, quibus afflictatur Ecclesia, praesertim ob religiosas Familias vesana coniuratione petitas, mentem animumque avocare propositis ad intuendum virtutibus et gloria illorum, qui eiusmodi societatum conditores exstiterunt « *quorum cum semine permanent bona* » non Ecclesiae modo, sed civili etiam reipublicae prope infinita. Inter hos, quorum pleraque nomina gaudemus scripta esse in caelis, praeclarum obtinet locum homo vere missus a Deo, ut patriae suae in pessima quaeque ruenti iustitiae et caritatis esset exemplar, Ven. Dei Servus IOANNES EUDES.

Ortus est in pago *Ry* Sagiensis dioecesis XVIII Cal. Decembres anno MDCI. Adolescens a piissimis parentibus egregii sacerdotis curae commissus maturae sanctitatis indicia praebuit. Nondum enim bilustris impactam sibi a condiscipulo alapam sic excepit, ut submisso poplite alteram genam praebuerit. Annos natus XIV castitatis voto se obstrinxit; mox in Cadomense Collegium S. I. se contulit daturus operam litteris ac philosophiae; cuius doctrinae capita quaedam publice strenueque defendit. Domum reversus optabiles nuptias a parentibus propositas renuit, cupidus, etiamsi invito patre, totum se Deo mancipandi. Quomobrem in Cadomensem civitatem discendae theologiae causa est restitutus; quo in studio consilium iniit vitae degendae in Congregatione Oratorii Berulliani, cui erat propositum et sacras missiones obire et Seminaria condere, sicubi collapsa clericorum disciplina postularet.

In eo domicilio mirum quantum profecit sive ut suae sive ut aliorum saluti consuleret. Erat primum doctrina eius et pietas ita probata, ut, vel ante susceptos sacros ordines, concionandi munus fuerit ipsi commissum. Sacerdotio auctus, ob diuturnas corporis afflictationes, in morbum incidit; quo convalescens, biennio in studia sacrarum Litterarum incubuit, mox gravius vitae periculum initurus. Nam, quum anno MDCXXVII Asiatica grassari lues in Sagiensi dioecesi coepisset, pedes eo se contulit, ac, ne quaesitis quidem inspectisve parentibus, per loca magis infecta, corporibus animisque curandis versatus est. Idem praestitit Argentonii civibus, idem Cadomensibus anno MDCXXXI, qua in horribili peste, unum illud cavens ne aliis ipse contagionem inferret, noctu intra dolium in prato quiescebat; quod *pratum sancti* est appellatum.

Propter magnos labores iterum morbo affectus, ex eo ubi primum convaluit, totum se sacris missionibus devovit; quo a munere per varias regiones obeundo non illum deterruit addita dignitas Praepositi Domui Cadomensi. Fusis deinde precibus, additis, ieiuniis, peregrinationibus, auditisque viris prudentissimis, ab ea Congregatione se tandem, Deo sic disponente, segregavit. Tum vero presbyterorum coetum instituit titulo Congregationis Iesu et Mariae propositis missionibus ac Seminariis. Quod quidem gravem in sanctum virum invidiam conflavit, ipso tamen omnia patientissime ferente ac vocante amicos et benefactores eos qui sibi essent infensi. Idem Seminaria multa constituit; Ordinem Filiarum B. Mariae Virginis a caritate condidit excipiendis et ad meliorem frugem revocandis malae vitae foeminis; piae Societatis a Corde admirabili Matris Dei exstitit parens; auctor etiam liturgici cultus SS. Cordium Iesu et Mariae. Inter haec et scripta multa praeclare edidit et prope innumeras missiones obivit, saepe coactus, propter hominum frequentiam, extra urbem concionari sub dio.

Tot consumptus laboribus, ubi vitae finem adventare sibi sensit, morbi cruciatibus invicta patientia toleratis, sodalium corona septus, sanctissimum Christi Corpus in genua provolutus, recepit, quo suavissime recreatus haud ita multo post evolavit in coelum decimo quarto cal. Septembres an. MDCLXXX.

Fama sanctitatis, quam Ven. Dei Servo tot admirabiles virtutes conciliaverant, post obitum illustrior evasit, ultro se prodens per communem significationem doloris, per populi concursum ad funus, per honores tamquam sancto viro exhibitos, per desiderium reliquiarum. Nec fama ipsa se intra vulgi fines continuit, sed viguit etiam penes viros doctrina aut sanctitate clarissimos. Quibus omnibus quum iubar miraculorum accessisset, quae ipsius intercessione a Deo patrata ferebantur, instantibus totius Galliae episcopis et Clero una cum Congregatione Iesu et Mariae, Ven. Servi Dei IOANNIS EUDES Causa canonizationis agi coepta est, duobus prope saeculis ab eius obitu. Subinde, omnibus apud SS. Rituum Congregationem ad iuris normam absolutis, de heroicis virtutibus Ven. Servi Dei quadruplex habita est disceptatio; prima in antepraeparatorio coetu apud cl. me. Cardinalem Miecislaum Ledóchowski causae Relatorem decimo octavo calendas decembres MDCCCXC; altera et tertia in duplici praeparatorio conventu, indicto in Aedibus Vaticanis decimo quinto calendas ianuarii insequentis anni et septimo calendas septembres anni nuper elapsi; quarta denique in Congregatione universa ibidem penes SS.mum D. N. LEONEM PAPAM XIII, coacta decimo septimo calendas ianuarias eiusdem anni; in qua R.mus Cardinalis Dominicus Ferrata S. R. C. Pro-Praefectus et Causae Relator discutiendum proposuit dubium « *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et proximum; itemque de cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis Ven. Servi Dei* IOANNIS EUDES *in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur* », R.mi Cardinales et Patres Consultores suam ordine protulere sententiam. At Beatissimus Pater a mente Sua illico aperienda abstinuit, significans tamen quod: « *Quum agitur de* IOANNE EUDES, *agitur de praeclarissimo viro qui non solum vitae sanctimonia ad exemplum eluxit, verum etiam solerti animarum salutis studio et praesertim per sodalitatem ab eo institutam late hominibus et ad perennitatem profuit. Admodum ergo cupimus ut super virtutum excellentia tum huius Ven. Famuli Dei tum Ven. Iuliae Billiart de qua in postremo conventu egimus, decretoriam dicere sententiam Nobis quam primum liceat. Eo vel magis quod utriusque parens est Gallia: Gallia, inquimus, quam turbulentissima modo tempestas divexat, spem inde bonam novi apud Deum patrocinii sibi oblatam sentiet* ».

Tandem hodierno die, quo Iesus Puer a tribus Sapientibus adoratus est, sacris ante religiosissime litatis in privato Sacello, ad Se arcessivit R.mum Cardinalem Dominicum Ferrata S. R. C. Pro-Praefectum Causae Relatorem una cum R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto a Secretis, iisque adstantibus solemniter declaravit: « *Ita constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et proximum, itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis* VEN. SERVI DEI IOANNIS EUDES *in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur, ut ad ulteriora procedi possit, id est ad quatuor miraculorum disceptationem* ».

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in Acta S. R. C. referri iussit octavo idus ianuarias anno MDCCCCIII.

DOMINICUS Card. FERRATA *S. R. C. Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen.
S. R. C. Secretarius.

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

Summarium Indulgentiarum Archiconfraternitati Cincturae B. M. V. Matris Consolationis S. Augustini et S. Monicae concessarum.

I.

Indulgentiae Plenariae.

Omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac Synaxi refectis:

1. Die quo nomen dederint Archiconfraternitati.

Omnibus sodalibus:

2. In festo Nativitatis
3. Epiphaniae
4. Paschatis
5. Adscensionis

} D.N. Iesu Christi

6. In solemnitate Corporis Christi.
7. In festo Pentecostes.

8. In festo Nativitatis
9. Annuntiationis
10. Purificationis } B. M. V.
11. Assumptionis
12. Immaculatae Conceptionis
13. In festo B. M. V. Matris Consolationis.
14. S. Michaëlis Archangeli.
15. S. Ioannis Baptistae.
16. S. Ioseph Sponsi B. M. V.
17. SS. Apostolorum Petri et Pauli.
18. S. Augustini Ep. et Doct.
19. S. Monicae Vid.
20. Omnium Sanctorum.
21. In Commemoratione fidelium defunctorum Ordinis S. Augustini et Confraternitatis, iis tantum applicabilis.
22. Dominica 1ª Adventus.
23. Dominica 1ª Quadragesimae.
24. Dominica 4ª Quadragesimae.
25. Feria V. Majoris Hebdomadae, dummodo praefatis diebus vere poenitentes, confessi, ac S. Synaxi refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint.
26. Dominica quarta uniuscujusque mensis, si uti supra dispositi devote interfuerint processioni quae dicta Dominica in Ecclesiis Ordinis seu Confraternitatis fieri solet.

Sodales, quoties uti supra item dispositi a primis Vesperis usque ad occasum solis sequentium dierum idest:

27. Diei festi Nativitatis B. M. V. et
28. Dominicae festum S. Nicolai a Tolentino immediate sequentis, Altare vel Cappellam Archiconfraternitatis visitaverint et ad mentem Summi Pontificis oraverint, toties plenariam Indulgentiam lucrabuntur.
29. Tandem in mortis articulo item plenaria, si uti supra dispositi vel saltem contriti SSmum Iesu Nomen ore si potuerint, sin minus corde invocaverint.

II.

Indulgentiae stationales.

Sodales, singulis diebus in Missali Romano descriptis, si Ecclesiam Ordinis S. Augustini vel Altare Confraternitatis visitaverint, omnes Indulgentias consequuntur, quas lucrarentur si Ecclesias Urbis pro dictis stationibus designatas, iisdem diebus visitarent, dummodo cetera, quae ad has indulgentias lucrandas iniuncta sunt pietatis opera, rite praestiterint.

III.

Indulgentiae VII Ecclesiarum.

Sodales qui septem Altaria in Ecclesiis Ordinis S. Augustini ad hoc designata visitaverint, easdem Indulgentias lucrantur, quas consequerentur visitando septem Ecclesias intra vel extra Urbem.

IV.

Indulgentiae partiales.

A. Decem annorum totidemque quadragenarum:

1. In omnibus festis D. N. Jesu Christi, quae per totam Ecclesiam celebrantur, et eorum octavis;
2. In omnibus festis Sanctae Dei Genitricis, quae in tota Ecclesia pariter celebrantur; et eorum octavis;
3. In omnibus festis SS. Apostolorum et Evangelistarum;
4. In festo S. Ioannis Baptistae;
5. In festo S. Iosephi Sponsi B. M. V.;
6. In solemnitate omnium sanctorum;

Dummodo dictis diebus corde saltem contrito ac devote Ecclesiam Ordinis seu Altare Confraternitatis visitaverint et aliquo temporis spatio oraverint.

B. Septem annorum totidemque quadragenarum:

1. In festo S. Augustini Ep. Doct.;
2. In festo S. Monicae Vid.; si eadem pia opera praestiterint.
3. Item sodalibus qui assistunt orationi serotinae, quae quotidie fit in Ordinis Ecclesiis; aut seorsim orationem seu collectam pro Ecclesia et pro Papa, aut etiam *Salve Regina* recitabunt.

C. Bis centum dierum:

Quoties sodales divinis interveniunt servitiis, quae in Oratorio vel Cappella Confraternitatis ordinarie fiunt; aut adsunt congregationibus et orationibus quae inibi fieri consueverunt.

D. Centum dierum:

Quoties sodales aliquod opus pietatis vel caritatis exercuerint.

V.

Indulgentiae pro recitatione
Coronulae B. M. V. de Consolatione.

1. Sodales quoties integram coronulam corde saltem contrito ac devote recitaverint, lucrantur indulgentiam

Centum dierum

pro qualibet oratione dominica et angelica salutatione.

2. Quoties vero eadem coronula recitetur:

a) in Ecclesiis ubi Confraternitas canonice erecta reperitur;

b) in festo B. M. V. Matris Consolationis, aut in singulis diebus octavae eiusdem festi, sodales lucrantur pariter pro quolibet *Pater noster* vel qualibet *Ave Maria* Indulgentiam

Bis centum dierum.

3. Sodales qui coronulam quater in hebdomada recitare solent, *plenariam indulgentiam* semel in anno, die eorum arbitrio eligendo, lucrari valent, dummodo vere poenitentes et confessi S. Synaxin sumpserint atque eamdem coronulam recitaverint.

4. Item *plenariam* lucrantur sodales qui per integrum mensem quotidie praedictam coronam recitaverint, simulque infra eumdem mensem, die, cuiusque arbitrio eligenda, vere poenitentes, confessi ac S. Mensa refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint.

Omnes et singulae indulgentiae in praesenti elencho recensitae, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, animabus quoque in purgatorio degentibus sunt applicabiles.

VI.

Privilegium et Indulta.

1. Missae omnes in quocumque altari pro defunctis sodalibus celebratae, privilegio gaudent perinde ac si in altari privilegiato celebratae fuissent.

2. Sodales qui degunt in locis ubi Ecclesia Ordinis S. Augustini desit, omnes indulgentias lucrari valent quas consequerentur dictam ecclesiam visitando, si, ceteris operibus iniunctis positis, Altare Confraternitatis, vel, hoc etiam deficiente, Parochialem suam Ecclesiam visitaverint.

3. Sodales qui in Collegiis, Seminariis aliisque Communitatibus degunt, lucrari valent indulgentias Sodalitati proprias privatum respectivae Domus Sacellum loco Ecclesiae Ordinis vel Confraternitatis visitando, ceteris adimpletis conditionibus.

DECRETUM.

Quum Prior Generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini, ad omne dubium e medio tollendum de indulgentiis olim concessis Sodalibus Archiconfraternitatis Cincturae B. M. V. Matris Consolationis, S. Augustini et S. Monicae, novum earundem indulgentiarum indicem huic S. Cong.ni Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae approbandum subiecerit: eadem S. Congregatio quibusdam ex suis Consultoribus illum examinandum dedit. Ii vero eiusdem accurato peracto examine, quum in eo nonnullas indulgentias delendas, alias addendas, aliasque iuxta hodiernam praxim moderandas esse duxerint, novum indicem, qui superius prostat, proposuerunt. Sacra vero Congregatio, vigore facultatum a SS. D.no N.ro Leone Pp. XIII sibi specialiter tributarum, ex indulgentiis in superiore indice insertis, alias denuo confirmare, alias vero benigne concedere dignata est; simulque edixit, ut, quibuscumque aliis Indulgentiis abrogatis seu revocatis, praefata Archisodalitas in posterum iis tantummodo perfrui valeat, quae in memorato indice recensentur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Sec.ria eiusdem Sacrae Cong.nis die 17 Decembris 1902.

SERAPHINUS Card. CRETONI, *Praef.*

L. ✠ S.

† FRANCISCUS SOGARO, Archiep. Amiden., *Sec.rius.*

ANALECTA VETERA

Nonnulla documenta inedita S. Congregationis Episc. et Reg. (an. 1677-1690).

220. Monopolitana. — Praeeminentiarum.

E.mi et Rev.mi Domini. — Pertinet ad Archidiaconum Sfortiam ut primam Dignitatem Cathedralis Ecclesiae Monopolitanae, listas seu tabellas Ministrorum et Inservientium Choro conficere tam pro functionibus solemnibus, quam pro servitiis, et officiis ferialibus in singulis diebus hebdomadarum.

Contenderunt novissime DD. Archipresbyter Fabius Affatatus, et alter ex Primiceriis Franciscus Manfredus listas, seu tabellas huiusmodi esse conficiendas praevia eorum convocatione, ac etiam personali assistentia; ideo efformato processu coram D. Episcopo Monopolitano prodiit decretum: licere Archidiacono conficere tabellas, ut in Sum. n. p.

Verum appellantibus hinc inde partibus, nempe Archipresbytero et Primicerio adversus decretum, et D. Archidiacono Sfortia ob denegatam sententiam definitivam, transportatus est processus de mandato huius Sacrae Congregationis in manibus E.mi Ponentis, et hodie supplicamus definitive decerni, pertinere ad Archidiaconum conficere listas, seu tabellas ministrorum et inservientium Choro tam in officiis solemnibus, quam in ferialibus, absque onere convocandi alias dignitates ad huiusmodi tabellarum confectionem.

Quantum enim attinet ad ius Archidiaconi, habemus generalem regulam ex c. p., et 7. de officio Archidiaconi, ult. ipsum esse Vicarium Episcopi natum, seu Vicarium de iure cum iurisdictione dignitati annexa, ut tradit Barbos. de Canon. cap. 5. n. 34. cum duobus seqq.; Nicol. in flosc. verbo Vicarius generalis n. 37, §. fallit hoc.; Marchett. de Vicario p. p. tit. 5. n. 30; Rota decis. 160. n. 22. p. 11; d. 189. n. 18 et seq; d. 14. rec.; indeque specialiter ad Archidiaconum pertinet conficere listas, seu tabellas super distributionibus officiorum et ministeriorum in Choro: ut ex textu in c. 2. de offic. Archidiaconi, notat Barbos. de Canon. Cap. 5. n. 18. cum seq.; Grammat. d. 64 n. par. 18. cum seq.; et decretum Sacrae Congregationis Rituum refert. Nicol. in flosc. verbo Archidiaconus n. 4. adeo ut nec Episcopum posse in praeiudicium primae Dignitatis alium Praefectum seu Directorem Chori deputare, decreverit Sac. Rituum Congreg. relata per Barbos. decis. Apostolic. collect. 146. n. 7; par. Ceccoper. Lucubrat. canonic. lib. 2. n. 195. vers. nec ius. Immo talis iurisdictio Archidiaconi ex adverso non controvertitur, quin potius supponitur, et admittitur in praetensione quod Archidiaconus conficiat tabellas praesentibus aliis Dignitatibus, ut in proc. fol. p. prout etiam in Civitate Barii extant decreta synodalia, pro Archidiacono illius Ecclesiae Metropolitanae. Quantum vero attinet ad praetensionem convocationis, patet insubsistentia tam in iure, quam in facto. In iure, quia specialiter de Archipres-

bytero, et de Primicerio habemus textus explicitos in c. p. de officio Archipresbyteri, et c. unico de officio Primicerii, ambos subesse Archidiacono et eius praeceptis, vel praeceptionibus, sicut Episcopi sui obedire. Sunt verba textuum allegatorum. Si ergo Archipresbyter et Primicerius subsunt Archidiacono, et ei obedire debent, utique nulliter praetendunt communicationem eius iurisdictionis nullibi sancitam. Pariter in facto subsistentiam non habet praetensio Archipresbyteri et Primicerii, quia nedum ab Archidiacono producta fuit attestatio iurata omnium canonicorum et portionariorum Ecclesiae, ut in Sum. quod damus N. 2. quin etiam eidem Archipresbyter, et Primicerius ad suae praetensionis probationem allegarunt testimonium Abb. Ioannis Baptistae de Nivibus, DD. Antonii Burri, et Vincentii Mariae Bandini, quos patet contestatos fuisse de unica requisitione per D. Archidiaconum Sfortiam facta erga DD. Archipresbyterum Affatatum, et Primicerium Manfredum pro simplici urbanitate, ut in Summ. n. 3; unde per actum unicum, et facultativum etiam in Decreto Episcopi explicitum nihil Archipresbyter, et Primicerius praetendere possunt, obsistente regula satis notoria de actibus facultativis, apud Post. obser. 53. § p. cum septem seqq. de manutenendo; et apud Rotam d. 115. n. 21. cum duobus seqq. p. 14. rec. Nec ipsi Archipresbyter et Primicerius habent quid probandum, quia D. Episcopus in suo Decreto adiecit praefixionem 15 dierum ambabus partibus ad probandum, ut in Summ. n. p.; et nihilominus Archipresbyter simul cum Primicerio postridie habita notitia decreti appellarunt, immo praevenerunt D. Archidiaconum Sfortiam in appellando, ut ibidem, quod utique non fecissent si quid probandum habuissent in termino praefixo.

IOANNES VINCENTIUS RUSSOPHILUS

Fuit edictum die 23 Junii 1682: *Competere Archidiacono conficere tabellas.*

Nota E.mi Casanata: — Pertinere Archidiacono conficere Tabellas, non convocatis aliis Dignitatibus. Etenim Archidiaconus est Vicarius natus Episcopi, et ad ipsum pertinet conficere Tabellas pro ministeriis in choro, ut sub §. Quantum enim attinet, Archipresbyter et Primicerii nec de iure nec de consuetudine hanc habent facultatem. Quinimmo iidem Archipresbyter et Primicerii produxerunt attestationem quod semel Archidiaconus Monopolitanus vocavit Archipresbyterum et alterum ex Primiceriis pro urbanitate, atque ita per actum voluntarium seu facultativum.

221. **Montalcinen. — Professionis.**

E.mi e R.mi Sig.ri — Ancorchè non si fusse vestita Monaca alcuna dal 1672 in qua nel Monastero di S. Cattarina di Siena di Montealcino, come si è giustificato in mano dello E.mo Spinola Ponente, e Sommario n. P. stante l'essere il Monastero predetto ridotto a pessimo stato, a segno che l'entrata del medesimo non era sufficiente a mantenere le Monache che all'hora, et al presente vi sono, come parimenti s'è giustificato in mano dell'E.mo Ponente, e Summ. n. 2.; nondimeno Monsignor Vescovo di detta Città di Montealcino, per far cosa grata al Signor Alessandro Begni e sua Casa, permise che si vestisse Maria Camilla Begni, con dote di sopranumeraria, con dichiaratione però, ancorchè non fosse messo nell'Istromento del deposito, che avanti la Professione di detta Camilla, il Sig. Alexandro Begni, zio carnale di detta, havrebbe assentito ad una congrua entrata di piastre 12, come parimente si è giustificato al Somm. n. 3.

Venuto il tempo della Professione e recusando il Sig. Begni Adversario di costituire la detta entrata, non ha permesso il detto Monsignore Vescovo che detta Camilla faccia la sua professione, il che parimente supplica l'EE. VV. a non voler permettere se prima dai Sig. Begni non è adempito all'obbligo come sopra.

Primo, perchè il Vescovo ogni volta che il Monastero è ridotto a cattivo stato Somm. n.2, crede di poter coartare la novitia, o suoi parenti, ancorchè habbia dato dote da sopranumeraria di fargli una congrua entrata, che serva per i bisogni di detta Monaca, come attesta il Fagnano essere stato risoluto da questa Sacra Congregatione, nella prima parte Decretorum in cap. amplius de Iust. n. 47.

Secondo, perchè, quando anco non fusse stato lecito al detto Monastero d'apporre simile conditione, il che assolutamente si nega, nondimeno la medesima entrata si deve costituire ex contractu inito a D. Alexandro, detto Somm. n. 3.

Al che non pare che osti, che essendosi apposto nell'Istrumento del deposito, che Casa Begni sia tenuta alle spese delle medicine in caso di malatie, se ciò si fusse convenuto, sarebbe apposto nel medesimo contratto. Perchè si risponde che non fu messo nello Istrumento per compiacere ai detti Signori, si anco perchè ancorchè non espressero in detto Istrumento, non per questo il contratto non è perfetto si anco perchè la presunzione cede alla verità come dell'obbligo, come si è giustificato al Sommario N. 3. Che però, etc.

Fuit rescriptum die 12 Junii 1682: *Adimpletis contentis in instrumento, Episcopus admittat, reservato iure agendi quoad Livellum.*

Nota E.mi Casanata: — Audiatur pars adversa.

222. **Montis Feretiani. — Licentiae vestiendi Moniales.**

E.mi e R.mi Sig.ri. — L'Abbadessa e Monache del Monasterio di S. Giov. Battista di Pietra Rubbia, Diocesi di Montefeltro, devotissime Oratrici dell'EE. VV. riverentemente gl'espongono come molte zitelle che stanno in detto Monasterio, per educande desiderano monacarsi, e tra l'altre Chiara Nicola Zocchi figlia d'Ippolito Arsilli, la quale da molti anni in qua nutrisce questa buona volontà, et anche il Monasterio ha di necessità di vestire più d'una, stante che oggidì le Monache Corali siano ridotte al numero di nove e due serventi. Perchè prima del 1626, da questa Sacra Congregatione, fu prohibito di potersi vestire altre Monache, la causa di tal prohibitione fu per la mancanza dell'entrata sufficiente per mantenimento del monasterio, causata da sterilità de terreni, alla quale però con licenza del Signor Duca d'Urbino, all'hora Principe di quel Stato, s'obbligò supplire la Communità di Pietra Rubbia, sino alla quantità che havesse

stabilita questa Sacra Congregatione, la quale nel detto anno 1626, avendo decretato che detto Monasterio dovesse havere d'annua entrata scudi 300 de paoli, la detta Communità si obbligò a questa supplire e a mantenere del proprio, computando tra questi l'entrata, che si cavava da beni di detto Monasterio e dalle doti delle monacande, come il tutto si giustifica da due Istrumenti publici, l'uno rogato sotto il 6 Febbraio e l'altro li 16 Giugno 1626, trasmessi a questa Sacra Congregazione da Monsignor Vescovo, esistenti in mano del Signor Cardinal Gaspero Carpegna Ponente, nella sua informatione, che ha data al memoriale di detta Ippolita Arsilli, che dell'anno 1672, supplicò l'EE. VV. per ottenere licenza di vestire detta Chiara Nicola sua figlia, riferisce che il detto Monasterio, ha una Chiesa ben ornata di tutte le cose necessarie al culto divino, e circondato, chiuso, e serrato tutto di muraglia d'altezza proportionata e contiene la clausura con dormitorio separato per l'educande, e tutte l'officine necessarie per l'uso delle Monache, horto e giardino con fontana, e pozzo, e hoggidì il detto Monasterio ha d'annua entrata, che cava dei beni proprii, scudi 345, di paoli X per scudo sopravanzandogli ogni anno, detratte tutte le spese, mastelli 33 di grano, e scudi 18 che ridotto il grano a denaro, a paoli X il mastello, come comunemente si vende, ascende l'avanzo annuo a scudi 48, di paoli X per scudo, con speranza certa d'augmento di esse entrate, per le diligenze già ordinate dalla vigilanza di detto Monasterio, et in oltre detta Communità anche hoggi s'esibisce pronta a mantenere, e supplisce del proprio la suddetta entrata ordinata da questa Sacra Congregatione del detto anno 1626, come il tutto si giustifica da detta informatione e stato di capitali et entrate del Monasterio trasmessi come sopra da Monsignor Vescovo, parimenti esistenti in mano dell'E.mo Ponente. Onde, l'Oratrici humilmente supplicano l'EE. VV. a farli gratia della licenza, che possino vestire altre monache, per supplire al bisogno del Monasterio, e Coro. Il che etc.

Fuit responsum die 15 Martii 1674: *Concedatur ad mentem E.mi Ponentis.*

Nota E.mi Casanata: — Quatenus ex scripturis datis E.mo Carpineo Ponenti constet adimpletum esse Decretum S. Congregationis anni 1626, concedendam crederem licentiam petitam, et augendum numerum monialium pro rata.

223. Motulen. — Absolutionis.

E.mi e Rev.mi Signori. — Il Vescovo di Motola, nell'anno passato diede ordine alli Confessori, che non ammettessero alla confessione da 130 persone della terra di Massafra, li quali, non potendo nella Pasqua adempire il precetto ricorsero alla Metropoli di Taranto, dove furono necessitati portarsi, e con licenza di quello adempirono detto precetto, e ciò non ostante il Vescovo li scomunicò sotto titolo, che non adempissero detto precetto. Quella censura fu revocata dalla detta Metropoli con approvazione di questa Sacra Congregazione.

Nell'anno corrente detto Vescovo rinnovò detto ordine, e l'EE. VV. con lor lettera l'ordinarono, che lo revocasse, ma non havendo obedito si compiacquero di commetterne la esecuzione al detto Metropolitano, e per impedirne l'esecuzione detto Vescovo rappresenta con sue lettere all'EE. VV. di averne assoluti cento, e che gl'altri 30 li tiene sospesi come violatori et usurpatori de' beni della sua mensa e come concubinarii. — Si mette in considerazione all'EE. VV. che detti supposti sono alieni dal vero come gli altri supposti che ha fatto a questa Sacra Congregatione, e particolarmente d'esser stato assaltato nel proprio palazzo dal Barone di detta terra, e poi s'è giustificato ch'esso havesse impedito con archibugiate l'esecuzione della Commissione del Metropolitano con haverne ferito alcuni ministri di quello et fatto il Commissario prigione in una fossa di pece; del quale eccesso sin hora non si è stato punito, ed inoltre con supposti, che la detta Terra sia bisognosa di clerici, e che ne fa istanza, ha estorto da questa Sacra Congregazione che ne potesse clericare non ostante la prohibitione fattane prima e ne sia già clericati 24, e dieci altri sta per clericare con gravissimo danno di quella Comunità, cavandone esso Vescovo da ognuno di detti clerici grossa contributione, e di più ha fatto bastonare un serviente di detta terra, che voleva presentarli una citazione di una causa di esso Vescovo introdotta in Taranto; onde si supplicano l'EE. VV. dell'opportuno remedio e provedimento. Che il tutto ecc.

E.mi Patres rescripserunt die 5 Iulii 1675: *Episcopus omnino absolvat Oratores cum reincidentia arbitrio, et si recuset, Metropolitanus absolvat. Interim Episcopus transmittat omnes processus.*

Nota E.mi Casanata: — Episcopo Motulae pro informatione et quoad causam pendentem in S. Congregatione, D. Cavichionus illam referat quam primum.

224. Motulen. — Restitutionis Cadaveris.

E.me Domine. — Cum ab intestato excommunicatus decesserit Franciscus Barullus Sacerdos Terrae Massafrae, per Reverd.mum Episcopum fuit decretatum quod praestita cautione de satisfaciendo, absolvatur et sepeliatur cum interventu decem Presbyterorum, ut ex iustificationibus datis per Adversarios in manibus E.mi Ponentis. — Marcus Antonius frater mortui praetendens se gravatum de satisdatione praestanda et de sepultura tradenda cum interventu decem Presbyterorum, ad Rev.mum Archiepiscopum Tarentinum recursum habuit per quem nulla praecedente appellatione, sine praevia citatione cum inhibitione vigore appellationis, absque transmissione processus, et sine ulla citatione, viso tantum libello Adversarii mandavit quod Cadaver auferatur a terra Massafrae et transferatur ad Civitatem Tarentinam, et sepeliatur in Ecclesia S. Dominici, ita fuit factum, ut ex Relatione eiusdem Rev.mi Archiepiscopi in manibus E.mi Ponentis. — Qua de causa pro parte Rev.mi Episcopi fuit instatum in hac Sacra Congregatione pro restitutione Cadaveris, et venit concedenda ex sequentibus.

Nam primo certum est quod Archiepiscopus nullam habet Iurisdictionem in Dioecesi Suffraganeorum nisi causa per appellationem fuerit devoluta, Abbas in cap. sicut venire n. 4. de excessibus Praelator.

2. Dato quod fuisset appellatum requirebatur ci-

tatio cum inhibitione vigore appellationis ut Iudex se constitueret in causa, quod neque fuit factum.— 3. Quando citatio cum inhibitione fuisset facta adhuc requirebatur transmissio processus ad firmandam Iurisdictionem, alias in causa nihil attentari poterat, cum sine processu non habeat Iurisdictionis exercitium, Rot. dec. 35 n. 32, p. X rec. — 4. Dato citra veri praeiudicium, quod omnia supradicta fuissent adimpleta per Archiepiscopum, solum procedi poterat ad articulum de satisdatione, et pompa funerali cum interventu decem Presbyterorum ad ipsum per appellationem devolutum, et non alias, Abb. in cap. proposuit n. 2. de appellat. et tamen fuit processum ad translationem Cadaveris numquam a partibus petitum neque excogitatum, et ideo nulliter fecit, ex clar. tex. in l. ut fundus ff. commun. divid.

Non obstat quod causa fuit devoluta ad R. Archiepiscopum per notorietatem gravaminis, quia non sufficit, sed requirebatur appellatio cum citatione vigore appellationis, et actorum transmissione pro Iurisdictione acquirenda, Abb. in Clement. si Iudicib. n. 4. de appellat. et tex. in cap. Romana § cum vero, et § sententias de appellat. in 6. — Ultra quod nullum fuit ablatum gravamen, cum decesserit excommunicatus tom. n. p. Episcopus mandavit sepeliri praestita cautione de satisfaciendo per haeredes, cum sit de iure cautum quod haeredes non solum ad satisdandum, imo ad satisfaciendum cogi possint, ut cap. a nobis l. 2. in fin. de sentent. excommunicationis. — Nec est gravamen quod mortuus associaretur per decem Presbyteros, eo magis, quia cum dictus Franciscus diu in excommunicatione insorduerit ad exemplum aliorum poterat per Episcopum etiam sepeliri facere extra Caemeterium, et tamen fuit dictum quod sepeliretur in Ecclesia cum tribus suffragiis, illa tantum limitatione ut ad Ecclesiam duceretur per decem Presbyteros, et Romae adhuc miseri summario mortui associantur ut in dies practicatur (*sic*) — Nec erat gravamen, quod fuerit excommunicatus pro causa Civili; nam quando executio realis, vel personalis haberi non contigerit (ut hic) potest ad censuras subsidiarias deveniri per tex. Sac. Concil. Trid. in cap. 3 sess. 25. de Reformat. — Nec obstat quod ad Parochum et non ad R.mum Epum spectat ius petendi cadaver, nam Epus est caput parochorum cuius Dioecesis fuit spoliata, et sua Iurisdictio fuit offensa. Ideo reintegrationem suorum Iurium debet Episcopus reportare. — Et denique ad omne peius, dato, quod per Episcopum fuerit sine causa, et male, imo pessimo Iure denegata sepultura, aliud per Reverendissimum Archiepiscopum fieri non poterat, nisi demandare Rev.mo Episcopo ut sepeliret, abrogata satisdatione et numero praefixo Presbiterorum, et quando non paruisset, debebat ipse Rev.mus Archiepiscopus sepeliri mandare, sed non cadaver de nocte transferre facere cum tanto contemptu Rev.mi Episcopi.

Quare etc. LOTRENUS SIMONETTUS.

E.mi Patres rescripserunt die 27 Septembris 1675: *Uterque moneatur et tam Episcopus et Archiepiscopus transmittant acta, et interim nihil innovent.*

Nota E.mi Casanata: — Archiepiscopum non potuisse transferre cadaver extra dioecesim sui Suffraganei, quia ipse est tantum Iudex appellationis, nec extra hunc gradum potest se intromittere, non obstante consensu Parochi, quia ad ipsum non spectat defendere iura Episcopi, quae per Metropolitanum fuerunt violata.

225. Mutinen. — Matrimonii.

E.mi e Rev.mi Signori. — Alberto Balugoli, e Francesca Festatii di Modena col supposto, che tra di essi fossero passate reciproche promesse di contrahere il matrimonio, supplicarono questa Sacra Congregatione che ordinasse a Monsignor Vescovo di detta Città che effettuasse il matrimonio suddetto non ostante il dissenso ragionevole del padre, per evitare le risse e li scandali, che potevano nascere con li fratelli di Carlo, e respettivamente figli d'Alberto a causa della disparità de' natali, e per altre gravissime cose, come depongono due Cavalieri testimonii, copie delle cui fedi si danno in mano di Monsignor Segretario. Rescrisse questa Sacra Congregatione pro informatione al medesimo Vescovo, quale con altro memoriale esibito dalli medesimi Carlo, e Francesca fu nuovamente rescritto: *Ad Episcopum, qui procedat ser. ser.* et il Vescovo ha fatto fare le pubbliche denuntie.

Pendente il tempo di dette denuntie, uno delli fratelli di detto Carlo ha tentato d'uccidere il medesimo, non ostante che fosse nelle carcere laicali, per conseguenza in luogo totalmente sicuro di modo, che è evidente, non potersi riparare un scandalo gravissimo, risse continue, et odio irreconciliabile, quando segua detto matrimonio, conforme concordemente depongono detti testimonii. Supplica pertanto il suddetto Alberto Balugoli Padre, già in età grave con ogni profonda humiltà, e colle lacrime all'occhi, per vedersi avanti il totale esterminio della sua casa e famiglia, l'EE. VV. a degnarsi ordinare, che si sospenda l'effettuazione di detto matrimonio, atteso che il padre, per evitare simili inconvenienti possa impedire il matrimonio del figlio non ostante qualsivoglia promessa anche giurata, come diffusamente provano il Menocchio cons. 69. n. 17 et seqq.; Pascal. de iuribus Pat. potest. p. 2. cap. 5. n. 2 et seqq.; Guttierez canon. quaest. cap. 20. n. 20 et seqq.; et il Sanchez de matrim. lib. 1. disput. 14. per totum et signanter n. 3.

E molto più, che li pretesi sponsali sono totalmente irriti, nulli, et invalidi come contratti contro la forma prescritta dalla Costitutione sinodale di Modena de sponsalibus et matrimonio, che si dà impressa in mano del medesimo Monsignor Segretario.

Che della gratia etc.

Die 29 Aprilis 1689, fuit responsum: *Utatur iure suo, et interim Ordinarius cogat partes ad praestandam hinc inde fideiussionem de non offendendo.*

Nota E.mi Casanata: — Audiatur Episcopus Mutinen.

226. Mutinen. — Officii Vicariatus.

E.me D.ne. — Renuunt Presbyteri Villae Savignani Mutinen. Dioecesis obedire Vicario Foraneo ab Episcopo constituto in Terra Vineolae, et ad Sacram Congregationem recursum habuerunt, sed cum eorum renitentia sit contra Ius, et sine ullo fundamento, ideo

videtur omnino rescribendum, ut pareant mandatis Episcopi prout supplicamus. — Etenim cum citra controversiam dicta Villa Savignani sita sit in Dioecesi Mutinen. succedit non minus trita, quam indubitata Iuris conclusio, licitum esse Episcopo in Presbyteros dictae Villae sibi subiectos exercere iurisdictionem in quocumque loco suae Dioecesis, et sic etiam in Oppido Vineolae, quod pariter est suae Dioecesis Locus, ad. text. expressum in cap. cum Episcopus 7. Offic. Ordin. in 6. et in his terminis Rota in *Tiraconen. Iurisdictionis* coram E.mo Taija d. 182, n. p. et 2. p. 4. rec.

Nec ullo modo subsistere potest vana praetensio dictorum Presbyterorum, quod Episcopus, vel eius Vicarius Generalis una cum Episcopo in civitate residens, teneatur immediate in eis Iurisdictionem exercere, non autem mediante Vicario Foraneo. Nam Iurisdictio quae Episcopo competit in subditos, potest ab eo ad libitum exerceri, vel per semetipsum, vel per Vicarium Foraneum, ut in specie Rota eadem d. 115, n. 19, p. 14.

Quinimo cum Dioecesis satis ampla sit, et Villa Savignani distet per plura milliaria a Civitate Mutinae, Presbyteri eiusdem Villae deberent potius gratias agere Episcopo quod nolit eos tradere ad Civitatem, sed minus agendo, ac pro maiori eorum commoditate Iurisdictionem delegare Vicario Foraneo in Oppido Vineolae propinquiori dictae Villae, et ab ea per duo tantum milliaria distans, ad tradita per Rotam in *Calciaten. Iurisdiction.* 10 maii 1624, coram Remboldo §. nec etiam obstat, et seq. ac in d. d. 115, n. 25 et 26 p. 14.

Nec exinde aliquod praeiudicium infertur Presbyteris Adversariis quia Episcopus non praetendit eos, eorumque Ecclesiam subjicere Ecclesiae Oppidi Vineolae, nec quod haec sit Matrix, Ecclesia vero Savignani sit filialis, nec minus, quod Archipresbyter Vineolae sit dignitas, et ratione dignitatis habet annexum ius aliquod in Presbyteros Savignani; sed solum, quod subsint suo Foraneo residenti in Oppido praedictae Vineolae, uti Officiali suo, et delegato Episcopi, prout faciunt aliae sex villae circum circa sitae eodemque modo, quo in tota dioecesi Mutinen., quae est divisa in plures Vicariatus Foraneos, Presbyteri uniuscuiusque villae, et Pagi obediunt Vicario Foraneo proximioris Oppidi, licet eorum Ecclesiae sint aequae Parochiales et nullo modo dependant ab Ecclesia eiusdem Oppidi.

Minus adversarius invocare potest allegata per eos immemorabilis Praescriptio. Quia haec non solum extenso non probatur ut opus esset cum suis requisitis, de quibus in cap. p. verb. memoria de praescriptione in 6., quinimo illa penitus excluditur ex Synodis Dioecesanis anno 1629, 1637 et 1659 in quibus expresse legitur, quod Rector Savignani sedet inter coeteros Rectores Ecclesiarum Vicariatus Foranei Vineolae. Et quod magis est in d. Synodo 1637 cum Rectores S. Caesarei Savignani, et Columbarii ambitiose praetendissent habere locum separatum, et unusquisque sedere de per se, Episcopus tunc temporis decrevit Rectores S. Caesarei Savignani, et Columbarii debere incedere, sedere, et vocari in synodis sub antiquis eorum Vicariatibus; ex quo aperte dignoscitur, quam erronea sit praetentio immemorabilis, ea enim non solum excludit ex praedictis actibus, verum etiam immemorabilem, attentis illis verbis. Sub antiquis eorum vicariatibus.

In nichilo refragrantibus aliis subsequentibus verbis — sine praeiudicio eorum in reliquis.

Ea enim intelliguntur quoad titulum, et Iura Ecclesiarum suarum non dependentium ab alio tamquam Matricibus, sed nullatenus intelligi possunt, ut extenso praetenditur de independentia, et non subiectione Vicarii Foranei. Quia si hoc modo intelligerentur, Decretum contineret manifestam, et incontinenti contradictionem, dum immediate ante Episcopus dixit: — Sub eorum antiquis Vicariatibus, ponderando praesertim dictionem illam — eorum.

Imo quatenus etiam per impossibile ex dictis verbis elici possit Episcopi confessio; attamen tamquam voluntaria nullo Iure cogente, et sub pactis, supposito, emanata, nullatenus eidem Episcopo, et multo minus successoribus praeiudicare posset, ut in his terminis Rota d. d. 115, n. 12 et 13 p. 4, rec.

Ulterius etiam si extenso probaretur Presbyteros Savignani ab immemorabili numquam obedisse Vicario Foraneo, sed ipsimet soli Episcopo immediate, quod negatur, adhuc non ex inde prohibitum esset Episcopo, quinimo iurisdictionem suam in eos alteri delegare posset, et in eos illam exercere mediante Vicario Foraneo in quocumque loco suae dioecesis, nam cum hoc pendeat ab arbitrio, et facultate Episcopi, et sic versemur in actibus facultativis, exinde sequitur quod nulla cadere possit praescriptio, quae liberam Episcopi facultatem restringit in puncto, d. d. 115, n. 21, p. 14.

Quod adeo verum est, ut nec etiam exinde possit resultare possessio manutenibilis, non obstante temporis lapsu, etiam immemorabili, praesertim a subdito contra Dominum, ut pariter in puncto subdit eadem decisio 115, n. 22, p. 14 rec. Nec applicatur decisio 440, n. 12, coram Coccin. extenso allegata, ibi enim agitur de Archipresbytero Aquaevivae, qui praetendebat in sua Terra exercere Iurisdictionem Ordinariam ad exclusionem Archiepiscopi Baren., et per modum obiecti. d. n. 12, dicitur quod ad hoc, ut Praelatus inferior dici possit praescripsisse Ius exercendae Iurisdictionis adversus Episcopum, requiritur, vel immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo, quae est Conclusio satis vulgata, de qua originaliter scribentes in cap. personae privilegiat. in 6., et habetur passim in decisionibus causarum inter Episcopos, et Praelatos inferiores; sed iste non est casus noster, quia lis non vertitur cum Praelato inferiori, qui ex actibus, et exercitio iurisdictionis per tempus immemorabile, vel per 40 annos cum titulo praetendat acquisivisse iurisdictionem privative quoad Episcopum, sed lis vertitur cum subditis, qui praetendunt Episcopum non posse in eos iurisdictionem exercere mediante delegato, qui est casus toto coelo diversus, ut de se patet.

Bene applicari posset alia conclusio in his terminis praescriptionis juris negativi, in facultatibus allegari solita quod scilicet ea introduci possit, quatenus contradictio, seu oppositio concurrat cum positiva acquiescentia habentis facultatem, de qua in praedicta decis. 115 n. 24 p. 14. Sed in casu nostro nullus, nec per umbram, praeter istum, qui causam dedit huic contro-

versiae, datur actus, in quo mandante Episcopo Presbyteris Savignani, ut obediant Vicario Foraneo, ipsi contradixerint, et recusaverint, ac Episcopus acquieverit. Quinimo etiam si talis actus cum acquiescentia Episcopi daretur, attamen nullatenus suffragari posset Adversariis contra Episcopum modernum, cuius potestati, et iuribus, negligentia Antecessorum suorum praeiudicare non posset, ut respondet eadem decisio 115 sub. n. 24 vers. Nam opponens in fine p. 14 rec.

Caeterum, quod sub involucro verborum in extenso scribens innuere videtur Rectorem S. Savignani Populum et Presbyteros eiusdem villae gubernasse, nullatenus subsistit in facto, nec Testes extenso dati n. 2. licet informiter examinati, ausi sunt positive hoc deponere, sed solum de auditu ibi « ho inteso dire, che tutte queste parti sono state esercitate dall'Arciprete di Savignano, non però con titolo di Vicario Foraneo, ma semplicemente di indipendente ». Quorum depositio non solum nihil relevat, quia testis de auditu nihil probat ex vulgatis, verum etiam de se patet, quam sit inverisimilis, quia si hoc esset verum exhiberi potuissent iustificationes actuum, qui ut dicitur ab eo fuerunt exerciti.

Prout nec impedimentum Scultemnae amnis est relevans, quia non est flumen, sed torrens, ac in principio sui cursus ibi fluit, adeo ut exceptis nonnullis diebus in hyeme, de coetero fere sicco pede transitur, et in illis diebus, in quibus non posset transiri, quod rarissime accidit, Episcopus iam fecit expressam declarationem, ut in Sum. extenso n. p. per quam consultum est indemnitati Adversariorum. Longe vero maioris relevantiae est difficultas, ac distantia itineris usque ad Civitatem Mutinae prout etiam longe maiores sunt expensae, quae morando in dicta civitate fierent a Presbyteris Savignani, quam in dicto oppido Vineolae.

Denique animadvertendum est, quod Episcopus non potest esse praesens uno eodemque tempore in unoquoque loco Dioecesis, et sic invigilare Curae Animarum, et Cleri sibi crediti; et quod absentia Domini solvit timorem, et occasionem praebet subditis licentiose vivendi, ideoque non solum iuremerito, sed etiam prudenter facit Episcopus si Vicarios suos Foraneos statuit in certis locis suae Dioecesis, qui ex proximo vigilent conservationi disciplinae Cleri, ac morum honestati. Ulterius adest consuetudo in Dioecesi Mutinen., habendi quolibet mense Congregationem casuum Conscientiae in ipsa Civitate, et in quolibet Oppido, in quibus resident Vicarii Foranei. Huic laudabili exercitio utique longe commodius est Presbyteris Savignani intervenire in oppido Vineolae proximo, quam in Civitate Mutinae longe distanti.

Et sane huius renitentiae nulla alia verisimilis excogitari Adversariorum posse videtur causa, nisi quia ad sui libitum otiosi, ac timore Superioris soluti, vivere vellent; prout accidere in casu nostro testatur idem Episcopus in sua informatione, cui magis credendum est, cum hoc ad eius officium spectet, quam attestationi Praetoris saecularis extenso dato in Sum. n. 3, et comprobatur ex actu negotiationis exercitae ab uno ex Presbyteris Adversariis, ut in eadem informatione meminit Episcopus. Nec eundem Presbyterum fuisse declaratum innocentem subsistit in facto, sed veritas est, quod Episcopus mitius agendo eum absolvit a poenis pecuniariis, et commisit Vicario Foraneo Vineolae, ut eum absolveret a censuris, Sum. extenso n. 8 in fine, et non innocentia probatur, sed potius delictum praesupponitur, licet benigne remittatur poena, et absolutio concedatur.

Caetera, quae extenso congeruntur, vel ex praedictis, fuerunt sublata, vel non merentur responsionem, cum non faciant ad Casum.

Quare etc.

IOHANNES IOSEPH MILONUS.

Fuit responsum, die 10 Aprilis 1682: *Licuisse Episcopo deputare Vicarium Foraneum in oppido Vignolae.*

Nota E.mi Casanata: — Sustineri deputationem Vicarii Foranei. Quia talis deputatio est actus facultativus, nec pro parte Cleri Savignani probatur Archipresbyteros eiusdem loci fuisse Vicarios Foraneos, sed tantum ex decreto Synodali de anno 1637 enunciatum Clerum Savignani et S. Caesarei fuisse independentem a Vicariatibus, quod non impedit, quin Episcopus ad sui libitum potuerit delegare Vicarium in terra Vignolae, prout fecit.

227. **Nazarena. — Dispensationis pro Vicario non Doctore.**

E.mi e Rev.mi Signori. L'Arcivescovo di Nazaret Oratore devotissimo dell' EE. VV. riverentemente li rappresenta haver deputato per suo Vicario un tal Don Domenico Affartati Abbate di San Samuele uno dei Principali di Barletta, il quale per non essere Dottore ha bisogno di far sottoscrivere li Decreti, che fa col voto del consultore, e perchè altre volte questa Sacra Congregazione in una *Trahunens.* sotto li 15 Giugno 1590, et in una *Oritana* 29 Marzo 1593 riportate dal Pellegrino super praxi Vicariorum p.^{ma} p.^{e} n. 8 in fine de monit. general. Episcop. ha risoluto che un Vescovo quando è Iurista, conforme è l' oratore, che ha esercitata l'avvocatione in Roma, e servito per Auditore la fel. mem. del sig. Cardinale Caraccioli in Napoli per lo spatio di dodici anni, possa ritenere il Vicario non Dottore; supplica humilmente l'EE. VV. a degnarsi ordinare possa detto suo Vicario, per altro idoneo, esercitare l'officio, e sottoscrivere li suoi decreti senza il Voto del Consultore, che il tutto fa, quod Deus etc.

Nota E.mi Casanata: — Annuendum, quatenus Archiepiscopus procedat ipse cum vicario.

228. **Neapolitana. — Admissionis.**

E.mi e Rev.mi Signori. — L'Abbadessa e Monache di Regina Celi di Napoli humilissime oratrici dell'EE. VV. humilmente le rappresentano come è stato sempre solito nel loro Monastero il ricevere Signore Nobili Vedove o Maritate, il che è riuscito in grandissimo utile del medesimo, poichè ciascheduna di essa paga, oltre i soliti alimenti, per la sola apertura di Porta scudi trecento ed altrettanti per le stanze, somme di grandissimo sollievo al detto loro Monastero, et in conformità di quest'uso furono ultimamente ricevute la Signora D. Caterina di Quevara Duchessa di Casola e la Signora D. Francesca Orsino e Toledo Principessa di Tiriolo, quali poi se n'uscirono per un poco d' indisposizione. E perchè E.mi Signori sono ricorse alcune poche Monache a cotesta Sacra Congregazione pretendendo, senza fondamento veruno, si dovesse dar ordine che per l'av-

venire non fossero più ammesse secolari, il che è contro lo stile consueto di questo ed altri Monasteri, supplicano pertanto l'Oratrici humilmente l'EE. VV. degnarsi ordinare che s'osservi sopra ciò il solito e che venendo caso d'ammettere qualche secolare si debba ricevere nel detto Monastero conforme si è praticato per il passato.

Che il tutto ecc.

Fuit rescriptum die 21 Aprilis 1679: *Providebitur in casibus particularibus.*

229. **Neapolitana. — Associationis Cadaverum.**

E.me et Rev.me Domine — Causa haec fuit proposita die 12 Iunii proximi praeteriti per Em.mum Dominum Cardinalem Franzonum in locum Em.mi D. Cardinalis Basadonnae tunc absentis et non resoluta. Cum autem in praesenti Congregatione reproponatur, supplicantur pro benigna reassumptione Positionis tunc data pro parte PP. Theatinorum Ven. Domus Divi Pauli Maioris et pro favorabili resolutione prout exaudiendi sumus, quia ut in dicta positione ostendi, PP. Theatini non contravenerunt Decreto Sacrae Congregationis Rituum de admittendo Capitulum et Canonicos Ecclesiae Cathedralis cum propria eorum Cruce in ipsorum PP. Ecclesia quando dictum Capitulum associat cadavera ibi seppelienda. Imo sese paratos obtulerunt eidem Decreto quod super caput retinere declararunt parere quoties Cadavera recipere voluerint. Nolle tamen recipere Cadaver propositum, sed illud renunciare ut seppeliretur in quacumque alia Ecclesia, Sum.° d. posisitionis n.° P.° Est enim in mero arbitrio Regularium seppeliendi cadavera in eorum ecclesiis, quando sepeliendi, ut hic, non habent sepulturas proprias, et Regularibus insciis nemo seppeliri valet, ex Const.° Clem. IV. La 4. §. 23. in ordine Bullar. novi com. p.° fol. 131. quam referunt Rodrig. et Pellican. de Regular. in veteri positione allegati.

Non officit quod resolutio in *Crotonen.* de qua per Barbos. in Collect. decis. Apost. collect. 76. loquitur in diversis terminis videlicet quando ex causa Iuris sepulturae ob interesse pecuniarum insepultum relinquitur Cadaver, quod non convenit Christianae Reipublicae atque ideo non applicatur casui nostro in quo agitur de cogendis Regularibus ad recipiendum Cadaver in eorum Ecclesiis contra formam et tenorem dictae Bullae.

Nec subsistit quod PP. Theatini recusaverint recipere duo Cadavera in odium Capituli et Canonicorum necnon in fraudem et contemptum praedicti decreti Sacrae Congregationis Rituum, ex depositionibus assert. Testium, quia quum utitur iure non consideratur fraus vel dolus L. nullus 56 ibi — Nullus videtur dolo facere qui suo iure utitur ff. de reg. iur. l. final. c. de integ. restit. ibi: non videtur circumscriptus esse minor ab eo qui iure sit usus, et aliis relatis, dixit Rot. coram Arguell. decis. 6 n. 64.

Ultra quod contrarium convincitur ex protestatione Iudiciali PP. Theatinorum, ut d. n.° 1. Testes vero non sunt idonei ob exceptiones quas patiuntur tam in Personis, quam in dictis ut in veteri positione plenissime probatur.

Quare etc. RAPHAEL MARCHISIUS.

Fuit rescriptum die 12 Februarii 1677: *In propositis casibus teneri et quoad executionem, arbitrio Em.mi Archiepiscopi cum facultatibus Sacrae Congregationis.*

Nota E.mi Casanata: — Regulares teneri admittere Capitulum cum cruce intra eorum ecclesias occasione associationis Cadaverum, dummodo Capitulum ex dispositione defuncti, aut electione haeredum fuerit invocatum ad associationem praestandam, et Ordinarii contra repugnantes possunt procedere etiam per Censuras. Secus vero quando Capitulum ad aemulationem vellet associare Cadaver contra privilegia Regularium.

230. **Neapolitana. — Praetensae confirmationis confessarii pro 3° triennio.**

E.mi e Rev.mi Signori. — Supplicarono nella penultima Congregatione la Priora e Monache di S. Giuseppe delle Ruffe di Napoli l'EE. VV. per la conferma di D. Pietro Verardi nell'officio di loro confessor ordinario per un altro triennio come giusto motivo, che il medesimo haveva esercitato per lo spazio di sei anni detto officio con ogni zelo, candidezza, esemplarità, et assistenza, in modo che haveva ridotto colle sue buone direzioni tutto il Monastero a maggior osservanza di quella vi era per il passato, e si compiacquero l'EE. VV. rescrivere al Sig. Cardinale Arcivescovo pro informatione et Voto, al quale essendo stata presentata la lettera, inerendo alle domande delle Oratrici immediatamente ordinò, che ciò si proponesse nel di loro Capitolo a voti segreti, sì come fu fatto, e di numero venti otto Vocali, che sono nel Monastero, Ventiquattro ne furono favorevoli per la conferma, come dalla fede di detto Capitolo, che si dà in mano di Monsignor Segretario. — Essendo hora venuta la informatione, e sentendosi che il Cardinale Arcivescovo, benchè non disapprovi la persona di detto Verardi, anzi la ratifichi all'EE. VV. per tale, quale dall'Oratrici è stato supposto, nulladimeno a suggestioni di quattro Monache discole, che mancarono di dare il voto favorevole in detto Capitolo, sia di parere non debba confermarsi detto Verardi per l'altro triennio, come si supplica, servendosi del supposto, che il medesimo habbi un officio Regio nel Castello nuovo di Napoli, e che perciò si renda difficile al Sig. Cardinale Arcivescovo, in caso che detto Verardi delinquesse in detto officio di confessore di punirlo. Tornano di nuovo l'oratrici a supplicare humilmente l'EE. VV. per la gratia e sperano dalla benignità dell'EE. VV., non ostante la suddetta unica eccetione, ottenerla, all'horchè le medesime si compiaceranno riflettere.

Che l'eccetione d'essere detto Verardi Ministro Regio, non solo viene proposto da quattro Monache che desiderano vivere a loro capriccio, e non sotto il giogo delle reprensioni di detto Verardi, che sin hora li ha inculcato l'osservanza del loro stato Religioso, ma anche, che se detto Verardi ha esercitato detto officio di confessore per lo spatio di sei anni con dovuta esemplarità e studio circa il buon regolamento dell'anime dell'oratrici nè ha mai dato cattivo saggio di sè stesso e delle sue operazioni così puol infallantemente credersi seguiterà per l'avvenire.

Secondo, che quando seguisse la remotione di detto Verardi, dove che le suddette quattro monache con tutta la strettezza del medesimo, sono al presente di-

scole ed inquiete, diverrebbero molto più superbe, e asose (?), fondate sulla gloria di haver esse, in tanto poco numero, tolte le sodisfationi di tutto un Monastero, e circoscritto un Capitolo fatto così legitimamente.

Terzo finalmente, e che deve maggiormente far condescendere l'EE. VV. alla gratia, che sotto la disciplina di detto Verardi nel passato settennio sono stati riuniti tutti gli animi delle Monache a corrispondenza reciproca Religiosa, benchè affatto per avanti disuniti e cellati l'inconvenienti partoriti da detta disunione, di modo che se si licentia detto Verardi, si tornerà di nuovo ad accender quel fuoco tanto pernicioso ne' Claustri, che hora nel Monastero suddetto si ritrova estinto. Che ecc.

Fuit rescriptum: *Lectum.*

Nota E.mi Casanata: — Audiatur relatio E.mi Archiepiscopi super moribus et habilitate confessarii, cuius petitur confirmatio attenta electione capitulari.

231. Neapolitana. — Declarationis.

E.mi e Rev.mi Signori. Fu altre volte, e sino sotto li 6 di luglio dell'anno prossimo passato ricorso alla sacra Congregatione del Concilio per parte del Padre Francesco di Girolamo della Compagnia di Gesù, acciò si dichiarasse insussistente la sospensione fattali dal Vicario Capitolare di Napoli dall'udir le confessioni, e si dichiarasse tale anche nell'editto affisso con censure, sospensioni, et interdetto a causa di un certo battesimo d'alcuni Maumettani seguito nella Chiesa Parochiale di Castel Nuovo, et havuta l'informatione dal medesimo Vicario Capitolare, fu descritta la causa nel foglio della Congregazione tenuta il primo settembre prossimo passato, citato il Procuratore di detto Vicario.

Ma perchè intempestivamente fu dedotto a notitia al Procuratore del detto Padre di Girolamo una certa pendenza di lite in questa Sacra Congregazione a causa di una lettera scritta da Monsignor Nuntio, ricorse il detto Padre di Girolamo all'EE. VV. sotto li 31 agosto prossimo passato e rappresentò la nullità della sua sospensione, e dell'Editto, come delle scritture, che sono supplicate a riassumere, e che almeno pro interim fosse reintegrato alla Confessione, e ne nacque benigno rescritto: « Patrem Franciscum de Hieronymo reintegrandum ad facultatem audiendi confessiones Saecularium. » Ricorse poi nel mese di novembre prossimo passato, il detto Padre di Girolamo e con protestarsi, che esso non intendeva difendere le ragioni del Paroco di Castel Novo, fece istanza per le ragioni addotte nelle prime scritture, e per altre portate di nuovo, che si dichiarasse nullo, et insussistente l'Editto in quanto al caso del Battesimo già seguito, e piacque all'EE. VV. di rescrivere « satis provisum quoad Patrem de Hieronymo » benchè le scritture date parlassero per tutti, eccettuato il Paroco di Castel Novo, e fu stimato, che essendo nullo per uno fosse anche nullo per gli altri ex paritate iurium et rationis.

Si è acquietato detto Padre al Rescritto, perchè ha per certo, che questa risolutione porti, che esso non ha difettato, ne è incorso in alcuna censura, o sospensione, ma perchè l'Editto ancora si trovava affisso alle porte della Cathedrale, et in altri luoghi, come dalla giustificatione, che si dà in mano dello E.mo Ponente, et in essa sono nominati tutti li regolari, Compagnie, Congregationi, et altri, che accompagnarono detti Maumettani, e tutti, e le loro chiese e Congregationi, dichiarati incorsi in Censure, sospensioni, et Interdetto, e molti vanno dicendo e mormorando, che il rescritto delle EE. VV. sia ristretto al solo Padre di Girolamo onde sono supplicate per parte di tre, o quattro Padri della Compagnia e delle Congregationi ed altri che accompagnarono detti Maumettani e delle loro Chiese, et Oratori, a dichiarare, che essi non sono incorsi in alcuna Censura, sospensione, et Interdetto, acciò possino star sicuri delle pretensioni e mormorationi, e possino mostrare a suo tempo la dichiaratione havuta, la quale si domanda solamente per quelli, che hanno accompagnato i Maumettani, et rescrivendosi limitatamente e specificatamente a favore di quelli, che hanno associato, resterà l'Editto contro il Paroco di Castel Novo quale dovrà comparire per farlo dichiarare ancora per sè; protestandosi gli Oratori, che non intendono far le parti del medesimo, ne dedurre le sue ragioni e la gratia che sperano per li stessi motivi dedotti dal Padre di Girolamo nelle sue scritture.

Che il tutto etc.

Fuit rescriptum die 7 Martii 1686: *Non indigere.*

Nota E.mi Casanata: — Audiatur Vicarius Capitularis.



ANALECTA VARIA

I.

De Cardinalibus Protectoribus locorum piorum etc. regnorum etc. (1).

Distinctis paragraphis loquemur de Protectoribus locorum piorum etc. et de Protectoribus regnorum etc.; dum enim illa ad ecclesiasticam societatem pertinent atque super iisdem Ecclesia directam exercet potestatem, haec vero institutiones sunt societatis civilis super quas Ecclesia indirectam auctoritatem exercet: quare diversa est ratio protectionis.

§ 1. *De Protectoribus locorum piorum, etc.*

Multiplices institutiones quae in Ecclesia florent veniunt in iure Decretalium sub generico vocabulo *domus, loci* ad tenorem *tit. 36 de Religiosis domibus ut Episcopo sint subiectae, lib. III Decretalium.*

Commentatores huius tituli distinguunt locum in *sacrum, religiosum et pium: Sacer*, qui consecratus est; *religiosus*, qui licet non sit consecratus, auctoritate tamen ecclesiastica erectus est; *pius*, qui neque consecratus neque erectus auctoritate ecclesiastica, tamen inservit ad exercenda opera pietatis et caritatis. Ad *primam* classem pertinent Ecclesiae consecratae; ad *alteram* Monasteria, Capitula, Seminaria, Confraternitates; ad *tertiam* tandem Piae Uniones, Oratoria privata, Xenodochia cum sola approbatione auctoritatis ecclesiasticae instituta.

Iamvero inquirendum nunc est, quodnam sit munus Cardinalis, si alicui ex his locis uti Protector deputetur, vocabulum enim Protector est omnino genericum. **Platus** de horum Protectorum munere ita scribit: « Haec summa est huius officii quod in protegendis religiosis Ordinibus versatur, quod idem etiam valet in protegendis locis piis aut aliis hominum coetibus vel sodalitiis ad pia opera institutis. Etenim qui omnem huiusmodi protectionem susceperunt, ita sibi persuadere debent, se tutelam quamdam orphanorum ac pupillorum gerere, ac proinde nefas esse ut eam gerant ad proprium commodum, sed eorum tantum utilitates sibi proponant, quorum protectores se appellant, hoc enim nomen ipsum monet. Sibi vero nullam aliam mercedem expectent praeter eam, quae a Deo post mortem, interdum etiam in hac vita recte factis redditur ».

« Quare hoc suum munus esse intelligant, quorum patrocinium susceperunt, eorum saluti et commodis invigilare, tueri ab externis inimicis, prohibere ne iis fiat iniuria, si negotium contingat apud Pontificem, id libenter complecti et strenue ac fideliter exequi, si quid petatur etiam ab aliis principibus quod iis damnosum sit nulla ratione cedere, licet aliqua subeunda sit offensio: non autem illorum iactura suis utilitatibus consulere ».

« Deinde si quid intus perturbationis nascatur, ei occurrere; si qui insolentius se gerant, ad eos comprimendos auctoritatem suam superioribus accommodare; denique nihil omittere quod eorum rationibus conferre posse videatur, quos semel in suam fidem et clientelam receperunt » (l. c.).

Quamvis haec optime dicta sint, aliquid tamen specialius dicendum est de Protectoribus locorum piorum, quod non valet de Protectoribus Institutorum religiosorum.

Et in primis, in Protectores locorum piorum dantur etiam Inferiores Cardinalibus. Sic Pius IX s. m. per Breve diei 24 ianuarii 1854 nominavit Nuntium Apostolicum apud aulam Lusitanam pro tempore existentem, Protectorem Collegii pro Anglicanis missionibus in civitate Ulissyponensi.

Sed praeterea advertendum est, magnam esse differentiam inter Instituta religiosa et Loca pia, dum enim illa reguntur ad formam reipublicae, in quibus omnes sodales interesse habent, ut communitas recte administretur, superiores per electionem nominantur; haec vero generatim constant superioribus et subditis qui nullam partem habent in administratione et in superiorum electione, quique imo facile expulsionis periculo sese exponunt si quid in administratione carpere audeant.

Quare saepe saepius non solum opportunum sed necessarium etiam est, ut adsit qui invigilet super universam administrationem et veluti vices gerat legislatoris supremi. Hinc est quod: « quam plurima loca pia, ut scribit Card. **De Luca** (*Relat. Rom. Curiae dis. 42*) ex Apostolicis indultis reguntur sub protectione Cardinalium... cum plena iurisdictione in iis, quae ad ipsa loca eorumque personas et bona pertinent ».

Card. **De Luca** in eodem discursu agit etiam de notabilioribus locis piis, « quia, ut ipse ait, omnia difficile est singulatim ac distinctim recensere tum ob deficientem notitiam, tum etiam quia nimiam evagationem ab aliquo taedio non immunem id pareret ». Quae quidem rationes nobis suadent, neque de notabilioribus loqui.

Ceterum ad scopum nostrum, sufficiat tantum adnotasse non unam eamdemque esse potestatem his Protectoribus concedi solitam; sed diversam esse, ita ut commode Protectores ad triplicem reduci possunt classem.

(1) Videsis in Vol. X. p. 413, ubi agitur de Cardinali Protectore in Institutis Religiosis. *N. D.*

Classis *prima* est eorum quibus non solum domestica seu oeconomica, sed etiam iurisdictionalis conceditur potestas, *altera* est eorum quibus nonnisi domestica tribuitur, et tandem *tertia*, quibus nec domestica neque iurisdictionalis potestas datur, et solum munus defendendi seu protegendi committitur.

Ad iudicandum in specie, ad quam classem Protectio aliqua spectet, suprema regula est ipse tenor litterarum Pontificiarum. Frequentius concedi solet solum potestas domestica ad normam statutorum loci pii exercenda; at non desunt exempla in quibus concessa fuit etiam iurisdictio. In dubio standum est favore iurisdictionis Ordinarii loci, haec enim possidet. Praeterea privilegium exemptionis est privilegium odiosum utpote restrictivum iuris tertii; quare stricte est interpretandum. Distinctione autem facta inter designationem seu deputationem confessarii ab eiusdem approbatione, difficillime intelligi potest derogatum fuisse, quoad *approbationem* pro confessionibus saecularium et monialium, decretis *S. C. C. sess. 23, c. 15 de Ref.*; et *Const. Gregorii XV Inscrutabili, 5 Feb. 1622*. (**Honorante** *Praxis Sac. Trib. Card. Vic. Ed. II, cap. 21*).

58. Tandem, prae oculis habendum est, quod Scriptores Iuris Canonici dicunt de limitationibus iurisdictionis Cardinalium titularium, innixi Constitutione Innocentii XII *Romanus Pontifex*, 15 Calendas Octobris 1692; haec enim lata etiam fuit pro Cardinalibus Protectoribus iurisdictione pollentibus.

Itaque, docent DD., antiquitus etiam Cardinales presbyteri et diaconi in suis titulis super clerum et populum iurisdictionem quasi episcopalem habuisse (*Cap. II, His quae, de Major. et Obed.;* Const. Sixti V. *Religiosa, Id. Aprilis 1589*), sed per citatam Const. Innocentii XII, integra remanente antiqua disciplina quoad insignia et iura pontificalia, ademptam fuisse iurisdictionem quasi episcopalem.

Cum autem in eadem Constitutione legatur sequens declaratio: « in postremo declaramus per praesentes nostras literas nullatenus ademptam esse Cardinalibus Archipresbyteris, Titularibus, seu Protectoribus eorumque Vicariis alisque deputatis facultatem, seu iurisdictionem in iis quae servitium Ecclesiae seu loci pii, circa tamen disciplinam ecclesiasticam et morum correctionem dumtaxat, concernunt » observat **Pitonius** *de Controv. Patron. Venetiis 1733; alleg. 41 n. 31:* « per quae verba Constitutionis Innocentianae non solum excluditur iurisdictio in populum et parochianos, sed etiam tribuitur solum iurisdictio domestica in respicientibus servitium Ecclesiae circa disciplinam et correctionem morum quae competit omnibus Capitulis Ecclesiarum seu eorum Vicariis, Praepositis, Prioribus seu Archipresbyteris in forma extraiudiciali pro recto Ecclesiae gubernio, nempe faciendo ordinationes et statuta in concernentibus disciplinam ecclesiasticam et contravenientes absque strepitu et figura iudicii mulctando per subtractionem distributionum et fructuum, vocis in Capitulo, aliasque multas domesticas et extraiudiciales.... Neque extenditur haec facultas ad excessus graves, et ad tribunal contentiosum, ubi delicta castigantur ad vindictam publicam. » Cfr. **Santi** *Prael. Iuris Can. lib. 1, tit. 31, n. 36*; **Gasparri** *de Matrim. vol. 2, num. 937*.

§ 2. *De Protectoribus regnorum etc.*

« Molto prima della celebrazione del Concilio Costanziense, scribit **Moroni**, i Cardinali si prendevano per protettori presso la S. Sede degli interi regni e monarchie. Venerato il Sommo Pontefice qual sovrano spirituale e qual padre di tutti i principi, che più volte lo invocarono arbitro dei loro più grandi interessi, stimato capo supremo di tutta la Chiesa cattolica, non è meraviglia se i regni e i monarchi cattolici per gli innumerabili affari che riguardavano la religione, si procuravano presso il Supremo Gerarca qualche autorevole persona nella curia romana tanto pel disbrigo dei medesimi che pel patrocinio nel trattarli, donde ebbero origine le protettorie dei regni presso la Sede Apostolica ». (*Dizionario, v. Protettore*).

Quisque tamen videt, quam facile huiusmodi protectiones abusibus locum dare possint; quare mirum esse non debet, si aliquando nimis severe ab Auctoribus atque ab ipsis RR. Pontificibus iudicatae fuerint. **Thomassini** (*Nova et Vetus Ecclesiae disciplina, p. I, lib. II, cap. 114*) ita de his protectionibus loquitur: « Illud prae ceteris omnibus observari necesse est, cum sint Cardinales consiliarii, coadiutores, et quasi membra eius, qui caput est Ecclesiae universae: atque adeo cum debeant pro universae Ecclesiae salute et gloria excubias agere, et indefessam exhibere sollicitudinem: hinc visum est non immerito, nullo praecipuo nexu vel auctoramento debere eos ullis terrenis principibus adhaerescere et mancipari. Simul ac ad Apostolicae Sedis fastigium provectus est Urbanus VI anno 1378 expressissime prohibuit ne ullis pensionibus Cardinales vel Regi vel Reipublicae ulli constringerentur, quod illud hinc semper nascatur, ut utilitas publica privatis posthabeatur rationibus: « Quod suae intentionis non erat, quod aliqui ex dominis Cardinalibus de cetero haberent pensiones, seu provisiones, vel alia lucra illicita a Principibus, Communitatibus, vel alia quacumque persona quia, propter illa lucra, negotia Ecclesiae male procedebant et procederent ». Martinus V vetuit, ne Cardinales adgrederentur, vel pergerent exercere protectionem Regnorum, ut affectibus vacui et liberiores Pontificiis se consiliis et causis dedant: « Protectiones Regum, Principum, Comitum, aliarumque personarum saecularium non assumant, assumptasque non exerceant, ut liberius

ipsi sanctissime in consiliis ac aliis actibus valeant assistere ». Ob protectionem autem Ordinum religiosorum vetuit quidquam doni vel emolumenti proprii accedere, quamvis sponte offerrentur : « Pro Ordinum Religiosorum aut personarum particularium protectione nihil pecuniae percipiant etiam a sponte offerentibus ».

« Concilio autem Basileensi anno 1436 prohibiti sunt Cardinales in studia partium scindi, aut Principibus aliis adversus alios se devovere ; permissi sunt vero gratuitas gerere Principum protectiones, sed et omnium prorsus hominum, maxime calamitosorum, una stimulante ad haec omnia caritate : « Et cum ei, qui communis est omnium Pater, Cardinales assistant, personarum acceptatores fieri, vel advocatos valde indecens est. Propterea interdixit haec sancta Synodus, ut tamquam Iudices Collaterales partialitatem nullam accipiant, etiamsi de terra partiali partialem originem ducant. Nec sint Principum, aut Communitatum, seu aliorum contra quemquam, cum pretio, vel sine, partiales Protectores, aut Defensores; sed exuti omnem passionem, in sedandis concordia vel iustitia litibus Papae assistant; Principum autem et quorumcumque, gratis et sine ullo quaestu iusta negotia tamquam caritatis opus, persuadet sancta Synodus et commendat, » (*sess. 23*). Protectiones Principum suscipi vetuerat Martinus V, ut quas expertus erat a privatis affectibus studiisque partium divelli non facile posse. At Basileensis Synodus mitescere visa est, et protectiones indulgere inveteratae consuetudini, cui obsisti iam non posset; sed eas praescribere regulas, quae si observentur, non erit, quod quisquam huic indulgentiae obloquatur. Improbitati temporum indulgere visa est ulterius aliquid Lateranensis Synodus sub Leone X anno 1514 (*sess. 9*), patrocinia enim haec probavit; nec prorsus gratuita ut essent, expressit. Huius Decreti et Basileensis supra relati eadem sententia est, cum hoc dumtaxat additamento; ideo illud hic adscribere supersedebo.

« Saepissime destomachatus est Iacobus Cardinalis Papiensis (*Ep. 40, 41 etc.*) in has protectiones molles et assentatorias, partibus et Principum voluntatibus plerumque servientes; magno non tantum famae, sed et conscientiae dispendio. Et tamen accommodate ille ad sui temporis mores locutus est, non pro antiquae disciplinae inclementia. Nec enim omnino manibus Cardinalium excutit omnes Principum largitates. Ex epistolis quibusdam Ossati Cardinalis (*Ep. 70 164*) perspicue declaratur, quam vehementer cuperet Clemens VIII non solum ut nepotes sui, sed ut omnes prorsus abstinerent a quibuscumque Principum pensionibus: quam hoc impulsu Pontificis abhorrerent Cardinales ab iis accipiendis ; denique quam sedulo caveret Pontifex, ne quem Collegio Cardinalium adiungeret, nisi qui absolutus esset et liber ab obsequiis Principum, nec antiquius quidquam haberet, quam libertatem Ecclesiae: quamquam non arceret Clemens a sacra purpura eos, qui avito more a Principibus nominarentur ».

His tamen non obstantibus, idem **Thomassini** concludit: « Haec omnia bene si iuste, recte et in bonum exerceantur et fiant, praecipue ad religionis et Ecclesiae patrocinium a Regibus forsan et Monarchis hoc medio expetendum, ut modo evenit ».

Et revera anteactis praesertim temporibus praecipuae nationes catholicae in usu habebant nominandi Cardinales Protectores penes Sanctam Sedem. **Theiner** (*Annales Ecclesiastici*, tomo I pag. 346) refert epistolam Caroli IX Gallorum regis, qua hic certiorem facit Summum Pontificem Gregorium XIII de electione a se facta Cardinalis d'Este in Protectorem regni ; et in opere *Il Campo Santo dei Tedeschi, Roma 1896, pagina 120*, cl. **Antonius de Waal** benemeritus Rector plura habet de Protectoribus imperii, qui pari tempore erant Protectores *Campo Santo.*

Quamvis autem **Analecta Iuris Pontificii** (*Serie 16, 1879*, pag. 604) scribant: « les Cardinaux protecteurs des Couronnes n'existent plus aujourd'hui »; tamen de facto nunc E.mus Cardinalis Vincentius Vannutelli Protector est Regni Portugalliae (*Gerarchia Cattolica, anno 1901 pag. 135*) (1).

Munus autem horum Cardinalium Protectorum, ita describitur a **Plato** (l. c. § 4) « brevissime dicendum, posse in hoc genere multam operam navari Deo et eius Ecclesiae. Ut enim coelestes Angeli, etiamsi omnes ad omnium animarum et locorum operam parati, tamen sic a Deo distributi sunt, ut ex iis aliqui peculiarem curam aliquarum regionum vel urbium gerant, ex quo illud est in Sacra Scriptura quod et Persarum Angelus et Angelus Smyrnae vel Laodiceae appellatur ; sic Cardinales, licet totius Ecclesiae bono studeant, quibusdam tamen eius partes quaedam committuntur.

« Quare ii quidem ita reputare debent, se quasi angelos esse earum partium ; itaque sese applicare ad ferendam opem ut eguerint. Aliter enim eget Catholicum Regnum, ut Hispania; aliter totum haeresi infectum, ut Scotia aut Anglia;

(1) Plures notitiae de Cardinalibus Protectoribus regnorum legi possunt penes **Moroni** *v. Protettore* ; notatur autem in Opere *Istruzioni per la gioventù impiegata nella Segreteria, di Francesco Parisi, bibliotecario dell' Ecc. Casa Borghese, edizione seconda, num. 1785, tomo II. p. III. cap. 1. n. XLII, pag. 151.* « Questi Protettori sogliono essere per lo più nazionali, sebbene molti anche sieno stati scelti tra i Cardinali italiani, ed anche romani, come i Cardinali Scipione e Francesco Borghese, che sono stati Protettori dell' Imperio, ed altri a nostri tempi. Questi Cardinali propongono in Concistorio tutte le Chiese Cattedrali, Monasteri e Benefici Concistoriali, che sono sotto le loro protettorie, sieno elettivi, o a nominazione, o a presentazione. Per tali protettorie suole il Cardinale tenere un Segretario nazionale a parte, benchè a tempo di Innocenzo X il Cardinale d' Este, fatto Protettore della Francia, operò con la Corte in maniera che il suo proprio Segretario servisse anche per gli affari della Protettoria. — Vedi lett. dell'Abbé de S. Nicolas ».

aliter etiam si periculum sit ne inficiatur, ut Gallia. Illud autem commune omnibus, ut praeter universalem hanc curam provinciarum ipsarum singulis deinde etiam hominibus, cum in urbem veniunt, negociorum causa, libenter et prompte operam impertiant; interdum etiam eos pecunia, cum opus est, sublevent; pulchrum enim est et gloriosum etiam Protectori, ut quatenus facultas sinit, iis quos in tutela habet, suas etiam opes et suam domum, quasi portum quemdam advenientibus patere velit.

« Postremo ad hanc quoque protectionem vel maxime pertinet, Pontificem adiuvare in deligendis Episcopis, cum in sua cuiusque provincia dioecesis aliqua vacat. Ita enim usu receptum est, ut haec Protectoribus fere cura mandetur instituendi processus, idest inquirendi de qualitatatibus eius qui ordinandus est et ad Pontificem referendi. Quod quidem si oscitanter ac negligenter morisque servandi gratia dumtaxat agatur, perinde est ac si nihil agatur et peccatur in re maxima, nimirum ex qua populorum salus pendeat.

« Itaque agendum est omnino serio et vere indaganda vita, scrutandi mores, perpendenda etiam doctrina et prudentia et reliquae dotes huic muneri necessariae, et quidquid in utramque partem comperiatur, sincere Pontifici patefaciendam, atque in hoc quoque genere nullus locus dandus gratiae, nullus amicitiae aut commendationi.

« Oportet enim Deo magis placere quam hominibus. Extat etiam recentissimum et certe sapientissimum in hoc genere Gregorii XIV decretum, quo tota ratio huius negocii explicatur. Itaque ea ratio fideliter omnino tenenda est, ac si teneatur nihil est dubii, quin brevi Ecclesia Catholica optimis aptissimisque Episcopis abundatura est ».

Sed modo: « l' istruzione di tali processi *extra Romanam Curiam* spetta esclusivamente ai Nunzi... Talvolta il processo si fa in *Romana Curia*; in tal caso anticamente l'affare veniva commesso al Cardinal Protettore del Regno o della Provincia; ora si fa negli ufficii dell'Uditorato » (**Giobbio**, *Lezioni di diplomazia ecclesiastica, Roma*, 1901, *vol. 2, num. 206*).

Addit insuper Card. **De Luca**: « come ancora offizio di questi (Cardinali Protettori dei regni) suol essere il promovere in nome del Re o del Regno la canonizzazione o beatificazione di qualche Servo di Dio nazionale o che per altro rispetto vi si abbia qualche particolare divozione con altre somiglianti funzioni.

« Anzi in siffatta carica si sogliono occupare due Cardinali, uno con quella di Protettore ordinario e l' altro con quella di Comprotettore, come un compagno o sostituto del primo, le di cui veci supplisce nel caso dell'assenza o di alcun impedimento. » (*Il Cardinale della S. R. Chiesa pratico, di Gio. Battista De Luca. Roma 1680, pag. 165*).

Protectiones, de quibus locuti sumus, non sunt confundendae cum illis quae conceduntur ab ipsis Romanis Pontificibus. Harum exemplum habetur in Brevi *Sacrosanctum Apostolicum ministerium*, die 10 aprilis 1624, quo Urbanus VIII nominat tres Cardinales « in Archiepiscoporum etc. Episcoporum nec non cleri et populi Maronitarum huiusmodi apud nos et sedem eamdem (Apostolicam) Protectores ». (*Iuris Pontif. de Prop. Fide, Romae 1888 vol. 1 pag. 26*). Similiter post infaustum schisma anglicanum nominati fuerunt Cardinales Protectores pro Anglia, Scotia et Hibernia.

In citato Brevi ita describitur scopus harum protectionum: « Sacrosanctum Apostolicum ministerium humilitati nostrae... commissum postulat, ut in peculiarem pastoralis officii sollicitudinem illis impendamus, qui inter gentes multiplicibus schismatum, haeresumque... erroribus excaecatas constituti, totius mundi Ecclesiarum matris et magistrae Romanae Ecclesiae veritatem superque omnes Ecclesias illius primatus agnoscentes in catholicae fidei puritate et eiusdem S. R. Ecclesiae obedientia, singulari Dei beneficio vivunt ».

Ad quem scopum obtinendum plures sunt facultates his Protectoribus concessae. In specie quoad Protectores pro Anglia, etc., hi constituti fuere etiam Praefecti missionum earum regionum cum facultatibus omnino extraordinariis. Quamvis autem post institutionem S. C. Propagandae Fidei munus hoc translatum fuerit ad Sacram Congregationem, tamen durarunt per aliquod etiam tempus huiusmodi Praefecti. (Cfr. pro facultatibus Protectorum missionum Angliae opus, cui titulus: *The Church History of England, Brussels. Printed on the year 1739, Vol. II, part. 4, Book III, art. II, Records of Cardinal Allen; et art. III, Records of College*).

Restat aliquid dicendum de Protectoribus *civitatum*. Antequam temporale dominium S. Sedi usurparetur, praecipuae civitates Status Pontificii eligebant Cardinalem in Protectorem. **Parisi** in citato opere, *p. III, cap. VI, n. XII, pag. 293*, describit modum quo hae electiones fiebant a Municipiis.

Quoad vero munus horum Protectorum, nil speciale dicendum, cum nullam secum ferat potestatem, et solum onus tribuat defendendi iura civitatis. (Cfr. **Moroni** l. c.)

Tandem advertendum est, in documentis pontificiis Cardinales, quibus exsecutio alicuius operis committebatur, aliquando *Protectores* eiusdem appellari; sic in Opere: *Collectio Constitutionum, Chirographorum et Brevium... pro bono regimine Universitatum et Communitatum Status Ecclesiastici, edita... zelo et cura... Card. Iosephi Renati Imperiali... ac multiplici indice exornata a Petro Andrea de Vecchis... Romae 1732; tomo I, pag. 62* refertur chirographum Clementis VIII, quo deputat: « *Pro-*

tettore e sopraintendente di detti acquedotti... il prenominato Cardinal Panfilio nello stesso modo e forma che dal suddetto nostro antecessore gli fu appoggiata la Protezione e sopraintendenza del Porto d'Anzio, con la stessa facoltà... ».

B. MELATA.

II.

De Collegio S. Antonii Ordinis Minorum, de Urbe (1).

Actualem Statum Nostri Collegii S. Antonii de Urbe exhibituri, utile ducimus nonnulla de ipsius historia praemittere.

I. *Collegii scopus* apparet ex Litteris Encyclicis, quibus Rmus P. Bernardinus a Portu Romatino an. 1883 die 12 Novembris universo Ordini communicabat consilium de Collegio aedificando, quo saltem ex parte malis innumeris, quibus saeva persecutio Ordinem saeculo proxime elapso oppetiit, remedium afferretur.

« Post longas et maturas discussiones (cum Rmo Definitorio Generali), visum est, ut in hac alma Urbe, et fere sub umbra Pontificis Summi CHRISTI in terris Vicarii, Collegium erigeretur, ad quod illi alumni nostrarum Provinciarum cuiuslibet nationis mitterentur, qui, passivo studiorum cursu in provincialibus Conventibus cum laude absoluto, pietate, et regularis observantiae zelo probati ingenio super ceteris praefulgeant, ut in hoc Collegio sub peritiorum professorum disciplina illis facultatibus scientiisque exclusive vacare possint, ad quas unusquisque magis idoneus habitus fuerit.

« Ita fiet, ut successivo tempore viros vere doctos et in singulis disciplinis apprime excultos Ordo habeat, et unaquaeque Provincia hisce Lectoribus et Magistris laetari et frui possit.

« Fabricam vero ea amplitudine exstruere censuimus, ut apta quoque evadat recipiendis seorsim ab aliis et erudiendis tyronibus Philosophiae et Theologiae illarum Provinciarum, quibus dura temporum conditio filios in sinu suo alere et nutrire non concederet. Quin etiam illud insuper prae oculis habere debuimus, si nempe antiqua et venerabili Sede nostra Aracoelitana exturbati, in hoc Collegium residentiam Ministri Generalis suaeque Curiae transferre cogeremur ».

II. *Benedictio Apostolica.* — Quibus SS. D. N. LEONI Pp. XIII per Emum ac Rmum Dnum Card. Aloysium Bilio, tunc Ordinis nostri Protectorem, manifestatis, Sanctitas Sua consilium Rmi P. Generalis adprobare et opus amplissima Apostolica Benedictione muniri dignata est, uti ex sequenti liquet Documento.

« Ex audientia SSmi, die XVI Novembris an. 1883. SSmus Dominus LEO XIII. P. M. me infrascripto referente consilium hisce litteris declaratum, quod spectat ad Aedem in Urbe construendam pro iunioribus religiosis Ordinis Minorum ex omni natione, ut ipsi, emenso Theologiae curriculo, possint in ipsa Catholicae Religionis Sede pro sui cuiusque ingenii indole et moderatorum prudente iudicio divinis quibusque et humanis disciplinis praecipuam operam navare et ad solidam in iis plenamque scientiam opportune proficere, Sua approbatione et commendatione dignissimum duxit, et cum firmiter confidat, ex huiusmodi operis molitione magnas utilitates obventuras esse tum Ordini universo, cuius splendor et decus Sanctitati Suae maxime curae est, tum Ecclesiae DEI, quae administros hoc praesertim tempore non virtute solum, sed solida etiam scientia praestantes postulat; idcirco summopere cupit auspicem esse propitiae DEI opis Apostolicam Benedictionem quam Rmo P. Ministro Generali, Patribus Definitoribus, cunctisque Fratribus Ordinis Minorum, ac omnibus qui memoratum opus pia liberalitate iuverint, ad faustum felicemque totius rei exitum ex intimo corde peramanter impertit.

ALOYSIUS Card. BILIO,
Protector Ordinis Minorum ».

III. *Primarii laipdis Benedictio.* — Igitur die 16 Aprilis 1884, anniversario professionis S. P. N. Francisci an. 1209 in manibus Innocentii III in proxima Archibasilica Lateranensi emissae, Emus ac Rmus D. Lucidus Maria Cardinalis Parocchi, Vicarius Generalis S. S., solemni ritu primarium lapidem benedixit novae ecclesiae extruendae in honorem S. Antonii Patavini, adstantibus Ordinis Moderatoribus et corona Fratrum circiter centum quinquaginta.

Sacro peracto ritu, Emus Princeps doctissime adstantes allocutus est de S. Antonio coelesti Patrono Collegii, cuius « scopus et finis, ait, non ille tantummodo proponitur, ut viri docti efformentur in Ordine, sed ut pro Orbe universo Missionarii educentur, in spiritu et virtute Francisci Patris et Antonii Patavini quaquaversum ituri ad saeculi errores debellandos; et popularitate, qua ubique iure gaudet Franicscalium Ordo, utentes, ad omnes edocendos officia sua, veramque beatitatem et pacem ».

Quibus consonant, quae Rmus P. Generalis, priores suas Litteras Encyclicas amplians, die 19 Novembris 1885 scribebat: « Simulque ad ordinarium studiorum cursum perficiendum reciperentur Clerici, pro Missionibus Ordinis ».

IV. *Ecclesiae consecratio.* — Trium annorum et quatuor mensium spatio eo perducta est fabrica materialis, ut 17 Augusti an. 1887 potuerit huc sese transferre Curia Generalis; die autem 4 Decembris eiusdem anni nova Ecclesia

(1) Ex Actis Ordinis Fratrum Minorum. *N. D.*

solemniter consecrata est a laudato Emo ac Rmo D. Card. Parocchi, adsistentibus novem Ordinis nostri Praesulibus, aliisque Rmis Praelatis, et ultra 150 Fratribus.

Hanc nactus occasionem iterum Emus Princeps eloquentissimam habuit Orationem, ex qua sequentia, utpote Collegii scopo magis explicando perutilia, excerpere duximus:

« Nullimode dubito, quin hodierna solemnitas Sanctissimo Patri nostro Leoni XIII pergrata atque periucunda evasura sit; certe Sanctitas Sua hodie consecrationi huius ecclesiae corde adstitit, cum personaliter assistere nequiverit, eo magis quia, sicut alias dicebam, monumentum hoc extollitur in proximitate Lateranensis Sacrosanctae Basilicae, in cuius favorem Summus Pontifex vere regia liberalitate ac munificentia thesauros pro absidis restauratione erogavit.

« Reminiscor quidem me die 16 Aprilis 1884, quando primarium lapidem huius aedificii collocavi, verbis ex corde depromptis in memoriam revocasse celeberrimam visionem Summi Pontificis Innocentii III, qui pauperculum Assisinatem propriis humeris sustentantem Laterani Basilicam videbat. Hodie vero vos quidem potestis, charissimi, inclyto Innocentii III successori fidenter dicere: « Nunc, Pater Sanctissime, apud Tuam splendidam Lateranensem Basilicam hanc domum habes, in qua S. Francisci filii operam sui Seraphici Patris et Fundatoris prosequentur. In ea reflorebit utique praeclara S. Bonaventurae et Scoti doctrina, hic a Ministro Generali Ordinis, necnon ab eius Generalitia Curia gesta renovabuntur S. Joannis a Capistrano et S. Jacobi de Marchia; hic demum apostolatus Cardinalis Ximenez et S. Francisci Solani novum, validumque impulsum accipiet ».

V. *Auspicantur Studia.* — Tandem die 20 Novembris 1890, praevia Benedictione Apostolica, quam SS. D. N. Leo Pp. XIII die 11 eiusdem mensis Ordinis Proceribus et Collegii Lectoribus peramanter impertierat, cursus studiorum solemniter auspicati sunt, Sacro Deo oblato per Rmum P. Aloysium Canali a Parma, tunc Minister Generalis, qui et eloquentissimam ad Lectores, Studentesque habuit orationem, in qua plura de cultus scientiarum utilitate et necessitate disseruit, triplicemque Collegii scopum memoravit: « *primarium*, ut delecti acriori ingenii tyrones iis disciplinis penitus addiscendis insudent, in quas sua quisque magis se pronum natura sentit ac postea e Collegio digressi honorem atque onus magisterii in suis Provinciis exercendi recipiant: *secundarium*, ut opportuna doctrina imbuantur ii qui munus Apostolatus divino instinctu suscipiunt, laturi Evangelium Christi gentibus quae adhuc in umbra mortis sedent; et denique *quasi adiacentem*, ut instituantur earum Provinciarum alumni, qui ob tristitiam temporum magistris carent, in quorum disciplinam conveniant ad scientiam necessariam comparandam. Quem finem Collegii huius instituendi nobilem ac sanctum proculdubio, ita nos Deus adiuvet! consequemur, quia divinae Providentiae nos, nostraque addicimus, quae si per magna septem saeculorum intervalla Sodalitati nostrae praesto fuit, nobis etiam, quemadmodum speramus, aderit praesentissima ».

VI. *Collegii fructus.* — Adfuit utique divina Bonitas, cui unice tribuenda tum Collegii nostri institutio, tum tot inter adversa perstantia, tum optimi quos hactenus edidit fructus, quorum en brevem conspectum:

Studentes qui studiorum cursum in Collegio compleverunt	308
Lectoratus lauream in generali Concursu adepti sunt	108
Ad Missiones exteras profecti	59
Martyrii palmam obtinuit	1
Episcopatus dignitate est decoratus	1
Definitor Generalis	1
Ministri Provinciales	3

Alii animarum curae, sive qua Parochi in nostris Paroeciis, sive verbi divini praedicatione, sive Sacramentorum administratione, incumbunt.

Iuvenum profectui, ultra sedulam Lectorum curam, plurimum etiam contulerunt frequentes tum solemniores tum communes *Actus Academici*, postremis annis habiti, magno cum doctissimorum Urbis virorum plausu, et Summi Pontificis iucunditate, quam haud semel testatam voluit per Emos Cardinales, qui scientificis concertationibus praeesse dignati sunt.

VII. *Actualis status Collegii S. Antonii.* — Iam ad praesentem nostri Collegii conditionem, quod attinet, « cuius directio pertinet ad Ministrum Generalem eiusque Definitorium, quorum etiam est curare, ut magis idonei Lectores et Officiales, ceteris paribus, ex quibusvis Ordinis Provinciis assumantur, et de triennio in triennium eligatur Superior, qui ipsius Ministri nomine praesit regulari disciplinae », (1) maximae Confratribus nostris fore consolationis arbitramur, scire in ea *regularem observantiam*, necdum in *substantialibus* vigere, sed et in monastica disciplina, vestitus cultusque uniformitate maxime florescere, et in dies, divina opitulante gratia, perfici; *ecclesiasticas* autem *disciplinas* quo melius fieri potest discipulis tradi. En *statum personalem*:

Director supremus

Rmus P. David Fleming, Vicarius Generalis Ordinis.

Superior seu Praeses:

A. R. P. Antonius a S. Maria Correia, Definitor Generalis, Proc. Portugalliae.

(1) Constitut. G.G. n. 232.

MAGISTER DISCIPLINAE:

A. V. P. Antonius Maria Santarelli, Prov. Seraphicae.

LECTORES:

A. V. P. Eusebius Stateczny, ex Provincia Galliciae, Lector Theologiae Dogmaticae.

A. V. P. Antonius Maria Santarelli, ex Provincia Seraphica, Lector Theologiae Fundamentalis.

A. V. P. Franciscus Cruz, ex Provincia Lusitaniae, Lector Theologiae Moralis.

A. V. P. Ignatius Beaufays, ex Provincia Belgica, lector Introductionis in S. Scripturam et Hermeneuticae.

A. V. P. Bernardinus Klumper, ex Prov. Germaniae Inferioris, Lector Iuris Canonici.

A. V. P. Seraphinus a Capri, ex Provincia Principatus, Lector Exegesis et Linguarum Orientalium.

A. V. P. Leonardus Lemmens, ex Provincia S. Crucis Saxoniae, Lector Historiae Ecclesiasticae et criticae historicae.

A. V. P. Ioseph Brunelli a Petrella, ex Provincia Romana, Lector Sociologiae et Iuris Publici.

A. V. P. Cherubinus Pezzolini, ex Provincia SS. Stigmatum, Lector Philosophiae.

A. V. P. Ioannes ab Osimo, ex Provincia Marchiae, Lector Matheseos et scientiarum empyricarum.

Studentium numerus ordine alphabetico Provinciarum subiicimus:

Ex Provincia Angliae 2 — Apuliae 7 — Belgii 2 — Bononiae 2 — Bosniae 3 — Capistranae 1 — Carnioiae 1 — Chilenae 1 — Cincinnatensis 1 — Franciae 2 — Galitiae 3 — Hercegovinae 1 — Hollandiae 1 — Hiberniae 1 — Ianuae 1 — Lusitanae 3 — Lyciensis 2 — Marchiae 3 — Marianae 1 — Mediolanensis 3 — Melitensis (Custodia) 3 — Principatus 2 — Romanae 3 — S. Bernardini in Gallia 2 — S. Bonaventurae in Thuscia 1 — S. Dionysii in Gallia 2 — S. Leopoldi in Tirolo 1 — S. Vigili 1 — Sardiniae 2 — SS. Cordis IESU in Statibus Foederatis 2 — SS. Nominis IESU ib. 3 — Saxoniae 2 — Seraphicae 3 — Taurinensis 1 — Terrae Laboris 2 — Thuringiae 2 — Vallis Daemonis 2 — Vallis Mazzariae 1 — Vallis Nethi 2 — Venetiarum 2 — Sinarum 7. Totaliter 81 qui memoratis disciplinis strenuam dant operam. Nonnulli insuper ex longioribus Provinciis obventuri expectantur.

Haec satis numerosa familia divina et seraphica providentia sustentatur, quin respectivae Provinciae ullis pro studentium victu et cura expensis graventur; sed unaquaeque, pro sua charitate et possibilitate, quod sibi bene visum fuerit sponte elargiatur.

ROMANAE INSTITUTIONES

Casus Conscientiae propositus et solutus Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS MATRIMONIUM.

II. (1)

De potestate Ecclesiae in matrimoniis haereticorum.

Die 15 Decembris 1902, hora 15 (3 pom.).

Titius et Berta, e protestantium secta tertio consanguinitatis gradu ad invicem coniuncti, in civitate parisiensi, in qua inde ab ortu domicilium habuerunt, coram acatholico ministro matrimonium contraxerunt. Post aliquod temporis ob exorta in utriusque familia gravia dissidia, Titius a Berta discessit et peragratis variis Europae provinciis, tandem Romam petiit, ubi divina favente gratia et Caii sacerdotis studio catholicam fidem amplexus est. Antequam baptismum susciperet, litteras peramantissimas ad Bertam misit, illam adhortans, ut et ipsa ad veram ecclesiam rediret. Verum haec, suae sectae tenaciter adhaerens, conviciis et maledictis in Titium et catholicam religionem respondit; et habita divortii civilis sententia, alteri nupsit.

Nunc Titius, cum omni Bertae recuperandae spe fraudatus sit, eique grave accidat in coelibatu vivere, novas nuptias cum muliere catholica conciliare in animo habet. Verum antequam id executioni mandet, rem cum Caio confert, ab eodem petens, an id sibi liceat. Caius, ut Titio morem gerat, secum quaerit:

1.° *An haeretici generatim matrimonii impedimentis iure ecclesiastico inductis ligentur; et nominatim an subsint legi clandestinitatis?*

2.° *An et quotuplici ex impedimento dirimente matrimonium inter Titium et Bertam sit invalidum?*

3.° *An Titio novae nuptiae sint permittendae?*

Ad 1.um — Responsio affirmativa est ad primam partem quaesiti. Haeretici subsunt generatim impedimentis matrimonialibus iure ecclesiastico inductis. Ipsi siquidem subditi sunt Ecclesiae per baptisma, ideoque ecclesiasticae legislationi subiecti. Verum quidem est, quoad eas leges ecclesiasticas quae immediate referuntur ad singulorum sanctificationem, ut e. g. sunt praeceptum audiendi sacrum, ieiunandi, abstinentiam servandi etc., Ecclesiam piam matrem, ne multiplicentur peccata, illas non urgere cum iis qui nati et educati sunt in haeresi.

At oppositum tenendum est de iis legibus, quae, ut sunt impedimenta matrimonialia, directe promovent commune bonum, cum propter publicum ordinem servandum, atque honestatem publicam procurandam latae sint. His nempe legibus Ecclesia certo vult subiaceant quotquot ad christianam societatem pertinent, ideoque etiam haeretici.

Inter plura documenta quae afferri possunt ad hoc ostendendum plures adsunt Constitutiones Bened. XIV., quibus invalida affirmat matrimonia haereticorum cum aliquo impedimento

(1) Casus qui sub N. 1 inscribitur, in proximo fasciculo proponetur. N. D.

dirimente iuris ecclesiastici contracta, v. g. Const. *Magnae nobis* 29 *iulii* 1748; — *Ad tuas manus*, 8 *aug.* 1748; — *Singulare nobis*, 9 *febr.* 1749. Insuper cum ab haeresi ad Ecclesiam catholicam redeunt illi, qui matrimonium inierant obstante aliqua lege ecclesiastica dirimente, S. Sedes dispensationem ad valide iterum inter se contrahendum iis concedere solet, vel speciales facultates tribuere episcopis nonnullis, ut in his casibus valeant dispensare.

Specialis quaestio proponitur in altera dubii parte, utrum nempe haeretici subsint etiam impedimento clandestinitatis.

Quaestio intelligitur de impedimento clandestinitatis prout dirimens est. Si enim quatenus est tantum prohibens seu impediens consideretur, constat illud semper atque ubique in Ecclesia viguisse, quae matrimonia clandestina semper detestata est ac prohibuit, (Conc. Trid. sess. 24, de ref. matr. cap. 1.) atque etiam hodie ubique pariter vigere tam pro catholicis quam pro haereticis.

At etiam circa idem clandestinitatis impedimentum prout dirimens a Trid. Conc. est inductum affirmandum est ipsum haereticos quoque per se respicere; siquidem nullum unquam speciale ius, quoad hoc caput, constitutum est, quo haeretici in genere ab eo eximerentur, quemadmodum ipsa agendi ratio Patrum Concilii Tridentini in hoc statuendo impedimento clare demonstrat, ut mox indicabitur.

Id confirmatur ex declaratione a S. C. Concilii data die 8 ianuar. 1678, probante Innocentio XI, necnon ex Instructione die 3 septemb. 1772 missa ad Episcopum Genevensem.

Verum, si ratio habeatur conditionis peculiaris qua extante huiusmodi lex irritans lata est, concludendum erit de facto, eo impedimento saepe non ligari haereticos.

Sane impedimenti huius specialis indoles prae oculis habenda est. Notum nempe est Patres Concilii Tridentini statuisse, decretum « *Tametsi* » robur habiturum esse tantum post triginta dies a prima promulgatione de eodem peragenda in singulis paroeciis. Singularis autem haec promulgationis forma minime difficultatum expers practice futura erat, maxime in iis regionibus quas haeretici incolebant. Id quidem praesenserunt tridentini Patres, ac propterea consulto eam formam adoptarunt, sicut ex discussione in Concilio ipso de hac re habita elucet, ut praecise ubi promulgatio illa deesset, ibidem haeretici *de facto* a lege ipsa immunes evaderent. (Pallavicini *hist. Conc. Trid. XXII, cap. VIII*). Hac ratione Patres illi implicite confirmarunt (quod in praecedentibus hic indicatum est) sibi persuasum esse, decretum Concilii, semel rite promulgatum, haereticos quoque esse obligaturum.

Hinc deducitur, si alicubi decretum publicatum non sit, vel publicatum sit solum pro catholicis, non autem pro haereticis, quatenus nempe, quo tempore facta est promulgatio, ibidem haeretici iam constituerent societatem religiosam a catholica paroecia distinctam eos hoc impedimentum non tenere.

His accedere potest casus, quo factum ipsum peractae promulgationis dubium sit; imo iuxta plures canonistas idem dicendum erit, si promulgatio locum habuit quando in aliqua regione omnes vel fere omnes catholici erant, postea vero paulatim efformata est ibi haeretica communitas, quae cum sit moraliter diversa a primitiva, merito censetur antiqua publicatione non attingi.

Tandem eadem esset conclusio, sicubi decretum, saltem quoad haereticos, in desuetudinem abierit, — et multo magis si pontificia auctoritate abrogatum fuerit.

In praxi vero standum est authenticis declarationibus S. Sedis. Quamobrem criterium sequendum huiusmodi est: Matrimonia haereticorum inter se, vel mixta, absque forma tridentina inita, ibi uti valida habenda sunt ubi S. Sedes ea valida declaravit; — invalida ubi invalida esse decrevit; — ubi autem declaratio authentica desideratur, ad Sedem Apostolicam recurrendum est. (Gasparri, *tract. de matr. Paris 1892 vol. II n. 974*).

Celebris hac in re occurrit quae appellatur *declaratio benedictina*, edita a Ben. XIV die 4 novemb. 1741 pro Hollandia, idest pro antiquis statibus Foederatis Belgii. In ea regione, catholica fide eversa, dubitatum est num adhuc pro haereticis lex tridentina vigeret. Canonistarum sententiae non erant concordes, licet opinio negans haereticos de facto teneri, praevaleret.

Ratio autem huius negantis sententiae non eadem ab omnibus afferebatur. Quidam nempe factum ipsum promulgationis, et quoad catholicos, in iis regionibus in dubium revocabant; — aliqui novam communitatem haereticam postea efformatam antiqua illa promulgatione affici non posse contendebant; — nonnulli affirmabant mentem Concilii Tridentini eam fuisse, ut ea lege haereticos prorsus eximeret; — alii tandem quovis in casu, pro catholica religione opportunum esse ducebant, ut talis declaratio fieret.

Itaque Benedictus XIV matrimonia huiusmodi haereticorum vel mixta iis locis celebrata valida declaravit.

Quaenam ex indicatis rationibus Pontificem ad eum actum moverit, non satis constat, ideoque incertum manet, utrum dispositio haec benedictina dispensatio proprie dicenda sit, an authentica legis tridentinae interpretatio seu simplex declaratio, prout nomen ipsum insinuare videtur, quod verius est.

Illud in praxi certum est, etiamsi de casu prorsus simili agatur, benedictinam declarationem ad alia loca applicari non posse sine Sedis Apostolicae auctoritate, ut haec pluries decrevit. Extensio tamen ista ad plura loca progressu temporis a variis pontificibus peracta est, qui etiam in casibus plane diversis formalem exemptionem pro haereticorum vel mixtis coniugiis generatim alicubi concesserunt (cf. Zitelli, Appar. Iur. Eccl. p. 435, 437).

Ad 2.um — Antequam casui respondeatur, animadvertendum est Titium et Bertam esse, iuxta speciem propositam, e protestantium secta: Titium vero, catholicam fidem amplexurum, exhiberi ut adhuc baptizandum. Id tamen ea ratione explicandum est, quatenus nempe, exorto dubio de validitate baptismi Titio collati in eius secta, iudicatum sit eum esse *sub conditione* rebaptizandum. Imo supponi debet hoc ipsum dubium tale esse, ut resolvendum sit secundum receptum generale principium — baptismum nempe dubium, in ordine ad matrimonium ineundum vel initum, habendum esse ut baptismum validum. — Sic matrimonium inter Titium et Bertam tandem uti matrimonium contractum a duobus baptizatis considerandum est. Si enim quis vellet supponere agi posse de dubio circa baptismum ob peculiarem aliquam rationem aliter solvendo, vel de certa nullitate prioris baptismi, vel de homine numquam baptizato, is propositum casum traheret ad materiam omnino diversam, quae nullo modo praesenti tractationi de potestate Ecclesiae in matrimoniis haereticorum responderet, de qua proinde hypothesi nihil nunc est disputandum.

His positis, matrimonium inter Titium et Bertam invalidum fuit ob duplex impedimentum, consanguinitatis nempe in tertio gradu, quod, ex dictis etiam haereticos tenet, et clandestinitatis, cum civitas parisiensis, ubi nuptiae initae sunt, legi tridentinae subsit, neque ulla ibidem pro haereticis exceptio vigeat, ut clare deducitur tum ex resolutione S. Off. a. 1818 ad vicarios capitulares Pictavienses, tum ex resp. S. Poenit. 28 mart. 1838 ad episcopum Gratianopolitanum. (Bucceroni, Enchiridion, Romae 1900 pag. 447).

Ad 3.um — Respondendum affirmative. Nam ex una parte Titii matrimonium cum Berta ex dictis, invalidum fuit; ex alia vero parte Berta amantissimis adhortationibus Titii, ut et ipsa veram ecclesiam amplecteretur, quibus verisimiliter ille etiam suam voluntatem instaurandae cum ea vitae coniugalis non obscure indicaverat, non solum indigne restitit, sed insuper, divortio civili obtento, alteri legaliter nupsit.

Manet ergo omnino liber Titius, cumque ei grave accidat in coelibatu vivere, nihil obstare potest, quominus novas nuptias contrahat.

Verum sacerdos ille Caius neo-converso iniungat, ut negotium huiusmodi admodum grave ipse vel per se vel per alium ad Ordinarium deferat, qui eius parocho opportunas tribuet instructiones ad novum matrimonium permittendum.

IOSEPHUS PALICA
Epitomator ex officio.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ
NE PEREANT

Décembre 1902.

21 Dimanche

S. Exc. M. le Comte Szecsen de Témérin, Ambassadeur d'Autriche-Hongrie, présente au S. Père un riche cadeau de Sa Majesté Apostolique, à l'occasion du jubilé papal.

22 Lundi

Sermon de l'Avent au Vatican, *coram Ss.mo.*

23 Mardi

Le S. Père reçoit dans la Salle du Trône les vœux du S. Collège et de la Prélature Romaine, à l'occasion des *Bonnes Fêtes* de Noël. En réponse à l'Adresse de S. Em. le Card. Oreglia, Doyen du S. Collège, Il prononce l'Allocution suivante:

Non useremo molte parole, venerabili fratelli, a significarvi l'animo Nostro grato degli amorevoli sensi, espressi a nome comune dal venerando Cardinale, Decano del vostro Collegio. Questo però non vogliamo tacere, che oggidì più che mai Ci riposiamo con fiducia nella unanime devozione vostra. Cooperatori benemeriti per sì lungo tratto, Ci accompagnerete ancora, pur fra le crescenti asprezze del cammino, con lo stesso operoso amore.

L'anno giubilare, oggetto delle vostre gratulazioni e delle non interrotte dimostrazioni di affetto del mondo cattolico, trascorre amareggiato, come vedete, per contingenze sociali troppo dolorose al cuore d'un Papa. Violate già in cento guise le ragioni della Chiesa e del nome cattolico, ecco andar oltre per la stessa via, sino al sovvertimento legale di sante istituzioni cristiane. Ma non sono esse una porzione, e la più eletta, dell'eredità lasciata da Cristo ai popoli redenti, e ordinate espressamente a custodia e tutela di sovrani beni morali, prima radice d'ogni altro bene all'umano consorzio? Ah non è sincero amore di pubblica prosperità o d'incrementi civili, che muove gli artefici di tali sciagure: ciò che si vuole e si cerca è il crollo degli ordini cristiani e la ricostituzione degli Stati sulle basi del naturalismo pagano. Se sta scritto in cielo che tra siffatte amarezze quest'ultima reliquia si estingua della Nostra giornata, chiuderemo in rassegnazione le stanche pupille benedicendo il Signore, ma colla persuasione in cuore fermissima che, venuta l'ora della misericordia, sorgerà egli stesso a salute delle genti, assegnate in retaggio all'Unigenito di Dio.

Le ultime parole sue alludono, signor Cardinale, all'azione democratica cristiana, che è al dì d'oggi, com'ella ben comprende, un fatto di non leggiera importanza. A cotesta azione, tutta consentanea all'indole del tempo e ai bisogni che la suscitarono, Noi demmo sanzione ed impulso, divisandone peraltro assai nettamente lo scopo, il modo, i confini; cosicchè, se in questa parte accadesse a taluno di dare in fallo, certo non gli accadrebbe per mancanza di guida autorevole. Ma parlando in generale di coloro che si son posti a quest'opera, italiani ed esterni, è indubitato che vi s'affaticano attorno con buon zelo e frutto notabile: nè deve passare inosservato l'utile contributo che pur vi stanno recando centinaia di giovani valorosi. Anche il Clero confortammo ad entrare con certi riguardi in questo medesimo campo di azione, perchè a dir vero, non c'è assunto di schietta carità giudizioso e proficuo, al quale sia straniera la vocazione del sacerdozio cattolico. Or non è forse carità vera ed opportunissima questa di applicarsi con premura e disinteresse a migliorare le spirituali condizioni e le sorti materiali delle moltitudini? Il materno amore della Chiesa verso gli uomini è universale come la paternità di Dio; ma nondimeno, fedele alle sue origini e memore di esempi divini, ella ebbe sempre il costume d'accostarsi con un senso di predilezione agli umili, a quei che soffrono, ai reietti della fortuna. Quando sia sinceramente e costantemente informata allo spirito di questa madre universale dei popoli, può ben confidarsi di non fallire al suo scopo la cristiana democrazia; e niuno s'adombri del vocabolo, quando si sa che la cosa è buona. Inteso come lo intende la Chiesa, il concetto democratico, non soltanto si accorda a maraviglia coi dettami rivelati e le religiose credenze, ma nacque anzi e fu educato dal cristianesimo, ed è la predicazione evangelica che lo diffuse fra le genti. Atene e Roma non lo conobbero, se non quando ebbero udito la voce divina che disse agli uomini *voi siete tutti fratelli, e il Padre vostro comune sta nei cieli.*

Fuori di questa democrazia che si denomina ed è cristiana, con ben altri ideali e per altre vie s'avanza il movimento democratico sedizioso e senza Dio. Giorni amari ei prepara agli Stati civili, che pur lo si covano in seno carezzandolo. Ora l'azione popolare cristiana, esplicandosi sul medesimo soggetto, è una forza emula che s'interpone al successo di quello e vale in molti casi a preoccuparne l'opera. Se altro non conseguisse che di contendere il terreno alla democrazia socialistica e circoscriverne i perniciosi influssi, avrà reso con ciò solo un servigio non piccolo all'ordinato vivere civile e al cristiano incivilimento.

In affettuoso ricambio degli augurii, imploriamo dal cielo le più elette benedizioni al sacro Collegio, e quella ne sia come pegno che con effusione di cuore gli impartiamo Noi, estendendola ai Vescovi, ai vari Prelati, e a tutti gli altri che qui ci fanno gradita corona.

24 Mercredi

Le S. Père célèbre à 10 heures 1/2 du soir dans Sa chapelle privée, la première messe de Noël.

26 Vendredi

Le S. Père reçoit les hommages et les vœux des Commandants et des Officiers de la Garde Noble, de la Garde Suisse et de la Gendarmerie Pontificale.

27 Samedi

Le S. Père reçoit les hommages et les protestations de fidélité de l'ex-Armée Pontificale représentée par M. le Comte Adolphe Pianciani et une Députation d'Officiers.

— S. G. Mgr. Médard Kolh, Ev. Tit. de Samosate, Auxiliaire de S. Em le Card. Vaszary, est reçu en audience.

29 Lundi

Le S. Père reçoit en audiences: le T. R. Père François Picard, Sup. Gén. des Augustins de l'Assomption; — et M. L'Abbé Vigouroux, Sulpicien.

Janvier 1903.

4 Dimanche

S. G. Mgr. Pierre Emile Rouard, Ev. de Nantes, est reçu en audience.

5 Lundi

Le R. Don Rua, Supérieur Général des Salésiens, offre au S. Père les hommages de toute la jeunesse élevée dans les écoles de Don Bosco.

6 Mardi

En présence du Souverain Pontife, Mgr. le Secrétaire de la S. C. des Rites promulgue les Décrets qui approuvent les vertus héroïques du Vén. Jean Eudes; et de la Vén. Julie Billiart (*Voir aux Anal. Nova p. 28, 29*).

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat: S. Em. le Card. Séraphin Cretoni, est nommé Préfet de la S. C. des Rites; — et S. Em. le Card. Louis Tripepi, est nommé Préfet de la S. C. des Indulgences.

7 Mercredi

Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Vivès y Tuto est nommé Protecteur de l'Institut des Tertiaires Franciscaines de Valence.

— Le S. Père reçoit en audience S. Exc. M. Raphaël Merry del Val, ex-Ambassadeur d'Espagne près le S. Siège.

11 Dimanche

Le S. Père reçoit en audience la Rév. Mère Digby, Sup. Gén. de l'Institut des Dames du S. Cœur.

12 Lundi

Le S. Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr. Charles Marie Alfred de Cormont, Ev. de S. Pierre de la Martinique; — et Mgr. Spiss, Bénédictin, Ev. Tit. d'Ostracine, nouveau Vic. Apost. du Zanguebar Méridional.

13 Mardi

Le S. Père reçoit en audiences: S. G. Mgr. Henri Charles Denéchau, Ev. de Tulle; — et M.me la Comtesse Marie Liedekerke, Dame d'honneur de S. A. R. la Princesse Clémentine de Belgique.

14 Mercredi

Le S. Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr. Fortuné Vinelli, Ev. de Chiavari; — et Mgr. Joseph Giorgi, Ev. de Segni.

15 Jeudi

Le S. Père reçoit en audiences: S. G. Mgr. Robert Mennini, des Mineurs Capucins, Arch. Tit. de Gangra et Vic. Ap. de Sophia et Philippopolis; — et M.me la Baronne Marie de Boundberg, Dame de Palais de la Cour Impériale de Russie.

— S. Em. le Cardinal Lucide Marie Parocchi, Sous-Doyen du Sacré Collège et Vice-Chancelier de la Sainte Eglise, succombe à deux heures du matin à une maladie de cœur.

Il était né à Mantoue le 13 Avril 1833. En 1875 il fut préconisé Evêque de Pavie, et en 1877 il fut promu à l'Archevêché de Bologne. Dans le Concistoire du 29 Juin de la même année il fut créé Cardinal du Titre de S. Sixte. Il occupa pendant de nombreuses années le poste de Vicaire Général de Sa Sainteté. Dans le Concistoire du 24 Mai 1889 il passa dans l'ordre des Cardinaux Evêques, et il opta pour le Diocèse d'Albano. Devenu sous-Doyen du S. Collège, il opta pour l'Evêché de Porto et S. Ruphine. Il était Vice Chancelier de la S. Eglise, Sommiste des Lettres Apostoliques, Commandataire de S. Laurent *in Damaso*, et Secrétaire du S. Office. Il faisait partie des Congrégations suivantes: Visite Apostolique, Concile, Ev. et Rég., Propagande pour les deux Rites, Cérémoniale, Indulgences, Affaires Ecclés. Extraord., Etudes. Il était en outre membre de plusieurs Commissions Cardinalices. Enfin, il avait dans sa longue carrière, accepté soixante Protectorats.

16 Vendredi

S. Em. le Card. Séraphin Vannutelli est nommé Secrétaire du S. Office.

— Le S. Père reçoit en audience plusieurs personnages de marque.

18 Dimanche

Le S. Père reçoit en audience dans la Salle du Concistoire 250 dames appartenant à l'Association des Filles de Marie de la Trinité des Monts et de S. Ruphine.

19 Lundi

Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Ange Di Pietro est nommé Protecteur des Pauvres Sœurs des Ecoles de Notre-Dame en Bavière.

20 Mardi

Congr. Préparatoire des S. Rites tenue au Vatican pour examiner à nouveau l'héroïcité des vertus de la Vén. Marie Madeleine, dans le siècle, Julie Postel, Fondatrice de l'Institut des Ecoles Chrétiennes de la Miséricorde.

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, LL. Em. le Card. Alexandre Sanmiatelli Zabarella et le Card. Casimir Gennari, sont nommés membres de la S. C. des Indulgences.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Jérôme Marie Gotti, est nommé Protecteur de l'Ordre des Carmes Déchaussés.

21 Mercredi

Les agneaux bénits à S. Agnès hors les murs, selon le rite traditionnel, sont offerts au S. Père qui les confie aux Religieuses du Monastère de S. Cécile.

— Le S. Père reçoit en audiences: le Comte et la Comtesse Abingdon; — Madame Quirino Costa, épouse du vice Président de la République Argentine; — Mgr. Jean Kiss, ainsi que M. Szilay, professeurs à l'Université de Budapest.

22 Jeudi

Le S. Père reçoit en audiences: S. A. R. la Princesse Mathilde de Bourbon, née Duchesse de Bavière, veuve de S. A. R. le Comte de Trani; — et le Rme P. Louis Khazen, Proc. Gén. de l'Ordre des Maronites.

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Casimir Gennari est nommé Protecteur des Sœurs de Charité de N. S. au Mont-Calvaire, à S. Norbert; — et S. Em. le Card. Barthélémy Bacillieri, est nommé Protecteur des Filles de la Charité Canossiennes.

23 Vendredi

S. G. Mgr. O' Connell, Ev. de Portland, est reçu en audience.

— Par Billet de la Secrétairerie d' Etat, S. Em. le Card. F. de Paule Cassetta, est nommé Protecteur du Séminaire Lombard de S. Charles.

24 Samedi

Le S. Père reçoit à midi dans la Salle du Consistoire les membres du Patriciat et de la Noblesse Romaine. En réponse à une Adresse lue par S. Exc. le Prince Marc Antoine Colonna, Assistant au Trône Pontifical, Il a prononcé l'Allocution suivante:

Ci arreca particolare letizia il rivedere ogni anno innanzi a Noi raccolte le famiglie del Patriziato e della Nobiltà romana, e l'udire da Lei, signor Principe, così degnamente interpretati i sensi della loro incrollabile devozione alla Sede Apostolica.

Ma le sue parole Ci portano anche gli augurii e le felicitazioni pel Nostro Giubileo Pontificale; e queste Ci sono accettissime nel conserto unanime di voti che per Noi si innalzano a

Dio, cui unicamente ascriviamo sì lieto e fausto avvenimento. Ah sì; in una età di tanti sociali contrasti è pur consolante vedere nella grande famiglia cattolica sì bella gara e armonia di pietà e di amore, onde da tutte le parti i fedeli di ogni grado e condizione si stringono al Sommo Pontefice, e ne dividono i dolori ed i gaudi, riconoscendo in Lui il comune padre e maestro delle anime loro.

E invero, figli diletti, i Romani Pontefici furono sempre del pari solleciti sì di tutelare e migliorare le sorti degli umili, e sì di sostenere e aumentare il decoro delle classi elevate. Poichè eglino sono i continuatori della missione di Gesù Cristo, non solo nell'ordine religioso, ma nel sociale ancora. E Gesù Cristo, se volle trascorrere la vita privata nell'oscurità di un ignobile abituro, passando per il figlio d'un fabbro, e se nella vita pubblica amò farsela tanto col popolo beneficandolo in ogni maniera, volle però nascere da regia prosapia, scegliendo per Madre Maria e per Padre putativo Giuseppe, eletti rampolli della stirpe davidica; e ieri, giorno sacro al loro sposalizio, potemmo ripetere colla Chiesa le belle parole: *Regali ex progenie Maria exorta refulget.* Quindi è che la Chiesa, nel predicare agli uomini l'universal figliuolanza dal medesimo padre celeste riconosce altresì provvidenziale all'umano consorzio la distinzione dei ceti; perciò ella viene inculcando che solo nel rispetto reciproco dei diritti e doveri e nella mutua carità è riposto il segreto del giusto equilibrio, dell'onesto benessere, della vera pace e floridezza dei popoli.

Così Noi pure, deplorando le odierne agitazioni che turbano la civil convivenza, più volte rivolgemmo lo sguardo alle classi infime, più perfidamente insidiate dalle inique sette, e ofrimmo loro le cure materne della Chiesa. E più volte dichiarammo, che rimedio ai mali non sarà mai l'uguaglianza sovvertitrice degli ordini sociali, ma quella fratellanza invece che, senza menomare le dignità di grado, unisce i cuori di tutti in un medesimo vincolo di amore cristiano.

Ora voi, figli diletti, che dagli avi riceveste in retaggio con la nobiltà del sangue il più illimitato ossequio agli insegnamenti della Chiesa e alle direzioni del suo Capo, voi sì, farete opera di veramente utile civiltà e altrettanto decoro al casato, se con tutti i mezzi che vi porge l'autorità, la coltura, il censo, e più che mai con l'efficacia di virtuosi esempi, asseconderete le Nostre sollecitudini per salvare le classi popolari, riconducendole ai principii e alla pratica della dottrina cattolica.

Possa l'anno iniziato vedere avverati i Nostri voti! Intanto, ricambiandovi i più lieti augurii, con paterno affetto impartiamo a tutti l'Apostolica benedizione.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. André Steinhuber est nommé Protecteur de l'Institut National Teutonique de S. Marie de l'Anima.

25 Dimanche

Le Rme P. Dom René Herbault, Proc. Gén. des Chartreux, est reçu en audience.

26 Lundi

Par Billet de la Secrétairerie d' Etat, S. Em. le Card. F. de Paule Cassetta, est nommé membre de la S. C. de la Propagande.

28 Mercredi

Le S. Père reçoit en audience S. G. Mgr. Pierre Monti, Arch. Tit. d'Antioche, Délégué Apost. au Chili.

29 Jeudi

Le S. Père reçoit en audiences: le Rme P. Dom Sébastien Wyart, Abbé Général des Cisterciens Réformés; — les membres du Collège des Avocats Consistoriaux; — M. le Comte François de la Rochefoucauld et sa famille; — et M. von Frege-Weltzien, membre du Reichstag.

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Séraphin Cretoni, est nommé Protecteur de l'Académie Théologique; — S. Em. le Card. Dominique Ferrata, est nommé Protecteur des Eudistes; — et S. Em. le Card. Félix Cavagnis est nommé Protecteur de l'Ordre des Mineurs Conventuels.

30 Vendredi

Le S. Père reçoit en audiences: M. Daniel Garcia Mansilla, Chargé d'Affaires de la République Argentine; — Mme la Comtesse d'Harcourt; — Mme la Comtesse de la Tour du Pin; — et M. André de Laboulaye, Attaché de l'Ambassade de France près le S. Siège.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. F. de Paule Cassetta, est nommé Protecteur de l'Archiconfrérie de S. Joseph des Menuisiers.

31 Samedi

Le S. Père reçoit en audiences: S. G. Mgr. Bourne, Ev. de Southwark; — M. Maurice Rooman d'Ertbuer, Chargé d'Affaires de Belgique au Caire; — M. le Comte César Salimei, Lieutenant Général de la Garde-Noble Pontificale, qui prend sa retraite; — M. le Prince Léopold Ruspoli, qui de Sous Lieutenant Général, vient d'être nommé Lieutenant Général; — M. le Marquis Louis Fonti, promu au grade de *Esente* du Lieutenant Général; — et M. le Marquis Antici Mattei, ex-Cadet, promu au grade d'*Esente.*

Le S. Père a désigné les personnages suivants, de résidence à Rome, ou à l'étranger, comme Consulteurs de la Commission Cardinalice récemment instituée pour les Etudes Bibliques:

Le Rév. P. Fulcran Grégoire Vigouroux *de la Congrégation de S. Sulpice, Professeur d' Ecriture Sainte à l' Institut Catholique de Paris.*

Le Rév. P. David Fleming, *Vicaire Général des Frères Mineurs.*

Le Rév. P. M. Albert Lepidi O. P. *Maître des Sacrés Palais Apostoliques.*

Le Rév. P. M. Thomas Esser O. P. *Secrétaire de la S. Congrégation de l' Index.*

Mgr Antoine Marie Ceriani, *Préfet de la Bibliothèque Ambrosienne.*

Le Rév. P. François Hummelaüer, S. J.

Mgr. Thomas Joseph Lamy, *Membre de la Société Archéologique biblique de Londres et Professeur à l' Université de Louvain.*

Le Rév. Doct. Othon Bardenhoever, *Professeur d'Exégèse à l' Université de Munich.*

Le Rév. Chan. Jean Mercati, *rédacteur à la Bibliothèque Vaticane.*

Le Rév. P. Henri Gismondi, S. J. *Professeur d' Ecriture Sainte à l'Université Grégorienne.*

Le Rév. P. Jean Hiacynthe Cereseto de l'Oratoire, *Membre du Collège Théologique de S. Thomas de Gênes.*

Le Rév. A. Van Hoenacker, *Professeur d'Ecriture Sainte à l'Université de Louvain.*

Mgr. Sauveur Talamo, *Chanoine de la Basilique Vaticane.*

Le Rév. Charles Grannan, *Professeur d'Ecriture Sainte à l'Université catholique de Washington.*

Le Rév. Doct. François Kaulen, *Professeur d' Exégèse à l'Université de Bonn.*

Le Rév. Doct. Louis Schaefer, *Professeur d'Exégèse à l'Université de Breslau.*

Le Rév. P. Pierre Ambroise Amelli, O. S. B., *Prieur de l'Abbaye du Mont-Cassin.*

Le Rév. Robert F. Clark, *du diocèse de Westminster.*

Le Rév. P. Marie Joseph Lagrange, O. P., *Professeur d'Ecriture Sainte au Collège de S. Etienne à Jérusalem.*

Le Rév. Humbert Fracassini, *Professeur d'Ecriture Sainte au Séminaire de Pérouse.*

Le Rév. P. Rodolphe Cornely, S. J.

Le Rév. Doct. Hoberg, *Recteur de l'Académie de Fribourg.*

Le Rév. Charles Fouard, *Chanoine de Rouen, ancien Professeur d'Ecriture Sainte.*

Le Rév. D. Thomas Weikert, O. S. B., *Professeur d' Ecriture Sainte au Collège de S. Anselme à Rome.*

Le Rév. P. Vincent Scheil O. P., *Professeur à l'Ecole des Hautes Etudes.*

Le Rév. Chan. Conrad Gonfalonieri, *Professeur d' Ecriture Sainte au Séminaire Archiépiscopal de Florence.*

Le Rév. Doct. Bernard Schaefer, *Professeur d' Ecriture Sainte à l'Université de Vienne.*

Mgr. Alphonse Legendre, *Doyen de la Faculté Théologique d'Angers et Professeur d'Ecriture Sainte.*

Le Rév. P. Ferdinand Prat, S. J.

Mgr. Constantin Gutberlet, *Professeur à l'Université de Fuldo.*

Le Rév. Doct. Paul Veller, *Professeur d' Exégèse à l'Université de Fribourg.*

Le Rév. A. Poels *du diocèse de Ruremonde, Docteur de Louvain.*

Le Rév. P. Louis Claude Fillion, *de la Compagnie de S. Sulpice.*

Le Rév. Eugène Mangenot, *Professeur d' Ecriture S. au grand Séminaire de Nancy.*

Le Rév. Doct. Hugues Weiss, *Professeur d' Exégèse au Lycée Royal de Branasberg.*

Le Rév. D. Emile Romain Toriò, *Professeur au Séminaire de Palencia.*

Le Rév. Henry Lesêtre, *Chanoine de Paris.*

Le Rév. Doct. Dusterwold, *ancien Directeur du Collège Albertinum à Cologne.*

Le Rév. Chan. Chauvin, *ancien Professeur d'Ecriture Sainte au grand Séminaire de Laval.*

Le Rév. P. Joseph Balestri, *des Ermites de S. Augustin, ancien Professeur d'Ecriture Sainte.*

Le P. Vigouroux et le P. Fleming ont été nommés Secrétaires de la Commission, qui se compose de 40 membres, à savoir : 14 Allemands, 10 Français, 10 Italiens, 3 Belges, 1 Anglais, 1 Espagnol et 1 Américain.

F. C.

BIBLIOGRAPHIA

Operum quorum exemplar ad nos fuerit transmissum, lectorum editorumque intuitu, elenchum ponemus ; praecipuorumque accurata fiet recensio, quatenus, duplici exemplari accepto, expedire videbitur.

R. P. Antonii Le Gaudier S. I. Castro Theodoriciani : **De perfectione Vitae spiritualis.** Accedunt duo opuscula : de SS. Christi Iesu amore et de vera Iesu Christi imitatione ; editio recens emendata cura et studio *P. A. M. Micheletti* eiusdem Societatis, in Collegio Apostolico Leoniano de Urbe vice-praesidis et ecclesiasticae paedagogiae professoris. — Tomus 1us. 1903 Taurini, Typ. P. Marietti. Lib. 6.

Feracem Editorem laude amplissima prosequi rite omnino debent illi omnes qui de rebus ad vitae spiritualis perfectionem conducentibus sollicitam gerunt curam.

Quum enim peregregius *paedagogista* noster, inter egregios mille a sapientissimo et oculatissimo Pontifice, quo sospite laetamur, fuerit deputatus ad tradenda paedagogiae ecclesiasticae principia in nuper erecto Apostolico Leoniano de Urbe Collegio, ipse cathedram, quae ni fallamur, unica cernitur in hoc scientiarum genere, praeter expectationem illustrare omni conatu singularique exitu in dies contendit. De aliis jam editis, edendisve mox ab eodem cl. A. circa easdem materias operibus, sermo redibit. Ipse enim totus versatur in exerendo quaquaversus, funditusque munere suo, a tanto Pontifice sibi commisso.

Satis sit indigitare recentem quam de supra citato opere praebuit editionem. Ipse enim iure meritoque reputavit maximam utilitatis copiam suppeditari iis qui paedagogiae christianae operam navant, ex selecto studio scientiae quae ascetica nuncupatur.

De intrinseco operis merito non est cur dicamus, quum a quatuor fere saeculis in maxima omnium aestimatione utilitateque praemineat. Exhaustae editioni nova succrevit emendatior.

Acta Gregorii Papae XVI, scilicet constitutiones, bullae, litterae apostolicae, epistolae. Cura ac studio ***Antonii Mariae Bernasconi.*** Romae 1902 Typographia S. Cong. De Prop. Fide Vol. II.um Lib. 10.

De duobus prioribus voluminibus, iam verbum habuimus in Vol. IX huiusce Ephem. p. 324. Cum hoc tertio volumine explicit prima Operis partitio quae *Canonica* nuncupatur. In hisce 560 paginis bifariis, 372 concluduntur documenta quae fuerunt edita intra septem ultimos annos Pontificatus s. m. Gregorii XVI. Quanti sint momenti, non est cur dicamus ; eo vel magis quia in aliis collectionibus sparsim vix invenire possunt. Praeter cetera notatu digna, quinque inibi opportune prostant epistolae relate ad hodiernum Summum Pontificem fel. regnantem, qui curriculum ecclesiasticorum negotiorum honorumque ingressus est anno 1843.

Praelectiones Philosophiae Scholasticae, tyronibus facili methodo instituendis accommodatae. Auctore ***P. Germano a S. Stanislao,*** Congregationis Passionis presbytero. Volumen I complectens logicam et ideologiam. Romae 1903. Apud Federicum Pustet, Editorem.

Clarissimum iam inter Archaeologos sibi vindicaverat nomen seu e latebris excitando, seu descriptionibus illustrando plura venerandae antiquitatis monumenta, R. P. Germanus, harum Praelectionum Auctor, qui, philosophico periculo feliciter peracto, posthac inter spectatissimos *Manualistas* in hisce recte tradendis disciplinis, locum honestum iure merito habebit. Institutiones ad biennium accommodavit, in usum praecipue Alumnorum suae Congregationis ; attamen ad triennium aeque possunt aptari, et quidem pro quovis tyrocinio. Medulla tractationis, tota Aquinatis est, hinc genuina, ubertosa, immota. Eloquium facile, scholasticum, et uti decet, austerum. Candida patet rerum expositio, ordinata disciplinae expositio, brevis, nec obscura doctrinae epitoma.

Cl. Auctor, vestigia optimorum Auctorum premens, totus fuit in concilianda cum perspicuitate brevitate, in vitanda methodo *synoptica*, quae nimis mechanica et anatomica, in memoriae exercitium magis redundat, quam in mentis institutionem. Audio dicentem : tot sunt iam probatae notae Institutiones, Praelectiones, etc. ! Esto. Quo plures numerabuntur, eo maius nobis emolumentum erit. Vol. II complectens Ontologiam et Cosmologiam, iam excuditur.

Annuaire Pontifical Catholique par Mgr. ***A. Battandier.*** VIe Année 1903. Paris, Maison de la Bonne Presse, 5 Rue Bayard. Prix 3 Fcs 50.

Pergratum redit lectoribus nostris indigitare sextam seriem suprarelati operis, cuius, elapsis annis, successivas denuntiavimus editiones. Praeter enim vertentis anni fasta et indicia, quae usui practico quam plurimum inserviunt, plura inibi colliguntur quae novitatem sapiunt, versatilemque redolent eruditionem. Notatu praesertim digna sunt ea quae proceduram spectant causarum Beatificationis et Canonizationis coram S. Congr. Rituum

Œuvres de S. François de Sales, édition complète et définitive d'après les autographes et les éditions originales, publiée sur l'invitation de Mgr. *Isoard, Ev. d'Annecy*, par les soins des Religieuses de la Visitation du 1er Monastère d'Annecy. — Tome XII. Lettres 2e Volume 1599-1604. En vente: Librairie Tremblay, 1 Rue Corraterie, Genève 1902 — 8 Frs.

In hoc altero volumine continentur epistolae a numero 120 ad n. 270, quae a S. Doctore fuerunt exaratae intra annos 1599-1604. Indefessi Editores spem fovent quod brevi tempore in lucem edi poterunt aliae quae supersunt epistolae. Quum in litterarum commercio speculum habeamus vitae, peculiare momentum praebetur ex epistolis quae heic colliguntur, ad illustranda facta praecipua quae intra hoc temporis intervallum, vitam melliflui Doctoris illustrarunt. In hisce enim argumenta tanguntur circa alterum Romam versus iter, in Urbeque commorationem, quando acceptus est uti Episcopi Granier Coadjutor (1599); circa Lutetiae commorationem (Ian. Sept. 1602); circa episcopalem consecrationem habitam in pago Thorens-Sales (8 Dec. 1602); circa praedicationem quadragesimalem habitam Divioni (1604), in qua civitate piissimae ortae sunt necessitudines inter S. Doctorem et Joannam baronissam de Chantal.

Casus Conscientiae Auct. ***Aug. Lehmkuhl*** S. J. Vol. 2um **Casus de Sacramentis.** Sumptibus Herder, Friburgi Brisgoviae, 1902, Fr. 8; a dorso corio religatum, Fr. 10,50.

Pluries instanterque rogatus fuerat Cl. Auctor ut, ea quae in Theologia morali magis scientifice evolverat, etiam traderet magis ad praxim accommodata et exemplis illustrata. In hoc duplici *Casuum Conscientiae* volumine, traduntur ea quae ad doctrinam moralem spectant sive quoad principia Th. Mor. et praecepta atque officia christiana speciatim sumpta, sive quoad sacramenta. Casus numerantur 320, quaesita vero 1064 in priori volumine; in altero vero, casus proponuntur 283, et quaesita 997. Casuisticam plurimum confessariis prodesse, nemo infitias ibit. Doctissimus P. Lehmkuhl, pro ea qua pollet in doctrinis moralibus auctoritate, ut paucioribus exemplis plura illustraret, Casus ipse ex industria composuit. In tradenda vero solutione, non ieiune disseruit, sed ad rationes et ad principia et ad auctoritates copiose argumenta sua informavit. Hoc modo, lector in istis rebus minus versatus melius instituitur ut discat non quidem casus lectos ad casus revera orituros mechanice applicare, sed res perpendere et ea quae occurrerint secundum principia scientiae rite resolvere. Notatu laudeque dignum, quod eruditus Moralista sententias suas accuratissime firmat ex Decretis SS. Rom. Congregationum etiam recentissimis.

F. C.

Praelectiones canonicae ***Arthuri Vermeersch*** e Soc. Iesu. — *De religiosis Institutis et personis* tractatus canonico-moralis ad recentissimas leges exactus. — Tomus I, ad usum scholarum. — Tomus II, Supplementa et Monumenta. — Brugis, Beyaert. 1902. — pag. XXV, 390. + XL, 808. Fr. 5; Fr. 16.

Auctor, priore volumine, a generalioribus ad particularia procedens, scholastica methodo nobis explicat atque a fundamentis demonstrat totum ius Regularium omnesque ipsorum morales obligationes. Nullum est in hac materia adeo intricata, difficilius problema quod penitiori investigatione simul ac facili dilucidatione non resolvat: nullum est in specie, etiam recentissimum ecclesiasticae legislationis documentum quod opportuno loco non perpendat, erudite non minus quam solide non interpretetur. Singulis titulis praeficitur Auctorum tam antiquiorum quam recentiorum catalogus locis eorum indicatis, ex quibus subiecta doctrina sedulius investigari possit. Praeter summam analyticam ab initio, copiosissimi indices scriptorum, rerum, monumentorum, ad calcem utriusque tomi praesto adsunt consultanti. — In altero volumine uberrima decisionum S.S. collectio proponitur, materiarum ordine digesta, ipsique alter chronologicus index accedit. Haec collectio prima est huius generis, quod sciam, quae typis fuerit hucusque vulgata. — Duodecim insuper commentaria exhibentur de praecipuis controversiis quae in subiecta materia inter Doctores hodie agitantur. Horum tria difficiliores versant quaestiones de paupertate ac de pecunia a Religiosis fenore accepta; absolutissimus est tractatus de vocatione religiosa. Undecimum tandem supplementum specialis est commentatio de Institutis votorum simplicium, ex postremis documentis pontificiis; in ea leges et doctrina in generaliori I tomi tractatu iam explicatae, ad novam trutinam revocantur iuxta *normas* a S. Congr. Ep. et Reg. nuper editas. — Praesens itaque opus, dum Auctorem suum Iurisconsultum simul ac Theologum prodit eximium, omnibus quorum interest (ac multi, sane sunt sive in cathedris sive in magistratu ae regiminis munere constituti) necessarium atque usu obvium adiumentum praebet, ad cognoscenda, ad tuenda, ad exequenda status religiosi iura atque officia. Idem opus insuper viam egregie parat authenticae harum Ecclesiae legum " codificationi „, quae in omnium votis profecto est.

G. A.

Epistola P. G. Arendt ad Directorem Analectorum.

Rome 5 février 1903.

Monseigneur,

Je viens de recevoir le dernier numéro de la *Revue Thomiste*, dans lequel le R. P. Mandonnet s'occupe de mes deux articles publiés en Juillet et en Août 1902, sur l'interprétation du décret d'Innocent XI au sujet du probabiliorisme. Il me serait facile de montrer en quelques lignes l'insuffisance des arguments par lesquels le R. P. fausse ma démonstration pour pouvoir paraitre la battre en brèche. Mais le ton pris par mon contradicteur et ses allures rien moins que courtoises me dispensent de lui répondre.

La discussion avec un adversaire dont les armes sont des insolences, loin de lui ouvrir les yeux au véritable état des choses, ne servirait qu'à lui donner l'occasion de troubler la charité. C'est pourquoi je préfère me retirer du débat qui est du reste, au point de vue théologique aussi bien que sur le terrain de la critique historique, suffisamment terminé.

Je vous prie, Monseigneur, de publier cette lettre dans le prochain numéro des *Analecta* et je vous réitère l'expression de mon respect et de mon dévouement en J. Ch.

G. Arendt e *S. J.*

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister.
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Arch. Myren. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente.*

Roma - 1903 - Tip. Agostiniana, Banchi Nuovi, 36.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS UNDECIMUS

FASCICULUS SECUNDUS — FEBRUARIUS 1903

SUMMARIUM

ANALECTA NOVA

EX ACTIS LEONIS XIII ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Conceduntur indulg. pro consororibus cuiusdam pii operis ab indumentis pauperum.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam

Cum, sicuti ad Nos relatum, in Parochiali Ecclesia Sancti Hieronymi civitatis Tolosanae *pium opus ab indumentis pauperum* appellatum canonice erectum existat, cuius piae consorores operam conficiendis pro egenis vestibus sedulo navant studio: Nos ut idem potiora in dies incrementa capiat, de Omnipotentis Dei gratia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus ac singulis mulieribus quae societatem eamdem in posterum ingredientur die primo earum admissionis si vere poenitentes et confessae SS.mum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, Plenariam; ac tam descriptis quam pro tempore describendis in dicto pio opere sororibus, in cuiuslibet earum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessae ac S. Communione refectae vel quatenus id facere nequiverint, saltem contritae nomen Iesu ore si potuerint sin minus corde devote invocaverint et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint, etiam Plenariam: tandem similiter nunc et pro tempore in praefatum pium opus adlectis sororibus quae ut supra admissorum confessione expiatae ac coelestibus epulis refectae, diebus festis S. Iosephi Virginis Mariae sponsi, nempe Martii mensis decimonono, ac Iulii mensis nono quo festum agitur S. Elisabeth Portugalliae Reginae, nec non Novembris decimonono quo S. Hungariae Reginae Elisabeth festivitas celebratur, supradictam Parochialem Ecclesiam S. Hieronymi a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitent, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ec-

clesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, quo ex praefatis die id agant, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Insuper iisdem nunc et pro tempore pariter memoratae Societatis existentibus sororibus quae corde saltem contrito qualibet e feriis quartis, quae primo loco singulis anni mensibus recurrit, post commune opus eodem in templo curiali benedictioni cum Sanctissimo rite impertiendae adsint, de numero poenalium in forma Ecclesiae consueta septem annos totidemque quadragenas: qua vero vice operam egenorum vestibus conficiendis navent, tercentos dies: quoties vero iuxta sodalitii tabulas quodvis pietatis seu charitatis opus exerceant, sexaginta dies item de poenalium numero expungimus. Denique largimur sororibus iisdem liceat si malint plenariis hisce, illa excepta in articulo mortis, ac partialibus indulgentiis, vita functorum labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IX Februarii MCMIII, Pontificatus Nostri anno vigesimoquinto.

Pro D.no Card. MACCHI

NICOLAUS MARINI, *Subst.*

II.

Leo XIII rescribit Episcopis Galliae gratulantibus de 25 anno ab assumpto summo Pontificatu.

LÉON XIII PAPE

Chers Fils, Vénérables Frères
Salut et Bénédiction Apostolique.

En ce temps où, de toutes parts, se multiplient pour Nous les causes d'affliction, alors que Notre âme est plus douloureusement affectée des tristesses qui Nous viennent de France, la lettre que, d'un commun accord, vous Nous avez envoyée pour Nous exprimer à l'occasion de Notre Jubilé pontifical vos vœux unanimes, a été une consolation pour Notre cœur.

Dans votre empressement à Nous féliciter si éloquemment et à Nous offrir des souhaits de bonheur à l'occasion de cet heureux événement et de la durée de Notre Pontificat, prolongée au delà de toute attente, Nous avons reconnu l' urbanité et la piété filiale des évêques de France et c'est de grand cœur que Nous vous offrons, à Notre tour, Nos vœux les meilleurs avec l'expression de Notre gratitude. Mais il semble hors de doute que ce témoignage éclatant de respectueuse soumission renferme et exprime, surtout dans les circonstances que traverse présentement l'Eglise, une plus haute signification. Nous y voyons, en effet, un témoignage évident et public de votre union : non seulement de votre concorde mutuelle, mais aussi de votre étroite union au Siège Apostolique.

Or, Nous sommes convaincu que cette concorde des évêques doit être, au plus haut point, féconde et salutaire. Elle sera d'un grand exemple pour la nation française, et il en résultera, entre vous et votre clergé, puis, entre le clergé et les fidèles, une entente plus cordiale encore qu'auparavant. Cet accord des esprits et des volontés, que, plus d'une fois, Nous avons instamment recommandé, les maux de l'Eglise qui s'aggravent de plus en plus à l'heure présente, Nous portent à le recommander plus fortement encore. Qui ne se sentirait, en effet, profondément ému, en face des machinations auxquelles sont en butte aujourd' hui les lois chrétiennes ?

Quel évêque, vraiment vigilant, peut ignorer qu'une influence funeste, partout répandue, inculque à la multitude les erreurs les plus pernicieuses, arrache à l'enfance toute religion, livre au mépris les institutions de l'Eglise, s'efforce enfin de ruiner cette Eglise elle-même, fondée par le Christ ? Et pourtant, dans toutes les branches de l'activité humaine, les nations ont ressenti les heureux effets de la foi divine ; il est évident aussi que le progrès des Etats nait du respect de la religion, et que les plus florissantes républiques ont été ruinées par l'impiété.

Seule, l'union des bons peut empêcher que la haine des méchants ne triomphe, c' est pourquoi, conscient de la volonté divine qui a fait de la chaire de Pierre le plus ferme appui de la religion, Nous avons tout tenté pour susciter, dans le clergé et dans le peuple, des résolutions proportionnées aux maux qui affligent l'Eglise. Aussi, lorsque Nous considérons ceux qui exercent l'autorité dans l'Eglise, sommes-Nous pénétré d'une joie profonde, en voyant les évêques obéir avec un zèle ardent à Nos exhortations et donner des témoignages éclatants de leur sollicitude pastorale.

Les évêques français, principalement, méritent cet éloge, car, bien qu'ils aient eu à souffrir davantage du malheur des temps et de la difficulté des circonstances, ils n'ont pas cessé d'entourer de la plus profonde vénération le siège de Pierre et de Nous aider par leur travail à porter le poids de Notre charge.

Votre lettre nous est un témoignage de ces dispositions filiales à Notre égard ; vous y consolez Notre tristesse au milieu des maux qui nous assiègent et vous y montrez des cœurs, non seulement disposés à l'obéissance, mais encore prêts à aller, s'il en était besoin, au devant de Nos préoccupations. Nous vous félicitons donc, et de votre zèle à défendre la foi des ancêtres et du bel exemple de concorde que vous donnez à votre troupeau. Vous gardez vraiment, avec une sainte et inviolable fidélité, la mémoire des premiers évêques de France, mémoire illustre et digne des louanges les plus hautes.

C'est à eux que la France doit d'avoir pu ajouter, à ses autres titres de gloire, le nom de catholique ; c'est par les évêques encore que la religion y sera maintenue à notre époque, dans tout son éclat. Il faut vous attacher fortement à ces traditions si vous voulez être assurés de préserver de toute atteinte la gloire de la France très fidèle, et de repousser efficacement les efforts des impies. Comptant sur votre vertu que Nous connaissons par expérience, Nous ne doutons pas que, pour

obtenir ces heureux résultats, vous ne combattiez avec la constance de vos prédécesseurs.

Et Notre confiance dans cette fermeté ne fait que s'accroître, lorsque Nous considérons tous les bons Français qui gardent dans leur cœur cette noblesse que votre illustre nation s'est acquise par l'accomplissement des œuvres de Dieu. L'épreuve qui les accable n'est pas une raison, en effet, d'attendre moins de vos fils, et la mauvaise fortune ne peut les dépouiller du nom si honorable de catholiques. Nous mettons aussi Notre espoir dans les prières que vous adressez à la vénérable Jeanne d'Arc et Nous avons la confiance que cette vierge si bonne vous sera d'un puissant secours.

Saisissant l'occasion de ces solennités jubilaires, vous Nous priez instamment de mettre Jeanne, toujours invaincue, au nombre des bienheureuses: ce serait pour Notre amour paternel une véritable satisfaction que d'accorder à la France catholique, comme une nouvelle marque de bienveillance, cette grâce tant désirée. Mais vous n'ignorez pas que, dans l'affaire si grave que vous Nous proposez, on doit religieusement observer les lois qui règlent la procédure de la Sacrée Congrégation des Rites. C'est pourquoi Nous ne pouvons maintenant que demander à Dieu de faire aboutir cette cause au gré de vos désirs.

Cependant, en témoignage de Notre bienveillance, et comme gage des faveurs célestes, Nous vous accordons de tout cœur dans le Seigneur, à vous et à vos fidèles, la bénédiction apostolique.

Donné à Rome, près Saint-Pierre, le 15 août de l'année 1902, de Notre Pontificat la vingt-cinquième.

LÉON XIII PAPE

Epistola Eporum Galliae gratulantium de anno 25 ab assumpto summo Pontificatu.

Très Saint Père,

L'Eglise de France est trop fière de son titre de Fille première-née de l'Eglise, pour ne pas saisir avec empressement toutes les occasions de témoigner, au Siège apostolique et à Votre personne sacrée ses sentiments d'amour, de fidélité et de dévouement.

C'eût été pour nous, assurément, une grande joie que de nous retrouver groupés autour de Votre Sainteté en ces solennités si imposantes du 20 février et du 4 mars, qui célébraient l'aurore de la vingt-cinquième année de Votre Pontificat. Si nous n'y étions pas tous, Très Saint Père, l'épiscopat français y était dignement représenté, et tous, dans une même pensée de filiale affection, nous Vous avons exprimé, dès la première heure nos félicitations et nos vœux.

Mais voilà qu'aujourd'hui, impatient de déposer aux pieds du Vicaire de Jésus-Christ le tribut de sa reconnaissance et de son admiration, le monde catholique, dans un élan magnifique de foi et de piété, devance les dates officielles, et que les Gouvernements eux-mêmes s'empressent de rendre hommage au Pontife providentiel dont l'énergie et la sagesse, en affirmant les droits du Saint-Siège, en poursuivant sa mission, en développant son influence, ont porté si haut le prestige de la papauté.

Les Evêques de France, eux non plus, ne veulent pas attendre pour s'associer, de nouveau, et par un acte public, à cette manifestation universelle, si consolante et très significative.

Ils tiennent à Vous redire une fois de plus, Très Saint Père, ce qu'ils Vous ont dit maintes fois déjà: qu'ils sont les fils soumis, dévoués, aimants de Votre Paternité; qu'ils protestent contre les entraves mises par l'impiété à l'action apostolique de l'Eglise; qu'ils souffrent de vos épreuves; qu'ils partagent vos préoccupations, vos soucis, vos peines; qu'ils reçoivent avec respect tous vos enseignements; qu'ils entrent pleinement dans les voies que Vous leur avez tracées et qu'ils sont prêts à tous les sacrifices pour seconder vos desseins.

Nous sommes heureux aussi, Très Saint-Père, de renouveler ici, au nom de l'Eglise de France tout entière, l'expression de notre vive et profonde gratitude pour les marques incessantes d'affection que Votre Sainteté a prodiguées à notre pays; car rien ne nous console autant, au milieu des tribulations de l'heure présente, rien ne nous soutient davantage que re sentir, toujours vigilante, toujours paternelle, Votre sollicitude pour la France; et nous voudrions pouvoir Vous donner l'assurance que demain, ayant repris conscience du rôle glorieux que la Providence lui a assigné dans le monde, la France saura répondre aux avances du Saint-Siège et faire encore les Œuvres de Dieu parmi les nations.

Enfin, Très Saint Père, ce désir de pacification, cet espoir d'un relèvement prochain et d'un avenir fécond pour notre pays nous pressent de confier à Votre cœur, en la circonstance solennelle de Votre Jubilé pontifical, le vœu qui est la prière instante de l'Eglise de France, de voir bientôt sur les autels notre Jeanne d'Arc, cette *Fille de Dieu*, comme disaient ses voix, en qui s'incarna, au XVe siècle, l'âme de la patrie française et qui a passé dans notre histoire comme une radieuse apparition de l'amour du Christ pour les Francs. Que du moins cette année jubilaire ne s'achève point sans que la cause ait fait le pas décisif si impatiemment attendu!

Et nous ne craignons pas, Très Saint Père que ces instances de l'Episcopat français paraissent à Votre Sainteté, ni téméraires, ni indiscrètes; car pour en avoir recueilli si souvent l'aveu sur vos lèvres, nous savons qu'elles sont l'écho de votre propre sentiment, à tel point qu'il nous semble, au contraire, entrer dans vos vues en sollicitant cette insigne faveur.

19 Juillet 1902.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 28 Februarii 1903, in palatio Apostolico Vaticano fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua praeter alia, proposita sunt infrascripta Dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure resolvenda.

A. — Per Summaria Precum.

I. Fesulana. — Pensionis. — R. *Pro facultate iuxta petita et ad mentem.*

II. Caietana. — Erectionis S. Fontis. — R. *Pro facultate iuxta petita, nihil innovato quoad functiones religiosas et*

benedictionem fontis in Sabato Sancto quae, secundum consuetudinem, in Ecclesia S. Martini tantum erit perficienda.

III. Anagnina. — Iubilationis. — R. *Pro gratia iubilationis cum solitis clausulis.*

B. — In Folio.

I. Parisien. — Nullitatis Matrimonii. — R. *In decisis.*

II. Neapolitana. — Dispensationis Matrimonii. — R. *Dilata ad 1.am post proximam.* (sub-secreto)

III. Strigonien. — Dispensationis Matrimonii. — R. *Affirmative.* (sub-secreto)

IV. S. Miniatis. — Congruae Parochialis. — R. *Ad 1um. et 2um. Ex noviter deductis recedendum a decisis et ad mentem. Mens est ut salva parocho integra congrua a Tridentino determinata, taxae persolvantur ad normam Decreti* « Cum nuperrimis ».

V. Ariminen. — Pensionis. — R. *In decisis et ad mentem. Mens est quod pensio ita reducta solvenda sit etiam quoad praeteritum.*

VI. Pistorien. — Iurispatronatus. — R. *Ad mentem.*

VII. Phaben. — Iurispatronatus. — R. *Ad I.um Negative ad 1.am partem. Affirmative ad 2.am.*

Ad II.um Provisum in 1°.

A. — Per Summaria Precum.

3035/1 I.

Fesulana. — Pensionis favore patroni.

Die 28 Feb. 1903.

Conceditur pensio lib. 3000 patronae beneficii in casu. Nam dum ex una parte dicta patrona, de ecclesia optime merita, nunc gravi egestate premitur, aliunde vires beneficii pondus pensionis sustinere possunt; et aliae adsunt impulsivae rationes.

In plenariis comitiis *diei 6 Sept. 1902* proposita fuit haec causa iudicio EE. PP. et rescriptum prodiit: *Dilata et ad mentem.* Mens fuit ut ab episcopo plenior exquireretur notitia de certa quantitate redituum praebendae parochialis annuae pensioni lib. 3000 subjiciendae iuxta petitionem oratricis nec non de ratione qua arbores cedere propositum fuerat in sylva fundi parochialis. Episcopus notitias accurate descripsit et denuo institit ut preces Oratricis pro obtinenda pensione exaudirentur, quam pensionem vehementer optat declarari perpetuam in favorem saltem duarum ecclesiarum parochialium in casu.

Quibus apprime perpensis, Emi Patres rescripserunt: *Pro facultate iuxta petita et ad mentem.*

3035/1

Fesulana — Pensionis favore patroni.

Die 6 Septembris 1902

Maria Comitissa Digerini Nuti, vidua Comitis Ioannis Piccardi, patronatus iure fruens super parochiali beneficio a S. Pancratio, in pago — *ai Sabbiani* — dioecesis Fesulanae, suo pastore viduato *die 28 Sept. 1901*, supplicem S. Sedi obtulit libellum *die 25 Apr.* eiusdem anni, adprecans ut, attentis eius necessitatibus et meritis praeclaris sui quondam Consortis erga Ecclesiam et regulares personas, ei concedere dignaretur annua super ipsum pensio ad proprias necessitates sublevandas. Innuebat, ipsam *unicam patronam* factam fuisse ratione bonorum ei assignatorum, peracta divisione patrimonii familiaris, in loco S. Pancratii — *ai Sabbiani* — et beneficium pingue esse, quia, ut ipsa asserit, praeter liquidum Lib. 3900 redituum ex fructibus agrariis evenientem, alium Lib. 2000 reditum habebat ex quadam fodina — *della lignite* — provenientem, adeo ut pensionis onus ferre faciliter posset. Asserebat, eius miserae conditionis extitisse causam praecipuam, expensas suorum bonorum dotalium et extradotalium (quasi valoris L. 400,000) factas ad conservandum et e naufragio liberandum patrimonium Consortis, qui, dum adhuc in vivis esset, totum se dederat in efficacem Congregationum et Institutionum Religiosarum protectorem, et propriis sumptibus non parcens, id praestare non dubitavit. Namque hic optimus et pientissimus vir bene utens sua politica auctoritate uti Consiliarius Municipalis et Provincialis et F. Minores morantes in Conventu — *del Vivaio all'Incisa* — et Sorores constitutas in loco — *Montughi* — Sorores a SS. Crucifixo et illas a S. Maria Magdalena protexit; cuius eximii operis, inter alios, S. Sedes testis fuit, cum ei, per Breve *10 Maii 1892*, contulit insignem Comitis titulum.

Unde humiliter repetebat pensionis gratiam etiam ad exsolvenda, saltem in parte, debita a suo viro ob finem adeo pium, contracta.

Has preces, ceu de more, ad Episcopum H. S. C. pro informatione et voto remisit, iubens ut audito parocho si beneficium esset provisum, aliter constituto paroeciae defensore ex officio, eoque pariter audito, referret de statu activo et passivo beneficii et de legitima petitionis causa. Iussa fecit Episcopus et modo relationes ab eo transmissas referre iuvabit.

Hic praemittens comitissam Mariam Digerini Nuti indubie, prout demonstravit, *veram* et *unicam esse Patronam* beneficii a S. Pancratio — *ai Sabbiani,* — redituum atque beneficii expensarum retulit notulam ab praeposito eiusdem defensore *die 18 Dec. 1901* exaratam, cum iam parochus e vivis sublatus esset, ex qua liquet, integrum statum activum in libellis 8997 et cent. 64 consistere; passivum verum libellas 5562 et dumtaxat cent. 39 absorbere; quibus ab activo detractis libellae 3435 et cent. 25 liquidae supersunt.

Affertur postea relatio facta a Defensore beneficii ex officio.

Interim Patrona, quae iam novum parochum D. Narcisum Palviani praesentavit, sibi annuam pensionem libellarum 3000 concedi adprecatur, nec non ut eidem fas sit, quasdam arbores, quercus, ad libellas 8.000 aestimatos in fundis beneficialibus caedere ad proprias necessitates oeconomicas levandas atque ad plura debita solvenda in primis ad reddendam sororibus *Clarissis* summam lib. 20.000 ab istis mutuo datas familiae Piccardi; et ex his *10.000* directe ipsi Comitissae, reliquas 10.000 Comiti defuncto; itemque ad satisfaciendum cuidam legato Missarum fundato in Cathedrali Eccles. per reditus annuos lib. 411,60; at non integre satisfacto in praeteritum, in vim libellarum 1440,60 adhuc debitarum nec non ad alia eiusmodi onera explenda. Si expetitam impetret pensionem Oratrix spondet, beneficium reddere et efficere *liberae collationis* post eius obitum, pensionem vero intelligi *perpetuam* adeo ut post eius mortem transeat in manus Episcopi in subsidium pauperum paroeciarum; hac postrema sub conditione « di far celebrare dodici messe all'« l'anno, cioè una al mese in suffragio proprio o dei defunti « più cari delle famiglie Digerini-Nuti-Piccardi, e cinque Messe « nell'Anniversario della morte dell'esponente stessa ».

Parochus ad beneficium praesentatus litteras dedit *die 20 Dec. 1901* subscriptas ex quibus patet eum, libenter acceptare quantitatem pensionis super beneficio a Patrona petitam, cum

consonat defensor, qui licet videatur indulgere tantummodo summam L. 2000, attamen postea Episcopo viva voce declaravit, ut hic refert, in summam lib. 3000 consentire.

Denique Episcopus Nobilem Patronam etiam atque etiam commendat et extollit eius merita et illustris olim Consortis C. Piccardi, eorumque religionem, mores et christianam liberalitatem erga Ecclesiam, H. S. C. suadens ut annuere dignetur precibus quoad pensionis quantitatem et formam in debitis solvendis, et subdens vera esse omnia quae Oratrix exposuit.

His acceptis precibus decretum edidi — *per summaria precum* — et hodie sapientissimo EE. VV. indicio, subiicitur examinanda Patronae petitio.

Viderentur autem Oratricis preces non esse exaudiendae. Absonum enim est a SS. Canonibus, ut tam sede vacante quam sede plena, beneficium aliqua pensione gravetur. Reapse ne alimentorum titulo quidem aliquid suppeditari posse dubium non est, cum ex SS. Canonum praescripto, praesertim vero ex cap. *Nobis de Iurepatr.* sola patronatus praerogativa haud suffragetur ad alimentorum actionem aliarumque causarum admittendam nisi cum hac qualitate duo probentur; nimirum quod patronus in vera egestate reperiatur, et quod in beneficio tanta sit redituum abundantia, ut deductis oneribus supersit summa pro patrono in alimentorum causam; ceu explicans relatum caput fuse disserit S. Rota *in Salernitana Alimentorum 11 Ianuarii 1712* cor. *Scotto* § *2.* Quando autem intelligendum sit superesse Beneficii reditus, docent Vivian. *Prax. Iurisp. lib. 1, cap. 2, n. 20;* Barbosa *Iur. Eccl. lib. 3 de Iurisp. cap. n. 217*; quibus consonat *Pit. de Controv. Patron. alleg. 44, n. 20* — ibi — « Primo loco relinqui debet Rectori, seu beneficiato ex eisdem reditibus tantum, quantum potest commode vivere, et secundo loco relinqui debet alia pars redituum sufficiens pro necessariis expensis Ecclesiae, ut apud Lambertini, *de iurep. lib. 3, quaest. 3, art. 3 n. 1. n. 7 in fine et n. 8...* Quibus deductis quidquid superest est assignandum in alimenta Patroni ». Nec secus tradit Ferraris *Biblioth. verb. Ius patronatus art. 4, n. 126* — ibi — « Primo enim loco, et omnia Ecclesia seu Beneficiatus debet providere propriae necessitati, et cultui divino, et deinde si ultra necessaria ad suam congruam et honestam sustentationem, et Ecclesiae seu beneficii reparationem et manutentionem, reditus adhuc supersint, de his subveniri debet patrono ».

Quibus in *iure* praelibatis, in *facto* de veritate indigentiae reliquarumque rationum Patronae inspiciendum foret, at cum ipsae in dubium revocari nequeant, videndum cum Fagnan. *de Iurep. tom. 1, part. 1, can. 3, caus.* 1. et Surd. *de aliment. tit. 7, quaest. 26, n. 11* num ipsa absque propria culpa ad talem conditionem sit redacta ut alimenta super Ecclesiae bonis petere possit, quod probatum non apparet. At licet hoc concedatur, tamen petitio libellarum 3000 titulo pensionis quotannis solvendarum et libellarum 8000 (ex arboribus caesis) ad minorem summam redigenda videtur iuxta votum defensoris beneficii.

Sed e contra praestat animadvertere Oratricem valde dignam esse, quae ei concedatur petitio in quantitate ab ipsa determinata, et quidem titulo *pensionis* quia actualis parochus sponte et libere paroeciam acceptavit etiamsi tali pensione a S. Sede gravaretur. At quidquid sit de titulo *pensionis* evidentissimi iuris est, tum *ex can. 38, Conc. Tolet. IV, caus. 16, quaest. 7,* tum *ex cap. Nobis 25 de Iurep.* quod pia mater Ecclesia Patronis, eorumque filiis tribuat alimenta in beneficio recipienda, si forte ad egestatem dilabantur, ita ut SS. Canonum scriptores in definitione iuris patronatus hoc significent communiter dicendo quod iuspatronatus sit ius *honorificum, onerosum* et *utile* in Ecclesia competens; *honorificum,* quia Patronus habet honorem praesentandi, etc.; *onerosum,* quia habet onus defendendi Ecclesiam, quasi pater rei patronatae, quam deduxit de esse ad non esse; et *utile,* quia habet ius alimentorum. Qua de causa apud Canonum doctores hoc inolevit effatum ab Hostiensi relatum in *Cap. Nobis* cit. — ibi — « Patrono « debetur honor, onus, emolumentum; Praesentet, praesit, de« fendat, alatur egenus ».

Siquidem nedum ex iure hoc dimanat, sed etiam ex constanti praxi H. S. C. quae eorumdem inopiae meliori quo potuit modo, opitulata est, quandoque per administrationem beneficii, quandoque per suspensionem nominationis, quandoque demum per onerum reductionem, ceu patet in *Taurinen. 30 Martii 1776; Ferrarien. Reductionis Missarum, 22 Februarii 1793; Ianuen. Cappellaniae, 21 Aug. 1819*; *Sorana Suspens. Nominat., 3 Decembris 1831.* § *Iam vero;* et *Camerinen., 20 Decembris 1834;* quinimo constat eorumdem inopiae non solum succurrisse de beneficio vacante, verum etiam de ipso beneficio pleno, *Camerinen, Canonicatus, 5 Sept. 1847* § *Verumtamen*; *Veliterna Subsidii, 17 Dec. 1853.* Nec solum huiusmodi liberalitatem S. C. exercuit erga patronos quum de eorum *absoluta* paupertate constiterit, sed et quando *relativa* premi Patroni visi sunt paupertate, ceu crebris probatur eiusdem S. Ordinis responsionibus, ut in *Ausculana Dispensationis 20 Maii 1786*; *Aquen. Cappellaniae, 3 Febr. 1787*; *Montis Alti Beneficii, 27 Iunii 1829*; et *Camerinen. Cappellaniae, 15 Martii 1819* aliisque quampluribus.

De nobilis Patronae autem egestate non esse ambigendum, amplissimum Praesulis testimonium supra relatum suadet. Ait enim ei deberi huiusmodi subsidium, habita ratione eiusdem miserae conditionis. Inutiliter autem opponerentur insufficientes reditus Beneficii. Ecquis enim facile crederet in tam pingui beneficio detrahi quotannis non posse summam libellarum 3000 ? « Nec obstat, (ait Lambert *de iurep. l. 3, q. 3, n. 6)* quod dicitur per Boffredum, hoc esse durum Ecclesiae, quia ut. . . . supra diximus, Ecclesia dat de his quae sibi supersunt, et in quantum sibi superest, quod omnino dandum esset pauperibus... magis ordinata charitas est, quod detur patrono, uxori, filiis et servitoribus, quam aliis pauperibus, qui ab alio quaerere poterunt. »

Quapropter sive consideretur misera Patronae conditio sive damnum quod Sororibus Clarissis in dies pauperioribus, et Capitulo Fesulano obveniret ob non solutum debitum, sive conditio (maxime ponderanda) reddendi beneficium *liberae collationis,* ipsius preces omnino exaudiendae videntur.

Hisce utrinque animadversis videant EE. PP. utrum votis Oratricis sit annuendum necne.

Quare etc.

1782
2

II.

Caietana. — Erectionis S. Fontis.

Permittitur erectio S. Fontis baptismalis in casu, quidquid sit de matricitate ecclesiae principalis, nam hoc videtur valde conferre utilitati spirituali aliarum duarum ecclesiarum parochialium loci.

In oppido montano — *Vallecorsa* — dioecesis Caietanae tres extant Ecclesiae parochiales, nempe Ecclesia S. Martini in loco editiore posita, et Ecclesiae S. Angeli et S. Mariae inferius eidem monti adiacentes. — Populus late patet etiam in planitie. Unus est fons baptismalis idemque erectus in Ecclesia S. Martini. Hodie parochi ad S. Angeli et ad S. Mariae, expetunt fontem erigi in singula Ecclesia parochiali et hoc expostulare vehementer bonum fidelium spirituale ipsi contendunt.

Archiepiscopus de sua sententia percontatus opinatus est votum parochorum esse explendum.

Parochi oratores plura animadvertunt et animadversionum summam modo subtexam.

Oratores Parochiarum S. Angeli ac S. Mariae in oppido Valliscursae, iterum iterumque expostulantes fontis baptismalis erectionem, ut plena huius causae cognitio simulque aequa habeatur definitio, ad haec quatuor capita EE. PP. mentem sedulo revocant.

Primò negant ecclesiam S. Martini Valliscursae matricem esse: qui titulus, aiunt, si admitti velit, ut *improprius ac honorificus* tantum est habendus, quin secumferat quamlibet dependentiam vel subiectionem earumdem parochiarum, scilicet S. Angeli ac S. Mariae, erga ipsam.

Sane animadvertunt Capitulares Constitutiones, quae unicum in iis ecclesiis de hac re documentum praebent, haec referre « *non si sa l'origine, seu, fondazione di dette chiese* ». Ex quibus deducunt, haud tuto asseri posse ecclesiam S. Martini matricem esse, alias vero duas filiales, prout nempe pars adversa praesumit.

Quin imo aiunt, ipsarum Constitutionum auctores, inquirentes quodammodo ab origine ipsarum parochiarum statum, sibi persuasisse videntur unam ecclesiam minime alteri subiectam esse. Sane eaedem Constitutiones ita exordiuntur « *Nella Terra di Vallecorsa di Fondi, si trovan erette tre chiese parrocchiali, una sotto il titolo di S. Martino, l'altra sotto il titolo di S. Angelo, e la terza sotto quello di S. Maria* »; quin ideo aliqua habeatur mentio sive de matrice sive de filialibus ecclesiis. Eo vel magis quod, cum ipsarum Constitutionum sit earum parochiarum praecipue naturam determinare, si praedictae qualitates extitissent, absque dubio eas aperte declarassent.

Revera dum adnotare eaedem satagunt « *anticamente è verosimile che vi fosse la sola chiesa di S. Martino* », nec non paullo post « *si suppongono bensì erette e dotate tutte tre queste chiese dalla Comunità* », de matricitate tamen, quamvis occasione data, omnino silent.

Confirmari eadem addunt ex episcoporum ipsius Dioecesis actis. Equidem primus inter ipsos qui de parochiis Valliscursae loquatur, et quidem fuse, prout ipsius mos erat, habetur Episcopus Comparini saec. XVI exeunte. Cur enim in visitandis ipse ecclesiis suae dioecesis, dum refert invisisse se « *parochiali ecclesiae S. Martini* » nil de ipsius matricitate disserit? Cur etiam in adiungendis duobus presbyteris, qui earumdem parochiarum parochos coadiuvarent, tum de ecclesia S. Martini, tum de ecclesia S. Angeli ac S. Mariae absque ullo discrimine loquitur? Legitur enim in decreto institutionis « *Provideatur Ecclesia S. Martini . . . Ecclesia S. Angeli . . . Ecclesia S. Mariae* ». Cur pariter quum Ecclesia S. Martini iam pridem sola intra moenia oppidi Valliscursae posita sit domibusque circumdata, quadragesimales conciones quotidie habentur etiam in ecclesia S. Angeli, non secus ac locum habebant cum haec parochia extra oppidum sita erat, neque longe lateque pateant eius fines, prouti patent fines parochiales Ecclesiae S. Martini?

Immerito autem, addunt, adversarii opponunt ea quae in Constitutionibus loquentibus de ecclesia S. Martini adnotantur, scilicet « *alla quale i Vescovi pro tempore hanno dato anche il nome di matrice* ». Id siquidem haud evenisse affirmant tempore quo Episcopus aderat Comparini, videlicet usque ab anno 1598, cum ipse, ut supra relatum est, eam appellet parochialem, prout reliquas duas. Neque ex eo quod serius matricis titulo cohonestata fuerit, ut talis iuxta ipsos eadem Ecclesia haberi potest. Quandoquidem, aiunt, tum parochia S. Angeli, tum parochia S. Mariae, quin dismembratae a parochia S. Martini fuerint, unam e contra eamdemque originem repetunt, « *si suppongono bensì erette e dotate tutte tre queste chiese dalla Comunità* ». Nulla igitur ex ipsis matrix, nullaque ut filialis habenda.

Neque mirum addunt quod Episcopi matricem postea eam appellaverint, cum id repetendum sit ex eo quod ipsa sola in oppido Valliscursae baptismali fonte fruebatur.

Verum, iuxta ipsos, ecclesiae hunc fontem habentes *improprie* et matrices appellantur: (*baptismales dicuntur etiam matrices*, Ferrari Bib. Can. Eccl. art. III n. 12). Et quidem Constitutiones ipsae, aiunt, quae haec referunt, paulo post declarare videntur eumdem titulum nullam secumferre prioritatem ecclesiae S. Martini, nullamque aliarum duarum ab ea dependentiam. Huius rei gratia in medium afferunt ea quae Ferrari in Bibl. Can. Eccl. art. III, n. 7 de ecclesia matrice adnotat « *Matrices vocantur illae Ecclesiae quae alias ecclesias aliquo modo sibi subiectas habent* ». Quod quidem iuxta ipsos dici nequit de supra dictis parochiis, cum Constitutiones subiungant: « Ma anche con tutto questo però i Parochi delle altre due « chiese non hanno veruna dipendenza dall'Arcipr. in quelle « cose che riguardano il loro ufficio, esercitando le loro funzioni « curali indipendentemente da ogni altro; epperò ogni Parroco « di dette tre chiese riconosce le case, le famiglie, l'anime della « sua Parrocchia, ritenendo presso di sè il libro *Status anima*« *rum*. Ritiene ancora ogni Parroco appresso di sè gli altri quat« tro libri curali, cioè del Battesimo, della Cresima, de' Matri« monii e dei morti ». Imo, addunt, ipsi Constitutionum conditores veluti abusus praesentientes postea exorituros, haec iterum declarare decreverunt « In somma in ordine alla cura delle ani« me, ogni Parroco esercita sopra i suoi sudditi tutti gli atti « potestativi, indipendentemente dagli altri due, nella maniera « appunto che l'eserciterebbe, se in Vallecorsa non vi fosse che « la sua sola Parrocchia ». Quare inferunt, non ex matricitate ecclesiae S. Martini ipsius fontis baptismalis possessio repetenda, cum ea tum Constitutionibus, tum iuri factoque sit contraria.

Secundo — animadvertunt Oratores ea quae adversarii, praetensa ecclesiae S. Martini iura defendentes, referunt, vel potius effutiunt, de Capitulo potius ac de Confraternitatibus, non de Parochia intelligenda esse.

Enimvero praemittunt, suas parochias *capitulares* etiam appellari, non quidem ab origine, sed exeunte circiter saec. XVII videlicet cum singularum ecclesiarum coadiutores ac parochi mutuam sibi operam praestare, eademque manente ipsarum parochiarum natura, per vices sacra expleri coeperunt.

Quare adversariis qui ad probandam superioritatem ecclesiae S. Martini relate ad S. Angeli ecclesiam, hoc in medium afferunt, nempe S. Martini archipresbyterum die S. Michaeli sacrato, ducta pompa ad ecclesiam S. Angeli accedere; respondent, publicas has supplicationes in eadem ecclesia locum habuisse, postquam capitulum efformatum fuerit, cumque eaedem tres parochiae ab uno parocho non amplius regerentur.

Hoc itaque minime ipsarum parochiarum naturam tangere videtur, secus enim dictae supplicationes etiam in altera parochia scilicet S. Mariae duci deberent. Nullo igitur pacto eiusmodi ratio suffragari videtur adversariis, pro dicta matricitate tutanda.

Nil mirum etiam aiunt Oratores si, prout adversarii obiiciunt, solummodo in eadem Ecclesia fontis benedictio peragitur in Sabato Sancto, quemadmodum et palmarum benedictio, cum ibi tantum fons baptismalis reperiatur.

Quoad autem palmarum benedictionem, cum ad hanc explendam non *tres*, prout in singulis parochiis constituti sunt sacerdotes, sufficiant, sed saltem *quinque* expostulentur, necesse profecto erat hoc munus uni ex illis ecclesiis assignare, duobus aliis Cleris concurrentibus, prout revera actum est in ecclesia S Martini. Revera cum pro duabus aliis benedictionibus solemnibus, candelarum videlicet ac cinerum, solus parochus duoque coadiutores sufficiant, ab unaquaque parochia independenter ab ecclesia S. Martini eas expleri videmus.

Neque iidem omittunt, solemnia potiusquam in ecclesia S.

Martini, agi apud S. Angeli ecclesiam. In hac siquidem Patronus princeps adest, qui duobus festivis diebus scilicet d. 8 Maii ac d. 29 Septembris solemniter colitur. Ibi pariter ineunte anno a capitulo sacra solemniter peraguntur, quemadmodum postremo anni die ab eodem gratiarum actiones Deo solemnes persolvuntur. Quadragesimales item erga Sacramentum Augustum adorationes, quae maiori apparatu explentur, in ea locum habent, solemnioribus quidem diebus, videlicet Nativitatis Domini, Paschae et Pentecostes.

Ad ea vero quae adversarii obiiciunt, ecclesiam nempe S. Martini oleum dictis parochiis pro Sacramento suppeditare, opponunt quae in Constitutionibus leguntur « Ogni Parrocchia custodisce nella sua chiesa la Sacrosanta Eucaristia, avanti la quale arde notte e giorno una lampada *a spese della Confraternita del SSmo*; (quam quidem asserunt *per accidens* in ecclesia S. Martini inveniri) la quale ancora somministra i lumi quando si porta per viatico agli infermi, e dà le candele di cera vergine per l' altare maggiore, e quelle del Sepolcro in ogni chiesa nel Giovedì e Venerdì Santo » Quare cum et ipsa S. Martini ecclesia ab eadem Confraternitate tum oleum tum etiam ceram habeat, quomodo asseri potest, aiunt, illam caeteris eadem subministrare ? Nonne et ipsa Confraternitas *a Morte*, si illud admitteretur, matricitate gaudere deberet eo quod feretrum tribus parochiis pro efferendis cadaveribus suppeditet ?

Neque difficultatem parere aiunt iurisdictionem, prout in medium adversarii afferunt, quam parochus ad S. Martini in *duas* domus, et quidem parvas exercet in parochia S. Angeli positas; cum e contra illae quae parochiae S. Angeli subsunt, et in parochia S. Martini sunt collocatae partem oppidi integram (rione) efforment.

Immerito pariter matricitas parochiae S. Martini adiudicanda foret, iuxta adversarios, eo quod advenae primis sex mensibus propriae commorationis in oppido Valliscursae, subditi S. Martini parochiae habeantur. Id siquidem repetendum esse asserunt oratores ex quadam conventione inter tres parochos eiusdem oppidi inita, eo fine ut et confusio in propriis parochianis dignoscendis arceretur, iidemque ad domicilium acquirendum utile tempus haberent. Sane eaedem Constitutiones haec in propositum habent; « Se un cittadino passa ad abitare da una parrocchia all' altra, « se non sono passati sei mei, si stima di quella parrocchia dove « abitava prima ».

Nihili etiam faciendum esse aiunt quod adversarii addunt, videlicet fonte baptismali concesso, mutuas rescindi conventiones nunc inter parochias intercedentes. Id enim in mentem tantum adversariorum pervagari affirmant.

Tertio — oratores declarare satagunt quomodo, et quanam ratione S. Martini ecclesia in oppido Valliscursae baptismali gaudeat fonte.

Repetunt id primo ex loco quo primitus eadem ecclesia posita erat. Etenim cum editior pars oppidi Valliscursae ab incolis prior occupata fuerit, eamque ut a crebris praedonum incursionibus tuerentur, muris portisque communita esset, scimus solam S. Martini ecclesiam in illo ambitu tunc extitisse, aliasque duas extra moenia in agro sitas fuisse. Sane Constitutiones referunt : « Questa solo (S. Martino) vedesi situata dentro il recinto della Terra più antica, stando situate le altre due fuori le porte, che fin ad oggi ritengono il nome delle Porte vecchie ». Ex quo fiebat ut incolarum aedes iurisdictione parochi S. Angeli ac S. Mariae subiectae a propria ecclesia non parum longe abessent, cum omnes circum S. Martini Ecclesiam reperirentur.

Quid igitur mirum si populus facilius ad hanc ecclesiam utpote viciniorem, baptismum suscipiendi gratia accedebat, praecipue cum clausis noctu oppidi ianuis, impossibile prorsus esset iis qui ad ecclesiam S. Angeli ac S. Mariae pertinebant propriam petere parochiam ?

Nullam etiam difficultatem secumferre aiunt Oratores, erectionem fontis baptismalis ibi Municipii expensis factam, seu in ecclesia tantum S. Martini. Id enim repetendum esse asserunt ex eo quod per id temporis una Ecclesia S. Martini oppidanis commoditatem praeseferebat, et quia Municipium ipsum, cui onus, pro iure patronatus, incumbit eumdem fontem erigendi ac conservandi, optimum duxit unum tantum ibi erigere, incolarum paucitate, eiusque redituum tenuitate tunc ratione habita. Sane notum est, hodie oppidum Valliscursae plusquam forsitan *sex millibus* civibus constare, dum praeterito saeculo fere *duo millia* civium numerabat adeo ut iure inferri possit ante sex vel septem saecula *quingentos* circiter ibi extitisse, pro quibus ideo sufficiens pro certo unicus fons erat ; quamvis idem fons *non exclusive* ad ecclesiam S. Martini pertineret, sed eo caeterae parochiae pari iure uterentur.

Hoc sensu interpretanda esse aiunt ea quae in Constitutionibus habentur : « Ogni Parroco ha il *ius* di battezzare i fanciulli « che nascono in Parrocchia nell' unico fonte battesimale, ecc.» Cui quidem iuri addunt Oratores nuncium mittere non modo ipsi possunt, sed et debent, utpote parochianorum bono tum physico tum morali minime coniuncto.

Quae autem in Constitutionibus leguntur : « Nei due Sabati « (Pasqua e Pentecoste) tanto l'Abate di S. Angelo, quanto quello « di S. Maria hanno il *ius* di pigliarsi un concone di acqua « benedetta dal Fonte battesimale », quid aliud innuere videntur, subdunt, nisi eumdem fontem *materialiter* unum, *formaliter* autem triplicem esse ? Ad hoc probandum baptismi administrandi *praxim* a pluribus saeculis vigentem afferunt et adnotant.

Quare cum parochus S. Martini minime facultate polleat omnes indiscriminatim baptizandi infantes, subditos videlicet aliis parochiis, neque eorum nomina in uno tantum libro referre, nec emolumentum aliquod vel quoddam iurisdictionis signum exigere, profecto ipsius ecclesiae matricitatem haud tuto comprobari posse autumant.

Quarto — denique animadvertunt incommoda seu mala quae ex praesenti rerum conditione dimanant, tam gravia, assidua, ac generalia existere ut subitum ac necessarium remedium exposcant.

Etenim quaevis humana lex aiunt etiam ecclesiastica, suo destituitur robore, cum scilicet maiori communitatis parti noxia efficitur. Atque hoc in praesenti casu fieri affirmant. Huiusque rei gratia plurimas afferunt subscriptiones parochianorum tum S. Mariae tum S. Angeli de hac re conquerentium, opportunaque ab ecclesiastica auctoritate remedia expetentium, tum etiam ipsius Archiepiscopi Caietanae Dioecesis testimonium, enixe eadem ab H. S. O. efflagitantis.

Interim animadvertunt S. Martini ecclesiam in summitate collis Valliscursae positum esse, ad eamque difficiles prorsus, utpote ascensu asperas, patere vias, et quidem dissitas; idque hiberno praesertim tempore. Propter autem aëris inclementiam maiora habentur incommoda, cum scilicet et imbres ruunt oppidum inundantes, et nix congeritur, ventique saeviunt. Quae quidem omnia si difficultatem maximam matura aetate et valetudine pollentibus pariunt, quid de puerulis recens natis sacrum baptismum suscepturis dicendum ?

E contra animadvertunt ecclesiam S. Angeli commodiore in loco esse positam, aedibusque valde proximam. Eo vel magis quod ecclesiam S. Martini petentibus opus sit tum prope ecclesiam S. Angeli tum S. Mariae transire.

Quare cum hodiernus Episcopus nil adhuc de iis statuerit, hae familiae valde expostulant ut parochiis S. Angeli vel S. Mariae, utpote vicinioribus, aggregentur. Neque consonum iustitiae foret asserunt, quod quamplurimi alii damnum hoc persentire cogerentur, eo quia tres illae domus, quae circiter *quindecim incolas* continent, parochiae S. Martini adhuc subdi deberent.

Neque omittunt, ipsum S. Martini parochum easdem via-

rum difficultates, nec non a dicta ecclesia distantiam in medium attulisse, cum scilicet actum est de petendo sibi a S. C. C. coadiutore; tum etiam quotiescumque iidem parochiani, aliique de ipsius negligentia in parochiali munere explendo conquesti sunt. Suam orationem concludunt aientes quod praedicta mala continuo deplorentur ac generalia extent, utpote maior populi pars in planitie consistat, quare parochianorum indignatio magis in dies augetur adeo ut quidam baptismi ipsius susceptionem per hebdomadas, atque etiam per menses differant.

Denique decem familiae quae domus habent in planitie at comprehensas finibus parochiae S. Martini singulae attestatae sunt se, ob nimiam distantiam, nunquam accedere ad Ecclesiam S. Martini, ast Ecclesiam S. Angeli habere uti suam parochiam, cui adscribi peroptant et expetunt: attestationes legitime subscriptae prostant in actis.

Ex adverso Archipresbyter S. Martini contradicens his petitionibus deducit in primis, suam Ecclesiam matricitatis iure super aliis Valliscurtiae pollere. Id ut demonstret iura quaedam singularia recolit quibus sua Ecclesia gaudet. Haec inter iura memoratu digna sunt: iurisdictio in alienigenas, etiam in aliarum paroeciarum territorio morantes, qui nondum a sex mensibus domicilium transtulerunt: praeeminentia in supplicationibus: benedictio palmarum: et denique — quod proprius hanc causam attingit et est praecipuum matricitatis signum — exclusivum ius erigendi et benedicendi S. Fontem ad quem alii Parochi accedere debent. Quae matricitas confirmatur perantiqua traditione, testium depositionibus roborata (n. 1690), et inscriptionibus quibusdam quae leguntur in ipsa Ecclesia. Ius ergo, concludit Archipresbyter, suae Ecclesiae fontem adiudicat. Ut aliis concedatur petentibus Ecclesiis, id pro gratia tantum fieri potest.

Pro gratiae vero concessione, ait Archipresbyter, desunt causae legitimae imo urgentes; quibus cessantibus nedum S. Fontis erectio Ecclesiis *dependentibus*, sed Ecclesiis quoque *independentibus* denegatur, praesertim ubi consuetudo refragetur. Quaenam autem causae legitimae et urgentes sint habendae ex quibusdam huius S. Congr. decretis (*S. H. C. die 24 ian. 1885*) iuxta oratorem eruitur: quae sunt 1) ut suus cuique pastor Sacramenta administret, 2) notabilis locorum distantia, itineris asperitas, et grave puerorum baptizandorum vitae discrimen tempore hiemali. Haec omnia iuxta Archipresbyterum, desunt in casu.

Et revera Vallicurtiae prima ratio non est applicanda, quod ibi quisque parochus pueris suae paroeciae baptismum ministrat quamvis hoc facere debeat in Ecclesia S. Martini, et baptizatorum libros quisque servat in sua paroecia.

Nec, prosequitur Archipresbyter, existunt in casu distantia et asperitas locorum et vitae puerorum discrimen. Valliscurtia, enimvero, in montium declive iacet et prominet, ab aequore maris, altitudine m. 350. Est montibus, qui ventis sese opponunt, omni parte circumdata, ea excepta quae ad septentrionem vertit. Siquando ningit, quod perraro evenit, aëris benignitate nix quamprimum funditur. Distantia vero, prosequitur Archipresbyter, inter Ecclesiam S. Martini et duas alias paroeciales Ecclesias est vix centum passuum ut patet ex mappa quae in actis extat. Viae autem admodum faciles.

Quod cum ita sit, si attendatur et Ecclesiam S. Martini in medio civitatis sitam esse, nullum sane habetur incommodum pro civibus qui pueros ad baptismum ducunt.

Recolit Archipresbyter, erectionem fontis H. S. C. negasse Ecclesiae cuidam civitatis Itri dum ibi eadem fere quae in casu nostro distantia inter ecclesias matricem et filialem, sed maxima aëris asperitas et ventorum impetus. Si autem facta est fontis concessio aliquando, eadem etiam in civitate, Ecclesiae non parochiali, haec mille passibus ab Ecclesia matrice distabat: et incommoda permulta ob viarum longitudinem et asperitatem, ibi evenerant, quae hic omnino absunt. — Ibi ipsi parochi cum civibus testabantur de magno incommodo, in casu vero nostro, prosequitur Archipresbyter, dum parochi incommodum testantur, cives ad Ecclesiam S. Martini valde mane accedunt ex finitimis paroeciis ut Missae intersint: et Parochi ipsi eo frequenter se conferunt ut muneribus capitularibus fungantur.

A veritate ergo aberrant causae quas petitiones pro paroeciis S. Mariae, et S. Angeli exhibitae afferunt ut fontem unaquaeque paroecia obtineat; et, ait Archipresbyter, valde timendum est ne potius iniuriam Ecclesiae S. Martini iniicere intendant oratores, quam bonum animarum prosequi.

Vero, prosequitur Archipresbyter, negari non potest aliquando Valliscurtia baptismi administrationem aliquibus diebus retardari; sed cum hoc eveniat etiam pro pueris familiarum prope Ecclesiam S. Martini degentium, causam cunctationis nullam esse ex adductis ab actoribus certum est, sed potius quod tantum suppleri debeant caeremoniae cum sacramentum ab obstetricibus iam sit ministratum, vel quod patrinos cives expectant ex finitimis vicis adventuros, vel etiam quod puerpera vult et ipsa convivio baptismali adesse. Qui abusus saepius sed frustra inter concionandum ab Archipresbytero S. Martini reprobati sunt.

Nec morari oportet in aliis causis ex adverso adductis refellendis, prosequitur Archipresbyter. Expensas enim graves pro mutata civium plurium conditione non verificari in casu planum est; quia si in Ecclesia parochiali S. Angeli, vel S. Mariae pueri adducantur, expensae non minuentur. Immo, si quid est dedecoris in paupertate, id augetur: nam ad Ecclesiam S. Martini patet accessus per vias remotas et etiam exteriores: contra ad Ecclesiam S. Mariae, et praesertim S. Angeli accedi nequit, quin transire oporteat per vias civium commercio frequentiores. Municipium denique oeconomica ratione ductum unum tantum fontem (in Eccl. S. Martini) erexisse, nec verum esse nec verisimile ictu oculi apparet. Nam Municipium, ut patet ex constitutionibus, omnia quae ad divinum cultum sint necessaria suppeditat: tanta vero largitate ut pro animarum bono rurales Ecclesias aedificaverit et instruxerit. Quis credat tum solum expensis ipsum pepercisse quum agebatur de fonte in aliis duabus Ecclesiis erigendo? eoque magis quod pro fontium manutentione nihil omnino est expensarum. Denique Archipresbyter memorat anno 1834, baptismalem fontem erectum, invito Archipresbytero in Ecclesia S. Angeli, re ad S. H. C. relata, remotum fuisse: quod sane persuadet, hodie eumdem non esse erigendum quum adiuncta eadem sint.

Quare.

Emi Patres rescripserunt: *Pro facultate iuxta petita, nihil innovato quoad functiones religiosas et benedictionem fontis in sabbato Sancto quae, secundum consuetudinem, in ecclesia S. Martini tantum erit perficienda.*

III.

Anagnina. — Iubilationis.

Verificatis conditionibus de continuo et laudabili quadragenario servitio, et constito quod servitium chorale non patietur detrimentum, S. C. concedere solet indultum jubilationis Canonicis, etiam Dignitatibus, ut in casu.

Die 3 Sept. 1902 Camillus Taggi, Praepositus Capituli Cathedralis ecclesiae Anagninae ad H. S. C. supplicem obtulit li-

bellum, postulans ut sibi iubilationis indultum concederetur seu exemptionis a servitio chorali in diebus etiam festivis cuiusvis ritus, referens «... pel servizio corale rimangono al presente altri dieci canonici e quattro beneficiati, numero più che sufficiente a compiere decorosamente gli uffici divini. Una tale giubilazione venne concessa, consenziente il Capitolo, al fu D. Filippo Onorati Canonico della stessa Cattedrale con Rescritto dato ai 4 di Luglio del 1890 della S. Congregazione del Concilio benchè il numero dei Canonici allora rimasti al servizio fosse minore dell'attuale ».

Porrectae preces duplex habent adnexum instrumentum, *primum* de continuo et laudabili servitio praestito a Camillo Taggi sive ut Canonico per 30 et unum annos, sive ut Praeposito per ultimos 9 annos, in summa, per 40 annorum spatium; *alterum* de simili indulto die 4 Iulii 1890 ab H. S. C. concesso D. Philippo Onorati eiusdem cathedralis Canonico, licet minor tunc esset inservientium numerus. — Utrumque instrumentum exaratum fuit a Capituli Secretario ad illud deputato ex deliberatione capitulari *diei 20 Augusti 1902*.

Porro ex *primo* documento constat:

1. Camillum Taggi die 5 Aprilis 1862 renunciatum fuisse canonicum cathedralis Anagninae; per annum capitularem a die 1 Iulii 1861 ad 20 Iunii 1862 indultum obtinuisse abessendi *ratione studiorum* atque retulisse 33 *fallentias* seu absentias quoad integrum diei servitium et 4 *punctaturas*.

2. Per annum capitularem 1862-1863 eodem usum esse indulto atque habuisse 42 *fallentias* et 10 *punctaturas*.

3. Per annum 1863-1864 habuisse 3 *fallentias*.

4. Ab anno 1864 ad 1870 librum fallentiarum deesse, sed antiquiorem Canonicum Iosephum Bonderli testari de assiduo oratoris servitio.

5. A die 1 Iulii 1870 ad 5 Aprilis 1902 omnimode constare de laudabili servitio.

6. Laudabile servitium a die 6 Aprilis ad 31 Augusti huius anni praestitum, abunde compensare *fallentias* trium priorum annorum necnon paucas *punctaturas* nequidem notatas cum de re minima ageretur.

7. Canonicum Taggi, post priores annos, pluribus renuntiasse vacationis diebus ex duobus mensibus a constitutionibus capitularibus concessis.

Ex *altero* documento evincitur Capitulum rogatum ab H. S. C. circa preces canonici Onorati respondisse :

1. Canonicum Onorati per 40 annos semper fuisse assiduum atque 91 fallentias tantum habuisse et 9 punctaturas.

2. Tunc temporis fuisse 8 canonicos inservientes, cum tres morbo habituali laborarent, atque alius, qui nihilominus diebus festivis inserviebat, quamvis iubilationis gauderet indulto.

3. Capitulum censuisse ex concesso indulto nullum servitio chorali damnum obventurum, tum quia sufficiens erat inservientium numerus, tum quia Canonicus Onorati promiserat se, quando commode posset choro adfuturum.

Porro die vero *9 Septembris 1902*, ab H. S. C., excepto supplici libello canonici praepositi Taggi, uti de more, Ordinario Anagnino rescriptum est ut « *inspectis fallentiarum libris doceat de continuo et laudabili oratoris servitio per 40 annos et utrum ex petito indulto damnum obventurum sit chorali servitio* ».

Vestra iussa faciens Episcopus, ad pleniorem informationem, votum Capituli exquisivit, illudque votum, cui in omnibus adhaeret, die 14 Septembris 1902, ad H. S. C. transmisit.

Porro in coetu capitulari extraordinario cui 7 interfuerunt canonici, die 13 Septembris habito, omnes capitulares de continuo et laudabili Oratoris servitio testimonium dederunt; sequentes tamen proponunt considerationes.

Falsum esse, aiunt, quod asserit Praepositus Taggi, numerum scilicet canonicorum modo esse *decem* seu maiorem quam tempore Canonici Onorati quo fuerunt octo. Nam in relatione commissionis habita die 10 Aprilis 1902, cui ipse praeerat Taggi, cum de obtinenda dispensatione a cantandis conventualibus ageretur, haec leguntur n. 4. « Dei canonici della cattedrale quattro sono indultari per ragione d'insegnamento nel seminario diocesano, un altro cioè il Canonico Bianchi da parecchi anni è indultario per infermità, ed infine il canonico Penitenziere spesso deve assentarsi dal servizio corale per ascoltare le confessioni ». Insuper ex medici praescripto, Canonicus Bonderli horis tantummodo matutinis choro interesse potest ita ut mane sex tantum adessent inservientes si Praeposito indultum concederetur, vespere vero nonnisi quinque.

Subiungit Capitulum rationibus omnino specialibus ipsum olim motum fuisse ad emittendum votum in favorem Canonici Onorati.

Praeterea notant capitulares, per leges capitulorum eversivas a laica potestate latas, septem canonicatus fuisse suppressos, proindeque missas conventuales ad illos spectantes a reliquis posthac celebratas fuisse ; et adiiciunt capitulares : « E detto gravame ben verrebbe ad accrescersi se accordato un indulto amplissimo al Proposto le due settimane di suo turno si aggiungessero alle 7 settimane dei canonici soppressi. In tal guisa i canonici superstiti (giacchè a forma delle constituzioni capitolari, due canonici uno cioè dell'ordine suddiaconale e l'altro dell'ordine diaconale, non sono tenuti alla celebrazione ed applicazione delle messe conventuali) terminato il loro turno che è di 9 settimane dovrebbero accollarsi un turno di altre 9 settimane restando così gravati di un doppio peso che prima non avevano ».

Iniquum vero maxime reputant canonici, cum Praeposito specialia incumbant onera eique idcirco duplum tribuatur stipendium, caeteris absque ulla remuneratione, onera illa imponi.

Ideo timent Canonici, si Praeposito iubilatio concedatur, ne Canonicus qui singulis annis in Vice-Praepositum eligitur, tale munus utpote odiosum, nullam adnexam habens remunerationem, abscisse recuset.

Hisce praemissis, atque attento parvo inservientium numero Capitulum existimat aliquod damnum chorali servitio obventurum.

Attamen, capitulum ut consuleret casui quo indultum Iubilationis Praeposito concederetur, praeterea in eodem conventu capitulari hanc proposuit quaestionem : « Se cioè gli oneri speciali sopra descritti, inerenti alla Propositura, a tenore delle costituzioni capitolari, ed introdotti da legittime consuetudini, debbano rimanere tutte a carico dell'attuale Proposto fermo sempre a lui restando l'obbligo d'intervenire al coro anche per l'officiatura nei giorni in cui dovrà funzionare esso stesso, intervenire alle processioni, assistere al Vescovo nelle messe Pontificali, od altre funzioni di rito, in cui suol fare assistenza lo stesso Vescovo » atque unanimiter 7 Canonici praesentes per suffragia secreta *affirmative* responderunt.

Cui voto Capituli, Praepositus Taggi animadversiones quasdam opponit atque sapienti EE. VV. iudicio subiicit. — Orationem suam in duas partes dispertitur ; in prima principia quaedam recolit quibus S. C. in huiusmodi indultis elargiendis duci solet ; in altera enuntiata principia praesenti applicat casui.

Et imprimis, auctoritate nisus Ben. XIV in *Inst. eccl. 107 § 9 n. 64* fundamentale proponit principium, nimirum plenam iubilationem, H. S. C. constanti praxi, indulgere solere illis Canonicis et beneficiatis, qui per 40 annos laudabile et continuum praestiterint servitium modo sufficiens remaneat inservientium numerus nullumque exinde servitium chori patiatur detrimentum.

Deinde inquirit, quot in Capitulo inservientes adsint necesse sit ut alicui eorum indultum iubilationis concedi possit, et praehabita distinctione dies feriatos inter et festivos, reputat diebus feriatis sufficere numerum ad 10 inservientes non attingentem, festivis vero numerum 10 inservientes parum excedentem, vel saltem non esse dubitandi locum quin etiam in ecclesiis cathedra-

libus 13 vel 14 sufficiant. Primum exinde deducit quod R. D. Vincentio De Santis Canonico Anagnino, concessa fuit iubilatio ad feriatos dies restricta, licet propter leges evasionis, 4 tantum superessent inservientes. Alterum vero exinde eruit quod canonicis Collegiatarum minorum civitatum, antequam supprimerentur, non semel concederetur jubilatio, quamquam raro in hisce capitulis inservientes plus quam decem numerarentur atque insuper ex eo quod iubilatio concessa fuit Praeposito Cathedralis ecclesiae Brictinorien., licet tres tantummodo dicerentur in choro esse mansuri. Ita censuit S. Congr. uti videre est in *Ripana Iubilationis 29 Nov. 1710 lib. LX Decretorum*, uti refertur inter *Canones et Decreta Conc. Trid.* in editione *Richter Lipsiae* pag. 362 (ibi) « In antepenultima cong. concessa fuit « iubilatio Praeposito Cathed. Eccles. Brictinorien, non attenta « oppositione capituli reclamantis quod TRESDECIM erant CANONICI « et QUATUOR mansionarii addicti servitio Ecclesiae et quod TRES « ex canonicis erant cura animarum praeoccupati, DUO mala va- « letudine praepediti, et alter iubilationis iam fruens indulto; « et quod fortius est, licet NOVEM essent canonici comprehenso « praeposito et dempto uno qui ad organum, altero qui ad con- « fessarium adstare debet, demptisque aliis tribus qui altari ce- « lebrando adsistere tenebantur et sic dicerentur TRES tantum- « modo in choro esse mansuros — S. Cong. censuit — esse « Praeposito concedendum iubilationis indultum ».

Secundo, notat orator gratiam plenae iubilationis non modo Canonicis et Beneficiatis sed potiori titulo concedi dignitatibus Capituli.

Patet illud ex ipsa natura iubilationis quae est vacatio ab opere in servitio chori praestando. Etenim si Dignitatibus vel nullo modo vel nonnisi ex parte indulgeretur iubilatio, illud sequeretur absurdum illos, qui ratione specialium onerum, maiores impendunt vires, minus dignos esse vacationis a servitio laudabiliter praestito. Deducitur deinde ex supracitata decisione S. C. C. *in Ripana Iubilationis*, et ex altera eiusdem S. C. in *Fulginaten.*, qua censuit R. D. I. B. De Iustis jam iubilatum ut Canonicum Decanum Cathedralis Fulginatensis et postea Priorem renuntiatum, nova iubilatione non indigere sed iam obtentam eidem suffragari etiam respectu Prioratus in omnibus et per omnia servata forma eiusdem indulti.

Tertio tandem observat, iubilationem esse exemptionem ab oneribus servitii choralis adeoque haec a reliquis capitularibus esse sustinenda quin ea de causa concessioni gratiae sese opponere valeant uti videre est in una *Nullius S. Foropompilii* 18 Iunii 1726 in qua S. C. censuit « iubilationis indultum concedendum esse, dempto onere missae conventualis, » quod apponere volebat capitulum adiuncta clausula *et amplius*.

Unde infert Praepositus, onera specialia Dignitatum indulto fruentium, si iubilatio conceditur, a reliquis posthac esse ferenda.

In altera parte suarum animadversionum orator duo ostendere satagit: primo omnes haberi conditiones pro concedendo sibi indulto, deinde difficultates a Capitulo motas nullo niti fundamento.

Imprimis de continuo et laudabili servitio abunde constat tum ex libro fallentiarum tum ex voto Capituli.

Insuper nullum ex concessa gratia, propter defectum inservientium, iuxta Praepositum, servitio chori obveniret damnum. Capitulum enim Cathedralis Anagninae 12 numerat Canonicos et 6 Beneficiatos. Porro ex Canonicis, unus, canonicus Bianchi indulto gaudet ratione infirmitatis, quatuor nempe Anelli, Biondi, Franc. Sibilia, Angelus Sibilia simili gaudent indulto *ratione magisterii*. Ex sex beneficiatis autem unus nempe Protani indulto gaudet *ratione infirmitatis*, unus vero deest, quippe ex venia apostolica praebenda nemini est collata et veluti in suspenso manet.

Unde si iubilatio Praeposito concedatur diebus feriatis 10 supersunt inservientes 6 nempe canonici et 4 beneficiati, diebus vero festivis et quibus in seminario non docetur sunt 14, qui numerus, ex dictis abunde sufficiens esse liquet.

Postremo loco Praepositus respondet difficultatibus a Capitulo motis et observat, ut rite comparatio instituatur, etiam beneficiatos in censu esse habendos, atque distinctionem inter dies feriatos et festivos faciendam esse.

Exinde de hodierno statu Capituli asseverat Praepositus ex supra facta enumeratione inferri, si etiam deducatur Can. Poenitentiarius (quem immerito a numero inservientium excludi opinatur orator, propter onus audiendi s. confessiones), diebus festivis 13 esse inservientes, ceteris vero 9.

Modo ex meo munere haec advertam. — In primis, non videtur alicui inniti fundamento suppositio a Praeposito facta, nempe Capitulum in computando inservientium numero, Can. Poenitentiarium exclusisse, quippe capitulares hoc nullimode asserunt, aut testantur.

Propius ad controversiam accedendo, animadvertere praestat, iubilationem veluti odiosam haberi utpote imminutionem cultus divini inducentem, eaque de causa requisita rigorose debere impleri, adeoque continuum et laudabile quadragenarium servitii tempus computandum esse deducto tempore absentiae *ratione studiorum* etiam cum debitis licentiis et indultis uti declaravit S. C. in *Nepesina Iubilationis 28 Octobris 1711*, et aperte colligitur ex decretis generalibus super dubiis iubilationis die 17 Decembris 1718 ad *I dubium*.

Eo magis hoc attendi debet in themate cum Praepositus vix excesserit sexaginta aetatis annos et inde viribus polleat integris. — Ad haec, Praepositus non est oriundus Anagninus et canonici timent, ne iubilationis obtento indulto, ipse in suam patriam se recipiet. — Quoad vero indultum a Gregorio XVI concessum Praeposito Ambrosi advertitur in rescripto cautum fuisse « *Gratiam elargimur pro causis nobis notis in exemplum « non afferendam* ». Equidem Praepositus Ambrosi *viginti* annos egerat Vicarium Generalem et sua liberalitate Ecclesiam Anagninam prosecutus est cui moriturus 18,000 millia scutatorum reliquit pro erigenda nova paroecia.

Impletis vero conditionibus, H. S. Congr. votum Episcopi et Capituli non exquirit ut ad gratiam elargiendam eorum consensu roboretur, sed indultum concedere solet, etiam dissentiente tum Episcopo tum Capitulo uti videre est in una *Civitatis Plebis Iubil. 24 Nov. 1782; Civitatis Castellanae 15 Iulii 1820; Sutrina 21 Februarii 1824; Firmana 9 Aprilis 1859.*

Imo in una *Civitatis Castellanae* 17 Sept. 1842, cum, propter exiguum inservientium numerum, Episcopus nollet exequi indultum Archipresbytero concessum, censuit S. C. « exequen- « dum, salvo Episcopi iure revocandi oratorem ad servitium cho- « rale in casibus urgentis necessitatis ». Quod ius Episcopi ex pluribus decisionibus S. C. C. constat, uti in una *Aquilana 27 Sept. 1659* ad 3.um dubium *lib. 21 Decret.; Sabinen. 2 Octobris 1717 lib. 67 Decret.; Civitatis Castellanae 15 Iulii 1820.*

Quoad alterum vero, quantus scilicet debeat esse numerus inservientium ad effectum obtinendi iubilationem, nulla generalis regula dari potest sed S. Congr. respondit: « *Dabitur resolutio in casibus particularibus* » ita in decretis generalibus iubilationis die *17 Decembris 1718* ad 3.um *dubium.*

Ultimo recolere non omittam rescriptum quod ab EE. VV. prodiit in una *Senen.* 16 Martii 1726 in qua ad dubium: « *An indultum iubilationis concessum Fabio Ballato olim Canonico ecclesiae Metropolitanae Senen. eidem suffragetur post obtentam in eadem ecclesia dignitatem decanatus in casu?* » responsum fuit:

« *Affirmative, dummodo in solemnioribus inserviat* ».

Quare.

Emi Patres rescripserunt: *Pro gratia iubilationis cum solitis clausulis.*

B. — In Folio.

1669
——
44

IV.

S. Miniatis. — Congruae Parochialis.

Ex noviter deductis, receditur a sententia 7 Sept. 1902, quoad solutionem congruae parochialis et taxarum.

De hac quaestione actum est *Die 7 Sept. 1901* (1) in plenariis Comitiis EE. PP. et hisce propositis dubitandi formulis « I. An portiones tum lib. 852,60, tum lib. 418,32 sint re- « pendendae a Capitulo immunes a quacumque taxa in casu — « et quatenus affirmative, — II. An parochus ius habeat repe- « tendi a Capitulo reditus non solutos ratione taxarum in casu »; rescriptum est: *Ad mentem.* Mens vero fuit ut una et altera portio rependeretur parocho immunis a quacumque taxa. Quod rescriptum appellatione impetiit Capitulum Praten. et constituto sibi procuratore hodie plura deducit unde arbitratur, *Emos Patres recessuros a decisis.*

Equidem ex noviter deductis advocatus contendit unionem per Bullam S. Pontificis Pii IV *In supremo Apostolicae, die 7 Nov. 1562* ordinatam, vi cuius Ecclesia Plebalis sub titulo S. Leonardi loci *Cerreto-Guidi* in dioecesi S. Miniatis uniebatur Ecclesiae Cathedrali dioecesis Praten. (uti explicatum est in *folio* actionis *diei 7 Sept. 1901*), habitam fuisse sub diversis conditionibus ab iis relatis in citato *folio*, in quo assertum est: « Vi « eiusmodi unionis cathedrale Capitulum iure potitum est per- « cipiendi reditus uniti beneficii, nonnullis tamen adiectis one- « ribus, videlicet 1) ut in plebali Ecclesia a S. Leonardo Vi- « carium constitueret ad nutum amovibilem cui traderet certam « pecuniae summam; 2) ut quotam redituum partem erogaret « Prioratui Ecclesiae loci Stabbia in congruae portionem; 3) et « reliquos reditus attribueret Ecclesiae Parochiali Ecclesiae Pra- « ten. ». Iamvero hodie advocatus ex productis novis documentis asserit, Bullam unionis iussisse tantum ut Vicario loci *Cerreto-Guidi,* soluta pensione, reliqui reditus universi ipsi capitulo cederent. Postea vero facta *dismembratione,* a veteri paroecia loci *Cerreto-Guidi,* divisam fuisse paroeciam loci *Stabbia,* eidemque Ecclesiae Capitulum congruam assignasse. Praeterea, progressu temporis, certam numeratam pecuniam, quam Capitulum obtinebat destinatam alendo parocho Pratensi, ipsum Capitulum impendisse in emendis fundis in loco *Cerreto-Guidi,* et inde factum fuisse, Capitulum inibi plures fundos possedisse sed ex his *septem* tantum provenisse ex unione paroeciae, *Cerreto-Guidi.* Quum vero leges assis ecclesiastici eversivae sub anno 1866 editae sunt, Capitulum a fisco nonnulla, nempe octo, vindicavit praedia, uti narratur in citato *folio* nempe « octo ex istis recuperare « valuit, horum aestimatis reditibus in summam lib. 5607, qui « rependerentur parochis, videlicet lib. 3316,20 in congruam « parochialem Ecclesiae Cathedralis Praten., LIB. 1728,33 PRO « PLEBALI ECCLESIA Cerreto-Guidi; lib. autem 562,71, Prioratui « loci Stabbia erogarentur ».

Advocatus autem contendit, Capitulum omnes reditus provenientes ex bonis a fisco vindicatis, et paroeciae loci — *Cerreto-Guidi* — destinatis, omnes impendere in bonum eiusdem paroeciae, imo non semel, plus impendisse quam ipsum non perceperit ex praedictis praediis. Inde infert, Capitulum certe non teneri aliquid praestare, cum demonstraverit sibi non superesse ex dictis bonis aliquos reditus quos eroget in subsidium Ecclesiae — *Cerreto-Guidi.*

Modo summam subtexam animadversionum procuratoris Capituli; sed antea referendum est, hodie beneficium Plebale esse vacans ob mortem Plebani Rotolini, et inde hanc quaestionem resolvere interest quoque heredum Sacerdotis Rotolini qui instant ut sibi rependatur a Capitulo quod istud illegitime, titulo congruae, non solvit eidem Sacerdoti Plebano.

Hoc praemisso *in facto* — ait advocatus — quisque videt *in iure* Capitulum non esse nisi administratorem bonorum, quorum reditu tres Parochi vivunt: administratorem ideo vero constitutum fuisse a fisco, quia patronus erat beneficiorum.

At administrator ultra *vires* patrimonii administrati teneri non potest: quin obstet unio facta capitulo Plebaniae *Cerreti.* Haec enim Capitulo unita est in eius commodum: summe ergo iniquum esset, si Capitulum iam tributis et fisci rapina depauperatum unionis intuitu, hoc grave damnum persentiret, ut perexiguo canonicis relicto reditu Parochum *cerretanum* augeret.

Ex quibus infert advocatus, uno tantum casu, ius esse potuisse Parocho ut tributorum indemnitatem a Capitulo repeteret, si probaretur praedia Capitulo data pro congruis plus reddere quam quod fiscus aestimaverat: et ideo superesse de praediorum reditu unde tributa resarciantur. Sed hoc longe abest, ut eveniat, iuxta advocatum: nam exhibet codicem *accepti* et *expensi* ab Episcopo recognitum, unde eruitur reditum praediorum nec tribus pensionibus numerandis sufficere. Re vera, aestimatis, ut aiunt, *mediis reditibus* unius *decennii,* ex praediis Capitulo quotannis summa libell. 5343: 10 obvenit. Tres contra pensiones lib. 5607: 24 attingunt. Quapropter in toto decennio 2641: 34 lib. minus, quam quod debebat, Capitulum exegit.

Ex hoc liquet, iuxta advocatum, attentis noviter deductis, sententiam esse revocandam: quippe quae praecipue in facto *duobus* erroribus niteretur. Quorum unum illud est quod credebatur iuxta Bullam unionis, soluta Parocho pensione, superextantem reditum Paroeciae tribuendum esse. — Alterum est, quod, id affirmante Rotolinio, putabatur longe plus Capitulo obvenire, quam quod tribus Parochis solvendum erat.

Immo Capitulum, contendit praeterea advocatus, eximendum est a solutione augmenti quam anno 1858 Parocho *Cerreti* assignavit: nam haud amplius ratio est, cur hoc augmentum, a fisco non recognitum, solvatur.

Quin opponi possit congruam Parochi *Cerreto-Guidi* extenuari non posse, quia secus impar Parocho alendo evaderet. Nam quamvis id verum esset, Capitulum non est in culpa, nec iacturam a fisco illatam, ex dictis, resarcire teneretur. Parochus supplementum, ut aiunt, congruae petere deberet, a fisco: et exemptionem a taxa vulgo *manomorta,* quae, quum iam a Capitulo solvatur super valore praediorum, admitti non debet ut denuo solvatur super reditu, quem Parochi percipiunt. Ex altera parte id prorsus aberrat a veritate, iuxta advocatum, quod de tenuitate congruae Parochi *Cerretani* dictitatur. Haec enim congrua, ait ipse, libellarum plus quam tria millia attingit (3324: 69): ut apparet ex quodam libro ab ipso Rotolinio exarato, cuius particula ab advocato allegatur.

Ex adverso nonnulla, ex officio, advertam favore Ecclesiae Plebalis hodie suo pastore viduatae. Neque deest argumentum contradictionis, quum Capitulum expetat, Emos Patres *recedere a decisis*; nulla vero subsit ratio cur iste *recessus* edicatur. Nam quaestio hodie in eodem statu versatur ac erat *die 7 Sept. 1901.* Sane documenta nuper allata probant quaenam fuerit origo obligationum Capituli erga Ecclesiam loci — *Stabbia* — nec non erga Ecclesiam parochialem Cathed. Praten.; — sed ista ad nos non pertinent, quippe nostra interest tantum, Capitulum ex secuta *unione* onus assumpsisse solvendi *pensionem* parochialem seu *congruam* Ecclesiae Plebali loci — *Cerreto-Guidi.* — Hodie autem non quaeritur quodnam lucrum aut commodum perceperit Capitulum ex ista unione, neque an istud lucrum adhuc perseveret post editas iniquas leges assis ecclesiastici eversivas, sed hoc unum in controversia est, Capitulum ex certa obliga-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.,* vol. IX, p. 392.

tione sibi assumpta debere solvere *congruam pensionem* Sacerdoti Plebano.

Quare videtur ad rem non facere propositio ab advocato asserta, nempe Capitulum quasi administratorem bonorum ex unione derivantium in id obligatum esse ut reditus *tantum* ex istis bonis perceptos rependat Ecclesiae loci *Cerreto-Guidi*. Siquidem aliud principium ponendum est, videlicet Capitulum ex *unione secuta* a. 1563 effectum fuisse *dominum* et *possessorem* nedum *administratorem* bonorum quae olim pertinebant Ecclesiae loci *Cerreto-Guidi*. Hoc docent omnes commentatores explicantes titulum « De Capellis Monachorum ».

Hoc posito non negabimus plures obligationes assumpsisse Capitulum in Ecclesiam unitam, sed de una tantum hodie quaerimus, seu de onere solvendi congruam pensionem Rectori eiusdem Ecclesiae. Principia quae hanc obligationem moderantur iam sunt perspectissima eademque adumbravimus *in folio* praeteritae actionis. Eiusmodi obligationem certe non infirmat exceptio opposita a Capitulo, videlicet reditus sibi non suppetere ex bonis unitis unde solvat expetitam *congruam* immunem a vectigalibus. Etenim praeter quam quod ex nullo documento evincitur, Capitulum ex bonis a fisco vindicatis nomine parochiae — Cerreto — tantum percipere annuas *lib. 1728* ita a *fisco* aestimatas, imo coniicere licet, maiorem summam redituum derivari; certum est quicumque sint reditus a Capitulo percepti, non minui obligationem Capituli ad solvendam certam congruam. Etenim uti docet Card. D'Annibale *Summula III n. 73*, quum semel pensiones « constitutae fuerunt, auctis vel imminutis quoquo« modo reditibus beneficii neque augmentum neque diminutio« nem percipiunt ». Concinit Laurenius *De pension.* Disc. 914; Ferraris *Bib. Can. — V. Locatio n. 37* — et Garcias *De benef. I lib. 5, n. 400*. Quod principium est clarius in re nostra, quia *ex unione* initur veluti contractus *aleatorius* non secus ac in *vitalitio*, adeo ut onera, quae assumuntur, adimplenda sunt quamvis ex bonis ab emptore acceptis non obtineatur lucrum quod antea sperabatur: in hoc consistit *alea* contractus.

Iure hodierno autem quo utimur post Decretum: *Cum nuperrimis* — imminutis vel amissis ex publicis direptionibus beneficiorum reditibus cautum est ob specialia adiuncta, ut amissio vel diminutio redituum beneficiorum in communi beneficiarios et pensionarios afficiat pro rata, ita tamen ut *Episcopis* et *parochis* INTEGRA ET INCOLUMIS *servari debeat* CONGRUA TRIDENTINA.

In themate congrua *taxative* determinata est in libellas *852*; et nonnisi per errorem Capitulum in *document. IV Summarii* asserit se pro congrua solvere *lib. 1728* cumulans omnes expensas, quas fert pro instaurandis et reficiendis bonis urbanis aut rusticis beneficii.

Denique quia ex quodam libro rationum Sacerdotis Rotolini eruitur summa redituum *lib. 3324*, tantum advertam, non satis patere ad quemnam annum se referat ista summa; et hinc an sit *ordinaria* vel *extraordinaria*. Praeterea reditus ex eleemosynis Missarum nemo recenset inter reditus praebendae; reditus autem *incerti* in summam lib. 1541 aestimati certe omnem excedunt fidem; nam in parva parochia quomodo colliguntur tot reditus *incerti?* — Ceterum quia non fuerunt imputati *in congruam*, superfluum est inquirere an et quomodo percepti sint.

Placeat modo EE. PP. sequens diluere

DUBIUM

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

Rescriptum fuit: *Ad 1um. et 2um. Ex noviter deductis recedendum a decisis et ad mentem. Mens est ut salva parocho integra congrua a Tridentino determinata, taxae persolvantur ad normam Decreti « Cum nuperrimis ».*

4498/1 V.

Ariminen. — Pensionis.

Confirmatur sententia diei 26 April. 1902 quoad reductionem pensionis a scutis 200 ad libellas 500, cum onere dictam reductam pensionem solvendi etiam quoad praeteritum.

Haec controversia redit ad iudicium EE. PP. quippe proposita *die 26 Aprilis 1902* (1) sub hisce rogandi formulis I. *An pensionis constitutio sustineatur in casu*. Et quatenus affirmative, II. *An integra servanda sit vel potius sit aliqua ex parte diminuenda in casu*; dimissa fuit responso: Ad Ium *Providebitur in 2*. Ad IIum *Esse locum reductioni pensionis ad quingentas libellas.*

Sed ipse Archipresbyter loci — *Cento* — cuius favore reductio pensionis decreta fuit, appellationem interposuit, contendens pensionem a se solvendam Ecclesiae parochiali S. Ioannis Evangelistae — vulgo nuncupatae S. Augustini — in civitate Ariminen. non sustineri quippe vel *obreptitiam* in sua constitutione vel certe *excedentem* omnimode vires suae praebendae parochialis.

Verum quia Ecclesia parochialis —, vulgo S. Augustini — in civitate Ariminen. — obtinuit transferri hanc pensionem super reditibus praebendae Archipresbyteralis loci — *Cento* — ut ipsa relevaretur ab onere annuae pensionis sibi impositae ad summam 200 scutatorum favore *quatuor Ecclesiarum parochialium*, exquisivi Bullas Pontificias quibus hoc onus antea impositum Ecclesiae S. Augustini deinde in praebendam Ecclesiae S. Mariae loci — *Cento* — translatum fuit. — Sane a. 1864 per litteras Apostolicas sub plumbo expeditas Ecclesia S. Augustini subiecta est oneri solvendi pensionem nempe, *annuam* summam tercentum scutatorum monetae Romanae; videlicet scutatorum septuaginta duorum favore parochialis Ecclesiae S. Gaudentii in suburbia Ariminen.; scutatorum quadraginta octo favore S. Mariae Magdalenae loci — *delle Celle*; — scutatorum quadraginta favore parochialis ecclesiae SS.mae Crucis loci Moscolo, denique scutatorum quadraginta favore parochialis Ecclesiae S. Paterniani loci — Casalecchio. — Cum vero a. 1878 parochialis Ecclesia S. Augustini in civitate Ariminen. vacaverit, eamdem obtinuit Sacerdos Bianchi qui, per renunciationem, dimissa Ecclesia Archipresbyterali S. Mariae loci — *Cento* — effecit ut pensionis onus transferretur in eamdem summam super reditibus dictae Ecclesiae Archipresbyteralis. Porro in Bullis Pontificiis collationis hoc cautum fuit.

« Alias siquidem, sicut accepimus videlicet de anno Domini Millesimo Octingentesimo Sexagesimo quarto fel. me. Pius Papa Nonus Praedecessor Noster in actu provisionis Parochialis Ecclesiae Sanctorum Ioannis Evangelistae et Rochi Ariminen. certo tunc expresso modo vacantis, tunc in humanis agente Paulo Mariani Presbytero Apostolica Auctoritate collatae, super illius fructibus reditibus et proventibus pensionem annuam perpetuis futuris temporibus duraturam Biscentum Scutatorum veteris monetae Romanae favore quatuor infrascriptarum Paroeciarum redituum tenuitate laborantium reservari eamque pro rata septuaginta duorum S. Gaudentii in Suburbio Ariminen. pro rata quadraginta octo S. Mariae Magdalenae loci « delle Celle », pro rata quadraginta S. Crucis de Moscolo, pro rata demum aliorum quadraginta Scutatorum similium S. Paterniani loci « Casalecchio » Ariminen. Dioecesis respective Parochialibus Ecclesiis attribui mandavit. Deinde vero anno nempe Millesimo Octingentesimo septuagesimo quinto sequuta iterum primodictae

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. X. p. 166.

Parochialis Ecclesiae vacatione, tunc existente Episcopo Ariminen. in id supplicante illam memorata pensione exonerari, concessit, accedente ad id illarum respective Rectorum consensu, qui alio modo essent compensati. Cum autem, sicut etiam accepimus, altera Parochialis Ecclesia Archipresbyteratus nuncupata S. Mariae loci « Cento » praefatae Ariminen. dioecesis certo quem Nos praesentibus haberi volumus pro expresso modo ex persona dilecti filii Petri Bianchi Presbyteri nuper vacaverit et vacet ad praesens, Nos igitur quatuor memoratis Parochialibus Ecclesiis, ne ipso memorato subsidio destitutae remaneant, consulere ac Venerabilis Fratris Nostri hodierni Ariminen. Episcopi preces benigne excipere Volentes nec non quidquid ab eodem Pio Praedecessore quoad dismembrationem cuiusdam fundi ad ultimo dictam Parochialem Ecclesiam pertinentis eiusque applicationem favore memoratarum quatuor Paroeciarum statutum fuit (quae tamen suum sortiri non potuit effectum) Apostolica Auctoritate revocantes, omnesque et singulos quibus praesentes litterae favent a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris et poenis si quibus quomodolibet innodati existant ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio et ex certa scientia meraque deliberatione Nostra ac de Apostolicae potestatis plenitudine super omnibus et singulis dictae S. Mariae loci « Cento » Parochialis Ecclesiae ut praefertur vacantis fructibus, reditibus et proventibus certis et incertis universis in quacumque re consistentibus et undecumque provenientibus ad tercentum quatuordecim Ducatus auri de camera etiam una cum incertis praefatis annuatim ut quoque accepimus ascendentibus, pensionem annuam perpetuis futuris temporibus duraturam eamque ab omni et quocumque onere imposito et pro tempore quomodolibet imponendo ac alios in omnibus et per omnia et omnino quoad omnia liberam immunem et exceptam, biscentum Scutatorum eiusdem veteris monetae Romanae etiamsi super illis aliae pensiones annuae aliis personis Ecclesiasticis vel locis piis quomodolibet reservatae existant, seu per Nos etiam hodie reservantur, quos omnes et singulos siqui sint illorumque quantitates praesentibus haberi volumus pro expressis, secundo, tertio, quarto, et quinto dictis Parochialibus Ecclesiis et pro eis illarum respective Rectoribus ex nunc videlicet per effatae S. Mariae loci « Cento » Parochialis Ecclesiae Oeconomum seu administratorem aut alium quemlibet ad exigendos et percipiendos illius fructus, reditus et proventus donec illa vacaverit legitime deputatum et deinde per illius Rectorem pro tempore existentem etiam hisce praesentibus Oeconomo seu administratori aut Deputato ac Rectori praefatis minime intimatis nec praesentatis annis singulis duabus aequalibus solutionibus pro una videlicet in Beatae Mariae Virginis Nativitatis a proxime ventura incipiendo et altera medietate dictae pensionis Biscentum Scutatorum huiusmodi in eiusdem Beatae Mariae Virginis Annunciationis immediate sequenti cuiuslibet anni festivitatibus et sic successive de anno in annum ac termino in terminum vigore tamen praesentium nec alias integre persolvendam Apostolica Auctoritate praefata harum tenore praesentium reservamus eamque ad prioris concessionis formam pro rata septuaginta duorum Sancti Gaudentii in Suburbio Ariminen. pro rata quadraginta octo S. Mariae Magdalenae loci « delle Celle » pro rata quadraginta S. Crucis de Muscolo denuncupatae et pro rata reliquorum quadraginta Scutatorum similium Sancti Paterniani loci de Casalecchio enunciatae Dioecesis Ariminen. respective Parochialibus Ecclesiis et pro eis illarum respective Rectoribus ».

Parochus vero ad S. Augustini etiam atque semper institit ut suam doceret miserrimam conditionem, si integra pensio a praebenda Archipresbyterali non solveretur; et postquam memoraverit, se iam ultro consensisse ut pensio reduceretur ad annuas libellas 850,20 in litteris *diei 30 oct. 1902* subiungit se nullimode consentire posse ad ulteriorem pensionis reductionem.

Ex adverso Archipresbyter contendit se ratam habere non posse ne reductionem quidem ad *quingentas* libellas et ut probet, parochum Bianchi optime conscium fuisse de impotentia beneficii loci — *Cento* — ad solvendam impositam pensionem, hanc refert attestationem — redditam et *subscriptam* a Dominico Drudi parocho loci Musano.

« D. Pietro Bianchi Arcip. di S. Agostino di Rimini manifestò un giorno a me sottoscritto quanto segue: Un giorno trovandomi a Rimini fui da D. Bianchi invitato in casa sua, anzi domandò informazioni di D. Giovanni Garuffi Arcip. di Cento, e si lamentò fortemente del suo biasimevole contegno verso un suo Benefattore, quale si diceva lo stesso D. Bianchi, per averlo qualificato maestro d' inganni, di raggiri, e di frodi nell'imporre l'enorme pensione.

« D. Garuffi, disse D. Bianchi, ebbe la Parrocchia di Cento per mio appoggio, ed in ultimo mi sarei occupato per ridurre la pensione di perpetua in temporanea, a mia vita durante: così la parr. di Cento, dopo la mia morte, la quale non sarà lontana, perchè vecchio, ritornerà come prima: ma non lo voglio fare perchè maltrattato da D. Garuffi, e la pensione rimarrà perpetua come dichiara la Bolla. Io sottoscritto soggiunsi, badi sig. Arciprete che Ella cade in una contradizione: avendo prima fatto conoscere che la Parr. di Cento è prebenda ricca: e poi brigare per dimostrare l'opposto. Io, disse l'Arcip. Bianchi, trovo benissimo una scappatoia, per non venire rimproverato di contradizione e manifestare una cosa diversa col dire che sono mutati gli anni, deteriorati i fondi, aumentati i pesi; dicendo che la Parr. di Cento non dà più la rendita primiera, e non può sostenere la Pensione imposta.

« Ecco quanto mi ha dichiarato l'Arc. Bianchi ».

Regius vero Suboeconomus, nuncupatus — dei beneficii vacanti — ad instantiam Archipresbyteri loci — *Cento* — testatus est *die 3. Febr. 1903* de paroecia S. Augustini, quod eius reditus « ammontano a L. 7887,51 di fronte a un passivo di « L. 4813,37 cosicchè la rendita netta risulta, in via approssi- « mativa, a L. 2074,14 ». De Ecclesia autem archipresbyterali loco — Cento — idem oeconomus asserit « *che dal conto di amministrazione* e riparto dell'esercizio 1900 concernente la Parr. di S. Maria di Cento (comune di Roncofreddo) risulta che la rendita ammonta a L. 2962,62; le spese a L. 1924 e conseguentemente l'avanzo si verificò in L. 1062,38 ».

Ipse vero Archipresbyter, expensis rationibus suae administrationis quoad triennium suae possessionis, nempe quoad annos 1900-1901, 1902 infert: « *Media dell'attivo triennale* L. 3263:18. — Media del passivo L. 1989,94. — Attivo annuo netto di L. 1273:24 — a quo tamen activo detracta non est pensio controversa libellarum *1064*. — Concludit vero Archipresbyter « Al bilancio attivo debbo aggiungere alcuni proventi annuali, « certi provenienti da regali dei coloni consistenti in polli ed « ova che raggiungono una somma annua di L. 100 ».

Demum referendae sunt litterae Episcopi Ariminen, *diei 5 Ianuarii 1903* quibus ipse nuncium dat de morte parochi Vianelli quamobrem hodie Ecclesia parochialis S. Augustini est vacans et inde interest, quaestionem definire antequam eadem Ecclesia conferatur. — Demum Episcopus hoc quaerit, utrum: « In « ogni caso il Parroco di Cento debitore della pensione — lite « pendente — ossia da circa due anni dacchè è stato investito « del Beneficio di Cento non avendo soddisfatto detta pensione « in nessuna misura sia tenuto oggi a soddisfare il passato agli « eredi Vianelli o a chi altro (all'ente parocchia) ed in quale « quantità ».

Sit igitur DUBIUM

An sit standum vel recedendum a decisis in casu ?

Emi Patres rescripserunt: *In decisis et ad mentem. Mens est quod pensio ita reducta solvenda sit etiam quoad praeteritum.*

5131/1 VII.

Pharen. — Iurispatronatus.

Movetur controversia circa ius praesentandi a pluribus patronis simul exercitum, attenta stirpe, attentoque numero votorum.

Iudicio EE. PP. haec quaestio proposita fuit *die 16 Augusti 1902*, at placuit EE. Patribus definitivum iudicium differre *ut interim a patronis plenius ostenderetur in quamnam portionem quaelibet stirps vocata fuerit et exinde clarius pateat quinam numerus votorum vel quaenam pars ad unamquamque pertineat, quamobrem suffragiorum computatio facile fieri possit.*

Patroni tum ii qui praesentarunt Ioannem Kassandric tum alii qui Iosephum Boglich praesentarunt expetitas responsiones deduxerunt.

Patroni autem qui Ioanni Kassandric favent per advocatum novas animadversiones obtulerunt, et harum en summa.

Advocatus qui sacerdotis Kassandric partes tuetur, recolit in primis ex novis documentis plene id apparere, quod S. C. de vocum numero et de illarum inter stirpes divisione exquirendum putavit. Exhibet enim quamdam genealogiam, opportunis instrumentis roboratam et a Parochis recognitam, ut de utroque dilucide constet.

Ex hac genealogia patet primum ius, quo pollent ad patronatum familia Cacich Dimitri et Nimira; quod ius ab altero competitore Boglich in controversiam vocabatur. — Nam familia Cacich Dimitri rite iuspatronatus est adepta decimosexto saeculo: quum Alba Peribonio, unius ex Ozzoris haeres mediata, nupsit Ioanni Dimitri, et filios ab eo susceptos haeredes nuncupavit. — Quod comprobatur testamentis: ubi vero ea deficiunt, idem probatur perantiquis attestationibus iudicialiter receptis. — Familia vero Nimira in iuris possessionem venit ex donatione cuiusdam Catharinae eorum amitae, quae alterius ex Ozzoris haereditatem collegerat. Quod, exhibito donationis chirographo, demonstratur.

Hoc in vado posito, tribus scilicet familiis hodie ius patronatus pertinere, Boglich nempe Cacich-Dimitri et Nimira, investigat advocatus, qui sit vocum numerus et quaenam earum distributio.

De vocum numero ambigendum non censet advocatus nam saeculo quintodecimo (ulterius rerum memoria non progreditur), uni familiae Ozzoris iuspatronatus pertinebat: et praecise quatuor fratribus Augustino scilicet, Ioanni, Catharinae, Mariae. — Horum quisque unam vocem habebat: quapropter ius in quatuor voces dispertiri iam inde antiquitus existimatum est.

Disserens de vocum divisione inter eos, qui hodie sunt iuris participes, advocatus ex genealogia colligit, vocem Mariae ad Antonium Ivaneo, familiae Ivaneo superstitem, et ex huius haereditate ad familiam Boglich pervenisse. — Exinde infert, vocem Augustini pro duabus ex tribus partibus mox familiae Ivaneo, nunc familiae Boglich obtigisse: pro reliqua tertia parte familiae Cacich-Dimitri ex haereditate Albae Peribonio, ut supra dictum est. — Vox Ioannis relicta est capitulo Pharensi, quod postea praescriptione ius amisit. — Vox denique Catharinae pro medietate recidit in Antoniam Ivaneo et eius haereditate in familiam Boglich. — Alterius medietatis *duae* ex *quatuor* partibus, rursus ad Antoniam Ivaneo et familiam Boglich pervenerunt: *tertia* pars ad familiam Nimira ex donatione, ut est supra memoratum: *quarta* ad familiam Trincheri, quae nunc extincta est. — Quapropter, ratione inita, familiae Boglich competit *ex integro* vox Mariae: *pro duabus ex tribus partibus* vox Augustini: *pro sex ex octo partibus* vox Catharinae (in frazioni 3480/1440). — Familiae Dimitri *pro una ex tribus partibus* vox Augustini (in frazioni 480/1440): vox Catharinae *pro una ex octo partibus* familiae Nimira (in frazioni 180/1440). — Quod mire concordat, ait advocatus cum quodam libello, qui a familia Ivaneo in lite saeculo octavodecimo exorta veneto Senatui datus est. — Ibi legitur familiae Ivaneo (cuius ius in familiam Boglich est translatum) competere « *doi voti e mezzo delli quattro componente il patronato* ». — At hic computus 3480/1440 — duabus vocibus cum dimidio respondet, quae familiae Ivaneo competere genealogia ostensum est.

Ex quo colligit advocatus non modo rationem computandarum vocum: sed etiam eruit, eos omnes, qui ius habent suffragii, *eodem titulo* ius istud fuisse adeptos: non vero, ut praecedenti in propositione dictum fuerat, alios, nempe Boglich, titulo *universali*, alios, nempe Dimitri et Nimira titulo *particulari*. — Vox Augustini pervenit utique ad familiam Dimitri, pro uno ex tribus partibus occasione nuptiarum Albae Peribonio. — Sed aliae duae partes non diverso titulo ad Ivaneos pervenerunt: una scilicet *occasione nuptiarum* Mariae Peribonio cum Marco Antonio Ivaneo: altera *ex donatione*, Petri Duimovich. — Vox Catharinae pro una ex octo partibus familiae Nimira *donatione* obtigit. — Sed familia Ivaneo eiusdem vocis dimidium est adepta ex *donatione* Hieronymae de Barbis: unam ex octo partibus ex *donatione* Margaritae Biondi.

Quo praemisso, progreditur advocatus, ad hunc computum rei nostrae aptandum: ut liqueat, in praesenti vacantia an Kassandric, an vero Boglich maiorem vocum partem reportaverit. — Iacobus Boglich, haeres Antoniae Ivaneo duas voces cum dimidio (3440/1440) ex toto, iure possidebat: at mortuo Iacobo, duo eius filii Ioseph et Ioachim *ab intestato successerunt*, inter quos, 3440/1440 pro unoquoque, voces a patre obtentae dispertitae sunt.

De hoc nullum dubium: sed ne ullum quidem dubium, iuxta advocatum, quin Ioseph et Ioachim Boglich, suae quisque stirpi transmiserint eam tantum iuris partem quae a patre acceperant. — Quapropter tres ex uno originem habentes, idem iuris habent, ac septem ex altero descendentes: tum hi enim tum illi, solam partem repraesentant, quae suo stipiti competebat.

Ut pateat ita suffragia esse computanda, advocatus recolit quod de computo *per stirpes* in praecedenti propositione dictum est: et refert plures auctoritates docentes, in iure patronatus haereditario, *in stirpes* non autem *in capita* semper suffragia esse computanda: « quaestio celebris erat ante Clementinam « PLURES — super successionem in iure patronatus haereditario. Innocentius sentiebat (in cap. 1 de iurep.) successionem « iurispatronatus fieri in stirpes non in capita: ita ut si plures « uni succedant loco unius habeantur, motus ea ratione, quia in « successione haereditaria fit successio in stirpes. — Vincentius « et alii sequaces contrariam sententiam tuebantur. — Archidiaconus vero (in can. Plures 16, 9, 7) mediam tenuit sententiam, « nimirum si plures ex diversis causis sint patroni, ut quia unus « fundavit alter dotavit, tunc omnes qui succedunt ab altero, « habentur loco unius et succedunt in stirpes. Quum autem ex « unica causa sint patroni vel unicus sit patronus tunc descen- « dentes succedunt in capita et non in stirpes. — Clemens au- « tem ad dirimendam huiusmodi quaestionem inter praefatos « doctores approbavit sententiam Innocentii statuendo, quod ius- « patronatus haereditarium transeat ad haeredes in stirpes non « in capita ». (*De Fargna*, de iurep. p. IV c. I pag. 37 — V. et gloss. ad Clement. Plures — *Pitonius*, de iurep. all. 100 numero 359 — *De Luca*, theat. ver. et iust. de iurep. somm. n. 93 — *Ferraris*, bibl. can. vic. iusp. art. IV numero 15 — Rota coram Emerix — *Papien.*, commendae 24 nov. 1678 et 17 apr. 1679 p. XVI dec. 352 n. 8, 24, 25 et p. IXVI dec. 99 n. 4 et 7 rec. — Veliterna iurisp. dec. 47 n. 8 p. Iv t. 11 rec.). At si computatio fieri debeat in *stirpes*, universa stirps Ioachim Boglich,

quae stetit pro Kassandric totam (1740/1450) sui iuris partem illi contulit. — At pro Kassandric et stirps Dimitri (980/1440) et stirps Nimira (185/1440) steterunt : ergo suffragia a Kassandric reportata ad hanc summ. 2400/1440 totius iuris aestimanda sunt. — Contra pro Boglich stirps tantummodo Ioseph Boglich suffragium tulit; cuius vox ad hanc summam 1750/1450 aestimatur. — Ergo Sacerdos Kassandric Sacerdoti competitori praevalet, tanti vero, quantum interest inter vocum summas (1750/1440), quas Sacerdos Boglich retulit, et 2400/1440, quae in competitorem collata sunt.

Et primum patroni Boglich quamvis concedant patronatus stipites quatuor fratres Ozzoris saeculo quintodecim fuisse: dubitant tamen an omnes aequalibus partibus de iure participarent. — Sed dubium inane putat advocatus, tum quia id ex necessitate iuris sit praesumendum, quum non constet de inaequali inter fratres iuris divisione: tum quia singulos pro aequali portione iuris fuisse participes observantia commonefacit. — Haec testis est, familiam Ivaneo duas cum dimidio ex quatuor vocibus fuisse vindicatam, quod fieri nequit, ut supra est ostensum, nisi sumatur quatuor fratres aequaliter de iure patronatus participes fuisse.

Sed patroni Boglich contendunt praeterea, ideo familiam Dimitri iure patronatus esse arcendam, quia ius patronatus in nostrum beneficium *ex errore* transtulit, quod illa in aliud eiusdem tituli beneficium in ipsa insula Pharensi ex haereditate Vidali competebat. — Cui respondet advocatus, quae de huiusmodi errore dictitantur non modo videri veri non similia sed non vera demonstrari. — Quippe familia Dimitri ab anno 1751 plus quam duobus saeculis, ius patronatus exercuit: si ius sibi non proprium ex errore usurpabat, vix credibile eos siluisse tanto tempore, cuius iura laedebantur. — Ceterum ex genealogia apparet familiam Dimitri ex legitima haereditate ius patronatus fuisse adeptam: nec sane ius *errore* praereptum ibi licet arbitrari ubi de iuris legitima origine certa documenta testantur. Quod si Dimitri alterius beneficii eiusdem tituli *ex haereditate Vidali* ius patronatus habent, et nostri utique *ex haereditate Ozzoris* habere possunt: unum enim alterum non excludit.

Et siquidem patroni Boglich tenent Senatum Venetum anno *1752*, uni familiae Ivaneo ius patronatus adiudicasse, hanc opinionem, uti a vero absonam advocatus reiicit. — Nam apud Venetum Senatum non *exclusivum* ius familia Ivaneo persecuta fuerat, sed maiorem iuris partem ita ut compatronis pars minor relinqueretur: « *il Capitolo dei signori canonici di Lesina ed altri componenti* (quos inter Dimitri) *in tutto componenti un voto e mezzo delli quattro voti sopraddetti, promovono ingiuste molestie al presentato Spanich* ».

Huc oratione perducta, unam tantum sibi obiectionem refellendam censet advocatus: an scilicet (de quo in praecedenti causae propositione quaestio mota est Boglich) ii omnes, qui Kassandric nominarunt, tempore utili nominaverint. — Sed hos tempore utili praesentasse et antea probatum putat advocatus et nunc novis documentis luculentius probandum assumit. — Patronos aliquot tempore utili non praesentasse ideo affirmatur quia titulos sui iuris, intra terminum ab Episcopo indictum, non produxerant. — Aiebant enim id moris esse in Dalmatia, antequam concurrentium nomina notificentur patronis ut inter illos eligant, patronos ipsos vocare ad exhibenda documenta, quibus suum ius nituntur. — Nunc plures affert advocatus curiae attestationes, unde apparet, huius generis consuetudinem nullo pacto vigere in Dalmatia: nam in aliis casibus terminus ad producendos titulos praefixus est. — Ex quo inferendum in casu nostro non iuris necessitate aut vi consuetudinis hunc terminum Episcopum praefixisse, sed tantummodo ad suam instructionem: quod demonstrat, istiusmodi praefixionem nullam caducitatem, pro iis, qui titulos haud produxerint, importare posse. — Eo magis quod alia Curiae attestatio docet nullum ex patronis qui praesentarunt a iure exercendo reiectum fuisse. Quod ostendit neque Episcopi fuisse mentem, ut titulorum productio sub poena caducitatis intra diem praefinitam imponeretur. Secus enim Episcopus eos a iure exercendo repulisset, qui titulos non protulerant.

Quum autem patroni Boglich sacerdoti Boglich faventes quasdam animadversiones H. S. C. miserint, quibus ius suum tuentur, advocatus has brevissime suscipit refutandas, ubi ex dictis iam satis refutatae non videantur.

Nec aliter statuit Senatus sententia, quae familiae Boglich maiorem iuris partem, compatronis, quos inter Dimitri, minorem adiudicavit. — Nec meliore omine, iuxta advocatum, patroni Boglich contendunt observantiam familiae Dimitri adversari, quae anno 1776 non praesentavit, anno vero 1814 ad praesentandum a civili auctoritate admissa non est. — Nam familiam Dimitri anno 1776 praesentasse *cum effectu*, decretum episcopale institutionis sacerdotis Kassandric declarat: quod et Dimitri inter patronos iure praesentantes memorat — « *ab Exmo D. Iacobo Boglich q. m. D. Hieronymi, procuratore Nob. D. Antoniae Ivaneo Fasano de hac civitate, D. Christophoro Nimira, q. D. Francisci de Arbo, D. S. Bapt. Trincheri q. signiferi Antonii de Spalato, D. com. S. Cacich. Dimitri de loco Virboschae huius insulae legitimis ius habentibus... legitime nobis praesentatus fuisti* ». Anno vero 1814 Dimitri praesentatio a curiae expresse acceptata est — « *deve l'Ordinariato ricordare che il sig. Can. Raffaelli non è il solo presentato poichè fu presentato pure il Sac. D. S. Kassandric dai Signori Nimira e Cacich Dimitri che sono compatroni* (litt. curii 13 giugno 1818) »: nec sane a civili auctoritate reiecta, quae affirmavit tantummodo potiora suffragia familiae Boglich pertinere.

Id autem — iuxta advocatum — nec *iuri* nec *facto* est consentaneum, quod Boglich de vocum computo opinatur: successores Ioachim Boglich, qui pro Kassandric suffragia tulerunt, vocis partem amisisse, qui paterna bona ex parte alienaverant. — Haud *facto*: nam desunt documenta, unde appareat Ioachim successores paterna bona alienasse: immo exhibet advocatus chirographum unde eruitur hos ampla praedia possidere. — Constat contra ex novis testimoniis, Iosephi Boglich successores, qui suffragium tulerunt pro Boglich, paterna bona ex parte non exigua alienasse: suntque aliqua quae a Ioachin Boglich successoribus empta sunt. — Haud *iuri* nam, praediis venditis, *realis* tantum patronatus, is scilicet, qui praediis insidet, amittitur: non autem *personalis haereditarius*, de quo nunc disputatur « potest iuspatronatus accessorie seu per accidens vendi: casu « nempe, quo venditur universitas bonorum, praedium aut villa « cui est adnexum » (Reiffenstuel *de iurep.*. §. II, n. 30).

Ex adverso aliqua, ex meo munere, advertam quae videntur alteri candidato Iosepho Boglich favere. Praetermittam duas quaestiones *praeiudiciales* iam a me delibatas in *folio* diei *16 Aug. 1902*, 1) nimirum an nonnulli patroni tempore utili praesentaverint; 2) an decretum H. S. C. *diei 5 Martii 1890* confirmandum sit, quippe innixum exploratissimo iuris fundamento, videlicet contendentibus inter se patronis quorum alii sunt in certa iuris possessione, alii vero ipsam possessionem habent *controversam*, attendi ultimum statum possessionis.

Quamobrem hodie tantum *meritum* quaestionis attingam ad examen revocans animadversiones advocati alterius candidati Kassandric. Iamvero advocati oratio hodie suam vim huc intendit ut refellat difficultatem promptam ex diversa conditione in qua reperiri visi sunt patroni Nimira et Dimitri e fronte patronorum Boglich. Siquidem hi, (prouti patet ex genealogiis) certissime ab auctoribus iuris patronatus causam habent ob titulum *universalem haereditarium*, dum de aliis patronis hoc animadversum fuit, ipsos habere ex titulo *particulari* prouti in folio *diei 16 Aug. 1902* pag. 26 ita relatum fuit. « In familiam Dimitri ius praesentandi pervenit per matrimonium Ioannis Dimitri cum Alba Peribonio; et vicissim familia Peribonio ius acqui-

sierat praesentandi quippe quaedam Margharita heres cuiusdam Iacobinae, uxoris Augustini De Ozzoris, nupsit viro Peribonio. Quamobrem familia Dimitri non per *hereditatem* seu non per successionem *universalem* adepta est ius praesentandi sed per successionem *in iura dotalia* Albae Periboniae, quae cum *unam tantum vocem* obtinuerat, non poterat *plus iuris in alios transferre quam ipsa eadem obtineret.* Hoc pacto sententia iudicis civilis adamussim respondet rerum veritati historicae. Exinde et familia Dimitri *unam* vocem; et *unam* vocem familia Nimira dicendae sunt obtinuisse; et hinc ius praesentandi habere *per stirpem.*

Atqui hodie adversarius contendit omnes patronos eamdem causam habere *universalem haereditariam* a patronis originariis et hinc omnes suffragia conferre in praesentationem *per stirpes.* Quocirca hodie quaestio *iuris* videtur non amplius esse controversa, quatenus adversarius etiam admittit patronos Nimira et Dimitri non frui eadem conditione iuridica qua utitur familia Boglich, nisi illi, non secus ac ista, causam successionis habeant *universalem* a patronis *originalibus.* Tunc in concursu plurium familiarum quae patronatum obtinent per hereditariam successionem a *patronis* originalibus causa *universali*, praesentationis ius patronis competit non per *capita*, sed in *stirpes*, — hoc iubet Clementina — *Plures.* — E contra si probaretur tantum familiam Boglich esse heredem *universalem* ex patronis fundatoribus, esset locus iuri communi, quapropter in familia tot haberentur patroni quot *heredes* et tunc praesentatio esset per *capita* uti explicavimus in cit. *folio* et est communis DD. sententia, siquidem Const. Clem. *Plures* constituit exceptionem.

Re sane vera contradictores modo adlaborant in *factum* successionis, et EE. PP. deliberabunt an et quomodo tres familiae contendentes utpote in *stirpes* praesentantes, tres tantummodo *voces* conferant ad praesentationem.

Ex animadversionibus patronorum Boglich in *Sum. ex officio* impressis qui Iosepho Boglich favent patet, ipsos sibi privativam vindicare successionem per *universalem hereditatem* ab Ozzoris quam obtinuerunt testamento Antoniae Ivaneo. (Hoc testamentum sub n. I prostat *in summ. ex officio die 16 Aug. 1902*. Equidem hoc testamentum tribuit successionem hereditariam seu *universitatem bonorum* seu *familiam* uti dicebant Romani, cum qua universitate bonorum et iurium intelligitur etiam transire ius patronatus; sed ista universitas sane non haberetur in successione in *bona dotalia* quae adeptus est Ioannes Dimitri ab Alba Peribonia, sua uxore, nec habetur in *donatione* quam experta est familia Nimira ex Catherina. Sed ex titulo particulari sive *dotis* sive *donationis* transire potest aliqua *vox* singularis aut pars unius vocis et ita admittimus unam vocem competiisse singillatim aut saltim ex parte et familiae Dimitri et familiae Nimira. Dum familia Boglich quae per *successionem hereditariam* successit in familiam De Ozzoris, censetur ius patronatus ita possidere ut quot heredes tot patroni.

Verum quia pro veritate nobis dimicandum est, advertere non praetermittam, inter nova documenta in *Summario* adversarii haberi sub I. D. documentum a Curia, uti *authenticum*, exhibitum quo fidem faciunt testes: « Che Mad. Margherita so« prascritta fu sorella di Mad. Giacobina figliola naturale del « sopradetto M. Mattio Lupin et relleva de Ozzori et l'è suc« cessa nell' eredità et in tutti i beni della sopradetta Mad. Gia« cobina ». Margharitae filia legitima fuit Alba Peribonio una ex *tribus* filiabus quae exinde per matris hereditatem adepta est tertiam partem unius vocis et haec transiit in familiam Dimitri.

Si EE. Patribus videatur fidem adiiciendam esse hisce attestationibus, tunc familia Dimitri concurrit cum familia Boglich, titulo hereditariae successionis, ad praesentationis actum et hinc praesentatio facienda esset *per stirpes*, non per *capita*.

De familia *Nimira* minime probatur successio *hereditaria* quippe tantum in probatis habetur *actus cuiusdam donationis* sed sufficit *concursus duorum* heredum ut fiat locus Constitutioni Clementinae *Plures* adeo ut praesentatio fiat *per stirpes.*

Sint itaque

DUBIA

I. *An Sacerdoti Iosepho Boglich danda sit institutio vel potius Sacerdoti Kassandrich in casu.*

II. *An tum familiae Cacich-Dimitri tum familiae Nimira in posterum ius competat praesentandi in casu.*

Emi Patres rescripserunt: *Ad Ium. Negative ad 1am, partem; Affirmative ad 2am. Ad IIum. Provisum in Io.*

E SACRA CONGREGATIONE PROPAGANDAE FIDEI

Explicatur decretum 1 Martii 1902 circa prohibitionem celebrandi missam in privatis cellis super navibus.

Roma 13 Agosto 1902

Ill.me ac Rev.me Domine,

Quod per Decretum S. huius Congregationis diei 1 martii vertentis anni (1), est cautum super celebratione missae in navibus, tantum respicit abusus illos qui orirentur, si in privatis cellulis viatorum, usibus vitae destinatis, indecenter offerretur augustissimum Sacrificium Missae. Non autem absolute celebratio in cellis prohibita est, quando adiuncta omnia removeant irreverentiae pericula. Quamobrem firmis manentibus Decreti praedicti praescriptionibus, velit Amplitudo Tua idem sincero sensu intelligere ac missionarios sine causa turbatos quietos facere.

Ego vero Deum rogo ut Te diu servet ac sospitet.

Amplitudinis Tuae addictissimus servus.

Pro Emin. Card. PRAEFECTO

ALOISIUS VECCIA, *Secret.*

R. P. D. Ioanni B Cazet
Vic. Apost. Madagasc. Centr.

---

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. X, p. 171.

E SACRA CONGREGATIONE
EPISCOPORUM ET REGULARIUM

I.

PONENTE E.MO AC R.MO

10836/14 CARDINALI STEINHUBER

Die 15 Sept. 1899, 15 Martii 1900 et 9 Aug. 1901.

Sorana — Iuris exponendi et funerandi.

Salvis parochorum juribus, ad normam decreti Urbis et Orbis ann. 1703, non debent prohiberi in ecclesiis Confraternitatum Funera sive eorum qui in ea habent sepulchra majorum, sive Confratrum qui ibi sepulturam elegerint.

In civitate Sorana iam a pluribus annis existit Confraternitas a Bona Morte et a Fratribus vulgo *Sacconi*. Haec Confraternitas quae primum erecta fuerat in uno ex sacellis ecclesiae parochialis Sanctae Restitutae, obtinuit postea ecclesiam olim possessam a Patribus Conventualibus qui sub principio elapsi saeculi, ob militum invasionem, fuerant suppressi. In hac ecclesia Confratres exercuerunt ius exponendi et tumulandi non solum erga illos qui inibi sepulchro gentilitio fruebantur, sed etiam erga Confratres qui ibi sepulturam elegissent. Ast dein, quando cadavera iussa sunt sepeliri in communi coemeterio, praefata Confraternitas illa deducebat recto tramite in hoc commune coemeterium, ut funera in proprio sacello peragerentur.

Hunc morem in usu habebant etiam aliae Confraternitates. Iamvero, instantibus parochis dictae civitatis, Rmus Episcopus, sub die 11 Ianuarii 1896 decretum emanavit vi cuius, sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, imponebat rectoribus et cappellanis harum Confraternitatum, ne, sine interventu et delegatione respectivi parochi, praesumerent peragere funeralia praesente cadavere in enunciatis sacellis. Iubebatur ut legitima funera celebrarentur in propriis singulorum parochiis.

Tunc Confraternitas a Bona Morte, putans hoc decretum esse laesivum proprii iuris, recursum habuit ad H. S. Congr. quae statim rescripsit: Utatur iure suo apud Curiam Episcopalem. Sub die 20 Maii 1898 Curia Sorana decretum edidit parochis favorabile, minime agnoscens in Confraternitatibus ullum ius tumulandi « neque ex iure, neque ex privilegio, neque ex consuetudine legitime praescripta, neque demum ex ipsa regia concessione ». Et concludebat: « ideoque parochos civitatis Soranae esse manutenendos in possessione eorum iuris ».

Ab hac sententia Confratres a Bona Morte appellationem interposuerunt penes S. Sedem.

Notissimum enim est Decretum *Urbis et Orbis* S. C. Rituum sub die 10 Dec. 1703, ad dubium: « an ad parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in ecclesiis et oratoriis publicis Confraternitatum? » — « Affirmative quando tumulandus est subiectus parocho, intra cuius fines est ecclesia vel oratorium ». Ex illo decreto determinatur adamussim ius parochi super funeralibus Confraternitatum. Quando enim agitur de exequiis filiani parochi in cuius territorio sita est ecclesia Confraternitatis, parochus ius habet peragendi funeralia et canendi missam in dicta ecclesia. Quando vero confrater defunctus non pertinebat ad dictum parochum, sed ad alium, prior nullum ius habet, posterior vero ius tantum habet percipiendi quartam funeralem, non autem canendi Missam. Hanc dispositionem firmavit eadem S. Congr. in pluribus aliis decretis, ut in una *Casertana*, 7 Iulii 1878; et in una *Isclana*, 20 Nov. 1885.

Iamvero obligatio tumulandi in communi coemeterio, nullimode praeiudicium attulit iuri funerandi antea competenti singulis ecclesiis. Audiatur hac de re cl. Vecchiotti (vol. II, C. V, § 61): « Ius sepeliendi et ius funerandi iure communi connectuntur, quamvis natura sua discriminentur. Ex privatione iuris tumulandi non sequitur Ecclesiam ius etiam amittere funeris peragendi, quandoquidem ex coemeterii erectione locus sepulturae materialiter tantum immutatur, ius vero integrum manet... Coemeteria namque sepulchris singularium ecclesiarum abrogata sunt, quo factum est, ut cuiuslibet ecclesiae iura quoad funus et emolumentorum perceptionem integra adhuc perseverent... »

Insuper, de licentia Episcopi, ecclesia Confraternitatum potest effici tumulans, et quilibet potest inibi eligere sepulturam, uti constat ex responso S. C. Concilii, 16 Maii 1727: « An liceat in dictis ecclesiis habere sepulchra et respective possint cadavera tumulari absque licentia parochi in praejudicium jurium parochialium? » « Resp. Licere habere sepulchra accedente licentia Episcopi et posse in eis cadavera tumulari, si eligatur sepultura, absque licentia parochi, sed salvis juribus parochialibus ».

Ipsi Confratres inibi propriam eligere possunt sepulturam; sed si illam non elegerint, debent tumulari in ecclesia parochiali, ut eruitur ex S. Cong. Concilii: « An sodales, qui de sepultura sua nihil statuerunt, condi debeant in tumulo suae ecclesiae? » — « Resp. Negative. » (In Lib. 25 Decret. p. 29).

Ex quibus liquido patet cur sub die 15 Sept. 1899, ad quaesitum: *utrum et quomodo sustineatur sententia R.mi Episcopi Sorani in casu?* E.mi Patres rescripserunt: « *Affirmative, ita tamen ut, salva ex integro parochorum iurisdictione ad formam Decreti Urbis et Orbis ann. 1703, non prohibeantur in ecclesia Confraternitatis funera sive eorum qui in ea habent sepulchra maiorum, sive Confratrum qui ibi sepulturam elegerint* ».

Ab hac sententia, parochi Sorani petierunt et obtinuerunt beneficium novae audientiae. Sed, quum in Comitiis plenariis diei 15 Martii 1900 propositum fuisset dubium: « *an confirmari vel infirmari debeat sententia emanata ab H. S. Cong. sub die 15 Sept. 1899* ». E.mi Patres rescripserunt: « *In decisis* ».

Hisce non obstantibus, parochi iterum petierunt et obtinuerunt beneficium novae audientiae. Non solum

institerunt pro revisione jam emanatae sententiae, sed etiam pro solutione sequentium dubiorum: 1 utrum, dato quod funeralia peragi debeant in ecclesia Confraternitatis, parocho jus competat canendi missam, vel cappellano? — 2° Utrum jus eligendi sepulturam in Confraternitatibus competat solis confratribus oblatis, vel etiam novitiis et postulantibus? — 3° Utrum quarta funeralis debeat semper attingere summam lib. 20 praeter ceram?

Porro E.mi Patres, iterum adamussim ventilatis suprarelatis dubiis, sub die 9 Aug. 1901 rescripserunt: « *In decisis et amplius* ».

II.

8935/14 PONENTE EMO AC RMO

Cardinali RAPHAËLE PIEROTTI

Die 16 Maii 1902

Fesulana — Restitutionis.

Patronus revindicaverat in bona fide beneficium, soluta summa publico Demanio. Illius haeredes restituere debent fundum in favorem beneficii, sed possunt retinere summam expensam a testatore pro bonorum revindicatione.

Intra sextum decimum saeculum, Canonicus Donatus Boschi erexit in ecclesia cathedrali Fesulana beneficium simplex, illi attribuens pro dote domum quam habebat Florentiis, sibique suisque successoribus reservans iuspatronatus.

Descendentes agnatitii Canonici Boschi extincti sunt in persona Iuliae Boschi, uxoratae cuidam Cardi-Cingoli. Florentino. Hinc, mortua matre, iuspatronatus transmissum est filio Alexandro, qui in pacifica versabatur possessione anno 1867, quando latae sunt leges eversivae assis ecclesiastici.

Hinc Cardi-Cingoli vindicavit a publica auctoritate domum dotalem praefati beneficii, solutis lib. 6202,56 assumptaque obligatione solvendi sacerdoti beneficiario, vita illius durante, ad normam legum, annuas lib. 260 pro satisfactione onerum, id est pro celebratione annua 104 missarum.

Insuper, statuti Cardi-Cingoli, ut post obitum tam sui quam uxoris, patrimonium attribueretur religiosae communitati, ut revera concessum est Patribus Scholarum Piarum, qui possessionem adiverunt domus Florentinae, constituentis dotationem beneficii.

Vix id rescivit Episcopus Fesulanus, statim Patres adiit, praetendens, non solum restitutionem praedictae dotationis vel illius valorem, sed insuper, qua haeredes defuncti Cardi-Cingoli, id omne quod sive ipsi sive testator indebite lucrati fuissent.

Patres Scholarum Piarum parati se exhibuerunt ad restituendam domum Florentinam quae unicam dotem beneficii efformabat, sed repetebant solutionem lib. 6202, 56, a testatore iam effectam demanio pro rivendicatione beneficii, nec unquam exactam, asserentes nec testatori nec sibi ullum lucrum accessisse.

Restitit Episcopus; hinc ad H. S. Congr. pro solutione litis recursum habuerunt ambae partes, propositis sequentibus dubiis:

1. Utrum et quomodo Patres Scholarum Piarum debeant restituere beneficio S. Donati, et illius vice R.mo Episcopo Fesulano, domum constituentem dotationem beneficii, vel illius valorem, in casu?

2. Utrum et quomodo, una simul cum domo, restitui etiam debeat a RR. Patribus summa pecuniaria pro rata lucri quod ipsi, durante possessione, acceperint in casu?

3. Utrum et quomodo Patribus, quatenus restituant domum, ius adsit recuperandi summam a testatore persolutam?

Emi Patres ita rescripserunt: « Ad 1um, 2um et 3um: solutis libellis 6202,56 Instituto Piarum Scholarum, quae expensae fuerant pro revindicanda beneficiali dote e manibus demanii, cedatur Episcopo Fesulano domus quae praedictam dotem constituit, facta ei potestate domum alienandi, ea tamen lege, ut pretium inde percipiendum, detractis supradictis libellis Patribus Scholarum Piarum tradendis, caute et utiliter favore beneficii S. Donati investiatur ».

Haec sententia minime arrisit Episcopo Fesulano, qui statim petiit obtinuitque beneficium novae audientiae. Ipse enim sequentia allegabat: 1. Dominus Cardi-Cingoli optime poterat abstinere a revindicandis bonis beneficialibus, quia lex diei 17 Aug. 1867 dat patronis hanc facultatem, quin illos obliget ad peragendam revindicationem. Iamvero non decet virum catholicum invocare legem civilem in damnum Ecclesiae editam.

2. Dominus Cardi-Cingoli fundum dotalitium revindicavit absque venia auctoritatis ecclesiasticae; saltem, ne ullum huius concessae licentiae vestigium, in episcopali Curia invenitur.

3. Idem dominus liberavit (etiam sine venia concessa ab ecclesiastica auctoritate) nonnullos census gravantes dictam domum dotalem beneficii, in favorem cuiusdam pii operis.

Ex quibus, pergit Episcopus, testator illiusque loco haeredes, utpote usurpatores et detentores in mala fide, deberent indemnem reddere ecclesiam, non solum quoad sortem principalem, sed etiam quoad fructus inde perceptos. Et ideo tenentur Patres Scholarum Piarum restituere de integro fundum, quin praetendant repetere taxam revindicationis, nec taxam liberationis censuum, nec taxam transmissionis fundi; et insuper fructus inde perceptos restituere debent, necnon et expensas litis.

Ex adverso, Patres Scholarum Piarum suum ius vindicare statuerunt.

Re quidem vera, aiunt, lex diei 12 Aug. 1867 non obligat patronos ad revindicandam dotem beneficiorum etc.; sed in articulo secundo citatae legis statuitur: « tutti i beni di qualunque specie appartenuti alli anzidetti enti morali soppressi, sono devoluti al Demanio dello Stato sotto le eccezioni e le riserve infra espresse ».

Quapropter, quoties patroni non revindicant bona

beneficiorum, vel non liberant bona cappellaniarum et legatorum piorum, his bonis omnino spoliatur ecclesia, in favorem publici Demanii. Unde patet quod boni christiani viri non solum hortantur, sed obligantur ad obtinendam praedictam revindicationem, et liberationem ut haec bona, quamvis decimata a vectigalibus, conserventur in ecclesiae utilitatem.

Re quidem vera, patroni indigent ecclesiastica venia ad dictam revindicationem et liberationem peragendam; quod si tamen illam non obtinuerint, minime incurrunt censuras ecclesiasticas, si taliter egerunt non quidem bona sibi appropriandi causa, sed illa in favorem ecclesiae asservandi.

De cetero, ex S. Poenitentiariae responsis patet, quod sive dicta revindicatio effecta fuerit in bona fide, sive in mala fide, quoties patronus voluerit fundum dotalitium restituere Ecclesiae, ipsa condonare solet expensas revindicationis. Nec satis. Quoties patroni volunt componere cum Ecclesia, retinentes fundos, dantesque illorum valorem Episcopo, tunc aliquid amplius condonare poterit intuitu iurispatronatus concessi Episcopo.

Quin imo, neque urget obligatio restituendi fundos Episcopo, quando asservari possunt et tuto collocari in favorem privatae institutionis. Hoc eruitur ex sequenti responso S. Poenitentiariae: « Chi non potesse o non volesse comporsi dopo tale svincolo e volesse tenere i beni della cappellania secondo la primitiva istituzione, con farne adempiere i pesi da chi vi sia chiamato, potrebbe ricevere l'assoluzione? ». « Resp. Affirmative si stat institutioni cappellaniae: hortandum tamen esse ut perpetuitati cappellaniae cavere studeat; et nisi aliter id fieri queat, per compositionem.

De cetero, in casu praesumitur bona fides in patrono Cardi-Cingoli, proindeque illius haeredes ius habent ad retinendas expensas ab illo factas pro revindicatione fundi. Tandem, Patres Scholarum Piarum demonstrarunt se nullum percepisse fructum ex dicto beneficio, seque paratos esse ad restituendum Episcopo fundum dotalitium.

Quibus hinc inde perpensis, Emi Patres, die 16 Maii 1902 responderunt: *In decisis et amplius.*

III.

1539/15 PONENTE E.MO ET R.MO

Cardinali ANTONIO AGLIARDI

Die Dec. 1902

Meliten. — Processionum.

Quum Epus Melevitanus intimasset per edictum Regularibus, ut intervenirent processioni indictae Clero Civitatis episcopalis pro lucrando iubilaeo anni 1900, ipsi restiterunt, invocantes exemptionem quoad hanc processionem. Nihilominus, re hinc inde discussa, uti apparebit ex Folio quod de integro transcribimus, S. Congr. declaravit Regulares in casu teneri; et ex tenore dubii propositi responsio videtur applicari debere casibus similibus.

1. Con Lettera pastorale delli 17 Aprile scorso Monsignor Vescovo di Malta ordinava con editto pubblico le processioni del Clero per l'acquisto del Santo Giubileo obbligando alle medesime tanto il Clero Secolare che Regolare (*Somm. n. 1-2*). — Spedito a ciascun convento della città di Malta l'editto Vescovile i Regolari risposero che essi non si credevano obbligati ad intervenire perchè l'acquisto del Giubileo è facoltativo (*Somm. n. 3*).

2. Ricevuta questa risposta dai Regolari il 20 Aprile e dovendo avere luogo la prima processione il 22 Aprile, Mons. Vescovo, scorgendo che non vi era tempo di discutere la causa, credette opportuno di intimare ai Regolari, con nuovo precetto, d'intervenire per quella volta alle processioni ad evitare scandalo, salvi ed integri i loro pretesi diritti di esenzione (*Somm. n. 4*).

3. A questa seconda intimazione i Padri Provinciali dei diversi Ordini uniti insieme risposero che non intendevano stare agli ordini dati (*Somm. n.* 5), e perciò le processioni furono fatte senza l'intervento dei Regolari. — E' però a notarsi che negli ultimi giorni il P. Provinciale dei Carmelitani dichiarava essere pentito di quanto aveva fatto, ed essere sua persuasione che i Regolari fossero veramente obbligati ad intervenire alla processione nel caso (*Somm. n. 6*).

4. Pertanto la questione fu portata avanti a questa Sacra Congregazione dei Vescovi e Regolari acciò si degnasse in pieno consesso decidere: *se i Regolari sieno tenuti alle processioni intimate al Clero della città dall'Ordinario per l'acquisto del Giubileo come nel caso.* Essendo stato rescritto in data 14 Luglio 1902 il *Proponatur in plenario*, ed essendo stato ancora dalle parti presentate le relative deduzioni, è oggi la questione proposta a dirimersi agli E.mi Padri.

E' nostro ufficio riepilogare le ragioni sulle quali ciascuna parte fonda le proposte conclusioni. — Ora ecco quanto scrive Monsignor Vescovo a difesa del suo operato: « Io non ho operato avventatamente, obbligandoli, scrive Monsignore, ma ho studiato la cosa; poichè sapeva, che essi nel 1875, ubbidendo a simili ordini dati loro da un mio Predecessore, si erano protestati, che non intendevano con ciò formare un precedente.

« La questione non è, se i Regolari siano o no obbligati ad intervenire alle processioni pubbliche indette dall'Ordinario per causa grave; poichè oltre al risultare ciò chiaramente dal Tridentino *Sess. XXV, cap. 13 de Regul.*: non si sollevò mai finora questione intorno a ciò e tutti sempre ubbidirono agli ordini dati. La questione solo si riduceva a un punto particolare: *se i Regolari sieno tenuti alle processioni intimate al Clero della città dall'Ordinario per l'acquisto del Giubileo?*

« Ora, consultate le decisioni date da Urbano VIII nella Congregazione particolare del 27 luglio 1698, la decisione della S. Congregazione del Concilio del 12 luglio 1669, l'insegnamento dei Canonisti, specialmente

il Pignatelli e il Ferraris, e dopo tutto la prassi di questa mia Diocesi, mi credetti in pieno dritto di obbligare a tali processioni i Regolari (*Somm. 7 8-9*).

« Urbano VIII, infatti, dando l'enumerazione delle processioni, a cui i Regolari possono essere obbligati, produce il motivo dell'onore pubblico — pro bono publico, causa aut honore ab Episcopo indictis processionibus — e mi pare che l'acquisto di un Giubileo, indetto dal Sommo Gerarca alla fine di un secolo, per la pace universale della Chiesa, per l' estirpazione dell'eresia, per la conversione dei peccatori e per tanti mali che affliggono la Chiesa, entri più che nella ragione dell' onore pubblico in ragioni di più alta sfera ed importanza.

« La S. Congregazione poi del Concilio esplicitamente ha dichiarato quanto segue : — An processiones pro Iubilaeo etc...... inter generales censeri debeant? — Respondit : Affirmative. —

« Il *Monitore Ecclesiastico* infine, abbracciando la dottrina comune, sotto l' articolo : « *Dei corpi morali obbligati d' intervenire alle processioni* » insegna : « Le processioni adunque, alle quali i Regolari hanno obbligo d'intervenire, sono quelle del *Corpus Domini*, delle *Litanie maggiori e* delle *Rogazioni*, quelle di uso e quelle indette *pro re gravi*, cioè, come spiega il Ferraris *l. c. n. 15* « pro gratiarum actione de re gravi, pro pace inter catholicos principes vel victoria impetranda contra infideles, pro electione Romani Pontificis, pro lucrando Iubilaeo, pro placando Deo occasione pestis, famis, sterilitatis, terraemotus, et similium ». (*Vol. XII, pag. 217*).

« In vista del su esposto mi permetto dimandare alla Em.za Vostra R.ma una definitiva decisione su questo punto per scanso di ulteriori liti, non ostante che per me la cosa sia chiara, e qualunque sia per essere cotale decisione, che, se non una pena, una forte ammonizione non si manchi di dare a chi, senza pregiudizio alcuno dei propri diritti, ha levato tanto scandalo in paese.

« Con sensi intanto del più profondo ossequio ho l'onore di raffermarmi ».

5. Da parte poi dei Regolari abbiamo in atti due memorie l'una data alle stampe dal R.mo Padre Procuratore generale dei Domenicani a nome ancora degli altri R.mi Padri Provinciali degli Ordini Regolari che si trovano nella città di Malta vale a dire a nome ancora del P. Provinciale dei Domenicani, del P. Custode Provinciale O. F. M., del Padre Provinciale Carmelitano (il quale come si è detto ha ritrattato il suo operato — (*Somm. n. 6*), del P. Provinciale dei Minori Conventuali, del P. Provinciale dei Minori Cappuccini, e del P. Provinciale degli Agostiniani. L'altra memoria scritta ed esibita a questa Sacra Congregazione è del P. Provinciale degli Agostiniani.

6. Ora il R.mo Padre Procuratore Generale dei PP. Predicatori a nome dei suoi colleghi e a difesa dei diritti dei Regolari osserva che nel rifiuto fatto dai Regolari di prendere parte alle processioni 1) non vi fu infrazione alle leggi canoniche, 2) non vi fu infrazione alle leggi della convenienza. Non vi fu infrazione alle leggi canoniche, perchè, benchè si riconosca l'obbligo dei Regolari d' intervenire alle processioni intimate dal Vescovo diocesano a pro del bene pubblico in circostanze eccezionali e gravi, benchè si ammetta che i Sommi Pontefici pel bene pubblico e per scongiurare gravi flagelli che minacciavano la Società Cristiana concessero alcuni giubilei con annessa processione supplicatoria, pure l'Anno Santo di cui si tratta fu un giubileo ordinario che suole ripetersi di 25 in 25 anni e perciò non motivato da cause eccezionali, nè le processioni pubbliche sono necessarie per godere i benefici spirituali del detto Anno Santo. Il Giubileo dell'Anno Santo è un favore direttamente concesso ai singoli fedeli, benchè dal bene spirituale degl'individui ne segua il bene della comunità ecclesiastica, ma questo beneficio universale concomitante non diviene perciò il principale carattere e motivo dell' Anno Santo. Dai medesimi documenti poi dei Romani Pontefici, risulta che le processioni non fanno da per sè parte del giubileo e delle condizioni imposte per lucrarlo; perocchè i Sommi Pontefici assegnano come sola condizione (oltre la Confessione e Comunione) un determinato numero di visite a certi Santuari. « Se nonchè, scrive il P. Procuratore, per concessione del Pontefice a favore delle diocesi a cui viene estesa la grazia del giubileo, i membri delle diverse Comunità, Collegi o Corporazioni che fanno queste visite in Corpo e processionalmente anche senza croce, sono tenuti ad un numero minore di visite ; agevolezza non dispregevole per la gente del mondo, così impegnata negli affari, e talvolta così poco fervorosa. Sempre è vero che si tratta di un favore, di una condiscendenza, non già di un dovere imposto, nemmeno di un consiglio dato, come se questo modo di lucrare il giubileo fosse più eccellente del primitivo, ossia del Pontificio. A Roma stessa, dove si deve prendere la norma essendo il luogo primordiale del giubileo, quanti secolari o frati che avrebbero potuto, unendosi ad alcune processioni, o seguendo alcuni ottavari, guadagnarsi per concessione Pontificia il Giubileo, ed hanno preferito fare a piedi tutte le Visite indicate nella Bolla, per quanto grande sia la distanza! Chi pretenderà che, come esercizio di penitenza e di orazione, questa loro preparazione all' indulgenza giubilare non valga quella degli altri?

« Come che sia, resta vero che, se i Religiosi Maltesi erano liberi di non ricercar i benefizi del Giubileo molto più lo erano di lucrarlo in quest' ultimo modo senza la minima offesa alla legge Canonica ».

7. In secondo luogo il rifiuto dei Regolari di ottemperare all'editto del Vescovo di Malta non fu infrazione delle leggi della convenienza. Imperocchè se al riguardo esistesse qualche colpa sarebbe o per aver mancato di riverenza all'autorità episcopale o per avere scandalizzato il popolo cristiano, ma nel caso nessuna delle due ipotesi si verifica. In prima il P. Procuratore trova controvertibile la tesi che i Regolari avessero dovuto obbedire di fatto alla intimazione facendo riserve sul loro diritto, perchè si tratta di esenzione appartenente alla S. Sede e della quale essi sono depositari e non già padroni, e che è superiore al diritto Episcopale, sicchè il Vescovo non può neppure a suo favore invocare il principio che « *stat praesumptio pro Superiore* ».

« Resta la questione dello scandalo popolare, forse suscitato o dal far credere che i frati tengano in non cale la grazia del giubileo, o dal rendere noto che non abbiano ottemperato alle intimazioni del primo Pastore della diocesi.

« I Maltesi sono troppo istruiti e troppo bene affetti ai frati per giudicarli così sinistramente e così leggermente. Avessero pure costatato di certo che tal o tal frate, usando della sua libertà, non si era procurato i benefici del giubileo, al più si sarebbe detto: « Ha poco fervore; peggio per lui ». Ma nulla li spinse a questa sinistra conclusione. Non ignoravano che la scuola, il ministero della confessione e altri impegni spesso possono inclinar i religiosi a lucrare il giubileo individualmente, nelle loro ore libere; come può darsi che abbiano preferito far insieme le visite o in comunità, o come collegio parrocchiale.

« Nemmeno il popolo Maltese potè ragionevolmente scandalizzarsi di vedere i frati astenersi dalle processioni nonostante la convocazione Episcopale. Il differire di sentimento sopra un punto di diritto non importa nessuna mancanza all' autorità costituita, può darsi che sia anche l'adempimento di un dovere. Basta che si salvino le leggi del rispetto, si proceda per la via regolare, e si stia pronto ad accettare ogni decisione dell' autorità Suprema. Quanti litigi, in diverse diocesi, forse a Malta stessa, tra chiesa e chiesa, fraternità e fraternità, anche tra Capitolo e Vescovo! Tutti pretendono *obsequium se praestare Deo* e quella delle due opinioni che erra non è perciò causa di scandalo.

« Del resto se si voleva, nel nostro caso, evitar la meraviglia e le riflessioni del popolo, bastava osservar le regole del diritto, convocando alle processioni le diverse comunità per intimazione individuale e privata, non già per pubblico editto. Chi non ha osservata questa prescrizione non può rigettare sopra gli altri la pubblicità che ebbe il dissentimento ».

8. Poichè il R.mo P. Procuratore generale appella ad una memoria presentata nel 1871 nella identica questione dei Regolari di Malta a Mons. Vescovo sopra la loro esenzione dall'assistenza alle processioni giubilari, crediamo necessario qui riepilogarne gli argomenti: La memoria è diretta a confutare la risposta che Monsignor Vicario Generale aveva fatta al Pretesto esibito da tutti i Superiori Provinciali di Malta contro l'obbligo che si voleva loro imporre di prendere parte alle processioni del Giubileo. In questa memoria si premette anzi tutto: 1° Che il Vescovo, senza sentire prima il Consiglio del Capitolo, non può intimare processioni pubbliche straordinarie. S. Congr. Conc. in *Comens.* 7 Febb. 1632 presso il Ferraris, Processiones. N. 7 — 2.° Che alle processioni generali intimate pro re gravi, i Regolari devono essere chiamati per invito, non coll'Editto. *Episcopus potest adstringere Religiosos ut processionibus intersint iuxta Trident.* § 25 Cap. 13, *dummodo eos vocet, non per publicum edictum, sed medio aliquo nuntio personaliter.* Così i Salmanticensi citati e seguìti dal S. Dott. Alf. de Liguori, nella Appendice de Privilegiis Regularium Cap. 4. Conviene ancora premettere, che per processioni pubbliche nel tempo del Giubileo, possono intendersi o le processioni alle quattro Chiese come opera prescritta per l'acquisto dello stesso Giubileo, ovvero le processioni generali che talvolta, nel tempo del Giubileo, o per occasione del Giubileo, intimano i Vescovi o possono intimare come penitenziali per placare il Signore, o per eccitamento di devozione nel popolo, od altre, dettate sempre da grave causa. Noi non intendiamo entrare in discussione su queste ultime. Ci contentiamo di notare che in tal caso il diritto de Vescovi di obbligare i Regolari ad intervenire a tali processioni, non potrebbe, secondo noi, esser illimitato riguardo al numero di esse. Il punto in questione adunque resta puramente riguardo alle processioni da farsi per l'acquisto del S. Giubileo. Riguardo a queste, i sottoscritti hanno detto, ed ora ripetono, che ad esse i Regolari non possono essere obbligati dal Vescovo, perchè tali processioni sono semplicemente facoltative. Non già che essi confondano Giubileo e processioni, ma sibbene perchè essendo facoltativo il Giubileo debbono essere per necessità del pari facoltative le opere prescritte per l' acquisto dello stesso, nel numero delle quali opere entrano appunto le visite da farsi, privatamente oppure con pubblica processione, alle quattro Chiese designate. E se gli stessi sottoscritti protestarono contro l' editto de' 29 Aprile, ciò fu appunto perchè da esso appariva evidentemente che le processioni ordinate erano quelle volute dall' Enciclica Papale, pro lucrando iubilaeo, ed erano ordinate per giunta continuatamente.

Ciò posto i RR. PP. Provinciali prendono a confutare le ragioni addotte da Mons. Vicario Generale. Ammesso che secondo il Tridentino § 25 *de Regularibus cap. 13* il Vescovo può indire processioni pubbliche o generali per la Festa del Corpo del Signore, delle Litanie maggiori ecc. ed a queste obbligare a prender parte anche i Regolari, che i Vescovi possono per grave causa ancora indire processioni straordinarie, negano che possono essere rese obbligatorie dal Vescovo ai Regolari le processioni per l'acquisto del Giubileo, e molto più negano che queste processioni per l' acquisto del Giubileo possano essere con Editto mutate in processioni generali coll' obbligo imposto ai Regolari di intervenirvi. — Poichè il Giubileo è facoltativo così devono essere facoltative le processioni che sono una delle opere prescritte pel conseguimento di esso. — Infatti essi scrivono, in quale statuto di Sommi Pontefici o in qual decreto di Congregazione vi è tale decisione? Egli il Vicario Generale, si limita a citare il Pignatelli, il Gullerman, il Passerini ed il Ferraris, i quali come privati Dottori, venendo, secondo il solito in tali e simili materie, a dichiarare quali cose possono essere intese sotto le parole *pro re gravi*, ne nominano parecchie, e tra le altre nominano pure, il primo le processioni del Giubileo, il secondo ed il terzo le processioni da farsi ne' pubblici Giubilei, e l' ultimo le processioni pro lucrando Iubilaeo.

Veramente il Vicario Generale dice, che il Gullerman ed il Passerini non parlano in nome proprio, ma che recano testualmente il seguente Decreto della Congregazione del Concilio.

« *Ordinarius potest praecipere Regularibus ut eant*

ad processiones publicas, ut puta in Festo Corporis Christi, in Litaniis, in Iubilaeis publicis faciendis in plebibus, in quibus etc. — Noi non abbiamo potuto consultare in fonte i due citati autori: ricaviamo però dal Ferraris, che quelle parole non sono menomamente parole della S. Congregazione, ma parole e opinione de' due autori e nulla più. Difatti l'ora citato Ferraris, *Processiones* N. 15, dichiarando qual privato Canonista, quali siano le processioni che si riferiscono ad *causam, bonum et honorem publicum*, ne annovera molte e fra le altre come fu di già detto, quella *pro lucrando iubilaeo, « ut tradunt »*, prosiegue esso, *Pax Iordanus et Passerinus*; e cita quest'ultimo allo stessissimo modo, come fu citato dal Signor Vicario Generale. Sembra a noi, che se le parole dette, e riferite dal Passerini fossero parole testuali di una Congregazione, come tali sarebbero state citate dal Ferraris, e non come parole di un semplice Canonista.

« Su questa materia delle Processioni a cui sono tenuti di intervenire i Regolari la decisione più autorevole avvenne nell' anno 1628 sotto il Pontificato di Urbano VIII. Per ordine di questo Papa, fu tenuta una Congregazione straordinaria, a cui presero parte i Cardinali delle Congregazioni del Concilio, de' Regolari e de' Riti, assieme co' loro Secretari. E sentiti i Procuratori Generali degli Ordini Religiosi, da essa fu deciso, che le processioni a cui possono essere obbligati da' Vescovi i Regolari sono: « in Festo Corporis Christi, in Litaniis Maioribus, in Rogationibus et quibuscumque aliis publicis et consuetis vel pro bono, causa aut honore publico ». Delle Processioni del Giubileo neppure una parola. Ciò dimostra, che nessuna decisione vi era stata nel tempo anteriore. Nessuna parimente ne trovammo riferita dall'anno 1628 in poi, nelle Collezioni e negli autori che abbiamo potuto consultare.

Non si può adunque dire, che la questione delle Processioni del Giubileo di già sia decisa nel senso del Vicario Generale, e decisa da secoli. Al più si potrà dire che ha il suffragio di alcuni Canonisti i quali non hanno veruna autorità di decidere, e la cui opinione non merita punto di essere seguita, poichè commette l'errore di mutare in opera obbligatoria, un'opera, che per lo scopo a cui è diretta è e deve rimanere facoltativa. Resta a vedersi se abbia maggior forza la consuetudine del Paese, citata in suo favore, dall'Ill.mo e R.mo Sig. Vicario Generale. Così Egli scrive: — Abbiamo qui la pratica istessa della Diocesi nell' anno 1826. Mgr. Mattei di f. m. celebrandosi qui per concessione di Leone XII, il grande Giubileo, con suo editto ordinò le processioni generali, ed a quelle obbligò tutti i Beneficiati, le Collegiate ed i Corpi Regolari. In quello disse espressamente che ciò faceva seguendo la pratica de' suoi Predecessori.

« Il citato editto Vescovile dell' anno 1826, non prova la consuetudine, nè della Diocesi in generale, nè della Città di Valletta in particolare. Non il primo, perchè l'ordine dato alle Comunità Religiose di intervenire alle processioni generali, che si sarebbero fatte in quella circostanza del Giubileo, è espressamente per la sola città di Valletta: non il secondo; perchè un fatto non forma consuetudine. Sta vero che in quell' editto Mr. Mattei dice espressamente — imitando Noi il costume de' nostri Predecessori e facendo uso delle facoltà accordate dalla S. Sede — però tali parole sono da lui dette, non riguardo all'ordinare le processioni, ma sibbene riguardo al ridurre le quindici visite del Giubileo e di ridurle al numero di cinque. E se poi è vero, come aggiunge il vicario Generale, che esistano memorie di antichi Giubilei, celebrati in questa Diocesi coll' intervento de' Regolari alle processioni allora fatte dalla Cattedrale, aggiungeremo anche noi alla nostra volta, che non mancano neppure memorie di antichi Giubilei celebrati in quest'Isola, nè quali le Comunità Religiose fecero le loro visite con particolare processione unitamente alle Confraternite erette nelle loro Chiese; così nel Giubileo del 1830 i RR. PP. Minori Osservanti della città di Valletta visitarono solo colla Confraternita del Santissimo Crocifisso le Chiese del Gesù, di S. Domenico, de' Greci e di S. Paolo.

« Come era da aspettarsi il Vicario Generale ricorre ancora ad argomenti di convenienza per sostenere la sua tesi: ne allega quattro e sono i seguenti:

« 1. Non sarebbe stato un grande scandalo quando non solo le Confraternite e Congregazioni de' Laici ma fino i fanciulli e le fanciulle, con tanta edificazione de' fedeli si vedono fare processionalmente le visite del Giubileo, se il Vescovo ed il Clero non si unissero a fare quello che fanno financo i fanciulli?

« 2. Se il Vescovo non avesse ordinato processioni generali, qual cura avrebbe egli mostrato di prendere della Religione?

« 3. Qual'unione si mostrerebbe se a queste processioni non avesse convocato tutto il Clero?

« 4. Qual cura mostrerebbe di avere il Clero e della propria salute e del bene universale della Chiesa se non si mostrasse pronto ad intervenirvi?

« Queste quattro ragioni avrebbero qualche valore nelle seguenti quattro supposizioni:

« 1. Qualora il Vescovo valendosi della sua autorità egualmente estesa su' laici sul Clero Secolare e sul Clero Regolare, avesse imposto a' primi l'obbligo della visita da farsi processionalmente, lasciandone segregati l'uno o l'altro Clero.

« 2. Se la pratica di Roma, e la pratica della maggior parte delle altre Diocesi fosse di intimare con editto tali processioni generali.

« 3. Se vi fosse bisogno di questo mezzo per mostrare la buona unione.

« 4. Se il Clero Regolare non avesse avuto la volontà ed il proposito di fare processionalmente le visite del S. Giubileo.

« Nessuna di queste supposizioni si verifica nel caso nostro attuale.

« Le Confraternite e le Congregazioni, i fanciulli e le fanciulle fanno lodevolmente e con molta edificazione de' Fedeli processionalmente le visite del S. Giubileo, non per obbligo loro imposto, ma per spontanea e liberissima loro volontà. Quindi nè essi nè altri avrebbero punto avuto ragione e motivo a far confronti, a lagnarsi, a mormorare, a prendere scandalo, in una parola, se si fosse lasciata eguale libertà alle famiglie Religiose. Piuttosto se non scandalo almeno poca edificazione può

derivarne ne' Fedeli dal vedere i Religiosi fare, obbligati per ordine superiore, una cosa che laici e fanciulli fanno liberamente per slancio di devozione. La pratica poi di Roma è che le singole Comunità de' Regolari facciano da sè sole processionalmente le visite del Giubileo. Si trova nel Ferraris una circolare del Card. Vicario emanata nell' anno 1575, nella quale si leggono queste parole: — *Ut etiam facilitetur iisdem Religiosis consecutio Anni Sancti et Iubilaei, tantique thesauri spiritualium gratiarum, et ut illi suo exemplo populum aedificent, compareantque debito cum decore qui decet personas Deo dicatas, significetur eisdem Suam Sanctitatem contentam esse, ut illi visitent quatuor assignatas Ecclesias ter, tribus diebus continuis aut interpolatis, una simul aut quoad maiorem partem euntes et incedentes respectu eorum qui in eodem Conventu aut Domicilio versentur.*

« Siamo di più assicurati tale essere pure la pratica delle Diocesi dello Stato Pontificio; e finalmente possiamo asserire che non ci consta che in alcuna Diocesi del mondo siano stati obbligati i Regolari a fare le visite del S. Giubileo unitamente al Clero Secolare con processione generale comandata dal Vescovo.

« Certamente, ripetiamo, se la pratica di Roma o della maggior parte delle Diocesi, fosse che le visite del Giubileo si facessero da tutto il Clero Secolare e Regolare assieme associato, un tanto generale consenso non potrebbe provenire se non da qualche grave ragione; ed un Vescovo che non curasse di tale pratica potrebbe cadere in sospetto di avere poco zelo e poca cura della Religione: ma non solendo i Vescovi ed anche i più zelanti, obbligare il Clero Regolare a fare processionalmente le Visite del Giubileo unitamente al Clero Secolare, il timore manifestato dal Vicario Generale non ha fondamento.

« La terza supposizione neppure sussiste. La buona unione, per grazia di Dio, nella Diocesi vi è, e non è posta in dubbio da veruno; non c'è quindi bisogno di ricorrere alle processioni generali per farla vedere. Con più ragione avrebbe potuto dire: correrși talvolta pericolo di indebolire la importantissima unione di animo e di cuore, coll'intimare e rendere obbligatoria qualche altra unione di minor conto, ed il fatto che abbiamo tra le mani potrebbe servire di esempio. I Regolari per privilegio della S. Sede, non ne vogliono nè possono rinunziare, essendo esenti dall' intervenire alle processioni pubbliche, salvo le tali e tali, noi, malgrado il nostro ossequio, la nostra dipendenza, la nostra affezione verso il Pastore della Diocesi, malgrado la buona volontà di vivere in tutta armonia con qualche Collegglata, non possiamo tacere e dobbiamo con rincrescimento nostro ed altrui, fare reclami e proteste perchè si vollero imporre, ed imporre con Editto, a' nostri Religiosi, cinque processioni alle quali essi non sono tenuti ».

« L'ultima supposizione è poi più che mai lontana dal vero. Neppur una vi è delle nostre Comunità Religiose, che non avesse il proposito di fare processionalmente le cinque visite del S. Giubileo. E ciò non solo per edificazione dei Fedeli, ma ancora per spontaneo impulso di devozione. Parecchie di esse, come è notorio, di già avevano fatto processionalmente le cinque Visite, prima che fosse pubblicato l' Editto Vescovile. Qualche altra di già aveva fatto annunziare dal pulpito al Popolo il giorno e l'ora in cui avrebbe dato principio alle sue Visite e l'avrebbe fatte se non fosse stata impedita da ordine Superiore. Tutte poi avevano il proposito di compiere allo stesso modo quest'atto di devozione, a tempo per loro comodo ed opportuno.

« Le ragioni adunque di convenienza allegate dal R.mo Vicario Generale in sostegno dell'Editto non sussistono. Sussistono invece ragioni gravi di convenienza di lasciare ai Regolari la libertà di farsi da sè le loro processioni del Giubileo al tempo da essi giudicato migliore per loro stessi. Infatti il Santo Padre Pio IX concede un anno di tempo entro cui possono farsi le opere prescritte per l'acquisto del S. Giubileo, e le Comunità Religiose hanno la facoltà di poter fare le visite processionalmente, e così, oltre ad altri vantaggi, go dere dello indulto della riduzione del numero delle visite. Stando in loro libertà e facoltà lo scegliersi il giorno e l'ora per le dette processioni, con tutta facilità entro l'anno qualunque Comunità Religiosa con tutti e singoli i suoi membri, può approfittarsi dell'indulto e fare con tutto il suo comodo quest'opera prescritta pel conseguimento del Giubileo. E a tutelare e favorire tale libertà e comodità pe' Religiosi di Roma sono volte le parole della Circolare del 1675 del Card. Vicario trascritte più sopra. Invece coll' Editto Vescovile i Religiosi di quest'Isola sono privati delle facoltà di fare le loro processioni particolari, sono assoggettati pel giorno e per l'ora delle processioni alla volontà di altri siano o non siano comodi per loro, in tal modo, se non il Convento almeno alcuni degli individui di esso saranno posti nell'impossibilità di prendere parte alle processioni, di valersi dell'indulto e dovranno fare privatamente tutte e quindici le visite ».

9. Anche il P. Procuratore Agostiniano ha presentata una memoria manoscritta a difesa del diritto dei Regolari nel caso. — Egli premesso che intende restringere la questione alle processioni dirette ad *lucrandum Iubilaeum*, osserva che queste processioni per loro natura sono facoltative per disposizione Pontificia e perciò non ponno rendersi obbligatorie per mandato Vescovile, — di più si assicura che *non est imponenda obligatio nisi de ea certo constet*; ora se l' obbligo in questione vi fosse per i Regolari esso dovrebbe risultare « o dal decreto di qualche Concilio Ecumenico o da qualche Costituzione Pontificia, o da qualche Decreto o Decisione della S. Congregazione; e dai Decreti Conciliari, dalle Cost. Pontificie, dai Decreti e Decisioni della S. Congr., per quanto si sappia, l'obbligo in parola non costa.

« E vaglia il vero: il Concilio di Trento *(Sess. 25 cap.* 13, *de Regul.)* parlando delle processioni pubbliche dice: « Exempti autem omnes tam Clerici Saeculares quam Regulares quicumque, etiam monachi ad publicas Processiones vocati accedere compellantur ». Nelle quali parole, come è evidente, non si fa punto menzione di processioni ordinate *ad lucrandum Iubilaeum.*

« Il Pontefice S. Pio V nella Cost. del 16 Maggio 1567, che incomincia *Etsi Mendicantium,* al paragr. 3° dichiarando il *cap. 13 della Sess. 25 del Regul.* scrive: « Postremo quod *capite XIII sessionis XXV* cautum fuit quod omnes, scilicet tam Clerici quam regulares qui

cumque, ad publicas processiones vocati, accedere compellantur, id quoad Fratres praefatos (Mendicantes), de illis tantum processionibus intelligi volumus, ad quas secundum consuetudinem antiquam locorum soliti sunt accedere, vel quae pro bono pacis Ecclesiae, vel pro victoria contra infideles indicuntur ». In questa dichiarazione, la quale, come nota assai accortamente il Passerini n. 995, non è stato punto invocata da Gregorio XIII, non si ha una parola delle processioni ordinate *ad lucrandum Iubilaeum.*

« Gli Eminentissimi Cardinali delle S. Congr. del Concilio, dei VV. e RR. e dei Riti radunati in Congregazione particolare il dì 27 Luglio 1628 insieme coi Segretari delle medesime S. Congregazioni, per ordine di Urbano VIII, per determinare quali siano le processioni alle quali si possono obbligare i Regolari ; « Auditis Procuratoribus Ordinum, negotioque mature discusso unanimiter censuerunt (si noti bene che qui si tratta di un Decreto generale) : Posse Episcopos poenis sibi bene visis compellere quoscumque Regulares recusantes, etiam Monachos et quomodolibet exemptos, ad infrascriptas Processiones accedere, atque illis interesse, exceptis...... nempe in die festo SS. Corporis Christi, in Litaniis Maioribus, in Rogationibus, ac in quibusvis aliis publicis et consuetis vel pro bono, causa et honore publico ab Episcopis indictis Processionibus, non obstantibus etc. » In questo Decreto, il quale il dì 21 Agosto del medesimo anno 1628 fu approvato prima dalla Congregazione tenuta nel Palazzo del Quirinale e poscia dal medesimo Urbano VIII, di ogni sorta di processioni si fa menzione fuorchè di quelle che s' indicono e si fanno in ordine *ad lucrandum Iubilaeum.*

« Da questi Decreti e Costituzioni in fuori non si conoscono altri pubblici ed autentici documenti, che riguardano l'obbligo che hanno i Regolari d'intervenire alle pubbliche processioni. Imperocchè la S. Congr. interrogata altre volte in proposito non ha fatto che ripetere il Decreto sancito dalla S. Congregazione radunata in Congregazione particolare per ordine di Urbano VIII già da noi riferito.

« Ad invalidare la forza di questo argomento S. E. R.ma Mons. Pace, molto probabilmente, metterà fuori l'autorità del Pax Iordan., *Lucubrat. Tom. 2. lib. II tit. 2, n. 4.*, del Passerini, *de Statibus Homin., tom. 3, qu. 189 n. 996*, del Ferraris etc. etc., i quali tra le processioni, quae referuntur ad causam, bonum et honorem publicum enumerano anche quelle che si fanno *pro lucrando Iubilaeo.*

« A questa obiezione però amiamo far osservare 1. che il Pax Iordan., il Passerini, il Ferraris ecc. ecc. sono tanti autori e dottori privati, e quindi privi di ogni autorità di decidere questioni spettanti al diritto, incapaci di conferire un diritto al Vescovo e d'indurre un nuovo obbligo nei Regolari. 2. Osiamo asserire che l'opinione di questi Dottori non merita punto di essere seguita, perchè commette il gravissimo errore di mutare in opera obbligatoria un'opera, che, per natura sua e per lo scopo a cui è diretta, è, e deve rimanere facoltativa. 3. Facciamo osservare che i Canonisti, che col *Campanile rubr. 12, c. 13, n. 11.*, coll' Ugolino *De offic. Episc. n. 20, § 2, n. 6*, col Barbosa *Alleg. 78*, col Lezana *part. 1, c. 9 e part. II.* alla parola *Processiones*, tengono l'opinione contraria sono molti, e che perciò agli autori citati o che si potrebbero citare da Mons. Pace, si possono opporre altri autori, e quindi la questione rimane sempre indecisa ed oscura.

« L'equità e la giustizia perciò vorrebbero che qui si mettesse in pratica la regola del Diritto : « In obscuris quod minimum est tenendum ». (*Reg. Iur. can. 30 in VI*). Il che se si facesse bisognerebbe di necessità conchiudere che i Regolari non sieno tenuti a prender parte nelle processioni ordinate dal Diocesano *ad lucrandum Iubilaeum.* Da una parte, difatti, questa regola equivale a quest' altra : « Ubi non constat de vero sensu legis vel statuti, et, inquisitione praemissa, determinari non potest nec ex natura rei, nec contextu verborum, nec loci consuetudine, aliave circumstantia, interpretatio minus onerosa, seu libertati benignior admittenda est » (Gury *Tract. de Conscien. cap. IV, art. 3*); e dall'altra il vero senso della legge in parola o non si può determinare neque ex natura rei, nec ex contextu verborum, nec ex loci consuetudine nec ex alia circumstantia, o se si può determinare bisognerebbe determinarlo in senso del tutto contrario a quello voluto e preteso da Monsignor Pace.

« Ed in verità : ex natura rei si deduce evidentemente che i Regolari non sieno tenuti ad intervenire alle processioni ordinate dal Diocesano *ad lucrandum Iubilaeum* perchè abbiamo già dimostrato di sopra, tutto ciò che è diretto ed ordinato all' acquisto del S. Giubileo è facoltativo, come è facoltativo lo stesso Giubileo.

« Altrettanto si deduce ex contextu verborum, perchè, nel Decreto in questione nulla havvi che accenni anche soltanto da lontano all' obbligo che Mons. Pace vorrebbe accollare ai Regolari di accompagnare cioè il Vescovo nelle processioni, che questi intima ed ordina *ad lucrandum Iubilaeum.*

« Ex loci consuetudine si ha un altro argomento di non poco valore contro le pretensioni di Mons. Pace. Imperocchè egli è vero che Mons. Pace potrebbe citare in favore della sua tesi il fatto che l' anno 1826, celebrandosi qui a Malta per concessione di Leone XII il grande Giubileo, i Regolari presero parte nelle processioni generali ordinate dall' allora Diocesano Monsignor Mattei *pro lucrando Iubilaeo.* Ma prima di tutto un fatto non basta per formare una consuetudine ; di più l' ordine dato ai Regolari da Mons. Mattei di prendere parte nelle processioni, che si sarebbero fatte in ordine *ad lucrandum Iubilaeum*, riguardava soltanto le Comunità dei Regolari esistenti nella Valletta ; infine se Mons. Pace può citare un fatto in suo favore, noi ne possiamo citare molti in favor nostro. Difatti nel Giubileo celebrato l' anno 1750 le Comunità Religiose fecero le loro visite *pro lucrando Iubilaeo* con processioni particolari unitamente alle Confraternite erette nelle loro Chiese. Fra le altre la Comunità dei RR. PP. Minori della Valletta visitò, *pro lucrando Iubilaeo,* colla sola Confraternita del SS.mo Crocifisso le Chiese del Gesù, di S. Domenico, dei Greci e di S. Paolo. Nel Giubileo celebrato l'anno 1875, emanato l'Editto d' allora Diocesano Mons. Carmelo Scicluna, con cui questi obbligava

i Regolari ad intervenire alle processioni da lui ordinate *ad lucrandum Iubilaeum*, gli allora Provinciali riuniti insieme ci trovarono difficoltà di obbedire, in mancanza di tempo però di ricorrere costì a Roma per avere una decisione in proposito, seguendo il savio consiglio del fu P. R.mo Bianchi, allora Proc. Gen. dei PP. Predicatori, onde evitare scandali, ubbidirono, facendo però le dovute proteste. Nei tre Giubilei celebrati dal 1875 fino all'ultimo concesso dal regnante Leone XIII non sono stati punto chiamati ad accompagnare il Vescovo nelle processioni ordinate *ad lucrandum Iubilaeum*.

« Rimane a vedere se si possa determinare il senso del Decreto in questione in favore di Mons. Pace ex aliqua alia circumstantia. Ma anche qui, se non andiamo errati tutto concorre a condannare le pretensioni di esso Mons. Pace. Difatti, quali potrebbero essere queste altre circostanze? Noi non sappiamo immaginare che due sole, cioè, il mantenimento della pace, unione e concordia dei Regolari col Diocesano e l'edificazione dei fedeli. Il mantenimento della pace e concordia, però, dei Regolari col Diocesano e l'edificazione dei fedeli non si ottengono punto coll'obbligare i Regolari a prender parte nelle processioni che il medesimo Diocesano intima *ad lucrandum Iubilaeum*. La concordia, l' unione e la pace non si ottengono, perchè le restrizioni della libertà sono fatte piuttosto per crear odii e per nutrire rancori che per fomentare, la pace, l'unione e la concordia dei cuori. L'edificazione dei fedeli non si ha, perche questi rimangono assai più edificati quando vedono i Regolari fare le processioni *ad lucrandum Iubilaeum* senza essere a ciò obbligati da una legge, che quando li vedono fare siffatte cose coattivamente e perchè non possono sottrarsi alla legge. Che se poi Mons. Pace dicesse che egli voleva che le Comunità dei Regolari lo accompagnassero nelle Visite che Egli intendeva di fare *pro lucrando Iubilaeo* per il timore che qualcheduna avrebbe tralasciato di farle, risponderemmo che quando Egli ha emanato l'Editto malaugurato con cui ordinava alle Comunità Religiose di accompagnarlo nelle processioni in parola, le Communità, ed Egli lo sapeva assai bene, già tutte si stavano preparando a fare le visite richieste *ad lucrandum Iubilaeum* con processioni private o semipubbliche.

« Che non ci sia però una legge che obblighi i Regolari ad intervenire alle pubbliche processioni ordinate dal Vescovo *pro lucrando Iubilaeo* risulta chiaro anche dal fatto che non ci è stato mai un Vescovo, almeno chiaro per zelo, dottrina e prudenza, che abbia preteso di obbligare i Regolari di prendere parte nelle processioni in parola. Imperocchè non è presumibile che questi Vescovi, gelosissimi per lo più dei loro diritti, avrebbero tralasciato di obbligarli, massime trattandosi di Vescovi antifrati, il numero dei quali non è stato mai piccolo, ove ci fosse una legge che a ciò li autorizzasse.

« Che anzi i Vescovi, che si son distinti per zelo, dottrina e prudenza hanno accordato sempre le più ampie facoltà ai Regolari di fare delle processioni private *pro lucrando Iubilaeo*. Ed in ciò fare hanno seguìto lo esempio di Roma, centro del Cattolicismo, che dovrebbe essere imitato da quanti hanno a cuore il bene della porzione del gregge loro affidata. Nel Ferraris, difatti, si legge una Circolare del Card. Vicario emanata l'anno 1675 nella quale al paragrafo III si hanno queste parole: « Ut etiam facilitetur iisdem Religiosis consecutio Anni Sancti et Iubilaei tantique thesauri spiritualium gratiarum, et ut illi suo exemplo populum aedificent compareantque debito cum decore, qui decet personas Deo dicatas, significatur eisdem Suam Sanctitatem contentam esse ut illi visitent quatuor assignatas Ecclesias ter tribus diebus continuis aut interpolatis una simul, aut quoad maiorem partem euntes, et incedentes respectu eorum qui in eodem Conventu aut domicilio versentur et sic consequantur Sanctissimum Iubilaeum ac si visitassent easdem Ecclesias triginta vicibus aut diebus. Ut tamen observentur caetera quae in Bulla Iubilaei continentur hortamur et nos (Mons. Pace direbbe *vogliamo* ed *ordiniamo*) eosdem Religiosos in Domino ut incedant servato ordine quam modestissime, recitantes psalmos vel alias preces et laudes divinas decantantes.

« E perchè non si creda che in questa Circolare si trattasse di una dispensa dalla legge generale, facciamo osservare che in tutto questo paragrafo non havvi una sola parola che possa suscitare nella mente il menomo sospetto di una tale dispensa. In questa Circolare non si usano le parole *dispensiamo, esentiamo* od affini, ma si usano parole indicanti soltanto la viva brama del S. Pontefice e del suo Card. Vicario di tutelare l'onore ed il decoro dovuto ai Regolari e di facilitare ai medesimi il modo di acquistare il S. Giubileo ».

10. Termina il P. Procuratore la sua memoria osservando che in Malta ben 15 volte all'anno i Regolari intervengono alle Processioni alcune delle quali lunghissime, e quindi sembra dovere essere alieno dalla mente della S. Congregazione di aggiungere altro. Finalmente osserva secondo il Trid. *Sess. 25 q. 13 de Regul.* il Vescovo può qualche volta chiamare i Regolari a prendere parte alle processioni, ma tale chiamata secondo che insegna pure S. Alfonso, non può mai per editto ma bensì « *medio aliquo nuntio personaliter* ».

11. Non resta ora che sottoporre al giudizio degli Emi e Rmi Padri il

DUBBIO

Se i Regolari sieno tenuti ad intervenire alle processioni intimate al Clero della Città dall'Ordinario per l'acquisto del Giubileo come nel caso.

Re mature perpensa, Emi Patres edixerunt: *Regulares in casu teneri.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

PARISIEN. SEU BELLOVACEN. DECRETUM.

Beatificationis seu Declarationis Martyrii VV. Servarum Dei Theresiae a S. Augustino et Sociarum eius Monialium e Monasterio Compendiensi Ordinis Carmelitarum excalceatorum.

Saeculo decimo octavo prope exeunte, et magna rerum perturbatione per Gallias furente, quamplurima hominum millia cuiusvis aetatis, sexus et conditionis, vinculis, verberibus, omni supplicio excruciatos atque etiam necatos fuisse compertum est. Sed illius perturbationis ipsae victimae innocentes, non ideo Christi martyres dicendae sunt. Super quasdam tamen religiosas foeminas ex Carmelitis excalceatis, Monasterii Compendiensis, de Causa beatificationis seu declarationis martyrii quaestio facta est. Communis enim opinio, magis in dies invalescens, haec erat, Lutetiae Parisiorum praedictas Dei famulas se Deo in holocaustum obtulisse pro religione et patria ad tranquillitatem et pacem utrique societati comparandam: atque iniurias, carcerem et mortem invicto animo passas fuisse. Quapropter sanctimoniales virgines Ordinis Carmeli Parisiis degentes, suis aliarumque consodalium votis obsecundantes, ab E.mo et R.mo D.no Cardinali Francisco Richard, Archiepiscopo Parisiensi enixe postularunt atque obtinuerunt, ut in illa ecclesiastica curia, iuxta formam Decretorum Sacrae Rituum Congregationis, Inquisitio Ordinaria fieret super fama martyrii, causa martyrii et miraculis seu signis harum Servarum Dei quarum nomina cum laudis testimonio infra recensentur: Magdalena Claudia Lidoin *seu Mater Theresia a S. Augustino*, quae prima occurrit, Parisiis orta an. 1752, et in fidem et tutelam ab Aloisia Galliarum recepta, anno aetatis vigesimo primo in civitate Compendiensi carmeliticum ordinem ingressa est. Virtutis et sacrificii amore acta, ceteris praeibat et in antistitam electa, verbo et exemplo sorores ad christianam fortitudinem et patientiam excitabat. Semel et iterum, capta occasione, sibi suisque sodalibus martyrii palmam veluti faustissimum bonum publice adprecabatur. — Maria Francisca Bideau *seu Sor. a S. Aloisio*, eodem anno 1752 nata, quum octodecim esset annorum religiosa effecta est, atque silentii et solitudinis exemplar. — Maria Piedcourt *seu Sor. a Iesu Crucifixo*, Parisiensis, pietate et charitate in proximum praestans. — Maria Thouret *seu Sor. a Resurrectione*, monialibus infirmis sedula curatrix. — Maria Claudia Brard *seu Sor. Euphrasia ab Immaculata Conceptione*, ob eximias animi dotes Reginae Mariae Leczinska valde dilecta. — Maria Francisca de Croissy *seu Sor. Gabriella Henrica a Iesu*, quae poeticum sortita ingenium, versibus et virtutibus communitatem recreabat. — Maria Anna Hanisset *seu Sor. Theresia a S. Corde Mariae*, prudentia excellens. — Maria Gabriella Trezel *seu Sor. a S. Ignatio*, ob assiduam cum Deo unionem thesaurus absconditus nuncupata. — Rosa Chrétien, vidua de la Neuville *seu Sor. Iulia Aloisia a Iesu*, quae ardentem indolem cum christiana humilitate perbelle composuit. — Anna Pelras, *seu Sor. Maria Henrica a Providentia*, quae intrepido animo causam odii et necis ab accusatore quaesivit, eamque cognitam sororibus manifestavit. — Maria Ioanna Meunier *seu Sor. Constantia*, ita fortis et constans ut certaverit in suos ne separaretur a sodalibus in agonem redactis. — Angelica Rousselle *seu Sor. Maria a S. Spiritu*, quae per integrum vitae cursum atroces diuturnasque aegritudines patienter tulit. — Maria Dufour *seu Sor. a S. Martha*, virtutum exercitatione quotidie proficiens. — Stephana Ioanna Vézotal *seu Sor. a S. Francisco Xaverio*, ob festivam ac sinceram indolem omnibus amabilis. — Catharina Soiron, prudens ac pia in Monasterio ianuae custos. — Et Theresia Soiron soror eius germana et iunior, quae monialibus carmelitis inservire praetulit in humili domo, potiusquam nobilissimae foeminae eam expetenti in aede sumptuosa. — Istae Dei Famulae primum a monasterio eiectae, etiam extra claustrum suam regulam secutae sunt. Deinceps comprehensae et in custodiam tum Compendii tum Lutetiae Parisiorum traditae, Sacratissimi Cordis Iesu salutiferam devotionem ibidem evulgarunt hymnisque a se compositis praedicarunt. Capitis damnatae et causam mortis scientes, invocato Sancto Divino Spiritu cum hymno ecclesiae, baptismi promissa religionisque vota renovarunt. Demum a Matre Priorissa benedictione accepta, una post aliam, laeto hilarique vultu et animo Deum collaudantes, quasi ad victoriam et ad triumphum progrederentur, Parisiis die 17 Iulii anno 1794 omnes interfectae sunt; et quomodo in vita dilexerunt se, ita et in morte non sunt separatae. Absoluto igitur supradicto Processu Ordinario, eoque Romam delato et Sacrorum Rituum Congregationi exhibito, editis insuper decretis revisionis scriptorum et dispensationis a lapsu decennii et ab interventu et voto consultorum, omnia in promptu erant ut de Causa beatificationis seu declarationis martyrii harum Servarum Dei introducenda ageretur. Eapropter instante Rmo P. Xaverio Hertzog Societatis S. Sulpitii Procuratore Generali et ipsius Causae Postulatore, atque attentis obsequentissimis litteris postulatoriis aliquorum E.morum S. R. E. Cardinalium, plurimorum R.morum Sacrorum Antistitum aliorumque praepositorum ac priorissarum praesertim ex Ordine Carmelitico, rogantibus etiam Apostolicam Sedem nobilissimis atque regalibus viris et foeminis, E.mus et R.mus D.nus Cardinalis Vincentius Vannutelli, Episcopus Praenestinus et eiusdem Causae Relator, in Ordinario Sacrae Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* » Porro E.mi et R.mi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative seu Commissionem esse signandam, si Sanctissimo placuerit.* Die 2 decembris 1902.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino No-

stro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae Venerabilium Servarum Dei Theresiae a S. Augustino et Sociarum eius, Monialium e Monasterio Compendiensi, Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, die decimasexta, eisdem mense et anno.

D. Card. FERRATA, *S. R. C. Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

INFORMATIO

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?

E.me ac R.me Domine,

1. Gloriantur de iis exercitus eorumque famam concelebrant qui amore in patriam aut in Regem impulsi, in mediis undique periculis et in certamine acerrimo vitam suam in discrimen adducunt, quaevis obstacula superant, hostes animose aggrediuntur et resistunt, pugnant, gloriosam referunt victoriam. Ita et gloriatur Ecclesia de iis qui temporibus fidei, Religioni, religiosis rebus atque ministris adversis Christum invicte defendunt, confitentur exaltant et pro Ipso cruciatus, carcerem, quaevis tormenta sustinentes laetabundi adeunt supplicium et pro Eo vitam in patibulo tradunt.

2. Talem profecto retulerunt gloriam Carmelitae Compendii de quarum nunc Causam dicimus. Nostram igitur orationem aggredimur sed brevissima de sancta earum vita heic prius commentaria enarramus.

Biographiae compendiosae Servarum Dei.

3. Nulla est quaestio de Virtutibus cum de Martyribus agitur; edocet enim Bellarminus: « Sanctus martyr nunquam examinatur ab Ecclesia sancta an antea fuerit in gratia, sed ab ea indifferenter honorantur omnes, quos constat pro Christo fuisse occisos in confessione fidei ac veritate Ecclesiae » (1): ut eo magis nihilominus merita Dei Servarum effulgeant, de sancta earum vita aliquid heic placet innuere.

4. *De Magdalena Claudia Lidoine* (*Mat. Theresia a S. Augustino*). — Haec in Urbe Parisiorum exorta anno 1752, adolescentula adhuc, divinitus ad Carmelum vocata est et in fidem ac tutelam ab Aloysia Galliarum recepta, vigesimo primo suae aetatis anno Religionem ingreditur ubi suae patronae nomen assumpsit. Ipsa singulari poenitentiae ardore excitata sacrificium summopere dilexit ideoque ad munus Antistitae electa suas hortabatur Sorores ut pro gloria divina et animarum salute paterentur. Tali succensa spiritu mirum in modum ad martyrium ipsa se praeparabat: ita ut praedictum gerens officium consecraverit Domino Communitatem suam pro bono Ecclesiae et Galliae, ut impetraret « que par le sacrifice de leurs personnes « la paix fût rendue à l'Eglise et à l'Etat ». Aliquando ei narratum est quod moriens adolescentula quaedam integram vidisset Communitatem quae prae manibus habens palmas caelum gloriosissime ingrediebatur. « Ah! (responderat Mater Theresia) oserions-nous nous flatter que c'est notre Communauté que « le ciel prédestine à une aussi grande faveur! ». Et aliquando per vias incedens cum Matre Maria ab Incarnatione in carpentum incidit quod victimas ad sacrificium ferebat, cumque Socia eam hortaretur ut oculos a tristi eo spectaculo averteret, « Oh « ma bonne Sœur (illa dixit) que j'aie la triste consolation de « voir comment les Saints vont à la mort ». Tantum inerat eius animo martyrii desiderium ut cum unus e tyrannis, eadem illa occasione, eas aspiceret, ipsa Sorori clamaret: « Oh! quel « bonheur, si Dieu daignait nous faire cette grâce ». De Causa Beatificationis huius Servae Dei per viam *non cultus* agi profecto potuisset, ipsa enim virtutum omnium exercitatione praefulsit cui eximius accessit mortificationis ardor. « On ne sait « ce qu'il faut le plus admirer de son brûlant amour de Dieu « de son zèle intrépide, de sa prudence, de sa force, de sa « douceur ou de son dévoûment. Mortifiée jusqu'à l'excès, « mais pleinement maîtresse d'elle-même ». Ad mortem usque Consorores excitavit earumque postrema martyrii gloria coronata est.

5. *De Maria Francisca Bideau* (*Sor. a S. Aloisio*). — Haec nata anno 1752, post decem et octo annos Religiosam vitam amplectitur. Silentio ac solitudinis amore singularis, haud communia sua merita causa fuerunt quod ipsa ad officia difficiliora fuerit a Sororibus electa, eaque diligentissime impleverit. Anno suae aetatis quadragesimo secundo gloriosam obiit mortem.

6. *De Maria Piedcourt* (*Sor. a Iesu Crucifixo*). — Hanc, quae anno 1715 Parisiorum exorta est et vigesimo primo aetatis anno Carmeli Monasterium ingressa fuerat veneratione maxima Consorores omnes prosequebantur. Eximia erat pietas eius et charitate in proximum adeo excitabatur ut assidue Dominum pro peccatoribus exoraret. Mortis nuncio quam maxime contra naturam certavit, at eam gloriose vicit et patibulum hilaris ascendens carnifici ex corde pepercit. « Je vous pardonne de « tout le cœur, dont je désire que Dieu me pardonne ». Tunc septuagesimus nonus ab eius ortu annus transierat.

7. *De Maria Thouret* (*Sor. a Resurrectione*). — Haec nata est anno 1715 et in Monasterio infirmis addicta, heroice hoc munus implevit. Priori aequalis aetate illius ad similitudinem pavit in principio martyrium. Haec quum e Civitate Compendii cum Sororibus Parisios traducta est, huc perventa barbare a militibus e curru deiicitur, queis ipsa respondit: « Je vous re- « mercie de ne m'avoir pas tuée, parce que si je fusse morte « par vos mains, j'aurais été privée du bonheur et de la gloire « du martyre, que mes compagnes et moi, osons espérer de « l'infinie bonté de Dieu ». Senectute gravis obiit impavide mortem.

8. *De Maria Claudia Brard* — (*Sor. Euphrasia ab Immaculata Conceptione*). — Haec anno 1756 suae aetatis vigesimo, vestes Carmelitarum assumpsit. Dotibus animi pulcherrimis exornata, singularem Reginae Mariae Leczinska dilectionem merita est, quae eam appellare solebat: « *sa toute aimable re-* « *ligieuse philosophe* ». Fortiter atque assidue contra naturam pugnavit ut humilitatem ac mansuetudinem assequeretur omnesque quotquot eam novisent, ipsam summopere venerabantur propter Eius magnanima sacrificia virtutesque clarissimas. Mortem libentissime excepit ut consobrinum suum ad Dominum revocare ita posset.

9. *De Maria Francisca de Croissy* (*Sor. Gabriella Henrica a Iesu*). — Haec in Civitate Parisiorum exorta anno 1745, simul cum aetate, in virtutibus progressa est. Sexdecimo post annos a nativitate sua Carmelum ingreditur Compendii, ubi in explendo munere Antistitae antecesserat *Matri a S. Augustino*. « *Sa vie toute entière était une préparation à la mort* ». Henrica poeticum sortita ingenium, tempore ab officiis vacuo, suis re-

(1) Lib. I cap. 6 de Baptism.

creabat versibus Communitatem et quum tristi seditionis tempore, homines iniqui ad Monasterium venientes ei proposuerunt claustra religiosamque relinquere vitam, ipsa folium eius apponens, ait: « Messieurs prenez la peine de lire ma réponse « et vous serez, je l'espère, bien convaincus de l'inutilité de « vos propositions ». Responsio autem haec declaratio erat versibus descripta, qua Soror solemniter profitebatur se a mundo penitus abhorrere suamque se vocationem sincero prosequi amore. « Elle ne négligeait aucune occasion d'exprimer son « ardent désir de la mort et en particulier du martyre pour « s'unir à son divin Epoux ». Et martyrii nuncio summo gestiens gaudio, quadragesimo et nono suae aetatis anno, ad Christum gloriose evolavit.

10. *De Maria Anna Hanissel* (*Sor. Theresia a SS. Corde Mariae*). — Haec anno 1742 in civitate Rhemensi ortum habuit et vigintos post annos Carmelitis Compendii suum dedit nomen. Excelluit eximia prudentia, iisque virtutibus omnibus quae in Monialibus apprime desiderantur.

11. *De Maria Gabriella Trezel* (*Sor. a S. Ignatio*). — Soror haec Religionem ingreditur anno 1770 suae aetatis vigesimo septimo. Regularum observantia, sanctitate, silentio, unione cum Domino assidua, ita haec enituit ut nec defectus in ea deprehendi unquam potuerit et nuncuparetur ab aliis; *Le Trésor caché*. Egregia prodiit fortitudo eius quum post iniquam e Monasterio expulsionem, propinquorum instantiis restitit qui eam ad domum revocare conati sunt. Heroica fide excitata, a Domino petiit ut natum sibi nepotem ad caelestia gaudia duceret antequam culpa gravi insontem ipse animam macularet. Et revera: « L'enfant est mort quelques jours après sans que les « médecins puissent savoir de quelle maladie ». Ingenti tunc laetitia Soror perfusa ante cadaver pueri, hoc ardenter deprecata est ut sibi suisque veniret in auxilium « pour le courageux « accomplissement du sacrifice qu'elles offraient tous les « jours ».

12. *De Rosa Chrétien*, vidua *de la Neuville* (*Sor. Iulia Aloisia a Iesu*). — Haec nata anno 1741, adolescentia vix egressa matrimonium iniit cum consobrino suo *Chrétien de la Neuville*, quo sex post annos orbata, a Deo interius vocata Religionem amplectitur. Ardens ac difficilis indole, per integrum vitae decursum viriliter sibi contradicens in exemplum humilitatis se ipsam penitus immutavit. Vitam animose tradidit quamvis cogitatione supplicii quammaxime commoveretur. « Elle a fait vail« lamment le sacrifice de sa vie, mais n'a pu se défendre d'en « éprouver une très-profonde impression ».

13. *De Anna Petras* (*Sor. Maria Henrica a Providentia*). — Familia virtutibus egregia nata est: « *la piété de sa famille a « été très-remarquable* ». Anno 1775 suae aetatis decimoquinto se Sororibus a Charitate in eo Instituto consociavit ubi Germana Soror eius Antistitae Generalis munere fungebatur: at in hominum conversatione innumeris obnoxia periculis ob singularem sui vultus venustatem ad claustra confugiens, decem post annos Carmelum ingressa est. « *Pour y échapper, elle « alla se réfugier derrière les grilles du cloître* ». Charitas eius eximia et prudentia causa fuerunt ut infirmis addiceretur: quod officium antiquam ei vocationem commemorabat. Iuvenili adhuc aetate constituta ante seditiosos accusatores heroicam ostendit fortitudinem. « Fervente et résolue, elle demanda cou« rageusement à Fouquier-Tinville l'explication publique du « nom de « *fanatiques* » que l'accusateur appliquait aux Car« mélites ».

14. *De Maria Ioanna Meunier* (*Sor. Constantia*). — Haec Religionis vota emittere non potuit, quia Decretum ea prohibens, dum solemnis instabat eius professio, prodierat. Certavit fortissime in suos qui eam revocabant in domum et quum aliae in carcerem traductae sunt, « son père fit même appel à la « force publique; mais ce fut en vain » fortiter enim ipsa privilegia renuit et protestata solemniter est: « *que la mort « seule la séparerait de ses mères* ». Supplicium passa est anno suae aetatis vigesimo octavo.

15. *De Angelica Rousselle* (*Sor. Maria a S. Spiritu*). — Ista Carmelum ingressa est anno suae aetatis vigesimo quinto. Quamvis ardentissima esset indole, per integram vitam atroces diuturnasque poenas patientia heroica pertulit. Tali comparata spiritu et charitate flagrans in Dominum mortem heroice perpessa est.

16. *De Maria Dufour* (*Sor. a S. Martha*). — Haec in virtutum exercitatione quotidie proficiens Communitati Compendiensi exemplo fuit, veluti iam fuerat hominibus in saeculo. « S'est distinguée par la constance des progrès qu'elle fit toujours « dans la vertu ». Pro Christo tradidit gloriosissime vitam.

17. *De Stephana Ioanna Vézolat* (*Sor. a S. Francisco Xaverio*). — Haec quae per errorem indicatur sub nomine Iuliae Vérolot ingressa est Carmelum die Ianuarii decimaseptima anni 1787 et duobus post annis solemnia emisit vota. Festiva et sincera indoles quam sortita ipsa fuerat, omnibus eam reddidit amatissimam. Cum, ante professionem, eamdem Antistita moneret de periculis maximis, quae per ea tempora, Religiosis instabant, ipsa animose respondit: « pourvu que j'aie le bonheur « d'être consacrée à Dieu, je suis contente, quoi qu'il m'arrive ». Excepta Sorore Constantia, prae aliis iunior obiit gloriose martyrium.

18. *De Catharina Soiron*. — Haec nata est Compendii anno 1742. Pietas eius et prudentia tales erant ut ab Antistita eligeretur ad Monasterii ianuam custodiendam ac demandata explenda negotia. « Elle fut choisie par la Mère Prieure pour « garder la porte du Monastère et faire les commissions ». Quum vidit Sorores omnes Domino se in holocaustum tradere ingens eam corripuit moeror quod aliis et ipsa aequalis non esset ab iisque miserrime seiungeretur et « *demanda comme « une grande grâce de pouvoir s'offrir avec elles* ».

19. *De Theresia Soiron*. — Haec precedentis germana soror et ipsa iunior, adeo singularis venustate fuit ut princeps foemina de Lamballe eam suo famulatui addicere voluisset: at ipsa vanitatibus mundi Dominum praeferens nobilissimae huic mulieri dixit: « quand elle m'offrirait la couronne de France et « qui plus est, l'univers entier, je n'en voudrais pas, parce que « je préfère la place où Dieu m'a mise et où je trouve des moyens « de salut que je ne pourrais avoir dans la maison de Votre « Altesse ». Religioni fidelis Consorores unquam relinquere noluit eisque, naturae debilitatem heroice superans, ad supplicium usque, maxima cum fortitudine se magnanime consociavit.

His de sancta Dei Servarum vita breviter indicatis, ad earum demonstrandum martyrium, Deo adiuvante, nunc nostra, pro viribus, oratio progreditur.

De martyrio et causa martyrii.

20. Vel *formale* vel *materiale* potest martyrium considerari. Nos de utroque in hac quaestione dicemus et loquemur de *primo* tum habita ratione tyranni, tum habita ratione martyris; cum enim doceat Augustinus quod « *martyrem non poena sed causa facit* », agentes ideo de tyranno, sedulo inquiremus ex qua hic causa patientes excruciaverit, siquidem hanc causam fuisse tantum fidei et Religionis odium oportet ut eos gloriosos Christi martyres aestimemus eosque tales iure meritoque nuncupare possimus.

21. Et revera tumultus illi terribiles qui sub finem saeculi elapsi misserrime Galliam vexarunt, Ecclesiae Christi eiusque sacris ministris praecipuum certe bellum indixerant. Legimus in Summario « Nous sommes au commencement de 1794. De« puis un an le sang coule à flots par toute la France, *surtout « ce'ui des personnes consacrées à Dieu*. Il ne s'agit déjà plus « de la Constitution civile du Clergé. La Convention ..... le

« 7 Novembre 1793 elle *a aboli par décret le culte catholique*, « qui sera, dit-elle, remplacé par le culte de la Raison, à la« quelle l'Eglise de Notre-Dame de Paris sera dédiée. Et en « effet une actrice monte sur l'autel pour y représenter la déesse « Raison: comédie sacrilège qui se renouvelle dans tous les « Départements ». Iamque annis 1789 et 1790 in publicum Decreta prodierunt quorum aliud vota religiosis prohibuerat, alterum supprimere Regularium Ordines mandaverat. Minitantibus hisce Edictis facta cito respondent. Claustra perditi homines ingrediuntur, omnia ibi diligenter perquirunt, Communitatum bonis potiuntur, monasteria vendunt, Religiosos Religiosasque ex iis barbare eiiciunt: etenim in seditione illa teterrima « *Une « chose dominait tout: le mépris et la haine de Dieu et de son « Eglise* ». Religiosae quaevis exercitationes veluti crimen horridum tunc temporis habebantur quod iniqua poenà capitis sequebatur illico, et nedum Sacerdotes et Regulares plurimos sed et laicos innumeros, tantum ob religiosam causam, morte damnatos iis diebus conspicimus: « *uniquement pour des faits de re« ligion* ». Et enimvero satis erat quod Sacrum presbyter in quavis domo forte litaret, ut non ipse tantum sed omnes qui eum acceperant hospitem capitali mulctarentur supplicio: remque Testis illustrat exemplis et de muliere ipse refert quae cuidam Dei Ministro apud se Missam celebrare permiserat et « *pour ce fait* elle est mise à mort ». Refert de P. Hersilliers e Societate Iesu qui a quadam Domina hospes exceptus est ut suum posset ministerium implere et « *à cause de cela seule« ment*, elle fut mise à mort avec sa domestique ». Refert insuper quod qui charactere sacerdotali erat insignitus, tantum ex hoc veluti reus habebatur etsi nullo unquam publico officio functus ipse fuisset. « *Par le seul fait* qu'on était prêtre, on ne « pouvait se défendre d'être réfractaire; quand même on n'a« vait jamais exercé aucune fonction publique ». « Il n'y a pas « d'exemple (legitur alio loco) qu'un seul prêtre, une seule re« ligieuse ait été épargnée par le Tribunal révolutionnaire de « Paris; » Omnes enim qui componebant illud seditiosum Tribunal excitati crudeliter erant contra gentes Deo sacras. Accusatores, Iudices, iurati illi homines queis iudicanda quaesita proponebantur, id tantum in perfido suo corde intendebant ut odium in Christi Religionem eiusque fideles explerent. « Chacun « des groupes de persécuteurs, en posant la peine de mort, est « animé et déterminé *par la haine de la foi catholique* ».

22. Revera Parisios adductae Sorores Carmeli Compendiensis accusantur de sanctissima ipsarum fide, de piis earum exercitationibus, de imaginibus piis apud eas inventis. Refert haec omnia Testis XI: « trainées à Paris (ait ipse) les filles du Car« mel furent présentées au Tribunal révolutionnaire. On leur « reprocha leur attachement à la foi, des images du Sacré« Cœur de Jésus qu'on avait saisies chez elles et un cantique « en l'honneur du Cœur de Jésus ». Eadem insuper Iudicii forma gentium illarum animum omnibus apprime declarat. Enormitas exagerationum, interpretationum iniquitas, suppositionum absurditas, talia profecto sunt quae apertissimum in Religionem easque Religiosas odium indubitanter ostendunt. « Ce sont des « religieuses qu'ils poursuivent comme *religeuses catholiques* ». Haec omnia adeo clare in actis relata conspicimus, ut quamvis dubitationem penitus excludant. « La rage contre la religion, « contre l'état religieux, contre les pratiques et les objets de « piété en usage dans l' Eglise catholique . . . . . se révèlent « comme un motif déterminant . . . L'énormité même des « exagérations, l'iniquité des interprétations et l'absurdité des « suppositions dans cette pièce déclamatoire prouvent que ce « n'était pas un danger pour la République que Fouquier-Thin« ville (hic erat publicus accusator) signalait dans de pauvres « femmes modestes et cachées, mais *une horreur antireligieuse* « qu'il voulait communiquer au Tribunal ». Iam haec essent satis ad propositum nostrum plene ac perfecte firmandum: sed quid si eadem illa die qua Carmelitae damnatae sunt, quatuor tantum ex iis omnibus ante Tribunal adductis absolutionem obtinuerunt, qui accusati erant de criminibus Religionem non respicientibus? . . . . . « Les 4 individus *épargnés* par le Jury « et par le Tribunal, n'étaient inculpés que de délits *étrangers « à la religion* ». Quid, si quaesita in translata seditiosorum locutione iudicantibus iuratis proposita, religiosarum exercitationum reas Carmelitas accusant: Quid si accusator ipse Fouquier Tinville suis ipsis fatetur verbis causam condemnationis pro Carmelitis, esse pietatem ac Religionem earum? « Fouquier « Tinville, l'accusateur, c'était une bête féroce, acharnée *spé« cialement* contre les personnes *consacrées à Dieu* ». Itaque quum Sor. Henrica *a Providentia* audiverit se suasque sorores omnes *fanatiques* appellari omnesque veluti tales poena capitis, nulla audita defensione damnari, efflagitavit quidnam hoc nomine *fanatiques* accusator intelligeret. Tam legitimae huic Monialis instantiae accusator iniquissimus ingenti iniuriarum congerie respondit: at Soror non decidit animo et in petitione sua magnanima fortitudine instat: « je vous somme (subdit) de dire ce que vous entendez par « *fanatique* » — « *J'entends* « (respondit Fouquier Tinville) *votre attachement à des croyan« ces puériles, vos sottes pratiques de religion* ». Iis auditis verbis Sor. Maria Henrica ad Antistitam conversa clamavit: « Ma « chère Mère et mes Sœurs, vous venez de l'entendre, l'accu« sateur déclare que c'est à *cause de notre attachement pour « notre sainte religion* que nous sommes devant ce Tribunal: « toutes nous désirions cet aveu, nous l'avons obtenu ». Ecquid autem desideramus amplius si reus ipse intentionem suam aperte fassus est? . . . Notum est enim in iure, nullum esse argumentum illo validius quod ex ipsa reorum confessione desumitur « *qua nulla potest dari maior probatio, cum superet « omnes alias probationes* », ut ait *Rot. in decis.* 64 § 2 *Recent. part. VI.*

23. Ceterum praeter dictam accusatoris declarationem optime sciebamus ex historia nomen illud *fanatisme* apud seditiosos et *massones* Religionem nostram significasse « nous savons, d'a« près La Harpe qu'on entendait alors par Fanatisme la *simple « pratique de la Religion*. Dans le style maçonnique, la *re« ligion* est encore appelée *fanatisme* comme au temps de Vol« taire, comme aux jours de la Révolution, même à la Conven« tion, même dans les Tribunaux révolutionnaires, même dans « les pièces officielles, à plus forte raison dans les conversa« tions publiques et privées. Tous les historiens, amis et en« nemis, en conviennent ».

24. Ad magis comprobanda quae diximus haud valet parum communis hominum opinio, qui fatentur omnes in odium fidei et SS. Religionis Carmelitas occisas evidenter fuisse. Et revera legimus: « . . . nos Mères ont été condamnées pour cause « religieuse à l'exclusion de toute cause politique ». « A mon « avis (ait alius) elles ont été mises à mort, *in odio fidei* ». — « Je « crois fermement (subdit alter) que cette exécution revêt tous « les caractères théologiques du martyre »; — et Testis IX fatetur; « Je sais ce que signifie le titre de Martyre et je suis « convaincue, que les Carmélites ont été de vraies martyres et « qu'elles ont été mises à mort en haine de la foi de Jésus« Christ ».

25. Scio equidem et innumeros alios poena mortis damnatos, illo seditionis tempore fuisse, qui nec sacerdotes erant nec Regulares; at quid ex hoc? — Antiquissimis etiam Neronis diebus nedum Christianos et fideles Christi asseclas impius hic et nequissimus homo excruciavit sed et quamplurimos quoque paganos infidelesque ipsum trucidasse cognoscimus. Ecquis exinde SS. Petro et Paulo tot aliisque sanctis viris pro fide nostra necatis gloriosam martyrii palmam auferet, quia cum ipsis alii interfecti sunt? . . . Hinc praedictus Testis IX post iam relata sua verba optime sequitur: « Plusieurs membres de ma famille

« sont morts très-courageusement sur l'échafaud le lendemain « même de l'exécution des Carmélites et personne n'a été tenté « chez nous de leur appliquer la qualité de martyrs, comme « on l'a toujours fait couramment aux Servantes de Dieu ».

26. Ex natura igitur et fine seditionis illius, ex factis et gestis impiorum, ex omnium sententia ac opinione, ex ipsorum confessione reorum patet *ex parte tyranni*, fidei et Religionis odium causam fuisse ex qua Servae Dei Sorores Carmelitae morte iniqua damnatae, cru leliter interfectae sunt. « Il est res« té évident que c'est leur état et leur fidélité à la loi de Dieu « qui les ont conduites à la mort ».

27. Itaque cum Christus ipse iam dixerit: « *Beati qui per« secutionem patientur propter iustitiam* » (1), Beatae iam essent iudicandae Carmelitae de quibus nos agimus: at videndum est quonam animo ipsae mortem obierint; id enim restat ad martyrium formale constituendum. Porro iam anno 1641 quaedam Soror Carmeli suas vidit in somniis Consorores quae coelum laetantes ingrediebantur martyrii palmam prae manibus habentes et, plurimos post annos, alia quaedam puella moritura eamdem fere visionem habuit: quas visiones quandoque memorantes Moniales, gaudio commotae clamabant: « Le Ciel nous « réservait-il *la gloire du martyre?* . . . Quoi! toutes en un « jour! Oh! *quel bonheur*, si nous pouvions nous trouver ainsi « toutes réunies! ». Iamque moniales composuerant hymnum quo suam ipsae laetitiam declarabant moriendi pro Christo, cuius heic aliquot placet versus referre:

« *Jésus, passion de ma vie,*
« *Mourir pour toi, quel doux plaisir!*
« *Ah! quel bonheur digne d'envie!*
« *Comment ne pas m'en réjouir?* »

Et laetabantur cogitatione martyrii ut suo sanguine possent « *confesser leur foi* et prouver leur fidélité aux saints engage« ments qui les unissaient à Jésus-Christ ». In quavis insuper occasione sinceram iterabant vitae suae oblationem et in poenis ipsis et carcere inenarrabile earum gaudium mirifice invalescebat. « Malgré la captivité et ses épreuves, la joie de « l'oblation continuait et grandissait ». Prodiit enimvero earum animus quum Sor. Henrica a Providentia, cognita ab accusatore condemnationis causa, ad antistitam suasque conversa in ea edidit verba: « *toutes nous désirions cet aveu*, nous l'avons « obtenu. Grâces en soient rendues à Celui qui le premier nous « a frayé le chemin du Calvaire! Oh! quel *bonheur de mou» rir pour son Dieu!* »; prodiit in laetitia qua omnes iniquam sententiam exceperunt; « cette sentence fut accueillie par toutes « sans exception, avec la plus grande joie »; prodiit quam maxime quum ad mortem se vicissim excitantes, veluti ad nuptias exeuntes, ad supplicium laetantes procedebant. « Elles se « parèrent comme pour un jour de fête » — « Toutes soupi« raient après le moment de leur sacrifice », quumque extremum eis vitae momentum instabat « ne songèrent plus qu'à « chanter les louanges de Dieu ».

28. Ex iis igitur omnibus patet clarissime Carmelitarum animus earumque desiderium pro Religione Catholica et sancta fide Christi gloriosum obeundi martyrium: invictam autem earum constantiam atque heroicam in ipso supplicio fortitudinem mox admirabimur, agentes

De martyrio materiali

29. Decreta quae iam pluries contra Religiosos Ordines prodierant, quamcito visitatio sequuta est. Mense itaque Augusti anni 1790 aliqui ex administris publicis Compendii cum parva militum manu ad Carmeli claustra veniunt ibique iubent illico sibi fores aperiri. Quibus ex necessitate apertis, temere illi ingrediuntur, visitant monasterium ubique, quovis in loco perquirunt et Sororibus ad se vice alterna arcessitis libertatem exhibent eisque reditum in paternam domum promittunt. « Ils « s'offraient à chacune de nous et voulaient que nous les re« gardassions comme des libérateurs qui venaient briser nos « chaines et mettre fin à notre dure captivité. Nous vous ap« portons (ipsi dicebant) l'heureuse nouvelle de votre délivrance: « vous pouvez maintenant, sans crainte, rentrer dans vos fa« milles ». At vero sanctas illas moniales temeritas hominum non terret omnesque una voce declarant atque protestantur se in divina vocatione sua vivere fideles ac emori velle: « elles « déclarèrent vouloir vivre et mourir Carmélites et ajoutèren, « à ces déclarations les protestations les plus énergiques ». Sor. Maria ab Incarnatione altera ex eis retulit omnia nobis his verbis: « Il est facile de juger comment nous accueillîmes « cette injurieuse proposition. Ah! c'était un attrait divin qui « nous avait fait embrasser la vie religieuse; nous y avions « trouvé l'innocence, la paix et le bonheur: aussi, bien loin « de nous regarder comme prisonnières dans le Monastère « toutes nous y avions goûté les douceurs de la vraie liberté. « Nous ne répondîmes donc à la prétendue bienveillance qu'on « nous témoignait, qu'en publiant hautement que le Monastère, « avait été une maison de notre choix et que toute notre am« bition était d'y vivre et d'y mourir; qu'il n'y avait rien eu « que de libre dans notre vocation. Voyant que tous leurs ef« forts étaient inutiles pour nous faire accepter une liberté ri« dicule, ils se retirèrent ». Recesserunt e claustro seditiosae gentes, at Processui Verbali addidere cuiusque Monialis declarationem cum relativa ipsius subscriptione.

30. Duos circiter post annos Moniales egredi e Monasterio iubentur: sacras ideo exuere vestes coguntur et beatam relinquere tranquillitatem quam tanto animi ardore exoptaverant. « Nous fûmes forcées (refert ipsa Maria ab Incarnatione) de « dépouiller nos saintes livrées, pour endosser l'habit séculier « et de sortir de notre chère solitude ».

31. Tunc ne ullam iniquis ingererent suspicionem, quatuor ipsae domus distinctas in eadem civitate Compendii inhabitare constituerunt, quae tamen cum longe inter se dissitae non essent, haud difficilem Consororibus exhibebant communicationem, « il fut facile aux Sœurs en passant par des maisons amiés et « des jardins, de se réunir sans se montrer beaucoup ni par « conséquent, éveiller le supçon d'une seule Communauté ».

32. Ex tristissima divisione illa, quin sanctus earum ardor in via perfectionis elanguesceret, crevit mirifice atque in dies invaluit. Etenim velut militis ardor quo magis est acre certamen, inceditur atque excitatur, ita Sorores nostrae teterrimis iis diebus Religioni et Ecclesiae tantopere adversis in media persecutione ac instantibus undique periculis, sanctis operibus piisque exercitationibus ferventiores ultro intendebant. « Leur « ferveur, loin de s'affaiblir, par cette division matérielle . . . « sembla prendre un accroissement dans les circonstances pé« rilleuses où se trouvaient la Religion et la France ». Observantia, diligentia, pietate, in iis habitationibus tamquam in Claustris enituerunt atque talis erat earum vita ut omnibus essent exemplo omnesque eas demirarentur. « On les regardait comme « les dix justes qui auraient sauvé Sodome, s'ils s'y fussent « trouvés ». Quod si per vias quandoque, tantum ex necessitate exiissent, earum incessus veluti apostolatus erat, qui copiosos generabat fructus omnesque ad virtutem pietatemque ex ignota quadam vi excitabat. « Les démarches qu'elles étaient obligées « de faire quelquefois dans la Ville, étaient autant de béné« dictions du Ciel, qu'elles répandaient où elles passaient au « moyen des impressions de vertu qu'on éprouvait en les voyant », suosque tunc temporis usus ipsae servabant et innocentem solemnitatum laetitiam. At invido animarum hosti ea Virginum sanctitas non arrisit solitisque suis artibus est usus ut tanta virtutum exempla maligne interciperet.

(1) Matth. 5.

33. Itaque Soror ab Incarnatione refert quod duobus vix elapsis mensibus ab iniqua Carmelitarum expulsione, ipse Compendii syndicus ad earum habitationem accedit earumque subscriptiones ab iis exposcit. Dubitantes ne forte ageretur de iuramento *Libertatis et aequalitatis* renuunt in principio Sorores: at vero « Le Maire protesta qu'il ne s'agissait point de « serment, demande les signatures comme un service person- « nel et comme une sauve-garde pour elles-mêmes ». Ipsae his verbis confirmatae angustiisque levatae subscripserunt. At vix postea veritatem noverunt eisque clare dolus prodiit, retractare illico voluerunt errorem. « Quand elles apprirent, que c'était « bien la formule du serment qu'on avait mise au-dessus de « leurs signatures, elles reprochèrent alors au Maire de les « avoir trompées et exigèrent qu'on vint recevoir leur rétrac- « tation » Et revera « Le maire (sequitur Testis) vint en effet, « avec son greffier, chaque Sœur dicta sa rétractation et la si- « gna ». Ceterum iam plures insignes ac meritissimi pietate et doctrina viri idem praestiterant iuramentum quod ipsa S. Sedes non absolute illicitum sua decisione decreverat.

34. Seditiosi eventus interea quotidie progrediebantur et Religionis odium invalescebat in dies. « On supposait que *les « amis de la Religion* étaient nécessairement *ennemis de l'E- « tat* ». Mense igitur Iunii anni 1794 nova peragitur visitatio et perquisitio rigorosissima quam Soror ab Incarnatione refert nobis his verbis: « Les membres de ce Comité employèrent « deux jours et une nuit sans désemparer à faire les recher- « ches et les perquisitions les plus rigoureuses. Il se saisirent « de tous les papiers qu'ils trouvèrent. Cette opération faite, « ils sommèrent les sœurs de ne point sortir de leurs maisons « respectives et placèrent des soldats dans chacune avec l'or- « dre que l'un se tînt en sentinelle à la porte, l'autre dans « l'intérieur pour surveiller les actions des religieuses ». Eo autem visitantium iniquitas processit ut cibis pro Monialibus paratis ipsi vescerentur atque ita adderent « aux souffrances « morales des religieuses les tortures de la faim ». Nostrae itaque Sorores comprehenduntur atque in carcerem detrusae, omne vexationum genus ibi perpessae sunt. « On ne peut dire, au « rapport des témoins oculaires, tout ce qu'elles eurent à souf- « frir pendant ce temps-là, étant privées des choses les plus « nécessaires, et n'ayant pu obtenir la faculté de changer de « linge, ni être autorisées à le donner à blanchir ». Gestiebant interea Moniales illae quod etiam in eo captivitatis loco regularum observantiam et pias Instituti exercitationes exequi possent easque hilares vultu vidisses consuetis vacare meditationibus, sacros audisses canere psalmos et Officium divinum aliasque preces, iuxta praescripta recitare. Iis in poenis cruciatibusque laetabantur commemorantes visionem a sua Consorore habitam de futuro earum martyrio et veluti in somnio dulcissimo effingebant animo patibulum, carnifices, sanguinem quem pro fide et Christo totum ipsae effundere avebant. « Cette révélation « faisait qu'elles envisageaient comme un jour de fête celui où « elles perdraient la vie pour la cause du divin Epoux ». Interea Sacerdos quidam piissimus nomine *de Lamarche* spiritualibus ministerii curis, carcerem ingressus, eas identidem reficere atque recreare solebat; et Antistita quae, ut innuimus in Commentario vitae suae, poenarum desiderio incendebatur Religiosas filias ad martyrii gloriam ferventer excitare non desistebat. « Mes filles, (ipsa clamabat) nous avons plus sujet de « nous réjouir que de nous en affliger. Ah! si le Seigneur nous « réservait un sort aussi beau, souvenons-nous de ce que « nous lisons dans notre sainte règle: que nous sommes en « spectacle au monde et aux anges. Il serait en effet trop hon- « teux qu'une épouse d'un Dieu crucifié ne sût pas souffrir et « mourir », et in mediis poenis sacrificii gaudium in eis invalescebat et se Domino quotidie in holocaustum offerebant.

35. Die Iulii decima secunda anni 1794 aliqui ex Comitatu Compendii ad captivas accedunt easque ipsi admonent de proxima earum translatione ad Civitatem Parisiensem: nec ulla intercedit mora, nec ullum temporis momentum eis iniqui concedunt ut iam incepta et vitae penitus necessaria exequi possint. « L'ancienne Prieure, la Mère Henriette, maîtresse des Novices « fit instance pour qu'on accordât aux Sœurs le temps de se « procurer du linge sec et de terminer leur pauvre réfection. « Le Maire eut la cruauté de lui répondre: Va, va, tu n'auras « besoin de rien, ni toi, ni tes compagnes, dépêchez-vous de « descendre, parce que les voitures sont là qui vous atten- « dent! . . . . Les 16 captives de Jésus-Christ durent donc pren- « dre leur linge tel qu'il était; et presque à jeun, au moment « d'un tel voyage, elles descendirent dans la cour ». Divino certe consilio factum est quod discedentes inciderent in Abbatissam Benedictinarum Angliae cum eaque breviter colloquerentur. « Le Souvenir de si tendres adieux avant de monter en « charrettes pour arriver au trône de gloire en passant par « Paris et par la guillotine s'est conservé traditionnellement « à l'Abbaye de Stanbrook ». At ecce innocentes victimae militibus circumdatae manibusque retro ligatis procedunt incommodasque conscendunt rhedas. Haud parum gentes commovebantur sanctas videntes virgines ad mortem certissimam exeuntes et in ea edebant verba: « *C'est dommage de faire mourir des « femmes comme celles-là!* At iniqua plebs et maxima foeminarum copia queis ipsae Moniales opportune benefecerant, in religionem, sacerdotes, Regulares omnes acriter excitatae eas iniuriis contumeliisque afficientes, « Claquaient des mains et « disaient que l'on faisait bien de se défaire de ces bouches « inutiles ».

36. Gravis rhedarum motus, manus retrorsum ligatae, ieiunium adeo diuturnum, incessus lentissimus, malignitas custodum haud breve illud iter poenis doloribusque horridum effecerunt. Misera tandem ea carpenta ingrediuntur Parisios et dum seditiosi homines sacras illas mulieres iniuriosis clamoribus conviciisque prosequuntur, ipsae benedicunt Domino et pro se persequentibus orant. « *Pour toute réponse, elles bénirent le Seigneur « de* les avoir jugées dignes de souffrir pour son nom et priè- « rent pour leurs persécuteurs ». Carceres iis diebus, adeo captivis redundabant, ut Sorores nostrae huc illuc tota die traductae sint cum pro ipsis locus inveniri non posset. « *On fut « donc obligé de les ramener à la Conciergerie* ». Tunc Soror a Resurrectione quae senio confecta, infirmitatibus pressa, manibus ligatis descendere e curru nequibat, a perditis iis custodibus misere in terram deiecta est. « *Ah malheureux!* (clama- « runt quotquot aderant) *vous l'avez tuée . . . .! Misérables que « vous êtes* »; eam enim omnes demortuam aestimarunt: at ipsa suaviter ad iniquos conversa ait: « Croyez bien que je ne « vous en veux pas, je suis au contraire pleine de reconnais- « sance de ce que vous ne m'avez pas tuée, parce que si je fusse « morte par vos mains, j'aurais été ravie au bourreau et à la « gloire du martyre que mes compagnes et moi osons espérer « de l'infinie bonté de notre divin Sauveur et Rédempteur « N. S. Jésus-Christ ».

37. Parisiorum carceres, eo seditionis tempore, omnes horridi erant; at ceteris longe peior erat ille in quem Moniales nostrae detrusae sunt. Multitudo gentium ex quibus aliae moribus pessimae, corruptus et foetidus aër, parca et vilis alimonia, custodum rudis ac inurbanus modus locum illum inferno similem efficiebant. « Les Carmélites entrèrent calmes et se- « reines dans cet enfer et furent écrouées ensemble dans un « étroit cachot ». Ibi Regulas Instituti servabant et Communitatis exercitationes prosequebantur, oblationem vitae suae iterabant assidue, et ferventibus animi votis martyrium exoptantes, hymnum in carcere composuerunt quo gaudium suum pro instanti supplicio significabant.

38. Et revera, « le jour du sacrifice que les Carmélites

« appelaient avec des vœux si ardents, était tout près ». Adducuntur itaque ante Tribunal seditiosum cui praeest accusator publicus Fouquier Tinville, homo nequissimus. « Devant le Tri« bunal révolutionnaire elles furent accusées de menées contre« révolutionnaires et fanatiques ». Nullus pro ipsis Testis nullusque defensor auditur : sed *quaesita* iuratis hominibus proponuntur et, responsione ab ipsis habita, poena capitis illico Carmelitae damnantur. Huius damnationis nuncio Virgines illae innocentes declararunt interna gaudia vultu atque ex beata earum pace ac tranquillitate virtus et innocentia clare adstantibus patuit. Prosiliens tamen Sor. Henrica expetit a Iudice quidnam ipse significaverit nomine « *Fanatiques* »: etenim « Le « jugement qualifiait les condamnées de . . . . *fanatiques*. Pour « toute réponse il vomit un torrent d'injures »: at instat Soror in petitione et « Citoyen, (clamat) votre devoir est de faire « droit à la demande d'un condamné: je vous somme donc de « nous dire ce que vous entendez par le mot: « *Fanatique* » « J'entends (respondit Fouquier-Tinville) votre attachement à « des croyances puériles, vos sottes pratiques de religion ». Tunc Soror ad suas conversa subridens ait: « Ma Mère et mes « Sœurs, vous l'entendez, *c'est à cause de notre attachement* « *à notre Sainte Religion*. Toutes, nous désirions cet aveu; « nous l'avons obtenu. Grâces immortelles en soient rendues à « Celui qui le premier nous a frayé la route du Calvaire. Oh! « quel bonheur de mourir pour son Dieu! » Hinc prae laetitia gestientes « Elles remercièrent leurs Juges dn bonheur qu'ils « leur procuraient ».

39. Quidam Blot Aurelianensis, vir pientissimus qui eis fuit socius in carcere easque post sententiam vidit redeuntes, testatus est de singulari ipsarum laetitia quae eum ad lacrymas usque commovit et « Elles lui dirent qu'il devrait, au contraire, « se réjouir pour elles ». Supplicium interea expectantes sese ad invicem excitabant suasque Domino commendantes animas precibus intendebant, aliis agebant gratias, addebant animum eosque ad patientiam hortabantur. « Elles se parèrent comme « pour un jour de fête ». — At ecce adsunt rhedae ut Sorores nostrae traducantur ad mortem. Exeunt itaque e carcere innocentes illae mulieres et paratos ascendunt currus in communi adstantium veneratione. Longum erat iter ad supplicii locum et ingens multitudo populi vias replebat per quas agmen illud tristissimum incedebat dum victimae vultu hilares veluti ad nuptias exeuntes, divinas cantabant laudes et laetantes benedicebant Domino. « Immobiles sur les charrettes de la mort, la « joie au cœur et la paix au front, elles passèrent tranquilles « et ferventes, au milieu d'un peuple infini », et qui eas eo momento vidit sincere testatus est: « qu'il n'était pas possible « d'exprimer par des paroles ce qu'elles avaient de céleste « dans leurs traits ». Commoventissima certe res erat efferatum videre populum qui alios omnes ad mortem euntes quovis iniuriarum genere impetere solebat, arcano nunc obsequio correptum canentes eas Virgines nullo clamore, nulla contumelia, ne ullo quidem verbo exturbare: quod si quando aliqua audita est vox, haec tantummodo fuit ad earum praedicandam innocentiam. « On entendait dire, Oh! les belles âmes! Quel air cé« leste! Si celles-là ne vont pas tout droit au Paradis, il faut « qu'il n'y en ait point! » Simulatis interea vestibus induti hic et illic sacerdotes aderant ut extremam concederent morituris benedictionem.

40. At horridus adest supplicii locus. Vix huc perveniunt eae Virgines cantant primo *Veni Creator* et Baptismatis promissiones votaque Religionis extremo eo momento renovant. Tunc Antistita se omnium ultimam interfici expetit. « Elle obtint « cette faveur et alors comme de doux agneaux elles se pré« sentèrent tour à tour à l'instrument qui devait leur donner « le coup de la mort ». Omnium itaque iunior advocatur prior ad martyrium quod una post aliam illae Moniales benedictione prius et permissione moriendi a Matre expetita, laeto animo perpessae sunt. Altera ex eis, Soror a Iesu, illius imitata fideliter exemplum, cuius sibi nomen in Religione elegerat, antequam moreretur, ad carnificem conversa ei suaviter ex corde pepercit. « *Je vous pardonne de tout le cœur dont je désire* « *que Dieu me pardonne* ».

41. Itaque « Quinze fois cette scène se renouvela dans le « même ordre, la même paix et la même triomphante séré« nité » et brevi temporis intervallo in silenti hominum multitudine, quinque et decem capita rescinduntur veluti flores pulcherrimi quorum odor usque ad gloriosum Dei thronum suavissime ascendit. Antistita quae filias iam viderat inique necatas eisque benedixerat morituris, venit denique ad supplicium ac optatam illius mortis gloriam cum suis consororibus assequuta, caelum triumphans ac martyrio aucta ingreditur.

42. « Un siècle s'est écoulé depuis les sinistres exécutions « dont nous venons d'évoquer le souvenir. Victimes et bour« reaux appartiennent désormais à l'histoire. Mais Dieu a fait « à l'avance la part de chacun. Aux uns la palme du martyre, « la gloire dans le Ciel, l'exemple sur la terre et l'admiration « des générations qui se sont succédé; aux autres la honte et « le mépris de l'humanité tout entière ».

De fama martyrii.

43. « *La réputation de Martyre existant dès l'origine parmi* « *les contemporains s'est conservée et développée sans inter-* « *ruption pendant tout notre siècle* ». Et revera, iam ipso supplicii momento haec firma adstantibus inerat persuasio: et nos in superiori mox capite vidimus quomodo eas tunc videntes, homines etiam perditissimi, qui ceteros damnatos omni conviciorum genere afficere consueverant, eas dictitabant *innocentes*, habebant *sanctas*, caelorum angelis comparabant. « Oh! *les* « *belles âmes! quel air céleste! si celles-là ne vont pas tout* « *droit au Paradis, il faut qu'il n'y en ait point!* ». Postea, mors earum gloriosissima mirifice communem hanc opinionem firmavit et nedum apud omnem Carmelitarum Ordinem summo venerationis obsequio Dei Servae semper prosequutae sunt, sed in tota Galliarum Ecclesia *Sanctae* ac *Martyres* ipsae indubitanter habentur. « L'opinion générale de l'Eglise de France, a « toujours été favorable au *véritable martyre de ces religieu-* « *ses* ». Immo eos inter, qui tristi eo seditionis tempore, inique a perfidis trucidati sanguinem pro Christo et sancta Eius Religione effuderunt, primum existimationis et honoris locum Carmelitae apud omnes adeptae sunt. « . . . on peut dire, que « les 16 Carmélites de Compiègne obtinrent du premier coup « une place d'honneur dans cette opinion générale des fidèles », et habentur ut veri illi martyres qui, primis Ecclesiae temporibus, vitam pro Christo invicte tradiderunt « les regardait réel« lement comme des témoins de la foi de Jésus-Christ, au même « titre absolument que les Martyrs des premiers temps de l'E« glise ».

44. Ex hac fama profecto exortum est quod quasvis earum reliquias gentes pietate maxima prosequantur. Assidue igitur ipsae expetuntur, infirmis admoventur, per easdem ipsarum invocatur auxilium. « Il m'est souvent arrivé que les objets qui « me sont restés des Carmélites m'ont été demandés pour le « soulagement et la consolation des malades qui avaient con« fiance dans l'intercession des Martyres ». Ex hac etiam fama illud exortum est quod parva Virginis statua quam ipsae ante mortem ferventer deosculatae sunt, maximo cum honore et veluti thesaurus pretiosissimus asservetur. « Nous avons le « bonheur (ait altera e Monialibus Carmeli Compendiensis) de « garder la Statuette de la Sainte Vierge que chacune de nos « Mères a baisée à son tour avant de monter à l'échafaud et « qui constitue pour nous une relique d'un très grand prix ». Ex hac denique fama illud certe exortum est quod Sorores An-

glae a S. Benedicto quae iis sociae in carcere Visitationis fuerunt earum vestes obsequentissime servent et « *les considé-« raient comme des reliques précieuses* » easque appellent « *reliques de Martyres* ». Istarum autem vestium partem novissimis hisce temporibus Benedictinae ex Anglia ad Carmelitas Compendii miserunt, ita ut hae reliquiae « *ont passé la mer « juste cent ans après leur première traversée* ».

45. Ut memoria Martyrum in Civitate Compendii reviviseeret noviter ibi Carmeli Ordo constituitur et gentes nobilitate divitiisque praestantes suas ultro libenterque opes contulerunt ad innumera superanda obstacula et graves vincendas difficultates ut id tandem aliquando perfici posset. « Plus tard enfin, « le vœu de tant de personnes pieuses fut accompli » : et quum aliae Carmelitae Compendium pervenérunt ad novam ibi constituendam Communitatem, sincero populi plausu omnibusque prae laetitia gestientibus exceptae sunt, « tant était resté vivant « le souvenir des anciennes religieuses ».

46. Ipsarum enimvero martyrio credens voluit Summus ipse Pontifex Pius VI quod ipsae proponerentur hominibus in exemplum ut fides in eis excitaretur. Scriptores omnes dixerunt eas ob suas eximias virtutes, fuisse a Domino tandem gloria martyrii coronatas. Concionatores ex alto suggesti, veluti totidem exemplaria eas audientibus adduxerunt, quae omnes debuissent imitari. Non igitur certe demiramur si universi earum adhuc supplicium commemorent, si earum auxilium suis in necessitatibus invocent, si earumdem Beatificationem exoptent et felicem Caussae exitum votis animae praestolentur. Immo retulit de se ipso Testis VI quod, adolescens cum esset, historiam Carmelitarum cognovit. Iamvero « Je n'ai pas oublié (sequitur « ipse) la profonde impression que j'éprouvai alors et il me sou-« vient que je fus frappé d'un grand étonnement quand, plus « tard, j'appris qu'elles n'étaient pas encore canonisées ». Tanta martyrii fama Galliarum limites praetergressa longinquas etiam Regiones pervasit per easque quamcito propagata est. Preces igitur ad Dominum effundit Anglia etiam et Hispania ut quamprimum ab Ecclesia meritos eis Martyrii decernantur honores. « L'opinion catholique en Angleterre . . . . a manifesté un réel « enthousiasme à la nouvelle du Procès en cours. Ici, dans no-« tre Monastère, les prières ont pris une ferveur intense. Les « Couvents de Darlington et de Lauhern ont commencé aussi « à prier et à travailler activement pour le succès de la cause, « de même au Couvent de l'Institut de Ste Marie de York, où « j'ai été élevée et au grand Séminaire du Diocèse de Birmin-« gham. Les Parents et les amis de nos mères de Cambrai les « ont toujours regardées comme des presque Martyres et ont « considéré comme de vraies Martyres les Servantes de Dieu ». Et de Hispania alius e Testibus ait: « J'ai reçu en particulier, « depuis le commencement de ce procès, de plusieurs de nos « Maisons d'Espagne l'expression du bonheur qu'a fait naître « en elles la nouvelle de l'ouverture de ce procès ».

47. Infinitus equidem essem si omnes heic referre velim Auctores qui scripserunt de Sororibus istis; quovis enim anno ab istarum obitu ad tempora usque nostra, nova prodierunt opera quae de iis loquuntur easque Martyres et sanctas appellant ac vere *in odium fidei* trucidatas inique praedicant. Dictorum autem scriptorum nomina eorumque operum Tituli cum prostent in variis Summarii foliis, illuc quaeso perlegentes remittimus.

48. Fama haec quin unquam elangueseeret, adhuc usque pervenit atque mirifice in dies propagata, apud omnes invaluit, a nemine, per tempora, contradicta. « La réputation de sainteté « s'est donc toujours maintenue et se continue en ce moment », Et alius ait: « Le souvenir des Carmélites de Compiègne est « très religieusement conservé par tout le monde et je ne crois « pas que jamais personne ait osé se permettre de rien dire « ou de rien écrire qui soit en leur défaveur » ; et alius adhuc subdit: « Je n'ai jamais entendu ni lu quoi que ce soit contre « la mémoire des Servantes de Dieu, ni contre la réputation « de Martyres ». Pulcherrimum rei de qua dicimus argumentum illa solemnitas exhibet, quam Compendii Carmelus per triduum celebravit occasione saeculi a glorioso Consororum obitu absoluti, ut gratias omnes Domino agerent eumque deprecarentur ut honores Altarium ipsae quamprimum adipiscantur. In Actis denique innumeras videmus insertas epistolas a Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Viris ecclesiastica dignitate praeclaris ad Antistitam Carmelitarum Compendii directas, queis Ipsi sexdecim Sororum mortem admirantur, eas Martyres profitentur, vota sui cordis pro merita earum Beatificatione declarant quam unanimi consensu proximam implorant sibique ardenter augurantur.

49. Ita remuneratus est Deus innocentiam atque heroicam illarum fortitudinem quae inique ab impiis interfectae, sanguinem et vitam usque suam in horrendis cruciatibus pro fide et catholica religione tradiderant.

De signis seu miraculis.

50. Ad augendam martyrii famam et Carmelitarum existimationem provehendam haud parum certe prodigiosa illa facta valuerunt quae post heroicum Dei Servarum obitum ex Actis evenisse cognoscimus. — Vix itaque earum supplicio expleto mirabile prodiit signum ; etenim ; « Elles s'étaient offertes depuis « longtemps, chaque jour, pour l'Eglise et pour la France », et alia ex eis patibulum ascendens ferventer Dominum deprecata est iis verbis: « Mon Dieu, trop heureuse, si ce léger sacrifice « peut apaiser votre colère et diminuer le nombre des victi-« mes! ». Iamvero brevi temporis intervallo sacrificium hoc sequuta est cessatio seditionis illius tristissimae. « *Au bout de « 9 jours, la France était délivrée de ses plus cruels tyrans* ».

51. Praeterea in causis Martyrum, illustre est signum Martyrii mors ipsa persecutorum ignominiosa, ut nos edocet Praeceptor noster clarissimus, Benedictus XIV (1). Et revera videmus Fouquier-Tinville, videmus Scellier, videmus alios omnes nequissimos seditiosi Tribunalis homines denuntiatos, accusatos, unanimi voto damnatos infami supplicio periisse. « La « Convention décrète l'arrestation de Fouquier et des Membres « du Tribunal Révolutionnaire . . . . Enfin après de longues « plaidoiries et le verdict des Jurés, le nouveau Tribunal pro-« nonça la sentence si étendue où sont visés les crimes les plus « abominables. Fouquier-Tinville, Toussaint Gabriel Scellier et « les 13 autres furent condamnés à mort. Dieu ne permit pas « que leur sang immonde fût mêlé au sang de leurs victimes . . . . « Ils furent exécutés en place de grève, lieu réservé jadis aux « criminels ». Fouquier Tinville sociorum ultimus necatur aliosque ante se morientes aspexit veluti Antistitae Carmelitarum contigerat.

52. Aliud insuper Martyrii signum quamvis tantummodo aliam e Carmelitis respiciat, nempe Sororem Henricam a Providentia, nihilominus ad alias quoque omnes extendi dicendum est, sexdecim enim illae Consorores una eademque morte atque ex una eademque causa trucidatae fuere. Agitur itaque de arcana luce quae mirifice apparuit in domo paterna Sororis Henricae eadem Martyrii nocte et quam genitor obstupescens « optime vidit: *Quelques jours après, il apprit que sa Sœur de « Compiègne avait été décapitée à Paris ce jour-là même et il « s'écria: Pauvre Annette! c'est toi qui es venue me voir* ».

Sed maiora dicam: scilicet prodigiosa facta et maxima beneficia Dei Servarum intercessione impetrata: neque silentio praeteream in principio, quod Blot, vir ille Aurelianensis qui eas in carcere socias habuit, liberationem suam earum precibus tribuit. Ipsarum reliquiae infirmis fidenter admotae mirabiles

(1) De Beatif. Lib. III, cap. XIV, N. 13 in fine.

generarunt effectus dum artis humanae tentamina ad optatam habendam valetudinem penitus in irritum cesserant. Refertur de infante qui insanabili correptus angina, ope Dei Servarum invocata, earumque adhibitis reliquiis, extemplo sanatur; dicitur de Sorore a S. Michaele e Carmelitis Excalceatis quae horrido affecta tumore, auxilio Dei Servarum implorato, absque ulla operatione chirurgica optime convalescit; Soror Carmelita e Monasterio *Caenomani* (in Gallia) diuturna ac molestissima infirmitate vexata, intercessione Dei Servarum expetita, ad perfectam sanitatem illico restituitur. Crescit igitur in dies gentium fiducia, eo magis earum imagines et reliquiae expetuntur, eo ferventius preces ad eas undique fideles effundunt, « je suis très « frappée (ait unus e Testibus) de voir augmenter beaucoup « la confiance qui porte à invoquer les Servantes de Dieu et « à leur demander des miracles », idemque Testis paullo post enarrat quod nunc Carmelitae Compendii « sont obligées d'en« tretenir une grande correspondance pour répondre aux let« tres qui demandent des prières ou des grâces par nos Mar« tyres. Elles ne peuvent pas, en particulier, suffire à fournir « les images qui leur sont demandées de toutes parts; elles « en ont distribué plus de quatorze mille jusqu'à présent ».

53. Pulcherrima est certe sanatio Sor. Annae a S. Bartholomaeo. Haec igitur horribile passa est malum, cuius pessimam naturam declaravit postea medicus quum de sanata testatus est: « une neurasthénie tenace (ipse ait) la tenait clouée au lit. En « plus elle présentait les symptômes d'une hypertrophie du « cœur et ceux de la néphrite ». Innumera atque molestissima remedia adhibita sunt et vehementissima praescripta medicamina, at nullum exinde levamen misera experta est, quin immo quotidie teterrima ea infirmitas invalescebat. Tunc preces instituuntur ad invocandas Martyres Carmeli Compendiensis pro sanitate Sororis obtinenda: morbus nihilominus ruebat in peius. Septimo novendalium die, per noctem integram infirma requievit precibusque vix absolutis, perfectam adipiscitur valetudinem. Re cognita quamplurimum obstupuit medicus qui postea sincere testatus est miraculum. « *Dans mon âme et con« science, cette guérison ne peut être attribuée aux moyens « humains employés* ».

54. Novissimis hisce diebus notitia pervenit de sanatione, mirabili Sor. Clarae a Corde Iesu e Carmelitis *Hanoi* (in Statibus Foederatis). Haec a pluribus annis horribili ulcere in stomacho vexata est; quod progressu temporis degeneraverat miserrime in cancerum: omnibus ideo remediis incassum adhibitis, infirma ad mortem erat penitus adducta. At fiducia singulari in Consorores martyres excitata, earum expetit ardenter auxilium et perfectam assequitur sanitatem: ipso iudicante medico, id profecto contigisse, ex « *un pouvoir plus haut que le sien* »

55. Prodigiosa pariter est alia sanatio Sororis Marthae a S. Iosepho e Carmelitis *des Vans* (Ardèche), quae anno 1896 gravissima infirmitate correpta est seu « *tuberculis in pulmonibus* ». Acuti dolores in pectore, tussis, sanguinis evomitiones torquebant misere infirmam, quam medicus morti proximam declaraverat. Accessit tumor in crure qui peiorem adhuc reddidit horribilem aegrotae statum, mediis omnibus humanis invanum tentatis. Per ea tempora Consororis Clarae supradictae mirabili cognita sanatione, Antistitae impulsu, Soror Martha invocat fidenter opem Martyrum Carmeli Compendiensis omnibusque vehementer obstupescentibus, a diuturno terribilique morbo perfecte ipsa sanatur. Medicus illico arcessitus, demiratus est factum, quod suo postea testimonio, supernaturale atque mirabile dixit: « Invité (scribit ipse) par Madame la R.de Mère « du Carmel des Vans à témoigner de ce que j'avais pu con« stater *d'extraordinaire et de surnaturel dans cette guérison* « aussi rapide qu'inattendue, *je le fais avec plaisir et confor« mément à la plus exacte vérité* » — De his duabus sanationibus, scilicet Sororis Clarae et Sororis Marthae Processus auctoritate Ordinaria absoluti, apud Sac. Rit. Cancellariam in Urbe nunc asservantur.

56. Accedunt sanationibus innumera alia beneficia. Perversi homines ad pias exercitationes redeunt atque ad Dominum convertuntur per intercessionem Sororum Compendiensium. Iis intercedentibus difficillima et ardua negotia felicissimum sortiuntur exitum. Earum efflagitantes opem, validum, earumdem auxilium absque ullo dubio semper experti sunt.

57. Has igitur Consorores vitae sanctitate praestantes, morte heroicas, signis miraculisque post obitum insignes Vobis AA. PP. proponimus ut de introducenda earum Causa decernatis. Laeto excipiet animo votum inclytus Carmelitarum Ordo, excipiet Compendium, tota excipiet Gallia, idque a vobis exoptat cum praeclarissimis iis viris qui Postulatorias miserunt Litteras R.mus insimul P. Xaverius Hertzog Causae Postulator insignis, ut heroes istae admirabiles qui pro Christo et Ecclesia vitam heroice tradiderunt, tandem aliquando meritos adipiscantur honores.

Quare etc. Die 23 Augusti 1899.

Ioannes Baptista Minetti, Adv.
Adulphus Guidi.

REVISA

Alexander Adv. Verde, *S. R. C. Adsessor et S. F. Subpromotor.*

II.

CONGR. FRATRUM SCHOLARUM CHRISTIAN.

Dubium circa recitationem officii in festo S. I.-B. de la Salle.

R. Fr. Robustianus, Procurator Generalis Fratrum Scholarum Christianarum, a Sacrorum Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime expetivit; nimirum:

Ex concessione Apostolica, Congregationi Fratrum Scholarum Christianarum indultum est, ut festum Sancti Ioannis Baptistae de la Salle, eiusdem Congregationis Institutoris, sub ritu duplici primae classis cum Octava recolatur cum Officio ac Missa propriis. Quum autem Fratres memorati Instituti ad recitandas horas canonicas minime teneantur, et apud se habeant vel fixos capellanos, qui a R.mo Ordinario designati, sunt addicti ipsorum domibus ad obeunda munera ministerii ecclesiastici, vel etiam Sacerdotes, qui alicui paroeciae, veluti coadiutores, operam navantes, aut ecclesiastico aliquo beneficio fruentes, locum tenent capellani in domibus Fratrum, et sacras functiones ibidem explent, et Sacramenta administrant, hinc quaeritur:

An supradicti capellani fixi, vel Sacerdotes vices capellani gerentes, teneantur ad recitationem Officii proprii eidem Congregationi concessi in festo et per Octavam S. Ioannis Baptistae de la Salle?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgi-

cae, reque mature perpensa rescribendum censuit: *Nec primos, nec alteros capellanos teneri in casu.*

Atque ita rescripsit. Die 23 Ianuarii 1903.

S. Card. CRETONI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

PLACENTINA.

Probantur novae Lectiones historicae in festo Dedicationis Ecclesiae Cathedralis Placentinae.

Placentinae Cathedralis Ecclesiae vetustatem, molis magnitudinem, structurae nobilitatem, styli longobardici puritatem, quibus Sacrae Aedes primarias inter et praestantiores Italiae superioris enitent, animo diu reputans R.mus D.nus Ioannes Baptista Scalabrini Pontifex Placentinorum, ipsius templi instaurationem maturo consilio adhibitisque artis peritis ea lege suscepit, ut illud ad primaevam simplicem speciem revocaretur. Quo opere feliciter, anno superiore, ad finem perducto, idem R.mus Praesul, una cum suo R.mo Capitulo, SS.mum D. N. Leonem Pp. XIII, humillimis precibus rogavit, ut in festo anniversario Dedicationis suae Cathedralis Ecclesiae, pro lectionibus de Communi huc usque adhibitis, Lectiones propriae historicae in posterum recitari valeant, quarum schema approbandum demississime subiecit. Porro eiusmodi schema quum de more, in ordinariis Ss. Rit. Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, E.mus et R.mus D.nus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, Episcopus Portuen. et S. Rufinae, Relator proposuerit; E.mi et R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque R. P. D. Alexandro Verde, S. Fidei Promotore, rescribere rati sunt: *Pro gratia, et ad E.mum Ponentem cum Promotore Fidei.* Die 2 Decembris 1902.

Revisione demum earumdem Lectionum peracta, hisque omnibus SS. D. N. Leoni Pp. XIII, ab infrascripto Cardinali S. eidem Congregationi Pro-Praefecto relatis, Sanctitas sua sententiam ipsius Sacri Consilii ratam habens, suprascriptas Lectiones historicas, ab universo Clero saeculari et regulari dioeceseos Placentinae in festo Dedicationis Ecclesiae Cathedralis in posterum adhibendas suprema Auctoritate Sua benigne approbare dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 16, iisdem mense et anno.

D. Card. FERRATA, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

IV.

ORD. CARMELITARUM ANTIQUAE OBSERV.

Confirmatur consuetudo dicendi Missam de B. Maria Virg. singulis fere anni sabbatis, iuxta modum.

Ab immemorabili tempore pia viget consuetudo, quam historica documenta, praesertim ex Bullario ipsius Ordinis deprompta, abunde testantur, singulis per annum Sabbatis, paucis tantum solemnioribus exceptis, Missam canendi de Beata Maria Virgine pro Sabbato in Missali Carmelitico assignatam, vel de Octava alicuius Festi Deiparae occurrente, in Ecclesiis ad ipsum Ordinem pertinentibus. Quum tamen sive ob permulta suppressa Coenobia, sive ob numerum imminutum Carmelitarum, vel aliis de causis, laudabilis eiusmodi praxis in nonnullis eiusdem Ordinis Ecclesiis interrupta fuerit, nuper in Capitulo Generali, proxime elapso mense Octobri in Urbe coacto, unanimis suffragiis piam atque antiquissimam consuetudinem ubique restituere, ubi desierit, visum est. Quare R.mus P. Procurator Generalis memorati Ordinis Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII supplicibus votis rogavit, ut, omni dubio hac in re sublato, consuetudinem solemnis Missae de Beata Virgine, vel de Octava alicuius Deiparae ipsius festivitatis occurrente, singulis per annum Sabbatis decantandae in cunctis Ecclesiis Carmelitici Ordinis ab antiqua Observantia, suprema Auctoritate Sua approbare et confirmare benigne dignaretur: facta quoque potestate enuntiatam Missam votivam legendi in iis Coenobiis, sive Domibus, in quibus tres tantum Sacerdotes e Carmelitica Familia commorantur. Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributarum expositam consuetudinem ita confirmavit, ut petita Missa solemnis, vel lecta, celebretur cum *Gloria*, *Credo*, atque unica Oratione; exceptis Sabbatis, in quibus occurrat Duplex maius primae classis, vel infra Octavas Nativitatis et Epiphaniae Domini, Paschatis Resurrectionis Pentecostes et Corporis Christi, itemque Vigilia Nativitatis Dominicae (quando in Sabbatum inciderit), Vigilia Pentecostes, ac Festum, vel Vigilia, aut Octava Deiparae, in quibus Missa erit de respectivo festo, vel Vigilia, vel Octava occurrente; servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 13 Decembris 1902.

D. Card. FERRATA, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

V.

DECRETUM.

Probatur nova editio Martyrologii Romani.

Praesens Martyrologium novissime recognitum et auctum, Sacra Rituum Congregatio probante Sanctis-

simo Domino Nostro Leone Papa XIII, imprimi decrevit per Typographiam Polyglottam Sacrae Congregationis de Propaganda Fide: statuitque ab aliis ubique locorum deinceps typis edi non posse nisi accedente auctoritate Ordinarii loci et omnino ad normam huius exemplaris.

Die 1 Maii 1902.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

Indultum pro sacerdotibus Tertii Ord. Saecularis S. Francisci.

Beatissime Pater,

Sacerdotes Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci, ad osculum S. Pedis provoluti, humiliter implorant ut, qui ex ipsis, muneribus Sacerdotalibus impediti fuerint quominus adsignatis diebus Ecclesiam vel Oratorium adire valeant ad recipiendam Benedictionem Papalem vel Absolutiones Generales cum adnexa Indulgentia Plenaria praefato Tertio Ordini concessas, easdem recipere possint quocumque die inter festi octiduum occurrente, ne tanto bono spirituali inculpabiliter priventur.

Et Deus etc.

Vigore specialium facultatum a SS. D. N. Leone Pp. XIII sibi tributarum, S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita benigne annuit pro gratia iuxta preces, ceteris servatis de iure servandis. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Praesenti in perpetuum valituro.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Cong. die 11 Februarii 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

II.

Indultum conceditur sacerdotibus a Missione circa privilegium sabatinum.

Beatissimo Padre,

Agostino Veneziani Pro-Procuratore Generale della Missione, prostrato al bacio del S. Piede, supplica umilmente la S. V. a voler accordare ai Preti della Missione la facoltà di poter commutare alle Figlie della Carità ed alle persone dimoranti negli stabilimenti diretti da dette Suore, il piccolo Ufficio della B. V., i digiuni e le astinenze che si richiedono per conseguire il privilegio *sabbatino*, dagli ascritti allo scapolare del Carmine, anche nei luoghi dove esistono Conventi o Case dell'Ordine Carmelitano, essendo molto difficile alle persone suddette recarsi per tal commutazione dai Padri Carmelitani. Che ecc.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Leone PP. XIII sibi specialiter tributis, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† FRANCISCUS SOGARO, Archiep. Amiden., *Secr.ius.*

E SACRA POENITENTIARIA

Dubium circa solutionem decimarum in Italia.

I.

Il Vescovo di Urbania e S. Angelo in Vado espone come nelle sue Diocesi alcuni parroci abbian chiesto ed ottenuto dal Governo un supplemento di rendita, nel quale furono computati i compensi pei danni derivati dall'abolizione delle decime.

Continuando molti fedeli a pagare le decime, si rivolge alla E. V. R.ma per domandare se i detti parroci possano liberamente godere e le decime che vengon pagate dai fedeli e il compenso per le abolite decime che percepiscono dal Fondo pel culto.

Sacra Poenitentiaria Episcopo Oratori respondet:

« *Quatenus parochi supplementum accipiant a Gubernio in compensationem decimarum, et illud decimas quas antea percipiebant adaequet, reliquum quod a fidelibus praestatur, erogandum in pias causas iudicio Ordinarii.*

Datum Romae in Sacra Poenitentiaria, die 20 Novembris 1902.

A. CARCANI, *S. P. Reg.*
A. Can. MARTINI, *Secr.*

Aliud dubium circa solutionem decimarum in Italia.

II.

Il Parroco N. N. (Diocesi di Cagli), a nome proprio e di altri suoi colleghi espone quanto segue:

Il nostro Vescovo, in data 24 Novembre 1900, fece avere ai Parroci della Diocesi una circolare, avente in

mira l'uniformità nel dirigere le coscienze in materia di decime.

In essa circolare si contengono norme, intorno alle quali occorrono questi schiarimenti:

1.° La quarta norma inculca che *non bisogna dire ai fedeli che non sono obbligati a pagare le decime, ma solo debbono lasciarsi nella loro opinione.* Ora chiedesi: Quando si dia il caso, e non è infrequente, che il Parroco sia direttamente interrogato dai fedeli intorno alla esistenza o alla cessazione dell'obbligo, che cosa dovrà rispondersi?

2.° I Parroci che non potessero decorosamente vivere con sole L. 900, più quelli che prima dell'abolizione delle decime sacramentali avevano un reddito superiore alle L. 900, sono oggi obbligati, per la norma espressa al numero quinto *di mettere a disposizione del Vescovo* tutto l'eventuale ritratto dalle decime, senza diritto di ritenere per sè almeno quella parte che sarebbe necessaria per ragguagliare il reddito antico?

3.° In ogni caso, e specialmente quando accada che il Governo non compensi quanto dovrebbe pur compensare per non aggravare soltanto i più buoni, non potrebbe modificarsi la norma espressa al numero sesto e provvedere insieme al bisogno del Parroco, alla più facile osservanza del precetto ed al sollievo dei fedeli, autorizzando Monsignor Vescovo a ridurre equamente, secondo il suo prudente avviso, l'antica imposizione, così che oggi si paghi per decima, per es., soltanto la metà o il terzo di quello che pagavasi innanzi?

La S. Penitenzieria al Vescovo di Cagli.

In ordine ai quesiti circa le decime, proposti alla Sacra Penitenzieria da un parroco della Diocesi di Cagli, questo Sacro Tribunale non ha creduto di darne direttamente al ricorrente la soluzione. Lo stesso Sacro Tribunale inoltre, uniformandosi alla sua prassi ed avuto anche in considerazione il parere espresso dalla S. V. Ill.ma e Rev.ma nella sua lettera del 4 agosto corrente, in merito ai suddetti quesiti ha ritenuto: 1.° Che quante volte un parroco od un confessore venga direttamente interrogato dai fedeli intorno all'obbligo di pagare le decime etc. debba rispondere che l'obbligo sussiste tuttora, non ostante l'abolizione decretata dalla legge civile, non essendo questa competente a decidere di cose riguardanti la Chiesa. Per i casi poi in cui i fedeli, non ostante il suddetto obbligo, non dovessero essere inquietati, si attenga alle risposte date da questa Sacra Penitenzieria alla S. V. Ill.ma e R.ma il dì 8 Marzo 1898 ed al Vescovo di Montalto il 7 marzo 1899 (1).

2.° Che i parroci possano ritenere delle decime che venissero loro pagate quella parte che è necessaria a raggiungere il reddito totale della parrocchia, che godevano prima dell'abolizione, anche se questo era superiore alle L. 900. Che quei parroci poi che non potessero vivere decorosamente con la congrua di L. 900, debbano fare presente la loro condizione al Vescovo, il quale, se lo crederà necessario, potrà ad essi concedere di ritenere o in tutto o in parte le decime, anche se ora complessivamente avessero un reddito maggiore di quello che avevano prima.

3.° Che quanto al terzo quesito, possano i parroci, autorizzati dal proprio Vescovo, in casi particolari, e per speciali ragioni, ridurre temporaneamente ai fedeli la quantità delle decime che dovrebbero pagare, diminuendola della metà ed anche di più, a seconda delle circostanze.

Queste cose la S. V. Ill.ma e R.ma, data l'opportunità e nel modo che reputerà più prudente, farà conoscere ai parroci ed ai confessori, a dilucidazione ed a complemento della circolare già emanata.

Roma, dalla S. Penitenzieria, 20 Novembre 1902.

A. Carcani, *S. P. Reg.*

A. Can. Martini, *Secr.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. X, p. 490.

ANALECTA VETERA

Nonnulla documenta inedita S. Congregationis Episc. et Reg. (an. 1677-1690).

232. Neapolitana. — Expulsionis Monialis e Monasterio.

Eminentissimi e Reverendissimi Signori. — Donna Aurelia Guidazzi da 40 anni in quà monaca professa nel Monastero di S. Gaudioso di Napoli, e tutta la sua parentela con lettera a parte ricorrono all'EE. VV. umilmente rappresentandole come essa Aurelia dalla S. M. di Clemente X, ottenne il passaggio al Convento delle Monache di Regina Coeli della medesima Città, dove fu ricevuta, et essendogli suscitato male hippocondriaco, si sospese la mutatione dell'habito, e rendendosi il male via più contumace, fu introdotto trattato per il ritorno al primo monastero di S. Gaudioso. Questo dispiacendo alle Monache di Regina Coeli che sentivano spesso dirsi da lei: — Cavatemi di quà perchè le monache di S. Gaudioso vedendomi alla lor porta humiliata e disperata di salute, mi riceveranno. — Pertanto deliberarono di mandarla via nella congiuntura di una giornata che fecero levarla da letto, la vestirono e la condussero al Parlatorio, dove dicevano che stava aspettandola il Vicario delle Monache: trovò alla porta moltitudine di gente, repugnò all'uscita, ma con fatti e parole aspre, urtoni e strilli cavorono lei e la sua serva dalla porta della Clausura con essere stata

tradotta in un Conservatorio delli Borghi di Napoli. Il caso EE. Signori non ha esempio, e senza emendarlo sarebbe pessimo che haverrebbe sollevato il resto di quella nobiltà se da medesimi parenti, non si fosse operato di contener la città, con la certezza delli buoni ordini di Roma, da cotesta Sacra Congregatione come furono certamente dati, ma non esseguiti credendosi più ad appassionate informationi che alla verità. Onde non potendosi capacitare huomo alcuno di questo mondo come si abbia da tollerar sì famosa ingiuria alle santissime leggi della Clausura, ad un parentado primario e nobilissimo di quella Città, ad una misera inferma, e vecchia professa di 40 anni, la quale ha ius di perpetuare nel Monastero di Regina Coeli, d'onde fu cacciata per forza, o vero nel Monastero di S. Gaudioso, dove professò ma non esclusa dall'uno e dall'altro, per dover vivere dove non professò, e fuori della sua regola in un Conservatorio che non servirebbe per altro che ad irritamento d'una privata vendetta degli Oratori, quando cessasse la publica e giustissima dell'EE. VV. Questo riverentemente implorano supplichevoli de loro opportuni, e vengano ubiditi. Che di tanta gratia, ecc.

Fuit rescriptum die 30 Iulii 1677: *Transmittatur Eminentissimo Archiepiscopo memoriale datum per consanguineos . . . . interim detineatur in Conventum S. Margaritae cui subministrentur per moniales Reginae Coeli fructus dotis eiusdem a die exitus In reliquis D. Sec. cum Agente Eminentissimi Archiepiscopi.*

233. Neapolitana. — Fabricae.

Eminentissimi e Reverendissimi Signori. — Havendo i Padri di S. Domenico di Napoli principiato una fabbrica nella quale si è speso da 20 mila scudi, furono impediti tirarla avanti da PP. Celestini di S. Pietro a Maiella col ricorso havuto a Monsignor Nuntio sotto pretesto che li oscurasse il Coro, che perciò havendo il detto prelato fatto fare l' accesso con l' ispettione dei Periti dell'una e dell'altra parte, e trovata che tal fabrica non apportava pregiudizio alcuno per esservi la strada publica e molto larga per mezzo, ma che tutto si faceva per gara onde, per liberarsi dalla petolanza di detti Padri, ordinò che si fosse alzato il muro, e quando l'havesse apportato pregiudizio alcuno l'haverebbe fatto demolire. E perchè hanno ultimamente fatto presentare al Nunzio una lettera pro informatione estorta dall'anno passato da questa Sacra Congregazione sendo di già venuta ultimamente la relatione dalla quale apparisce non apportar la fabrica dell'oratori pregiudizio alcuno a' suddetti Padri, ma sia fatto per gara per la vicinanza tra di loro. — Si supplica per tanto l'EE. VV. a far gratia di rimetter al medesimo Nuntio la suddetta causa avanti del quale fu da' medesimi Padri introdotta. Che etc.

Fuit rescriptum die 31 Maii 1675: *Coelestini utantur iure suo.*

Nota E.mi Casanata: — Audiatur relatio Nuntii.

234. Neapolitana. — Jurisdictionis.

1. Praetendit primo Eminentissimus Archiepiscopus Dominum Nuncium Neapolitanum habere plures ministros, quos vocant *Patentati* sub titulo substitutorum fiscalium, Cursorum, et Notariorum, in numero excessivo supra centum, quod inquit nimis damnosum ordinariae iurisdictionis ob exemptionem.

2. Praetendit Dominum Nuncium sine ulla iurisdictione, inconsulto ipso Eminentissimo Archiepo intus Civitatem et Dioecesim Neapolitanam demandare capturas reorum exterorum, quos vocant *dare il braccio* instantibus propriis Episcopis eorundem reorum, nec relevare quod huiusmodi brachium datur etiam a Judicibus Laicis contra Clericos, quia hoc verum est solummodo in subsidium, ad terminos Sacri Concilii Tridentini sess. 24 de reform. matrim. cap. 8 in fine aliisque similibus decretis, nec dubitandum est de iurisdictione locali Laicorum, quam Dominus Nuncius non habet extra causas delegatas.

3. Praetendit Dominum Nuncium non habere iurisdictionem in causis non cameralibus sed Privatorum, in quibus agitur de obligatione camerali, vel de consensu in omni Curia, et foro, quia talis consensus non sufficit ad prorogationem alienae iurisdictionis in praeiudicium ordinariae, nisi etiam Ordinarius consentiat, ut in c. *Significasti* 18 in fine, de foro comp., cum abunde notatis per Gonzal. Ibidem in Comment. per totum, pag. 100 cum seq.

4. Praetendit Dominum Nuncium arrogare sibi iurisdictionem in Regulares privative quoad Archiepiscopum etiam in Regulares qui extra claustra degunt et Ordinario subsunt per decreta S. Congregationis Concilii contenta in Constitutione 28 Urbani VIII tom. 4, et per alias Constitutiones apostolicas cum Sacrarum Congregationum decretis.

5. Ministros D. Nuncii excedere in perquisitionibus quae committuntur ipsi Domino Nuncio a Sacra Congregatione Immunitatis ad inspiciendum an apud Ecclesias, et Loca Sacra extent merces prohibitae, vulgo denominatae *Contrabandi.*

6. Dominum Nuncium, irrequisito E.mo Archiepiscopo, intrare clausuras Monialium Regularibus subiectarum, in quarum Monasteriis idem Dominus Nuncius non habet ius episcopale, sed solam jurisdictionem de causis contentiosis, atque ideo Dominum Nuncium contrafacere Constitutioni 156 ab Alexandro VII emanatae, ac etiam Decretis relatis per Pignatell. Consult. 163 tom. p.mo.

7. Dominum Nuncium pariter excedere in cognitione causarum super clausura Monialium Regularibus subiectarum, quae causae pertinent privative ad Ordinarium, nec Dominus Nuncius habet super huiusmodi causis aliquam delegationem in facultatibus sibi tributis.

8. Similiter excedi a Domino Nuncio in Licentiis, quas impertitur de colloquendo cum Monialibus ab Ordinario exemptis, cum tales Licentiae pertineant ad Ordinarium, ut in decreto Sac. Cong. Concilii relato per Pignatell. Consultat. 163 n. 2 lib. p.

9. Similiter Dominum Nuncium excedere in admit-

tendo pro Confessariis Monialium exemptarum Presbyteros ab Ordinario non approbatos, contra praescriptum Sac. Concilii Tridentini sess. 23 de reform. cap. 15. praesertim cum Nuncius non habeat ius Episcopale in Monasteriis Monialium, sed solam iurisdictionem de causis contentiosis.

10. Ibidem Dominum Nuncium excedere in exploratione voluntatis novitiorum, qui Parentibus inobedientes, habitum suscipiunt regularem, et deinde per Dominum Nuncium alio trasmittuntur pro exploranda ipsorum voluntate, quod totum non est in facultatibus Domino Nuncio delegatis, ideo remanet Ordinario reservatum.

11. Nimis excedere Ministros Domini Nuncii retardantes sepulturam Clericorum, donec perquiratur, an illi Clerici fuerint beneficiati, vel non.

In Causa Neapolitana inter Eminentissimum Archiepiscopum et Reverendissimum Nuncium.

Secretarius efformavit infrascripta dubia, quibus Eminentissimi Patres respondere poterunt quatenus illa non incongrua esse iudicaverint.

1. An, et ad quem numerum reducendi sint patentati Nunciaturae Neapolitanae?

Resp. — *Ad mentem. Mens est ut mittatur notula officialium et familiarium per quatuor praecedentes Nuncios, et interim Nuncius non utatur Patentatis nisi necessariis.*

2. An decernendum sit Nuncium Neapolitanum deinceps non posse litteras patentes concedere nisi iis qui ex attestatione proprij Ordinarij docuerint se non esse criminosos ita ut litterae patentes absque huiusmodi attestatione concessae, minime suffragentur Patentatis, praecipue quoad exemptionem a jurisdictione Ordinariorium etiam pro delictis antea commissis?

Resp. — *Negative et quoad iurisdictionem Ordinariorum pro delictis antea commissis, videantur resolutiones in casibus similibus.*

3. An decernendum sit Tribunal Nunciaturae teneri quotannis, seu alio tempore extradere Curiae Archiepiscopali Neapolitanae Notulam suorum patentatorum?

Resp. — *Negative.*

4. An Nuncius praefatus ad requisitionem cuiuscumque Episcopi, seu alterius Ordinarii Regni possit in Civitate, vel Dioecesi Neapolitana arrestari et carcerari facere subditum dicti requirentis, et huiusmodi arrestatum seu carceratum remittere ad requirentem, aut de istius consensu dimittere inconsulto et irrequisito Eminentissimo Archiepiscopo Neapolitano?

Resp. — *Ad Sac. Cong. Episc. et Regul. ubi pendet causa Hianen.*

5. An idcirco praefatus Nuncius potuerit arrestari et carcerari facere Presbyterum, et duas mulieres, quae ex conservatorio Terrae Vizini Dioecesis Syracusanae aufugerant, et una cum illo Neapolim profectae fuerant, et an ad quem dictus Presbyter, et mulieres respective remittendus, et remittendae sint?

Resp. — *Ut ad proximum.*

6. An Nuncius praefatus possit in prima instantia cognoscere causas clericorum, in quibus agitur vigore obligationis Cameralis, seu pacti, quo quis promittit posse conveniri in omni foro et Curia?

Resp. — *Ad S. Cong. Episc. et Regul. ubi pendet articulus in Causa Boianen.*

7. An Nuncius praefatus procedere possit contra Regulares absque debita licentia viventes extra claustra, cum habitu vel sine; necnon viventes quidem extra claustra sed extra illa delinquentes cum scandalo, seu in flagranti crimine repertos?

Resp. — *Affirmative, ad formam Brevis Clementis VIII.*

8. An Litterae per Sacram Congregationem Immunitatis concedi solitae praefato Nuncio super facultate perquirendi ad instantiam Gabellariorum Regiorum in Ecclesiis, et locis immunibus Regni, an ibidem reperiantur res delatae in fraudem gabellarum, intelligendae sint etiam pro Ecclesiis et Locis immunibus Civitatis, et Dioecesis Neapolitanae, et an et qui sint abusus in huiusmodi facultatis usu tollendi?

Resp. — *Quoad primam partem affirmative, et quoad abusus, providebitur per Sacr. Congr. Immunitatis in casibus particularibus.*

9. An Nuncius praefatus uti talis possit ingredi clausuram Monialium subiectarum regimini Regularium absque licentia Ordinarii Loci?

Resp. — *Affirmative in Monasteriis sibi subiectis immediate, in caeteris negative.*

10. An Nuncius praefatus sine dicta Ordinarii licentia possit huiusmodi Clausuram ingredi, in casu quo per Sacram Congregationem iussus fuerit informare super controversia requirente inspectionem ocularem loci, vel rei existentem inter clausuram?

Resp. — *Affirmative in dubio proposito.*

11. An facultas dicto Nuncio concessa seu concedenda per Sedem Apostolicam, seu aliquam ex Sacris Congregationibus ingrediendi Clausuram Monialium intelligenda sit cum licentia vel saltem participatione Ordinarii, vel sine casu, quo licentiae, vel participationis huiusmodi in dicta facultate nulla facta sit mentio?

Resp. — *Decere participare ex urbanitate.*

12. An Nuncius praefatus possit cognoscere causas Clausuram Monialium quoquo modo respicientes?

Resp. — *Ut ad nonum.*

13. An Nuncius praefatus potuerit causam prospectus Monasterii Monialium nuncupatarum. — Le Capuccinelle — cognoscere, et vigore litterarum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium pro informatione ad eum, et desuper dicta controversia datarum ingredi dictam clausuram sine licentia, vel participatione Eminentissimi Archiepiscopi?

Resp. — *Affirmative in casu proposito.*

14. An Nuncius praefatus possit concedere Regularibus licentiam alloquendi Moniales Regularium regimini subiectas?

Resp. — *Negative, nisi de licentia Sacrae Congregationis.*

15. An Nuncius praefatus possit admittere ad excipiendas confessiones Sacramentales Monialium degentium in Monasteriis ipsius Iurisdictioni subiectis Confessarios ab Ordinario Loci non approbatos?

Resp. — *Negative.*

16. An Nuncius praefatus possit Novitios de uno ad aliud Monasterium transferre ad finem et effectum

explorandi eorum voluntatem ibique dictum explorationis actum peragere?

Resp. — *Affirmative.*

17. An Nuncius praefatus prohibere potuerit, et post ne Ecclesiasticorum Cadavera tumulentur sine licentia suorum Commissariorum, vel sub praetextu inquirendi an defunctus esset beneficiatus?

Resp. — *Negative.*

18. An Nuncius praefatus vigore assertae facultatis eidem tributae per Litteras Sacrae Congregationis Immunitatis possit procedere contra Ecclesiasticos saeculares ex causa contrabandi tabacchi?

Resp. — *Ad Sacram Congregationem Immunitatis.*

Die 28 Martii 1694, in Congregatione particulari EE. DD. CC. Carpinei, Mariscotti, et Casanate una cum D. Secret. fuit rescriptum uti supra.

235. Neapolitana. — Iuris quaestuandi.

Nell'anno 1647 con autorità ordinaria fu eretta in Napoli nella Chiesa di Santa Maria de Vertecelli una Compagnia o Congregatione de' Laici che per speciale istituto ebbe il questuare con sporticelle nere, e con l'effigie delle anime del Purgatorio, impiegando tutto il danaro in tante messe per suffragio di dette anime. Alla medesima Compagnia, nell'anno 1658, fu data et unita la Chiesa di S. Maria del Pianto, sotto la quale è una Grotta detta de Sportiglioni, dove, in tempo di contaggio, furono sepeliti da 300 mila cadaveri, come riferisce il signor Cardinale Arcivescovo con sua lettera delli 5 di Settembre 1679.

Pretende oggi questa Compagnia che li Frati Agostiniani di S. Maria della Fede mandino da otto o dieci Frati ogni giorno questuando con sportelline della medesima forma, e perchè non impiegano il denaro totalmente in limosine per messe ma in altri usi di proprio mantenimento, e fabriche, come si riferisce dall'istesso Signor Cardinale, e così resta ingannata la volontà dei Benefattori. Perciò essa Compagnia supplica che si proibisca a detti frati di questuare nel modo suddetto.

Per quel che importa l'articolo iuris vi è il Consiglio del Baldo 277, lib. 2, quale dice non potersi prohibire le cerche sotto nome dell' istesso santo, e per la medesima opera pia se non vi sia consuetudine di prohibire, ma la forma, o modo di questuare dev'essere sensibilmente distinta e diversa per evitare ogni inganno di persone idiote.

In questo caso li Frati hanno articolato, e provato che essi sempre han questuato con sportelline bianche, e con questa formalità: *Fate bene per le Anime del Purgatorio*, e che la Compagnia del Pianto ha sempre questuato con sporticelle nere dove è dipinta l'effigie delle anime del Purgatorio, e con questa formalità: *Messe per le anime del Purgatorio,* come in Proc. dal fol. 2, al 16. La Compagnia poi ha provato che da poco tempo in qua detti Frati van cercando con le medesime sportelline, come in Proc. dal fol. 32 al 45, e l' istesso attesta il Signor Cardinale Arcivescovo nella sua lettera informativa.

Onde per togliere ogni difficoltà si puol ordinare che le cerche si facciano con modi e forme sensibilmente diverse.

S. C. Cong. reposuit die 7 Februarii 1681: *Licere Fratribus Augustiniani Conventus S. Mariae Fidei quaestuare per duos tantum quaestores cum sportulis albis et conceptis verbis: fate bene per l'anime del purgatorio; licere vero confratres S. Mariae de Planctu quaestuare iuxta solitum.*

Nota Emi Casanata: — Ad E.mum Archiepiscopum qui mandet servari ab utraque parte modum, et formam quaestuandi sensibiliter diversam quoad sportulas et verba.

236. Neapolitana. — Librorum.

E.mo et R.mo Signore. — Li Padri Conventuali del Monastero di S. Anna a Porta Capuana di Napoli humilmente rappresentano all'EE. VV. qualmente nell'anno 1658 il Padre Michelangelo Catalano parimente Conventuale ottenne Breve dalla Sacra Memoria di Alessandro VII di poter tener, et trasportar in questa famiglia come detta sua Religione i libri da lui per propria industria aquistati, et esistenti all' hora nel Convento di Racolato vicino la città di Assisi, e che doppo la sua morte andassero al Convento dei SS. Apostoli di Roma. Da tre anni essendo morto il detto Padre Catalano il Vescovo di Isernia pretende che trasportasse vivente molti suoi libri nel Convento di Santa Anna di Napoli. Però detto Convento dei SS. Apostoli li ha mosso lite avanti al Padre Provinciale di Napoli, il quale ha proceduto a decreti contro il Padre Maestro fra Antonio da Pescopagano et altri Religiosi di questo Convento che deponer dovessero con giuramento quali e quanti libri trasmettesse il Padre Catalano in questo Convento e che dovessero esibirli e consegnarli sotto pena di scommunica.

Da questi Decreti e gravami, e da altri, che si temevano appellorno il Convento di S. Anna et il Padre di Pescapagano a Monsignor A. C. Panciatici con essersi presentata personalmente et a persone leggittime l'Inibitione in partibus.

In questo stato vorrebbe il Convento de' SS. Apostoli di Roma provocar detta causa dall'A. C. et per ordine di Monsignor Illustrissimo Segretario ad istanza del medesimo Convento de' SS. Apostoli si ricorre all'EE. VV. supplicandole di permettere che l'A. C. proceda. Poichè l'A. C. in prima istanza, e ordinario, mero e misto esecutore di tutte lettere Apostoliche, Giudice ancora dell'appellationi tutte che s'interpongono ab executione vel non executione Brevis etiam inter Regulares. Se dunque il Convento de' SS. Apostoli giuditialmente ha proceduto, e doppo la contestatione della lite in vece d'articolare ha proceduto il giudice ha precetti di deponere, di giurare, e di consignare i libri, nel mentre che doveva farsi l'esame ser. ser. havendo il Convento di S. Anna Oratore negato assolutamente d'haver libri del defunto, e che nessuno di loro sa l' ommissione o separatione de' predetti libri dalla Biblioteca comune di questo Convento, e siche per confessione dell'adversario Convento di Roma, il Breve ha bisogno della giustificatione super narratis et negatis, dovendosi anco vedere se l'aquisitione dei libri fussi fatta, citra veri praeiu-

dicium, prima o doppo il Vescovato, et in tal caso dove harrivi la dispositione di quel Breve; certo che non hera, ne pare che possa essere inspettatione de Padri, ma sarà effetto della sublime, e consueta giustitia dell'EE. VV. ordinar, come si supplicano, che l'A. C. proceda. Quas Deus etc.

Audito consensu in hanc Sacram Congregationem nos etiam consentimus, secluso consensu. A. C. est iudex in prima instantia et in gradu appellationis inter conventus, et Religiosos eiusdem Ordinis, quatenus agatur de Litteris Apostolicis exequendis, vel non, quidquid sit in aliis casibus, et hoc pro indubitato, ac de stylo Curiae ponit Fagn. in Cap. de Prior. n. 24, 36, et 37, cui consonant de Luca, caeterique extenso allegati.

Fuit rescriptum die 28 Martii 1675: *Praevia advocatione ab A. C. E.mus Protector procedat cum facultatibus S. Congregationis.*

Nota E.mi Casanata: — Si agitur de executione litterarum Apostolicarum, ad A. C.; sin minus, ad S. Congregationem.

237. Neapolitana. — Licentiae percipiendi velum non obstante viduitate.

E.mi et R.mi Signori. — Donna Diana Musciettola di anni 65 e già Vedova del fu Ugone Pagano Duca di Terranova, al presente monacha professa nel Monastero di S. Potito di Napoli, supplica humilmente di poter ricevere il Sacro velo solito riceversi dalle monache del medesimo monastero, nonostante la sua viduità che non deve impedirgli questo suo santo desiderio, come canonicamente prova Tamburin. de Iur. Abat. disput. 27 quaest. 3. n. 6 e vi è anco l'Informazione dell'E.mo Arcivescovo. Il tutto etc.

Rescriptum fuit die 31 Maij 1875: *Arbitrio Ordinarii cum facultate dispensandi de consensu monialium per vota secreta.*

Nota E.mi Casanata: — Audita informatione Eminentissimi Archiepiscopi, si nihil in contrarium deducat, possit dispensari.

238. Neapolitana. — Licentiae pro negotiatione.

E.mi et R.mi Signori. — D. Tomaso Scotto Sacerdote della Terra di Procida diocesi di Napoli rapresentò a questa Sacra Congregazione, come rimasto tutore di cinque suoi nepoti, figli di Giov. Paolo Scotto suo fratello carnale, il quale attendeva a negotii di barche, et altre mercantie, con che alimentava detti suoi figli, veniva necessitato esso Oratore, durante la tutela e cura, a nome di detti pupilli seguitare detto negotio, et esercitio, e supplicò per la licenza opportuna dalle EE. VV. dalle quali essendo stato scritto pro informatione all'E.mo Arcivescovo, si presenta favorevole et uniforme all'esposto. Che perciò supplica humilmente di nuovo si degnino concedergli detta Licenza, acciò non manchi a detti poveri pupilli il necessario sostentamento, e resti a loro inutile l'heredità paterna. Il tutto etc.

Fuit rescriptum die 21 Iulij 1675: *Concedatur in forma.*

ANALECTA VARIA

Elenchus indulgentiarum quae ab omnibus Christifidelibus ecclesias Franciscales visitantibus acquiri possunt (1).

NOTAE PRAEVIAE.

Romani Pontifices decursu temporis singulis Familiis Regularibus primi Ordinis S. P. N. Francisci sat multas Indulgentias tum plenarias tum partiales quae ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus Ecclesias Franciscales visitantibus acquiri possunt, singulari liberalitate concesserunt. Iam igitur desiderio multorum Confratrum satisfacientes elenchum communicamus omnium Indulgentiarum, quae a Sede Apostolica singulis tribus Familiis Fanciscalibus primi Ordinis concessae sunt, et quae ab omnibus Christifidelibus praefatas Ecclesias visitantibus acquiri possunt. Sequens elenchus, a citato opere depromptus, novissime ab ipsa S. Indulgentiarum Congregatione per Decretum approbationis dicti operis de die 24 Ianuarii 1902 approbatus existit. Pro usu huius elenchi sequentia observanda sunt:

a) Conditiones, a Christifidelibus ad acquirendas Ecclesiarum Franciscalium Indulgentias adimplendae, sunt: primum receptio Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae, ubi agitur de Indulgentiis plenariis, status gratiae, ubi agitur de Indulgentiis partialibus; secundo visitatio respectivae Ecclesiae Franciscalis cum recitatione aliquarum precum piarum ad mentem Summi Pontificis. Preces ipsae pro arbitrio eligi possunt at in paucis certis casibus preces certae praescriptae sunt. Tempus visitandae Ecclesiae iuxta generalem regulam incipit pro festis a primis

(1) Elenchus sequens, verbotenus ex idiomate germanico in latinum translatus cum licentia auctoris, depromptus est a novissimo opere, cui titulus: « *Praktisches Handbuch für die Seelsorgspriester zur Leitung des dritten Ordens des hl. Franciscus für die Weltleute, von P. Cassian Thaler*, Exprovincial der nordtirolischen Kapuziner Ordensprovinz, - vierte, vermehrte und von der hl. Ablass - Congregation approbierte Auflage. Bregenz, 1902, I. N. Teutsch. ». Eumdem elenchum intra *Anal. Ord. Min. Capucc.* (Vol. 18, p. 78) nuper editum, libentissime in plurium utilitatem proponere etiam nobis gratum redit.

N. D.

vesperis festi, pro quo Indulgentia concessa est, et perdurat usque ad integrum crepusculum diei festi ipsius, pro aliis diebus restringitur ad diem naturalem, qui est a media nocte ad mediam noctem.

b) Cunctae Indulgentiae sequentis elenchi tum plenariae tum partiales animabus fidelium defunctorum in purgatorio detentis applicabiles sunt.

c) Singulae tres Familiae Franciscales primi Ordinis suos habent praecise distinctos dies festivos, in quibus earum Ecclesiis adnexa est Indulgentia. Item singulae Familiae Franciscales non omnia festa, quibus adnexa est Indulgentia, semper prorsus eodem die celebrant. Haec duo accurate consideranda sunt.

d) Indulgentia, quae pro certo festo concessa est semel tantum lucrifieri potest, prout die 12 Ian. 1878 S. Congreg. Indulgentiarum decidit: *Indulgentia semel tantum a singulis respective lucrari potest* (1). Proinde, si quod festum, cui Indulgentia pro singulis Familiis Franciscalibus adnexa est, ab his, scilicet a Fratribus Minoribus, Conventualibus et Capucinis, nonnumquam diverso celebratur die, Indulgentia ipsa pro tali festo concessa a Christifidelibus pro arbitrio secus diem, prout istud festum ab una alterave respectiva Familia Franciscali celebratur, semel acquiri potest, sed non bis.

e) Dies ipsi in sequenti elencho assignati sunt secus novissimum Calendarium totius Ordinis Seraphici primi, et accurate quidem tum Fratrum Minorum tum Conventualium tum Capucinorum. Quodsi igitur in una alterave Provincia aliquod festum, cui adnexa est Indulgentia definitive ad alium diem translatum fuerit, id in sequenti elencho non potuit adnotari.

f) Attendatur ad generale Decretum, quod Indulgentia alicuius festi, quod in aliquo anno ob concurrentiam maioris festi quoad Officium cum Missa in alium diem transfertur, ex eo non transfertur, sed fixa manet ad diem iuxta Calendarium.

g) In sequenti elencho brevitatis causa abbreviaturae adhibitae sunt pro determinanda respectiva Ecclesia Franciscali, cui adnexa est Indulgentia. Denotatur ergo littera:

C. — Ecclesia Conventualium, quae a Christifidelibus ad lucrifaciendam Indulgentiam visitari debet;

K. — Ecclesia Kapucinorum, quae pro lucranda Indulgentia visitanda est;

M. — Ecclesia Fratrum Minorum, quae pro acquirenda indulgentia visitari debet.

h) In sequenti elencho denique Bullae et Brevia Sedis Apostolicae, quibus singulis tribus Familiis Franciscalibus primi Ordinis Indulgentiae concessae fuerunt, quoad ordinem iuxta seriem litterarum citata sunt. Citationes ipsae accuratissime ordinatae ac revisae sunt. Bullarium vero Ordinis nostri indicatur B. C., numerus romanus designat tomum, arabicus paginam.

(1) Decreta Authentica S. Congr. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae ab anno 1688-1882 edita, n. 435 ad 3-5; cf. ibid. n. 407.

I. Calendarium Seraphicum Indulgentiarum plenariarum, quae concessae sunt Ecclesiis Franciscalibus primi Ordinis.

IANUARIUS.

C. K. — Dom. II post Epiph. *SS. Nominis Iesu* (Benedictus XIV, « *Ad augendam* », 14 Sept. 1745. — Pius VI, « *Ad augendam* », 27 Iun. 1781: B. C. IX, 150).

C. 14 *B. Odorici*, Conf. 1 Ord. (Pius IX, 2 Iun. 1851).

K. 14 *B. Bernardi a Corleone*, Conf. O. Cap. (Pius VII, « *Ad augendam* », 18 Ian. 1820: B. C. IX, 352).

C. K. M. 16 *SS. Berardi, Petri, Accursii, Adiuti et Othonis*, Protomartyrum Seraphici Ordinis (Clemens XII, « *Coelestium* », 14 Ian. 1735. — Pius VI, 10 Mart. 1781: B. C. IX, 148. — Benedictus XIV, « *Sanctissimus* », 18 Oct. 1741).

C. M. 30 *S. Hyacinthae de Mariscottis*, Virg. 3 Ord. (Pius VII « *Ad augendam* », 27 Nov. 1807).

M. 31 *B. Ludovicae de Albertonia*, Vid. 3 Ord. (Pius IX, 8 Aug. 1862).

FEBRUARIUS.

C. K. 1 *B. Andreae de Comit.*, Conf. 1 Ord. (Clemens XIV, « *Ad augendam* », 23 Nov. 1772 — Pius VI, 10 Mart. 1781: B. C. IX, 148).

C. 3 *B. Viridianae*, Virg. 3 Ord. (Pius IX, 2 Iun. 1851).

C. K. 4 *S. Ioseph a Leonissa*, Conf. O. Cap. (Benedictus XIV, « *Redemptoris* », 30 Mart. 1748. — Idem, « *Redemptoris* », 33 Aug. 1746: B. C. VII, 371).

C. K. M. 5 *SS. Petri Bapt. et Soc.*, Mm. Iapon. 1 et 3 Ord. (Clemens XII, « *Iniunctae Nobis* », 13 Iul. 1737. — Pius VI, 10 Mart. 1781: B. C. IX, 148. — Clemens XII, « *Iniunctae* », 13 Iul. 1739).

C. 18 *B. Ludovicae de Albertonia*, Vid. 3 Ord. (Clemens XI, 22 Dec. 1714).

C. 19 *S. Conradi a Placentia*, Conf. 3 Ord. (Pius IX, 2 Iun. 1851).

C. M. 22 *S. Margaritae Cort.*, Poenit. 3 Ord. (Clemens XII, « *Ad augendam* », 7 Maii 1732. — Benedictus XII, « *Redemptoris* », 26 Iul. 1728).

K. 23 *S. Margaritae Cort.* Poenit. 3 Ord. (Pius VI, 10 Mart. 1781: B. C. IX, 148).

MARTIUS.

C. K. M. 5 *S. Ioannis Iosephi a Cruce*, Conf. 1 Ord. (Gregorius XVI, 6 Sept. 1840. — Idem « *Inclytum* », 27 Mart. 1840; B. C. X.,

85. — Idem, « *Inclytum S. Francisci* » 21 Febr. 1841).

C. M. 6 *S. Coletae,* Virg. 2 Ord. (Pius IX, 2 Iun. 1851. — Pius VII, « *Ad augendam* », 13 Iul. 1807).

C. K. M. 9 *S. Catharinae Bonon.*, Virg. 2 Ord. (Clemens XII, « *Ad augendam* », 7 Maii 1732. — Clemens XI, « *Ad augendam* », 27 Aug. 1714: B. C. I, 154. — Clemens XI, « *Redemptoris* », 21 Mart. 1714).

C. 19 *S. Ioseph Sponsi B. M. V.* (Benedictus XIV, « *Coelestium munerum* », 6 Sept. 1741).

C. 22 *S. Benvenuti* Episc. Conf. 1 Ord. (Pius IX, 2 Iun. 1851).

K. 24 *B. Didaci a Gadibus*, Conf. O. Cap.: Indulgentia plenaria ad septennium concessa (Leo XIII, « *Oblatis Nobis precibus* », 2 Dec. 1901).

C. K. 30 *B. Angelae a Fulgineo*, Vid. 3 Ord. (Clemens XIV, « *In iis* », 11 Dec. 1772. — Pius VI, 10 Mart. 1781: B. C. IX, 148).

C. — In una feria sexta tempore Quadragesimae, ad libitum (Clemens XIV, « *Ad augendam* », 23 Nov. 1772).

APRILIS.

M. 3 *S. Benedicti a S. Philadelpho*, Conf. 1 Ord. (Pius VII, « *Ad augendam* », 17 Nov. 1807).

C. 15 *B. Lucii seu Luchesii*, Conf. 3 Ord. (Pius IX, 2 Iun. 1851).

C. 20 *B. Aegidii Assisiensis,* Conf. 1 Ord. (Pius IX, 2 Iun. 1851).

C. K. 24 *S. Fidelis a Sigmaringa*, O. Cap. Protomartyris Propagandae Fidei (Benedictus XIV, « *Redemptoris* », 30 Mart. 1748. — Idem, « *Redemptoris* », 23 Aug. 1746: B. C. VII, 371).

K. 28 *S. Pauli a Cruce* Conf. (Pius IX, 16 Ian. 1868: B. C. X, 542).

C. — Dom. III post Pascha. *Patrocinii S. Sponsi B. M. V.* (Benedictus XIV, « *Coelestium munerum* », 6 Sept. 1741).

MAIUS.

K. 11 *B. Benedicti ab Urbino*, Conf. O. Cap.: Indulgentia plenaria, ad septennium concessa (Leo XIII, « *Oblatis Nobis precibus* », 2 Dec. 1901).

C. K. M. 13 *S Petri Regalati,* Conf. 1. Ord. (Benedictus XIV, « *Redemptoris* », 30 Mart. 1748. — Pius VI, 10 Mart. 1781: B. C. IX, 148. — Benedictus XIV « *Redemptoris* », 23 Aug. 1746).

C. K. M. 17 *S. Paschalis Baylon*, Conf. 1 Ord. (Clemens XII, « *Iniunctae Nobis* », 27 Iun. 1732. — Clemens XI, « *Ad augendam* », 11 Oct. 1713: B. C. I, 152. — Alexander VIII, « *Redemptoris* » 7 Dec. 1690).

C. K. 18 *S. Felicis a Cantalicio,* Conf. O. Cap. (Clemens XII, « *Iniunctae Nobis* », 27 Iun. 1732. — Clemens XI, « *Redemptoris* », 15 Sept. 1714: B. C. I., 154).

C. 19 *S. Ivonis*, Conf. 3 Ord. (Pius IX, 2 Iun. 1851).

C. K. M. 20 *S. Bernardini Senensis,* Conf. 1 Ord. (Sixtus V, « *Cum a primaeva* », 28 Sept. 1585; Innocentius XI, « *Cum a primaeva* », 26 Aug. 1680. B. C. IV 438).

C. 22 *B. Humilianae*, Vid. 3 Ord. (Pius IX, 2 Iun. 1851).

K. 23 *Crispini a Viterbo*, Conf. O. Cap. (Pius VII, « *Ad augendam* », 18 Ian. 1820; B. C. IX, 352).

K. 31 *B. Felicis a Nicosia*, Conf. O. Cap.: Indulgentia plenaria, ad septennium concessa (Leo XIII, « *Oblatis Nobis precibus* », 2 Dec. 1901).

IUNIUS.

C. 3 B. *Andreae de Hyspello*, Conf. 1 Ord. (Pius IX, 2 Iun. 1851).

C. — *In una die ex novem diebus ante festum S. Antonii Patavini*, qui in illo die intersunt expositioni SS.mi Sacramenti: semel ad libitum Indulg. plen., quotidie Indulg. 100 dierum (Clemens XIV, « *Ad augendam* », 23 Nov. 1772).

C. K. M. 13 *S. Antonii Patavini*, Conf. 1 Ord. (Sixtus V, « *Cum a primaeva* », 28 Sept. 1585; Innocentius XI, « *Cum a primaeva* », 26 Aug. 1680: B. C. VI, 438).

C. M. 19 *B. Michaelinae a Pisauro,* Vid. 3 Ord. (Clemens XII, « *Ad augendam* », 27 Sept. 1727).

C. 20 *Dies Octava S. Antonii Patavini* (Pius IX, 2 Iun. 1851).

IULIUS.

K. 7 *S. Laurentii a Brundusio,* Conf. O. Cap. (Pius VII, « *Ad augendam* », 18 Ian. 1820: B. C. IX, 352).

C. 8 *S. Elisabeth* Vid. Reg. Portugal. 3 Ord. (Pius. IX, 2 Iun. 1851).

C. K. 9 *S. Veronicae de Iulianis,* Virg. O. Cap. (Pius VII, 20 Ian. 1820. — Idem, « *Ad augendam* », 18 Ian. 1820: B. C. IX 352).

M. 9 *SS. Nicolai et Soc.* Mm. Gorgomiens. 1 Ord. (Benedictus XIII, « *Ad augendam* », 6 Dec. 1728).

C. K. 11 *SS. Nicolai et Soc.* Mm. Gorgomiens. 1 Ord. (Pius VII, 20 Ian. 1820. — Pius VI, 10 Mart. 1781, et Pius IX, 16 Ian. 1868: B. C. IX, 148 et X, 542).

C. K. M. 14 *S. Bonaventurae* Episc., Conf. et Eccles. Doct. 1 Ord. (Sixtus V, « *Cum a primaeva* », 28 Sept. 1585; Innocentius XI, « *Cum a primaeva* », 26 Aug. 1680; B. C. VI, 438).

C. 15 *B. Angelinae a Marsciano* Vid. 3 Ord. (Pius IX, 2 Iun. 1851).

C. K. M. 24 *S. Francisci Solani*, Conf. 1 Ord. (Clemens XII, « *Iniunctae Nobis* », 17 Iun. 1732. — Benedictus XIII, « *Iniunctae Nobis* », 17 Iul. 1728: B. C. I, 182. — Idem, « *Redemptoris* », 11 Aug. 1727).

K. 27 *B. Mariae Magdalenae* (Martinengo) Virg. O. Cap.: Indulgentia plenaria, ad septennium concessa (Leo XIII, « *Oblatis Nobis precibus* », 2 Dec. 1901).

AUGUSTUS.

C. K. M. 2 *Dedicatio S. Mariae Angelorum*: *Indulgentia Portiunculae.* Haec celebris Indulgentia primitus a D. N. I. C. ipso Sancto Patri N. Francisco pro Ecclesia Portiunculae, seu S. Mariae Angelorum etiam nuncupata, concessa et dein ab Honorio III anno 1216 in perpetum confirmata est. Gregorius XV eam Constitutione « *Splendor paternae gloriae* » die 4 Iulii 1622 ad omnes Ecclesias Franciscales primi et secundi et tertii regularis Ordinis extendit, postulavit tamen ut ultra Confessionem et visitationem Ecclesiae etiam sacra Communio sumeretur (B. C. I, 69). — Indulgentia Portiunculae animabus fidelium defunctorum in purgatorio detentis applicari potest: Innocentius XI, « *Alias felicis recordationis* », 10 Maii 1689: B. C. I, 136. — *Toties quoties*: S. Congr. Conc. 17 Iul. 1700 et 4 Dec. 1723; S. Congr. Indulg. 22 Febr. 1847: B. C. X, 172; Pius IX, 12 Iul. 1847: *Decreta Authentica* n. 344 ad IV. — Leo XIII die 14 Iul. 1894 concessit, ut sacramentalis Confessio iam a die 30 Iulii peragi posset, dummodo alia opera praescripta intra tempus debitum fiant, scil. sacra Communio in ipso die Indulgentiae Portiunculae vel eius pridie recipiatur et visitatio Ecclesiae fiat intra tempus a primis vesperis 2 Augusti usque ad integrum crepusculum diei ipsius.

Nota. In multis dioecesibus etiam Ecclesiae parochiales vel curatiales, quae saltem uno milliario italico (i. e. 1000 gressus) a proxima Ecclesia Franciscali distant, a Sede Apostolica privilegio Indulgentiae Portiunculae ditatae sunt. Praeterea observa, quod etiam plures Ecclesiae in eadem urbe, immo in eadem quoque parochia privilegio Indulgentiae Portiunculae frui possunt, etsi non uno milliario italico ab invicem distent: (S. Congr. Indulg. 13 Nov. 1878). Denique ex Indulto Apostolico, iampridem aliquibus dioecesibus concessa, Indulgentia Portiunculae loco 2 Augusti lucrari potest aut Dominica diem 2 Augusti immediate antecedenti aut Dominica diem 2 Augusti subsequenti. Quod si indulgentia portiunculae ad Dominicum post diem 2 Augusti translata est, Confessio sacramentalis iam feria quinta ante hanc Dominicam peragi potest, dummodo alia opera praescripta intra tempus debitum fiant: (S. Congr. Indulg., 20 Iul. 1896).

C. 4 *S. Patris Dominici*, Conf. (Pius IX, 2 Iun. 1851).

C. K. M. 12 *S. Clarae*, Virg. 2 Ord. (Sixtus V, « *Cum a primaeva* » 28 Septem. 1585; Clemens XII, « *Redemptoris* », 11 Aug. 1733. — Innocentius XI, « *Cum a primaeva* », 26 Aug. 1680: B. C. VI, 438).

C. K. 16 *S. Rochi*, Conf. 3 Ord. (Clemens XIV, « *In iis* », 11 Dec. 1772. — Pius VI, 10 Mart. 1781; B. C. IX, 148).

C. 18 *S. Clarae de Montefalco*, Virg. 3 Ord. (Pius IX, 2 Iun. 1851).

C. K. M. 19 *S. Ludovici* Episc. Conf. 1 Ord. (Sixtus V, « *Cum a primaeva*, 28 Sept. 1585; Innocentius XI, « *Cum a primaeva* », 26 Aug. 1680; B. C. VI, 438).

C. K. M. 25 *S. Ludovici* Regis, Conf. 3 Ord. (Clem. XII, « *Iniunctae Nobis* », 20 Mart. 1734. — Benedictus XIV, « *Iniunctae* », 24 Nov. 1755: B. C. VIII, 243. — Idem, « *Iniunctae* », 17 Maii 1755).

SEPTEMBER.

C. 3 *B. Isabellae*, Virginis 2 Ord. (Pius IX, 2 Iun. 1851).

C. K. M. 4. *S. Rosae a Viterbo*, Virg. 3 Ord. (Clemens XII, « *Ad augendam* », 17 Iun. 1732. — Idem, « *Agni immaculati* », 12 Dec. 1735; B. C. I, 205. — Clemens XI, « *Agni immaculati* », 14 Ian. 1701).

C. — *In uno ex novem diebus ante festum S. Iosephi a Cupertino ad libitum*: *Indulg. plen.* pro iis, qui in illo die expositioni SS. intersunt, in reliquis Indulgentia 100 dierum (Clemens XIV, « *Ad augendam* », 23 Nov. 1772).

K. 11 *B. Bernardi ab Ophyda*, Conf. O. Cap. (Pius VII, « *Ad augendam* », 18 Ian. 1820: B. C. IX, 352).

C. K. M. 17 *Solemnis Commem. Sacrorum Stigmatum S. P. N. Francisci* (Clemens XII, « *Coelestium munerum* », 30 Aug. 1731: B. C. I, 190).

C. K. 18 *S. Iosephi a Cupertino*, Conf. O. M. Convent. (Clemens XIII, « *Redemptoris* », 2 Dec. 1767. — Pius VI, 10 Mart. 1781: B. C. IX, 148).

M. 24 *S. Pacifici a S. Severino*, Conf. 1 Ord. (Gregorius XVI, « *Inclytum S. Francisci Ordinem* », 21 Febr. 1841).

C. K. 25 *S. Pacifici a S. Severino*, Conf. 1 Ord. (Gregorius XVI, « *Inclytum S. Francisci Ordinem* » 27 Mart. 1840: B. C. X. 85).

C. 27 *S. Elzearii*, Conf. 3 Ord. (Pius IX, 2 Iun. 1851).

C. — *In uno ex novem diebus ante festum S. P. N. Francisci ad libitum*: *Indulg. plen.* pro iis, qui in illo die expositioni SS.mi intersunt; in reliquis Indulgentia 100 dierum (Clemens XIV, « *Ad augendam* », 23 Nov. 1772).

OCTOBER.

C. K. M. 4 *Solemnitas Seraphici S. P. N. Francisci*, trium Ordinum Fundatoris (Sixtus V, « *Cum a primaeva* », 28 Sept. 1585; Innocentius XI, « *Cum a primaeva* », 26 Aug. 1680: B. C. VI, 438).

K. 5 *Commemoratio omnium defunctorum Ord. Capuccinorum, — vel ea die iuxta Rubricas impedita* alia die *infra octiduum S. P. N. Francisci,* — (Pius IX, « *Cum praeter* », 30 Sept. 1852: B. C. X, 277).

M. 6 *S. Mariae Franciscae a quinque Vulneribus D. N. I. Ch.*, Virg. 3 Ord. (Pius IX, 16 Ian. 1868).

K. 7 *S. Mariae Franciscae a quinque vulneribus D. N. I. Ch.*, Virg. 3 Ord. (Pius IX, 16 Ian. 1868: B. C. X. 542).

C. 11 *Dies Octava S. P. N. Francisci* (Pius IX, 2 Iun. 1851).

C. K. 12 *S. Seraphini*, Conf. O. Cap. (Clemens XIV, « *In iis* », 11 Dec. 1772. — Idem, *Ad* « *augendam* », 6 Iul. 1773; B. C. IX, 83).

C. K. M. 13 *SS. Danielis et Soc.*, Mm. 1 Ord. (Clemens XIII, « *Ad augendam* », 3 Iul. 1739. — Pius VI, 10 Mart. 1781. B. C. IX, 148. — Benedictus XIV, « *Ad augendam* », 20 Iun 1748).

C. K. M. 19 *S. Petri de Alcantara,* Conf. 1 Ord. (Clemens XI, « *Iniunctae Nobis* », 29 Iul. 1716. — Clemens IX, « *Redemptoris* », 11 Oct. 1669: B. C. I, 119. — Idem, « *Redemptoris* », 2 Oct. 1699).

C. K. M. 23 *S. Ioannis a Capistrano*, Conf. 1 Ord. (Clemens XII, « *Iniunctae Nobis* », 30 Mart. 1732. — Clemens XI, « *Ad augendam* » 11 Oct. 1713: B. C. I, 152. — Alexander VIII « *Redemptoris* », 7 Dec. 1690).

C. 26 *B. Bonaventurae a Potentia,* Conf, 1 Ord. (Pius IV, ex Audientia de die 15 Dec. 1775).

K. 30 *B. Angeli ab Acrio,* Conf. O. Cap.: Indulgentia plenaria, ad septennium concessa (Leo XIII, « *Oblatis Nobis precibus* », 2 Dec. 1901).

C. 31 *B. Thomae a Florentia*, Conf. 1 Ord. (Pius IX, 2 Iun. 1851).

NOVEMBER.

K. M. 12 *S. Didaci ab Alcala*, Conf. 1 Ord. (Pius VI, « *Ad augendam* », 9 Aug. 1781: B. C. IX, 150. — Clemens VIII, « *Quae ad Sanctorum* », 26 Maii 1598).

C. 13 *S. Didaci ab Alcala*, Conf. 1 Ord. (Clemens XII, « *Redemptoris* », 11 Aug. 1733.

C. M. 16 *S. Agnetis Assisiensis.* Virg. 2 Ord. (Pius IX, 2 Iun. 1851. — Leo XIII per Rescriptum S. Congr. Indulg. de die 2 Sept. 1895).

C. K. M. 19 *S. Elisabeth Hungaricae*, Viduae et III Ord. Patronae (Clemens XII, « *Iniunctae Nobis* », 20 Martii 1734. — Benedictus XIV, « *Iniunctae Nobis* », 24 Nov. 1755: B. C. VIII, 243. — Idem, « *Iniunctae Nobis* », 17 Mai. 1755).

K. M. 26 *S. Leonardi a Portu Mauritio*, Conf. 1 Ord. (Pius IX, 16 Ian. 1868: B. C. X, 542).

C. K. M. 28 *S. Iacobi Piceni,* Conf. 1 Ord. (Clemens XII, « *Iniunctae* », 30 Mart. 1732. — Benedictus XIII, « *Iniunctae* », 17 Iul. 1728: B. C. I, 182. — Idem, « *Redemptoris* », 14 Aug. 1727).

C. K. M. 29 *Omnium Sanctorum Universi Seraphici Ordinis* (Clemens XII, « *Cum sicut* », 16 Aug. 1735. — Pius VI, 10 Mart. 1781: B. C. IX, 148. — Clemens XIII, « *Ad augendan* », 21 Mart. 1766).

— *In uno ex novem diebus ante festum Immaculatae Conceptionis B. M. V.* ad libitum: Indulgentia plenaria pro iis, qui in illo die expositioni SS.mi intersunt (Clemens XIII, « *Ad augendam* », 17 April. 1764).

DECEMBER.

C. 5 *B. Delphinae* Virg. 3 Ord. (Pius IX, 3 Iun. 1851).

C. K. M. 8 *Immaculata Conceptio B. M. V. Principalis Ord. Cap. N. Patrona*, (Benedictus XIII, « *Ad augendam* », 12 Dec. 1729. — Idem, « *Ad augendam* », 22 Dec. 1728; B. C. I, 183. — Clemens XI, 4 Iun. 1715; Benedictus XIII, « *Ad augendam* », 26 Sept. 1729).

C. 12 *Inventio Corporis Seraphici P. N. Francisci* (Pius IX, 2 Iun. 1851).

K. 14 *S. Iosaphat* Ep. et Mart. (Pius IX, 1 Ian. 1868: B. C. X, 542).

C. 15 *Dies Octava Immacul. Concept. B. M. V.* (Pius IX, 2 Iun. 1851).

C. — *Die prima vel ultima ex novem diebus ante festum Nativitatis D. N. I. Chr.*: Indulgentia plenaria pro iis, qui in illo die expositioni SS.mi Sacramenti intersunt (Clemens XIV, 23 Nov. 1772).

PRAETEREA:

C. K. M. — *Dominica Paschae, Pentecostes et SS. Trinitatis*: Indulgentia plenaria pro iis, qui visitando respectivam Ecclesiam in honorem SS. Trinitatis ter *Pater Noster, Ave* et *Gloria Patri,* devote recitaverint (Leo X, *Rescripta Authentica*, pag. 389, n. 17, 19, 20). Observa, quod in die Pentecostes tria *Gloria Patri* omittantur, utpote non praescripta.

C. K. M. — *Qualibet feria tertia* per integrum annum

pro omnibus Ecclesiis Fratrum Minorum universi mundi necnon pro Ecclesiis Capucinorum in Belgio et in Germania Indulgentia plenaria concessa est iis, qui in illa feria expositioni SS.mi Sacramenti interfuerint et ad mentem Summi Pontificis devote oraverint (Pius IX, « *Ad augendam* », 22 Maii 1857; B. C. X, 351. — Leo XIII, « *Ad augendam* », 3 Iul. 1894.

K. — *In festo titulari principali singularum Ecclesiarum Ord. Capuccinorum* (Clemens XIII, 17 Ian. 1769: *Rescr. Authent.* pag. 219, n. 283: B. C. VIII, 399). Quodsi festum in Provinciis *Ultramontanis* in Dominicam proxime sequentem transfertur, id valet etiam de Indulgentia plenaria (S. C. Indulg. 3 Iun. 1775: B. C. IX, 103).

II. Summarium Indulgentiarum partialium, quae concessae sunt Ecclesiis Franciscalibus primi Ordinis.

Praeter recensitas Indulgentias plenarias Romani Pontifices decursu temporis Ecclesiis regularibus Seraphici primi Ordinis, i. e. Fratrum Minorum, Conventualium et Capuccinorum permultas concesserunt Indulgentias etiam partiales quae ab omnibus Christifidelibus lucrari possunt. *Conditiones*: status gratiae, visitatio alicuius Ecclesiae Franciscalis, nempe ad libitum vel Fratrum Minorum, vel Conventualium, vel Capuccinorum, et recitatio aliquarum precum piarum pro arbitrio ad mentem Summi Pontificis; in paucis casibus tamen preces certae determinatae sunt. Summarium ipsum Indulgentiarum partialium vide in *Analecta Ordinis* Vol. XII, 26-28, n. V, B.

ROMANAE INSTITUTIONES

Casus Conscientiae propositus et solutus Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli.

I.

De potestate civili in matrimoniis infidelium.

Die 1 Decembris 1902, hora 15 (3 pom.)

Quidam paganae nationis rex in ceterarum gentium legislatione apprime versatus, et de recto subditorum regimine valde sollicitus, non sine magno animi moerore animadvertit, non raro in suo regno uxores vesana libidine abreptas, inita cum suis amasiis conspiratione, viris necem inferre, ut illis postea matrimonio copulentur. Ut tanto malo iam invalescenti rex statim occurrat, simulque coniugum securitati et vitae consulat, per legem irritantem constituit, ut matrimonium nullum sit inter coniugem et complicem, qui ad secum deinde nubendum in mortem alterius coniugis efficaciter conspiraverint.

Titius infidelis illius regni subditus matrimonium contrahit cum Caia vidua, connationali, et pariter infideli, cuius vir ex mutua eorumdem machinatione, lethali veneno propinato, e vivis excesserat. Paulo post nuptias Titius Caiam in adulterio deprehendit; hinc iuxta legem regionis divortium a iudice petit. Hic in causa discutienda criminis etiam impedimentum intercedere comperit; quare non tam dissolvit, quam potius matrimonium initum inter Titium et Caiam irritum esse pronuntiat. Ambo rati, se a vinculo coniugali liberos manere ad alias nuptias transeunt. Decursu temporis accidit, ut Titius et Caia christianam fidem edocti baptisma a missionario recipiant. Qui amborum anteactae vitae casus probe noscens vellet in pristinum coniugium illos restituere. At acriter renuunt, parati potius christianae fidei valedicere, quam primum matrimonium iterum instaurare.

Anxius hac de re missionarius secum quaerit:

1°. *Utrum saeculares principes impedimentis a se statutis valeant irritare coniugia infidelium sibi subditorum?*

2°. *An matrimonium inter Titium et Caiam in infidelitate initum habendum sit ut invalidum?*

3°. *Quomodo nunc cum iisdem se gerere debeat?*

Resp. ad 1.um — Duplex hac in re occurrit theologorum sententia: prima negans principibus saecularibus facultatem irritandi, impedimentis a se statutis, infidelium sibi subditorum coniugia — altera vero affirmans, licet inter eiusdem sectatores non conveniat de ratione decidendi. Quaestio haec in proposito dubio ad impedimenta dirimentia restringitur, forsitan quia nonnulli auctores qui primam sententiam sequuntur tale ius principi denegantes quoad dirimentia, concedunt tamen quoad impedientia.

Verum quae disputanda heic sunt eodem modo pertinent ad utrumque genus impedimentorum, cum per utrumque, matrimoniale vinculum attingatur.

Nullum autem dubium moveri potest quoad matrimonium infidelium de iuribus illis quae ipsi potestati civili certo competunt quoad civiles effectus in matrimonium christianum.

Primam sententiam multi inter recentiores amplexi sunt, qui contendunt, apud infideles matrimonii vinculum regi solo iure naturae.

Ita Perrone, *de matr, christ. lib. II, sect. ult. cap. 3.*; Marc, *n. 1997;* Liberatore, *Inst. Ethic. p. II. cap. 1. a 4.*; Taparelli, *Saggio teoretico, n. 1113 seq.*; Feje. *I. IV*; Martin, *De matr. et pot. illud dirim. II.*; Zigliara, *Summa Philosoph. III. pag. 207 seqq.*; quibus addi possunt Billot, *De sacramentis, vol. 2. thesi XLVII;* Haine, *Theol. mor. 1899, vol. 4. pag. 120 seqq.;* Pesch, *De matr. n. 886 seqq.*

Alteram affirmantem tradunt plerique TT., praesertim antiquiores fere omnes, quorum tamen alii ius illud potestati civili prout tali tribuunt; alii autem in quantum, deficiente legitima auctoritate religiosa, cui ius illud per se spectaret, princeps iura quoque religiosa exercet.

Hi sunt, promiscue allegati, S. Alf. *VI n. 981.;* Pirhing *IV. I. n. 107.*, Maschat *IV, I.*; Schmalz. *IV, I, n. 367.*; Verricelli, *Tract. de Apost. Miss. XII, 136.*; Lessius, *de matr. VII, dub. 3*; Sanchez, *VII: III;* Gotti, *Theol. Schol. XIII, VII, n. 27*; Fagn., *Comm. cap. 1 de sponsalibus n. 6.*; Sylvius *Comm. in suppl. q. 50, q. 5. c. 1;* Tournely, *De matr., q. III. n. 2....* et alii.

Inter recentiores vero D'Annibale, *III. n. 425*; Cavagnis, ***Inst. iur. pub. eccl. part. 2. lib. II, 176 seqq.***, Lehmkuhl ***II, n. 727***; Zitelli, ***App. Iur. Eccl. n. 356***; Santi ***IV, I. n. 107.***; Baller. ad Gury ***II. n. 802 et 835.***; Konings, ***Theol. mor. de matr. n. 1574***; De Angelis IV. I. n. 11. etc. quibus addas Gasparri, ***De matr. vol. 1. n. 281 seqq.***; Génicot. ***Theol. mor. vol. 2. n. 467. III***; Palmieri, ***De matr. cap. IV. 2, 6....*** etc.

Controversia haec est, quae « nostris praesertim temporibus inter catholicos libere agitatur » (Gasparri, de matr. *vol. 1. n. 281*). Sententia tamen altera, secundo sensu intellecta, quam certam habet cl. Gasparri l. c., uti probabilior saltem defendi potest, idque breviter fiet, allatis utrimque summatim rationibus.

Itaque qui PRIMAM sententiam tuentur arguunt ex eo quod matrimonium in individuo sit de iure et officio naturae, ad iura pertineat domestica, quae natura antecedunt civilem societatem. Iamvero quod anterius est nequit regi ab eo quod est posterius. Ergo matrimonium soli legi naturae ac Deo subest, non autem potestati civili. Neque mirum esse debet si, amissa vera religione, societas tota inordinata sit, si sanctitas coniugii, si publica honestas exlex pene ac incerta periclitetur. (PERRONE De matr. t. 2. p. 432-433). Accedit sacer character matrimonii etiam considerati prout est tantum in officium naturae, quo fit, ut circa illud, quantum scilicet spectat ad eius substantiam atque inseparabiles effectus incompetens omnino sit auctoritas civilis.

Haec tamen argumenta non difficile solvuntur; quaedam vero talia sunt, ut ex iis consequeretur etiam exclusio cuiuscumque potestatis humanae in impedimentis statuendis etiam ecclesiasticae in matrimonium christianum, quod tamen nemo admitteret. Sed de his mox.

Qui vero SECUNDAM opinionem amplectuntur argumenta tum ex auctoritate, tum ex ratione adducunt. In primis nempe afferunt plures responsiones S. Congr. S. Off., nec non S. C. de Prop. Fide, ex quibus patet, praedictas sacras Congregationes, quae solae de infidelibus agunt, hanc sententiam aliquando sequi, et iuxta eam casus sibi propositos resolvere. Ita S. Officium in instruct. 29 oct. 1739 et in respons. 20 sept. 1854; similiter S. C. de Prop. Fide in instruct. 8 octob. 1631 ad missionarios in Indis et in resp. 16 martii 1822 ad Superiorem Seminarii Parisiensis missionum ad exteros. Hae responsiones, apud GASPARRI l. c. II, 285-288 relatae, de quarum authenticitate dubium nullum est, constituunt certe validum argumentum, licet animadverti possit, eas potius quam generale principium, exhibere resolutiones pro casibus particularibus vel pro determinatis regionibus — vel transmissas fuisse, ut de instruct. S. C. de P. F. an. 1631, scimus, tamquam sententiam Theologorum de facultate quadam dispensandi cum Indis polygamis etc.

Auctoritas quoque S. Thomae affertur pro hac secunda sententia, qui in 4. sent. dist. 39 a. 2. ad 3.um aperte docet « dicendum quod inter infideles est matrimonium ut dictum est prout matrimonium est in officium naturae. Ea autem quae pertinent ad legem naturae sunt determinabilia per ius positivum, et ideo si prohibetur ab aliquo iure positivo apud eos infideles contrahere cum infidelibus alterius ritus, *disparitas cultus impedit matrimonium inter eos* ». Ex usu autem loquendi S. Thomae tum heic, tum aliis locis certum est verba « *impedit matrimonium* » complecti etiam dirimens impedimentum. Quae autem ex eodem S. Thoma opponuntur in 4. sent. dist. 12. q. 2. a. 2. ad 4.um, et quodlib. V. a. 15, ad 1.um ad rem non sunt, vel excluderent etiam potestatem Ecclesiae in matrimonium christianum.

Ratio autem intrinseca haec est: bonum commune socialis convictus maxime postulare ut matrimonium, quo fundamentum constat societatis, positivis quoque legibus regatur, ita nempe ut non solum illicita sed et invalida sint quaedam coniugia contra vetitum celebrata. Natura enim non omnia profecto determinavit quae ad bonum regimen societatis requiruntur, sed plura reliquit ab auctoritate humana determinanda, quae valide constituuntur, cum a competente auctoritate procedunt, naturali ac divino iuri non adversantur, atque insuper conducunt ad bonum commune.

Quod speciatim valet de matrimonii impedimentis contra TT. qui adhaerentes primae sententiae dicunt ius naturae, si servetur, satis esse. Si enim quaedam impedimenta excipiantur, ut sunt v. g. consanguinitas in primo gradu lineae rectae, impedimentum aetatis ante annos discretionis, quae certo sunt de iure naturae, in pluribus aliis vel nullatenus lex naturalis providet, vel valde obscura est, quae tamen ut positiva lege inducantur maxime interest publici boni. « Haec impedimenta, lata ab Ecclesia pro fidelibus, nos dicimus cum omni veritate esse et opportuna et prorsus necessaria bono publico civilis societatis, eccurnam talia non erunt, etiam pro infidelibus? » (Gasparri l. c. n. 282). Si ita non esset, opus esset admittere Deum pro infidelium societate in negotio tanti momenti non satis civili consortio consuluisse!

Quoad vero rationes in contrarium allatas, dicendum est: nequaquam repugnare, ut asseritur, existentiam alicuius potestatis huiusmodi in sociali convictu. Omissa interim ratione, quae desumitur ex sacro illo matrimonii charactere, de qua statim erit dicendum, et ex qua ceteroquin minime sequeretur denegatio *cuiuscumque humanae* potestatis in matrimonialibus impedimentis statuendis, nihil prorsus concludi potest ex eo quod matrimonium in individuo sit de iure et officio naturae ideoque a lege divina unice pendere dicendum sit. Haec enim ratio, ut notat E.mus Cavagnis (Inst. iuris publ. eccles. Romae 1889 part. II. lib. II. n. 179) probat quidem legem divinam ante omnia servandam esse, atque illegitimam esse quamcumque humanam praescriptionem eidem contrariam, sed non probat legem humanam superaddi non posse legi divinae quando hoc opportunum et necessarium sit.

Quod autem matrimonium, utpote quod originem det familiis antecedatque societatis formationem absurdum sit subiici legi ipsius societatis, id pariter non convincit. Si enim sermo esset de matrimoniis quae tum in specie tum in individuo antecesserint societatem civilem, ut fuerunt coniugia filiorum Adae vel quae statim subsecuta sunt, profecto in ea nihil potuit socialis auctoritas postea exorta. Sed cum agatur de iis coniugiis, quae orta iam societate ineuntur, ea procul dubio licet in specie istam antecedant, in individuo sunt posteriora; idque sufficit, ut valeat in iis regendis exerceri socialis auctoritas, quemadmodum etiam semel constitutae familiae, quae in societate vivunt, « quamvis aliqualem servent autonomiam, necessario plenam independentiam amittere debent, et modificare suam iuridicam positionem et suas internas relationes, prout exegerit ratio boni communis cuius iudex est ipsa socialis auctoritas » (Cavagnis l. c. n. 183).

In iis quae huc usque disputata sunt, consulto generica mentio facta est de possibilitate et necessitate *alicuius* potestatis humanae, quae in sociali convictu, positivis legibus matrimonialia impedimenta statuere valeat, ne scilicet subnexa quaestio praeoccuparetur. Dubium tamen esse non potest, quin auctoritas huiusmodi quae pro christianorum matrimoniis in Ecclesia residet, extra et ante Ecclesiam pro infidelium coniugiis, quae illi subiecta esse nequeunt, alia legitima de facto non sit nisi potestas civilis.

Verum dissident inter se TT. competentiae civilis fautores, quo iure id sit, utrum nempe nativo et absoluto, an velut devolutivo et hypothetico quae controversia certis rationibus theoretice soluta non est, quamvis practice eadem sit conclusio.

Qui ius nativum et absolutum affirmant, ex eo arguunt quod matrimonium refertur directe ad finem societatis civilis, unde, nisi alia sit a Deo apposita constituta auctoritas, ut factum est pro matrimonio christiano, cui praeest Ecclesia, subest post legem divinam ordinationi legis etiam civilis (CAVAGNIS, l. c. n. 178).

Si enim consideretur illud coniugium, quod caret dignitate sacramenti, ipsum non est, nisi contractus civilis, cui proinde princeps certam formam, conditiones et solemnitates praestituere potest, sub poena nullitatis servandas, sicut pro reliquis contractibus fieri potest et solet. (GÉNICOT, Theol. mor. Lovanii 1898 vol. 2., n. 467 — cfr. etiam Schmalggr. In Decr. l. 4. t. 1. n. 367).

Huic expositioni favere videtur instructio S. C. de Prop. Fide an. 1822 ad D. Langlois superius memorata. Instructio haec iussu S. C. concinnata est a r. d. Aloisio Frezza consultore, postea cardinali. Verum notandum est, prout legitur in notis Collectaneae S. C. de Prop. Fide, hanc fuisse quidem approbationi S. C. propositam, sed responsionem Em.rum Patrum deesse in actis, neque ullum ostendi posse documentum peractae transmissionis ad destinatarium, ut advertit GASPARRI l. c. n. 288.

Ex adverso tamen sunt Theologi plures, praesertim recentiores, maxime post encycl. « *Arcanum* » datam die 10 febr. 1880, qui dum admittunt necessitatem positivae legislationis quoad infidelium matrimonium ab auctoritate civili constituendae, eidem tamen *non qua tali* hanc facultatem agnoscunt, sed *iure quodam devolutivo*, quatenus nempe, in defectu legitimae potestatis religiosae, prout ante et extra Ecclesiam contingit, exercet etiam curam socialem religionis. Ita v. g. Lehmk. *l. c.*; Palmieri *op. cit. th. XXXIII*; Gasparri *de matr. vol. 1. n. 290, 291, 296;* Melata, *in Analect. Eccl. fasc. iunii 1897*; Sebastianelli, *de matr. n. 43;* Wernz, qui in opere quod nunc typis prodit *Ius decretal. IV, de matr. tit. I, n. 75*, mutata aliquatenus sententia in foliis litographicis antea expressa, qua jus proprium principi tribuerat, consulto eligit formulam in quam omnes facile conspirant, nempe id posse principem vi potestatis *publicae.* Id quamvis nonnulli ex his videantur defendere timore vel experientia abusuum qui ex occasione prioris interpretationis oriri potuerunt, non ideo tamen sunt reprehendendi, si gravibus, ut videtur, ducti rationibus id contendant.

Sane ipsi argumentis nituntur tum ex auctoritate tum ex ratione desumptis. In primis itaque nullo modo loqui fas est de matrimonio non sacramento, ut de quocumque contractu civili. Id est contra disertam doctrinam plurium Pontificum, ut Leonis Magni, Innocentii III. aliorumque (Pesch. de matr. 892).

Satis sit adducere verba Pii VI in epist. ad Episc. Agriensem 11 Iulii 1789. « Fallitur quisquis existimat matrimonium, dummodo absit ab eo ratio sacramenti, non esse nisi contractum mere civilem atque ideo civili auctoritate solubilem. Quod secus est, nam primo matrimonium *non est contractus mere civilis*, sed et contractus naturalis, divino iure ante omnem societatem institutus et firmatus, qui etiam hoc insigni discrimine differt ab alio quocumque mere civili contractu, quod, in genere civili, consensus certis de causis interdum per legem suppleatur; in matrimonio vero nulla humana potestate suppleri consensus valeat ».

Est ergo matrimonium contractus quidem, sed omnino *sui generis*, cum pro materia habeat non quodcumque obiectum vulgare, sed personas humanas, nempe corpora contrahentium, ordineturque ad vitae omnis consortium, prolem gignendam atque educandam, unde a naturae Auctore initio mundi, ac postea per Christum Reparatorem, ipse contractus, etsi infidelibus non sacramentum, unus atque indissolubilis effectus ac restitutus sit.

Imo apud ipsos saniores hodierni iuris civilis interpretes, etsi non paucis praeiudiciis imbutos, iamdiu derelicta est quoad matrimonium quae appellatur *theoria contractualis*, ut locum cederet theoriae *institutionis fundamentalis*. Non ergo quiquid de contractu quolibet affirmari potest, applicabile matrimonio est.

Accedit qualitas sacri et religiosi characteris, quae ex praemissis et ex consideratione mox proponenda, matrimonio per se competit, qua fit ut in ipsum velut in rem sacram exerceatur principis potestas quatenus et sacerdotalis est. (Palmieri, de matr. th. XXXIII).

Huius siquidem naturalis contractus auctor est ipse Deus in mundi exordio, a quo « matrimonium principaliter est institutum ad bonum prolis, non tantum generandae (quia hoc etiam sine matrimonio fieri potest) sed etiam promovendae ad perfectum statum... non solum quantum ad corpus, sed etiam quantum ad animam, per ea quae sunt de lege naturae, etc. ». S. Thom. suppl. q. 59, art. 2, scilicet ad educandos Dei cultores, sicut expresse ab eodem Angelico dicitur l. c. art. 1. « Principalius matrimonii bonum est *proles ad cultum Dei educanda* ». Habet quoque matrimonium specialem sacram significationem. Ita sane in encycl. « *Arcanum* ».

« Cum matrimonium habeat Deum auctorem, fueritque *vel a principio* quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco *inest in eo sacrum et religiosum quiddam*, non adventitium sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed *natura insitum*. Quocirca Innocentius III et Honorius III, decessores nostri, non iniuria, nec temere affirmare potuerunt, *apud fideles et infideles existere sacramentum coniugii*.......... Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium. *Deinde* consideranda sacramenti dignitas etc. ». Praecisione ergo etiam facta a consideratione de sacramenti dignitate matrimonium per se rebus sacris adnumeratur, ipsum que, etiamsi ad sacramenti dignitatem evectum non fuisset, consentaneum esset, ut inter christianos auctoritate Ecclesiae regeretur.

Ita sane *postrema* allegata encyclicae verba intelligenda sunt de matrimonio christiano, ut contextus exigit. Cavendum tamen est, ne cum cl. Resemans *de competentia civili in vinculum coniugale infidelium, Romae 1887* pag. 51-53 ad evadendam non levem difficultatem quam ex his verbis is provenire agnoscit, sacer quoque et religiosus matrimonii cuiusque character ad matrimonium tantum christianum, in hypothesi non additae sacramenti N. L. dignitatis coarctetur.

Obstat enim huic interpretationi tota praecedens in allatis Enc. verbis argumentatio, qua de matrimonii ipsa primaeva institutione agitur, ac de infidelium quoque coniugio asseritur, nec iniuria nec temere praedicari quodam vero sensu sacramenti qualitatem non adventitiam, sed ingenitam ac *natura* insitam: de quibus omnibus postea non limitatio sed *applicatio* fit ad matrimonium christianum.

Verum est, inducta in lege mosaica multiplicitate uxorum, significationem illam mysterii Incarnationis valde extenuatam esse: attamen Christus matrimonium omne rursus ad primitivam unitatem atque indissolubilitatem restituit.

Certum pariter est allegatis encyclicae verbis non declarari infidelium matrimonium *stricto sensu, in seipso et entitative sacrum*, cum translatum non sit in ordinem eorum quae Deo sive cultui eius sunt specialiter applicata sed solum sacrum, quatenus habet ad actiones sacras, in quibus consistit cultus Dei, *intrinsecam proportionem habitudinis* eo quod principaliter ordinatur ad Dei cultores educandos. Nihilominus hic, licet minus stricte dictus sacer character apprime sufficit in naturali matrimonio, ut sit consentaneum ipsum regi ac temperari sacra auctoritate. Cum enim agatur de negotio ad finem religiosum intrinsece ordinato, congruum sane est, ut sub ea auctoritate constituatur, cui ipsius finis committitur gubernatio (cfr. Billot *de sacr. vol. 2 pag. 311 et 425*).

Accedit sacrum hunc characterem in matrimonio agnovisse antiquos populos fere omnes, qui sacris ritibus censuerunt illud esse celebrandum « Testantur, ait Pontifex, cit. encycl., et monumenta antiquitatis et mores atque instituta populorum, qui ad humanitatem magis accesserant et exquisitiore iuris et aequitatis cognitione praestiterant, quorum omnium mentibus informatum anticipatumque fuisse constat, ut cum de matrimonio cogitarent, forma occurreret rei cum religione et sanctitate con-

iunctae. Hanc ob causam nuptiae apud illos non sine caeremoniis religionum, auctoritate pontificum, ministerio sacerdotum fieri saepe consueverunt. Ita magnam in animis coelesti doctrina carentibus vim habuit *natura rerum, memoria originum, conscientia generis humani* ».

Nec dicatur ex moribus huiusmodi id tantum deduci, populos nempe illos matrimonium, rem magni momenti, voluisse ritu aliquo religioso comitari, non secus ac religiosi item ritus rebus quoque profanis v. g. bello suscipiendo vel cibo ipsi sumendo, ut sanctificentur vel divinum adiutorium in iis patrandis imploretur, accedere solent.

Adducta enim paritas abesse videtur, cum matrimonium populorum moribus habitum sit ut quid *in se ipso aliquo sensu sacrum*, religiosis caeremoniis *in ipsa sui celebratione* intrinsece complendum. (*Encyclopédie Théologique . . . . Dictionnaire des Religions*, MIGNE).

Quod si, in ipsa Ecclesia, etiam ubi Tridentinum viget, supposita parochi et testium praesentia, nullus requiratur ritus religiosus pro matrimonii validitate sed tantum regulariter pro liceitate, id non refert, cum ipsa nuda validi matrimonii christiani celebratio, sit *per se* res sacra et sacramentum. Analogice de matrimonio apud infideles dicendum videtur: religiosas caeremonias, quibus celebrari consuevit, manifestare quidem rei sacrae naturam, non autem efficere; quare etiam iis deficientibus auferri non posse.

Ex his omnibus concludere licet, *consentaneum esse*, ut matrimonium quoque infidelium per se a religiosa regatur auctoritate. Nec dicendum cum Génicot *l. c.* etiam super alias res sacras, puta *iuramentum* aliquid posse auctoritatem civilem. Respondetur enim auctoritatem huiusmodi circa iuramentum nonnisi quaedam accidentalia et extrinseca praescribere posse, ut v. g. tempus, locum, formulam non substantialem, sed ritualem: dum hic agitur de substantia rei quodam vero sensu sacrae.

Attamen fatendum est auctoritatem religiosam legitimam atque independentem praeter Ecclesiam deficere; ideoque ad commune bonum societatis, ex ratione superius allata, potestatem de qua loquimur, ad Statum civilem devolvi censendum esse, qui sic non qua talis, sed quatenus et curam socialem religionis exercet, leges in hac materia condit. Quare fit, ut in nostram hanc sententiam nonnulli etiam doctores, qui in thesi enuncianda primae opinioni adhaerent, decursu suae demonstrationis concedant, quo accidit, ut praesens quaestio, semel rite posita, minus difficile inter TT. componatur, quamvis nostra conclusio aegre ab illis acceptetur ac velut si de rara aliqua hypothesi sermo esset.

Verum sedulo advertendum est, non de rara hypothesi sed de casu velut normali heic agi.

Non enim extra et ante Ecclesiam datur legitima religiosa auctoritas a civili prorsus independens.

Certe extra veram religionem frustra quaeritur ea absolute legitima sacerdotalis potestas quae a Deo est. Potest quidem aliquando iure gentium fieri, ut apud quosdam populos existat sacerdotium, cui exclusivum ius competat religionis ordinandae, si nempe vel in socialis regiminis constitutione vel ex inducta consuetudine id receptum sit, ut iurisdictio in sacra, saltem quoad exercitium, a principe subtracta sit. Quod, si rite procedat, consentaneum esse nemo inficiabitur, quamvis non ideo iurisdictio ista a civili prorsus independens esset.

Haec docet etiam E.mus Cavagnis (*op. cit. vol. 1. lib. 1. n. 490. 6. 9.*) « *Nulla extante speciali auctoritate*, cura positiva religionis devolvitur ad principem.... Quod autem ad eum iure naturae exclusive spectet cura positiva religionis, non est certum, ideoque nequit in hoc fundari ius ceteros excludendi ».

Et *n. 492. 12.* « Si quis obiiceret.... in statu naturae ad principem spectare curam positivam religionis, respondemus id verum esse si nemo alius provideat; secus ad principem spectaret urgere iusta praecepta Pontificis humani, sicut nunc Pontificis iure divino statuti ».

Verum, nisi haec contigerint, iam dicendum est potestatem civilem exercere etiam curam positivam socialem religionis, ideoque in principe iura quoque pontificis propria, signanter quae ad matrimonium spectant, necessario cumulari,

Cuius rei legitimum sane exemplum occurrit in praxi quae in pontificia ditione viguit circa matrimonialia impedimenta quoad iudaeos.

Hos certe ius canonicum attingere nequibat; neque ius civile pontificium quidquam ad rem statuerat; secus inde directe competentia civilis comprobaretur. Retentum tamen est cum Card. de Luca « *Theatrum veritatis et iustitiae lib. XIV part. 2. de matr. Romana Matrimonii Hebraeorum pro Ester Annuba cum Leone de Mareno* » qui causam mulieris defendit ac plures iuristas adduxit, quoad iudaeorum matrimonia tam ad effectum minoris aetatis, quam ad alios omnes, attendendam esse legem mosaicam.

Id sane receptum est, ac postea ius mosaicum uti norma habitum, in quantum non adversaretur evangelio. (cfr. quoque Resemans op. cit. *pag. 86-89*).

Iamvero, cum lex mosaica quoad praecepta caeremonialia et iudicialia cessaverit, dicendum videtur Pontificem, uti civilem principem, non bonae tantum fidei hebraeorum rationem habuisse, secundum quam iustitia obiective administrari nequisset; sed potius considerando matrimonium uti rem sacram religioso iure regendam, permisisse ut coniugia ab iis celebrarentur ad normam legis religiosae seu mosaicae, licet abolitae, eorum consuetudinem probando, atque in defectu religiosae legitimae potestatis eam legem uti suam adoptando.

Ad 2.um respondendum affirmative ex dictis. Lex illa irritans lata a principe statuens impedimentum criminis ex coniugicidio mutua conspiratione patrato minime contradicit iuri naturali aut divino positivo: imo maxime conducit ad bonum commune, quemadmodum iusta absque dubio similis est lex ab Ecclesiae auctoritate constituta pro fidelibus.

Cumque, ex dictis, potestate huiusmodi vere polleat princeps civilis pro suis subditis infidelibus, deficiente legitima religiosa auctoritate, tenendum est matrimonium quod cum tali impedimento contrahatur reapse nullum esse. Iamvero in casu adamussim habemus omnia extrema delicti ea lege praevisi: ergo matrimonium illud inter Titium et Caiam nullum inde ab initio dicendum est. Iure ergo renuunt ipsi rursus instaurare coniugium, cuius vinculo nullatenus ligantur; nec possent, etsi vellent, praecisione facta a privilegio paulino, si forte casus esset de quo hic non agitur, cum iam alias nuptias, ut supponitur, validas uterque contraxerit.

Quid ergo cum iis Missionario agendum?

Ad 3.um resp. Agitur hic de matrimonio in infidelitate contracto obstante impedimento dirimente, ac praeterea a competente auctoritate invalido declarato. Si de coniugali vinculo ob adulterium solvendo actum esset, ut initio et postulaverat putatus vir, et iudex erat pronuntiaturus, sententia nulla certo fuisset, quia matrimonium etiam infidelium a Christo ad primaevam institutionem unitatis et indissolubilitatis revocatum est. At iudex non divortium, sed nullitatis declarationem pronuntiavit ob praecedens dirimens impedimentum.

Fuit ergo sententia ab auctoritate competente prolata; unde missionarius de facti veritate moraliter certus esse potest.

Hinc poterit is casui applicare instructiones, quas, ut nonnulli theologi testantur, a Vicario vel Praefecto Apostolico habere solent missionarii et secundum eas Titium et Caiam neo conversos a pristino coniugio invalide contracto liberos declarare: cumque iam ad alias nuptias uterque convolaverit, in iisdem manere, secluso paulino privilegio, si locus ei esset, eos docebit. Si vero iis instructionibus careat, has ob negotii gravitatem ne-

cesse erit expetere a Vicario Apostolico vel alio legitimo Superiore ecclesiastico, qui normam sequendam tradet, vel casum proponet S. Congregationi de Propaganda Fide.

Iosephus Palica
Epitomator ex officio.

II.

Casus Liturgicus propositus et solutus Romae, in Academia Liturgica.

QUAESTIONES RITUALES
SUPER NONNULLIS RUBRICIS PRO ANNO 1903

I.

De festo Fixo et Mobili et de festo cum feriatione quoad translationem.

Die 19 Novembris 1902, hora 3 1/2 a meridie.

In dioecesi N. Festum S. Rochi sub ritu duplici II cl. recolitur. Anno autem proximo 1903 incidit in Dominicam infra octavam Assumptionis Deiparae, in qua occurrit Festum S. Ioachim. Raymundus ordinator Calendarii censet in dicta Dominica non esse de S. Ioachim agendum, cum sit *mobilis,* sed potius de S. Rocho utpote *fixo,* idque iuxta reformatas Rubricas. Anselmus vero favens contrariae sententiae, sustinet praeferendum esse in casu S. Ioachim ratione feriationis, cum in Dominica illud celebrari debeat vi Decreti 20 Sept. 1738 Clementis XII. Hic enim Pontifex e die 20 Martii, quo celebrabatur, in dictam Dominicam celebrandum indixit, ne Festa feriata multiplicarentur. Ut itaque controversiae finem imponant, litteras ad quemdam virum Rubricarum peritiorem, uterque dederunt, *inquirentes:*

1. *Quaenam in Ecclesia, sive latina, sive graeca, sit antiquitas Festorum mobilium, et aliorum quae fixa dicuntur?*

2. *Quodnam sit inter Festa* mobilia *et* fixa *discrimen, et an mobilium Festorum multiplex sit species?*

3. *Quaenam sit vera intelligentia Rubricae reformatae super praecedentia Festi* fixi *prae* mobili?

4. *Num Festa cum Feriatione recolenda, aliqua gaudeant praelatione super aliis non feriatis?*

SOLUTIO

In conventu Academiae habito die 19 Nov. 1902 super casu proposito disseruit R. D. Achilles Corneo e Pont. Sem. Romano; Epitome egit R.mus D.nus Hilarius Passerini.

Ad 1. Academia recognovit, ut antiquissimum hac de re documentum, *Catalogum Filocalianum,* quem scripsit et decoravit Furius Dionisius Filocalus calligraphus qui floruit sub pontificibus Liberio et Damaso (336-354) a Bullandista P. Bucherio editum. In eo non tantum festa *fixa* sed et *mobilia* indicantur nempe *Pascha, Pentecostes, Ascensio* etc.

Ceterum quisquis libros evolvit illustrium virorum Garucci, de Rossi, Armellini, Marucchi et Grisar, ex recentioribus, facile persuasus erit plurimis ex ecclesiasticis monumentis comprobari tertio et quarto saeculo celebrata fuisse festa cum sede mutabili, et alia cum sede fixa.

Ad 2. Academia declaravit, *mobile* festum illud esse, quod non semper in eadem die mensis celebratur; *fixum* vero, quod in determinata die mensis quotannis recolitur, nisi a maiori officio impediatur. Duas vero festorum mobilium species recognovit; prima comprehendit festa, dominicas et ferias, quae a ciclo et mobilitate Paschatis dependent; secunda comprehendit festa illa, quae a mobilitate litterae dominicalis reguntur. Illa vere mobilia toto iure dicuntur; haec, iuxta S. R. C. decretum 18 Oct. 1818 n. 2591, *ad instar* mobilium dici debent, *cum certis Dominicis sint perpetuo assignata.*

Ad 3. Academia iterum subdistinguit festa mobilia secundae speciei, in alias duas species. Primae accensenda sunt festa quae Dominicis diebus assignantur ut *feriatione* gaudeant; prout fecit Clemens XII (an. 1738) pro festo S. Ioachim, quod a die sua XX Martii transtulit ad Dominicam infra Oct. Assumptionis, *ne festa de praecepto multiplicarentur.*

In secunda huius subdistinctionis specie recensenda sunt festa illa minoris nobilitatis, quae certis Dominicis celebrantur, pro commoditate et devotione populi, nec non et ad levamen cleri; quia, ut legitur in S. R. C. generali decreto 5 Julii 1883 n. 3851, *hodie imminuto illius numero, minime convenire existimatur ut gravaretur* a frequenti recitatione Dominicalis officii; pro qua melius valet huiusmodi ratio, quam pro votivis officiis.

Festa primae subdistinctionis speciei, iuxta cl. Gardellini (*Adnot. ad decr. 1818, vol. IV, p. 184*) *adnumeranda non sunt festis mobilibus nisi lato modo, quia licet non semper eodem die mensis celebrentur, habent tamen certam sedem;* cum autem, ideo recoluntur in die Dominica, ut *feriatio* eius quoque redundet ad eorum honorem, sine multiplicatione festorum, maiorem habent rationem ut celebrentur die tali Dominica, quam festum aliud fixum quodcumque. Hinc Dominica quae occurrit ex. gr. die 20 Augusti, magis est propria S. Ioachim, quam S. Bernardo, in locis ubi celebratur sub ritu 2 classis, quia pro S. Bernardo, est *dies propria* tantum, pro S. Ioachim vero est *dies propria* sed etiam *feriata.*

Huiusmodi ratio deficit pro festis secundae speciei, primo quidem, quia S. R. C. pluribus decretis et praesertim *18 Iunii 1885 n. 3637 ad 4,* illis negavit ius translationis, secundo autem quia in alio decreto (*25 Septembr. 1852 n. 3508 ad 1*) dicitur quod huiusmodi festa *uti mobilia assignata sunt Dominicis diebus, quae tamen non sunt dies propriae;* ergo non celebrantur tamquam festa in propria die, sed tamquam officia subrogata officiis dominicalibus.

Hinc Academia admisit festa mobilia *Ss. Nominis Iesu, Patrocinii S. Ioseph, Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., S. Ioachim, et Ss. Rosarii B. M. V.,* quia celebranda sunt, *cum feriatione, coeteris paribus* praeferenda esse festis *fixis* iisdem diebus occurrentibus; caetera vero festa mobilia minoris nobilitatis, ut Puritas, Maternitas, Patrocinium B. M. V. et similia, *caeteris paribus* praeferri non posse festis *fixis.*

Ad 4. Academia, considerato 1. quod Rubrica Breviarii (*Tit. XI n. 2*) dicit: *Festa illorum sanctorum qui in propriis locis vel ecclesiis* solemniter *celebrantur, praeferuntur aliis in Calendario descriptis;* 2. Quod iuxta Rubricam Missalis (*Tit. VI de Transl. Fest.*) *concursus populi* uti causa admittitur canendi duas Missas, non exclusis diebus 1 classis. 3. Quod S. R. C. in decreto generali 4 Febr. 1896 n. 3881 Patrono loci, *ratione feriationis,* Dedicationi Ecclesiae, licet festum Domini, praeferentiam concessit, censet festa *cum feriatione* in occurrentia perpetua vel accidentali, caeteris paribus praeferenda esse; in translatione vero, talis praeferentiae ius non habere.

Doct. Petrus Piacenza.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ
NE PEREANT

Février 1903.

1 Dimanche

Le S. Père reçoit en audience la Supérieure Générale des Sœurs de S. Marie Réparatrice.

2 Lundi

Le S. Père reçoit dans la Salle du Consistoire les Députations des Chapitres des Basiliques Patriarchales, de l'Ordre Souverain de Malte, des Basiliques et Collégiales, des Eglises Nationales, des Ordres Religieux, des Séminaires, des Collèges et des autres Instituts qui Lui offrent le cierge de la *Chandeleur.*

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, M. M. Edouard Marchetti et Virginio Jacoucci, sont nommés Avocats Consistoriaux.

3 Mardi

Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, LL. Em. les Card. Alexandre Sanminiatelli - Zabarella, et François de Sales Della Volpe, sont nommés membres de la S. Cong. de la Rév. Fabrique de S. Pierre.

4 Mercredi

Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Dominique Ferrata est nommé Protecteur de la Congr. des Frères Hospitaliers de l'Immaculée Conception (Concettini); — S. Em. le Card. Casimir Gennari est nommé Protecteur de l'Ordre des Servites; — et S. Em. le Card. Joseph Calasanz Vivès y Tuto, est nommé Protecteur des *Ancelle* du T. S. Sacrement et de la Charité, de Madrid; ainsi que des Sœurs Stigmatines de Florence.

6 Vendredi

S. G. Mgr. Frédéric Henri Oury Arch. d'Alger, est reçu en audience.

7 Samedi

A l'occasion du 25[e] anniversaire de la mort de Pie IX de S. M., un service funèbre est célébré dans la Chapelle Sixtine. S. Em. le Card. François Satolli chante la Messe Pontificale, après laquelle l'absoute est donnée par Sa Sainteté.

9 Lundi

S. G. Mgr. Thomas Beaven, Ev. de Springfield, est reçu en audience.

— Le S. Père reçoit dans la Salle du Trône cent pélerins de la République Argentine.

10 Mardi

— Séance Rotale de la S. C. des Rites, tenue au Vatican, sous la présidence des Emes Ponents Vincent Vannutelli, Jérôme Gotti, Dominique Ferrata et Séraphin Cretoni, pour l'examen des questions suivantes:

1. De la validité et de la reprise des procès apostoliques et ordinaires pour la cause de béatification et canonisation du vénérable Gesualdo de Reggio, prêtre profès capucin.

2. *Idem* pour la cause du vénérable Marcelin Champagnat, prêtre mariste, fondateur des Petits Frères de Marie.

3. *Idem* de la validité du procès apostolique devant la Curie de Vannes sur deux miracles que l'on dit opérés de Dieu par l'intercession du vénérable Claude de la Colombière prêtre profès de la Compagnie de Jésus.

4. *Idem* sur un miracle, dit on, opéré de Dieu par l'intercession du vénérable Joseph Anchieta, prêtre-profès de la Compagnie de Jésus.

5. *Idem* de la validité du procès apostolique, engagé devant la curie de Paris, sur un miracle que l'on dit opéré de Dieu par l'intercession de la vénérable sœur Marie-Madeleine Postel, fondatrice des Ecoles chrétiennes de la Miséricorde.

6. Sur le non culte, conformément aux décrets d'Urbain VIII, de la vénérable Thérèse de Saint-Augustin et ses compagnes, carmélites de Compiègne.

7. Sur le non-culte de la vénérable Marie Diomira, moniale professe, capucine.

12 Jeudi

Le S. Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr. Constantin Douais, Ev. de Beauvais; — et Mgr. Maurice Burke, Ev. de S. Joseph aux Etats-Unis.

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat: S. Em. le Card. Dominique Ferrata est nommé Protecteur de l'Institut des Frères des Ecoles Chrétiennes; et LL. Em. les Card. Antoine Agliardi et Sébastien Martinelli, sont nommés membres de la S. C. des Rites.

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat: le R.me Père Thomas Rodriguez, Prieur Général des Ermites de S. Augustin, est nommé Consulteur de la S. C. des Rites; — et le R. P. De Luca S. J., ainsi que M. le Chanoine Evariste Lucidi, sont nommés Consulteurs de la S. C. de la Propagande.

13 Vendredi

Le S. Père reçoit à midi dans la Salle des Béatifications 2000 pélerins de Bénévent et des Pouilles.

14 Samedi

Par Billet de la Secrétairerie d'Etat Mgr. François Xavier de Canzano, est nommé, Econome Secrétaire de la S. Congr. de la Rév. Fabrique de Saint Pierre.

15 Dimanche

Le S. Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr. Michel Félix Korum, Ev. de Trèves; — Mgr. Elphège Gravel, Ev. de Nicolet; — et Mgr. Louis Dubois, Ev. de Verdun.

16 Lundi

S. Em. le Card. Adolphe Ludovic Albert Perraud, Ev. d'Autun, est reçu en audience.

17 Mardi

Congrégation Préparatoire des S. Rites, tenue au Vatican, pour examiner les trois miracles proposés pour la Béatification du Vén. Serv. de Dieu Jean-Baptiste Vianney, Curé d'Ars.

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat: S. Em. le Card. Pierre Respighi, est nommé Protecteur de la Vén. Archiconfrérie des SS. Jean et Pétrone; — et S. Em. le Card. Dominique Ferrata, est nommé Protecteur des Religieux du Tiers-Ordre de S. François, en France.

18 Mercredi

Le S. Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. André Ferrari, Arch. de Milan; — S. G. Mgr. Benoît Bonazzi, Arch. de Bénévent; — et M. Paul Féron-Vrau, Directeur propriétaire de la *Croix* de Paris.

19 Jeudi

S. Em. le Card. Jules Boschi, Arch. de Ferrara, est reçu en audience.

20 Vendredi

A l'occasion du 25.[e] anniversaire de Son Exaltation au Souverain Pontificat, le S. Père reçoit à midi dans la Salle des Béatifications environ 6000 personnes. S. Em. le Cardinal Pierre Respighi, Vicaire Général de Sa Sainteté offre à Léon XIII, au nom du Comité international pour les hommages à Jésus Rédempteur, une Tiare d'or. S. Em. le Card. Ferrari offre ensuite une

grande médaille commémorative pour le Jubilé Pontifical. Et S. Em. le Card. Jules Boschi, Arch. de Ferrare offre au nom des Curies Episcopales, les *Clefs* symboliques d'or et d'argent, renfermant une grosse offrande pour le Denier de S. Pierre. En réponse aux trois Adresses lues par les Emes Cardinaux ci-dessus nommés, le S. Père a prononcé l'Allocution suivante:

Venerabiles fratres, dilecti filii,

Quod haec apostolici muneris longinquitas uno post beatum Petrum exemplo Nobis contigit, sane nil tale meritis, divinae bonitatis memorabile ac singulare beneficium Nobiscum agnoscite. Quandoquidem, si itinera flexusque naturae usitati spectentur, quota spes erat ut Nobis inter extrema senectutis hodiernus illucescerit dies? Atque illius summi Principis atque omnia moderantis Dei in hoc etiam providentia apparet, quod auspicato contigit ut per occasionem privati eventus maiorem flammam pietatis multi ubique gentium conciperent. Quippe multitudo ingens gratulantium Nobis et fausta comprecantium hoc tempore, nequaquam Nos privatim, sed personam, quae geritur a Nobis, contemplantur animo et colunt. Id ipsa hodie testatur praesentia vestra: nam si convenire tam frequentes in hunc locum obsequii caussa placuit, quid magis pepulit animum, quam imago Petri? Immo vero haec ipsa munera, communis populorum pietatis non vulgare testimonium, Corona tergemina, Claves mysticae, nihil nisi vim ac maiestatem romani Pontificatus loquuntur. Nec absimilem significationem habet percussum memoriae caussa numisma insigne, et quidquid collatum undique ad opera templi Lateranensis fuit: voluntas enim honorandi Pontificis impulit ad liberalitatem. His ex rebus, propter id maxime quod in honorem vertunt Domini nostri Dei, tempestivum solatium inter amara curarum percipimus. Amanter ergo, quotquot heic adestis complectimur, vos in primis, dilecti filii, agendae magnificentius celebritatis auctores et principes. Singulare studium vestrum curasque hac de caussa ultro susceptas grato animo prosecuturi sumus et memori. Haec vero a Nobis tamquam mandata novissima accipite mentibusque insculpite universi, salutem non nisi in Ecclesia, instrumentum salutis praevalidum ac perpetuum in Pontificatu romano Dei iussu esse quaerendum.

24 Mardi

Le S. Père reçoit en audience l'Ambassade Extraordinaire envoyée par Sa Majesté le Roi d'Espagne, à l'occasion du Jubilé Pontifical.

25 Mercredi

Le S. Père reçoit en audiences: LL. Em. le Card. Joseph Guillaume Labouré, Arch. de Rennes; — et le Card. Georges Kopp, Prince Evêque de Breslau; — ainsi que S. G. Mgr. Adolphe Amette, Ev. de Bayeux et Lisieux.

27 Vendredi

Le S. Père reçoit à 11 heures 1/2 dans la Salle du Trône les Membres du Corps Diplomatique accrédité auprès du S. Siège, qui viennent présenter leurs hommages et leurs félicitations, à l'occasion du Jubilé Pontifical. S. Exc. M. le Baron Michel Martins d'Antas, Ambassadeur du Portugal, lit une Adresse au nom de ses collègues.

28 Samedi

Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Joseph Calasanz Vivès y Tuto, est nommé Protecteur des Filles de Notre Dame *dell'Orto*.

Liste des Prédicateurs pour le Carême de 1903 dans les Eglises de Rome.

Chiesa di S. Giovanni in Laterano — R. D. Giacinto Petroni, della Congregazione del Preziosissimo Sangue.

S. Pietro in Vaticano — Mons. Vincenzo Sardi.

S. Maria Maggiore — R. P. Stefano Ignudi, dei Minori Conventuali.

S. Lorenzo in Damaso — R. P. Ciro da Pesaro, dei Frati Minori.

S. Maria in Vallicella — R. P. Ambrogio da Verona, Cappuccino.

SS.ma Concezione dei PP. Cappuccini in piazza Barberini — R. P. Giuseppe da Castel del Piano, Cappuccino.

S. Carlo al Corso — R. P. Luca Nannetti da Loiano, Frate Minore.

S. Maria in Aracoeli — R. P. Bonaventura da Contrada, dei Frati Minori.

S. Luigi dei Francesi — R. Mons. Lespinasse, Vicario Generale di Agen.

S. Maria in Traspontina — R. P. Francesco Storti, Carmelitano calzato.

S. Cuore al Castro Pretorio — R. D. Giuseppe Giovannelli, Beneficiato in S. Maria Maggiore.

S. Agostino — R. P. Luigi Vannutelli, Agostiniano.

SS. XII Apostoli — R. P. Antonio Hyzler, dei Minori Conventuali.

S. Maria sopra Minerva — R. P. Domenico Toncelli, dei Predicatori.

Chiesa del Gesù — R. P. Carlo Pelosi, d. C. d. G.

S. Silvestro in Capite — R. D. Basilio Maturin.

S. Maria degli Angeli — R. P. Salvatore Bussiglieri, dei Minimi.

S. Maria dell'Anima — R. P. Tommaso Esser, dei Predicatori.

S. Antonio (in via Merulana) — R. P. Giuseppe Maria da Petrella, dei Frati Minori.

S. Gioacchino (ai Prati di Castello) — R. P. Giuseppe Pitoni, della Congregazione del SS.mo Redentore.

S. Lorenzo fuori le mura — R. P. Arcangelo da Colliano, Cappuccino.

F. C.

BIBLIOGRAPHIA

Operum quorum exemplar ad nos fuerit transmissum, lectorum editorumque intuitu, elenchum ponemus; praecipuorumque accurata fiet recensio, quatenus, duplici exemplari accepto, expedire videbitur.

Martyrologium Romanum. — Editio novissima, SS. D. N. Leone Papa XIII Auspice et Patrono, Romae 1902. Ex Typ. S. C. Prop. Fidei. Pretium Lib. 10.

Martyrologium Romanum, iussu Gregorii XIII editum, Urbani VIII et Clementis X auctoritate recognitum, et deinde anno 1740 Benedicti XIV labore et studio auctum et castigatum, nuper, probante Leone Papa XIII, fuit novissime recognitum et auctum, et de mandato S. Congr. Rituum, impressum per Typographiam Polyglottam S. Congregationis de Propaganda Fide, ea sub expressa lege, ut ab aliis ubique locorum deinceps typis edi non posset, nisi accedente auctoritate Ordinarii loci, et omnino ad normam huius exemplaris.

In hac nova editione, nihil suppressum, nil correctum reperitur quoad Lectiones. Cum enim agatur de negotio magni momenti, maximaeque difficultatis, opportune reservatur absolvendum a nuper instituta Commissione liturgico-historica.

F. C.

Omnibus iuribus ad normam legum reservatis.
Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister.
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Arch. Myren. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente*.

Roma - 1903 - Tip. Agostiniana, Banchi Nuovi, 36.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS UNDECIMUS

FASCICULUS TERTIUS — MARTIUS 1903

SUMMARIUM

ANALECTA NOVA

EX ACTIS LEONIS XIII ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Archisodalitas Eucharistici Cordis Jesu erigitur in Templo S. Ioachimi de Urbe.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Admotae Nobis preces nomine dilecti filii Aloisii Palliola e Congregatione SS.mi Redemptoris sacerdotis et Rectoris Ecclesiae Sancti Ioachimi Almae huius Urbis praeseferunt, sibi et universae Patrum a Redemptione religiosae familiae in votis admodum esse, ut per Nos eodem in templo pia, titulo Eucharistici Cordis Iesu, Archisodalitas, auctoritate Apostolica instituatur. Nos autem quibus nihil antiquius ac suavius quam ut fidelium sodalitas, quae non dissimili prorsus cultu atque illi quem Sacro Cordi profitetur, tantum peculiaribus venerationis, amoris et grati ac reverentis animi studiis, illum recolit supremae dilectionis actum quo Redemptor Noster omnes Cordis sui divitias effundens, ut nobiscum ad exitum usque saeculorum moram ageret, adorabile instituit Eucharistiae Sacramentum, in hac Alma Urbe, Catholici orbis centro, sedem nanciscatur condignam, optatis hisce piis annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae litterae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Archisodalitatem Eucharistici Cordis Iesu, Apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, in Pontificio templo Sancti Ioachimi de Urbe canonice erigimus, eamque consuetis privilegiis quae competunt Archisodalitiis perpetuum in modum ditantes, auctoritate similiter Nostra, hoc anno qua Nos quintum ac vicesimum ab inito Pontificatu annum implemus, illa in sacra aede instituimus, quam structura praenobilem, et mirificis artis operibus

insignem, in memoriam Iubilaei Nostri sacerdotalis, universi Orbis fidelium pietas condidit, Nosque commisimus supra memoratae Congregationi Patrum a Redemptione tot tantisque nominibus optime de re sacra meritae. Praeterea eidem Archisodalitati sic Romae per Nos institutae omnes et singulas Indulgentias tam plenarias quam partiales conferimus, caeterasque spirituales gratias quibus aliae eiusdem tituli societates canonice ad hanc usque diem erectae, ex amplissimis atque iteratis Sanctae huius Sedis Apostolicae concessionibus atque indultis fruuntur.

Verum ad perennandam solemnis in hac Alma Urbe Nostra Archisodalitatis istius fondationis memoriam, largimur insuper ut tam ipso primae in Urbe erectionis die, quam perpetuo in posterum anniversario, Archisodalitatis eiusdem, nunc et item in posterum pariter existentes socii qui admissorum confessione rite expiati atque Angelorum pane refecti vel propriam Archisodalitatis Ecclesiam, vel cuiusque curialem a primis vesperis ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitent, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, in Domino consequantur. Tandem Archisodalitatis huius sic per Nos in Urbe erectae praesidibus et officialibus praesentibus et futuris, ut ipsi alias eiusdem nominis atque instituti societates ubique terrarum existentes, servatis forma Constitutionis Clementis P.P. VIII Praedecessoris Nostri rec. mem. aliisque Apostolicis Constitutionibus desuper editis sibi aggregare, illisque omnes et singulas indulgentias peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ipsi Archisodalitati a Sede Apostolica concessas et aliis communicabiles communicare licite valeant de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine item perpetuo concedimus atque indulgemus. Decernentes has litteras firmas ac efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit, in omnibus plenissime suffragari sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XVI Februarii MCMIII, Pontificatus Nostri Anno vigesimo quinto.

ALOIS. Card. MACCHI

II.

Indultum circa applicationem indulg. plen. in art. mortis religiosis foeminis a quolibet sacerdote approbato.

LEO PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Dum Nobis nihil sit antiquius, quam ut fideles in maximo instantis mortis discrimine obversantes, spiritualibus gratiis muniantur, oblatis Nobis tuo nomine precibus annuendum ultro libenterque censuimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, tibi, Venerabilis Frater, veniam largimur, ex qua omnes et singulos dioecesis tuae Metensis sacerdotes tibi benevisos, et qui sint ad sacramentales confessiones excipiendas rite probati, delegare licite queas ad Benedictionem Apostolicam Monialibus in mortis articulo tribuendam, ita ut cum respectivi Monasterii confessarius ordinarius sive absit, sive alio iusto ac rationabili impedimento laboret, quoties in quolibet dioecesis huius tuae Metensis asceterio quaevis Monialis in mortis articulo reperiatur constituta, sive sit ex illis quae episcopalem clausuram servant, sive ad eas pertineat Congregationes quae clausura carent, si vere poenitentes et confessae ac S. Communione refectae, vel si id facere nequiverint, saltem contritae, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint, toties per unumquemque e dictis presbyteris a te semel vel pluries, et quandocumque opus fuerit eligendis, delegandis, deputandis, Apostolicam Benedictionem cum Plenaria addita Indulgentia recipere item licite, servatis servandis, ac iuxta ritum formulamque praescriptam, possit ac valeat. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus durante tuo in dioecesi Metensi pontificatu, non tamen ultra quinquennium hinc proximum valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVII Novembris MDCCCCII, Pontificatus Nostri anno vigesimo quinto.

Pro D.no Card. MACCHI.

N. MARINI, *Subst.*

Venerabili Fratri Willibrordo, Episcopo Metensi.

III.

Missae quaelibet ubivis celebratae pro defunctis sodalibus Archisod. Mariae SS. Auxiliatricis fruuntur favore altaris privilegiati.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Oblatis Nobis a dilecto Filio Michaele Rua presbytero precibus benigne annuentes, de Omnipotentis Dei

misericordia ac BB. Petri et Pauli Ap. eius auctoritate confisi, per praesentes concedimus ut Missae quae in posterum celebrentur ad quodvis altare cuiusque ubique terrarum existentis Ecclesiae sive publici Oratorii pro defunctis sodalibus rite inscriptis in Archisodalitatem Mariae SS. Auxiliatricis Taurini in Sanctuario cognomine canonice erectam, vel in alias eiusdem tituli atque instituti sodalitates filiales ubique terrarum pariter canonice constitutas, animae seu animabus, pro qua vel quibus celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si forent ad privilegiatum altare rite peractae. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Aplicae regula de non concedendis Indulgentiis ad instar aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constituta munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die II Martii MCMIII. Pontificatus Nostri An. XXV.

Pro Dom. Card. MACCHI

L. ✠ S.

NICOLAUS MARINI, *Subst.*

S. R. ET UNIV. INQUISIT.

I.

DECRETUM.

Circa facultatem dispensandi super impedimento cognationis spiritualis.

Feria IV die 3 Decembris 1902.

In Congregatione Generali S. R. et Univ. Inquisitionis proposito dubio: *Utrum in formulis, quibus concedi solet facultas dispensandi super impedimento cognationis spiritualis, comprehendatur casus cognationis spiritualis inter baptizantem et baptizatum, in iisdem formulis non praevisus:* Eminentissimi ac Reverendissimi DD. Cardinales Inquisitores Generales respondendum decreverunt: *Negative; seu non posse qui concessa per praedictas formulas facultate gaudent, super impedimento cognationis spiritualis inter baptizantem et baptizatum dispensare; idque communicandum cum omnibus quorum interesse queat, atque in posterum expresse in formulis edicendum. Si quae vero matrimonia cum huiusmodi dispensatione, vi earumdem formularum concessa forte hucusque contracta fuerint, ad omnem circa eorum valorem quaestionem dirimendam, supplicandum SS.mo, ut eadem in radice sanata declarare dignetur.*

Et sequenti feria VI, die 5 eiusdem mensis in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, SS.mus D. N. D. Leo divina providentia Pp. XIII relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobare, et pro sanatione in radice iuxta eorum E.morum Patrum suffragia benigne annuere dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

I. Can. MANCINI, *S. R. et Un. Inquisit. Notar.*

II.

Soli Magistro Gen. Ord. Praed. privative pertinet erectio Confrat. vel Piarum Unionum a SS. Rosario.

Nel luglio del 1900 dalla S. Congregazione *de Propaganda Fide,* d'intesa colla S. Congregazione delle Indulgenze, furono deferiti alla Suprema Congregazione del S. Officio i dubbii seguenti:

I. Se, dopo la Costituzione Apostolica *Ubi primum* del 2 Ottobre 1898 (1) e la declaratoria di essa riportata in *Augustana* del 10 agosto 1899 (2) possa continuarsi dalla S. Congregazione *de Propaganda Fide* a concedere, come per lo innanzi, agli Ordinarii delle Missioni da essa dipendenti la facoltà di erigere le Confraternite o Pie Unioni del SS. Rosario colle rispettive indulgenze accordate dai Sommi Pontefici. — E *quatenus affirmative;*

II. Se agli Ordinarii, che ne vengano rivestiti, sia pur necessaria, per usarne validamente, una speciale autorizzazione del P. Generale dei Domenicani.

Feria IV, die 8 Maii 1901.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis coram EE.mis ac RR.mis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus habita, propositis praedictis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Ad I. Negative; seu soli R.mo P. Magistro Generali Ordinis Praedicatorum vel eius Vicesgerenti competere erectionem Confraternitatum, vel etiam Piarum Unionum a SS. Rosario nuncupatarum; ideoque a nullo alio valide erigi posse, etiam cum solis indulgentiis Confraternitatibus vel Piis Unionibus in genere a S. Sede concessis, vel concedi solitis. Et corrigantur formulae.

Ad II. Provisum in primo.

Sequenti vero feria VI, die 10 eiusdem mensis et anni, in solita audientia SS. D. N. Leonis Div. Prov. Pp. XIII a R. P. D. Adsessore habita, SS.mus resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobavit.

I. Can. MANCINI, *S. R. et U. Inquisit. Notarius.*

---

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. VI, p. 439.
(2) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. VII, p. 366.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 28 Martii 1903, in palatio Apostolico Vaticano fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua praeter alia, proposita sunt infrascripta Dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure resolvenda.

A. — Per Summaria Precum.

I. OSNABURGEN. — Dubia circa perceptionem fructuum praebendarum. — R. *Canonico Cosse ascensum deberi; quoad servitium chorale serventur constitutiones capitulares.*

II. BRIXIEN. — Iurium. — R. *Decretum Episcopi sustineri; dummodo translatio capellanorum fiat ad breve tempus et ob Ecclesiae necessitatem; Vicarios vero nominandos esse a Praeposito, et ab Episcopo approbandos, quin necessarius sit consensus capellanorum coadiutorum; in reliquis serventur Ordinationes Episcopi ab H. S. C. approbatae a. 1877.*

B. — In Folio.

I. BURDIGALEN. — Nullitatis Matrimonii. — R. *In decisis.*

II. MECHLINIEN. — Nullitatis Matrimonii. — R. *In decisis.*

III. AQUEN. IN GALLIIS. — Dispensationis Matrimonii. — R. *Affirmative.* (sub-secreto)

IV. PARISIEN. — Dispensationis Matrimonii. — R. *Affirmative.* (sub-secreto)

V. ANDRIEN. — Iurium (reservata). — R. *Dilata.*

VI. SYRACUSANA. — Dismembrationis Paroeciae. — R. *Decretum esse confirmandum et ad mentem.*

VII. NULLIUS S. LUCIAE. — Iuris conferendi ordines seu dandi dimissorias. — R. *Ad 1um Negative. — Ad 2um Affirmative, ex speciali gratia favore hodierni Praelati facto verbo cum SS.mo.*

A. — Per Summaria Precum.

1096/2

I.

Osnaburgen. — Dubia circa perceptionem fructuum praebendarum.

Declaratur ascensum ad canonicatum, a iure particulari in casu statutum, fieri posse a Canonico etsi omnino mente capto. Relate vero ad servitium chorale, utrum dictus Canonicus omnino dispensetur ab oneribus, vel utrum teneatur ad satisfaciendum per vicarium, servandae sunt Constitutiones Capitulares.

In capitulo Cathedrali Ecclesiae Osnaburgensis haec dicta est lex in statutis capitularibus a S. Sede approbatis, ut ascensus ad praebendas vacantes fiat *ipso iure neque* EXPRESSA *optio neque novus possessionis actus requiratur*, quamobrem canonicus qui ordine immediate sequitur canonicum defunctum aut promotum, huius praebendam, *ipso facto*, obtinet et fructus facit suos; iubet enim § 13 statutorum: « *Canonici et Vicarii qui ordine defunctum vel promotum sequuntur, ascendunt et a die ascensionis reditus Canonicatui seu Praebendae adnexos percipiunt* ». — Applicatio huius articuli modo quaestionibus implicatur; siquidem a. 1890 *die 11 Iunii* Antonius Thiele, *primus* in ordine canonicorum defunctus est; exinde *secundus* Can. *primam* obtinuit praebendam 4200 *marcarum* annuos reditus proferentem. *Tertius* autem canonicus qui ad *secundam* praebendam eumdem annuum reditum proferentem habuit ascensum, scilicet Canonicus Clemens Cosse iam ab a. 1888 mente captus, suum consensum nullimode significare valuit ad capessendam vacantem praebendam, quapropter dubitatum est, an reapse ipse altiorem praebendam adeptus sit. — Inde sequutum est *alterum* dubium, nempe an *quartus* canonicus Henricus Meurer ascenderit ad *tertiam* praebendam vel magis ad *secundam* prouti ipse postulabat et contendebat, siquidem propter vitium mentis canonici Cosse, eadem *secunda* praebenda uti vacans hactenus habenda erat. Quum vero *tertia* et *quarta* praebenda reditus annuos referant 3000 *marcarum*, inter *secundam* et *tertiam* praebendam differentia annuorum redituum est circiter 1200 marcarum; et hi fructus a *die 11 Iunii 1900*, ob exortam controversiam, neutri canonico soluti sunt sed deposito collocati sunt sub annuo foenore et hodie creverunt ad summam circiter 2900 *marcarum.*

Interim Canonicus Henricus Meurer *die 5 Iunii 1901* diem obiit supremum et in suo testamento postulavit prouti refert Episcopus: *ut pecuniae summa differentialis de qua dissentiebatur, pro sua parte ad pias causas aut dubio soluto per Emos Patres Sacrae Cognis Concilii, aut insoluto, consentientibus haeredibus Canonici Clementis Cosse, exhibeantur* ».

Interea idem Clemens Cosse die *21 Februarii 1902* mortuus est, et intestatus decessit, haeredes autem fere 32 vel 35 relinquens in dissitis regionibus disseminatos, quorum proinde consensum expostulare pene impossibile est. Quocirca Episcopus hoc proponit dubium resolvendum EE. PP. « *Utrum canonicus Clemens Cosse mente plene destitutus in aliud beneficium quod nullatenus cognoscere potuit, ascendere et reditus praebendae adnexos percipere debuerit* ».

Deinde aliam movet connexam quaestionem Episcopus; nimirum an infirmus canonicus ad lucrandos omnes fructus muniis canonicalibus satisfacere per vicarium debuerit suo sumptu deputandum an potius, propter infirmitatem, ab omnibus oneribus immunis habendus sit; quaerit enim Episcopus: « *Fuitne Canonicus Cosse obligatus ut omnibus canonicis officiis et communibus et personalibus prospiceret suo sumptu? 2. An ab omnibus officiis omnino liberatus fuit. 3. An obligatus fuit ut omnibus personalibus tantum officiis scil. hebdomadarii et celebrationis Missarum fundatarum satisfaceret suo sumptu per Vicarios? 4. An obligatus fuit ut personalibus officiis hebdomadarii tantum satisfaceret suo sumptu per Vicarium?* » In propositum autem haec refert Episcopus:

« Dictus Canonicus Cosse per tres annos canonicorum officia nec *communia* i. e. omnes Canonicos coniunctim obligantia ad divinam psalmodiam in choro, nec *personalia*, quae aut a singulis Canonicis ipsis persolvenda sunt aut per Vicarium pro canonicis impeditis idque horum sumptibus procuranda sunt, ut celebrationem missae conventualis, missarum fundatarum etc. ullo modo implevit.

« Afferabatur Decretum S. C. C. 5 martii 1667: « Congregatio Concilii censuit, Canonico infirmo, durante eius infirmitate, quamvis choro non intersit, deberi fructus omnes sui Canonicatus, non secus ac si omnibus horis divinis personaliter interesset, dummodo ante infirmitatem fuerit solitus inservire. Ceterum infirmitatem ipsam coram iudice probandam ». Tempore bonae valetudinis p. Cosse omnia Canonici officia adamussim implebat. — Dein invocabatur Decretum S. C. C. d. 8 Ianuarii 1597: « Congregatio Concilii censuit oratorem si vere caecus existit, a celebratione missarum in Collegiata prorsus immunem esse, neque alium sui loco, cum sit legitime impeditus, substituere teneri ».

Quae decreta e iure communi effluxerant. Cfr. Ius Canonicum apud Reiffenstuel tom. III de clerico aegrotante; et de clericis residentibus. Benedict. XIV Institutiones ecclesiasticae Inst. 107.

« In capituli statutis a S. Sede approbatis continentur leges speciales sequentes:

§ 41. « Vicarii, ratione beneficii, tenentur divinis officiis in choro assistere, ad altare, munere Diaconi et Subdiaconi fungentes, ministrare. Ad munus Hebdomadarii missaeque conventualis celebrationem alternatim, succentore excepto, parati semper erunt.

§ 42. « Si forte contigerit ut praefatis officiis pro Canonico aegrotante vel absente fungi debeant, congruam remunerationem, duplum scilicet stipendii manualis ordinarii accipient.

§ 49. « Legitime a choro excusatus censetur, qui vel senio fractus est, vel morbo correptus, vel monitus a medico, ut sese domi continere debeat.

« Leges speciales Capituli, iuri communi non contradicentes, in § 42 statuunt obligationem quod Vicarii, loco Canonicorum impeditorum, ad munus hebdomadarii et missae conventualis celebrationem, erga congruam remunerationem, tenentur. Unde sequi videtur, Canonicum infirmum obligatum esse, ut officia hebdomadarii adimpleri curet suo sumptu per Vicarium ».

Quamobrem *duplex* est quaestio examinanda, primo an canonicus Cosse quamvis, utpote mente captus, nullimode animum applicaverit ad novam praebendam obtinendam, hanc reapse assecutus sit. In quaestionis solutionem ab Episcopo quaesivi quomodo fieret ascensus de una ad aliam praebendam et Episcopus refert Capitulum asseruisse: « *ascensum ad praebendam vacantem ipso iure fieri nec optionem expressam nec novum possessionis actum requiri iuxta Capituli statuta a S. Sede approbata*: § *13: Canonici et Vicarii qui ordine defunctum vel promotum sequuntur, ascendunt et a die ascensionis reditus canonicatui seu praebendae adnexos percipient* ». Revera articuli textus non satis significat, *ascensum fieri ipso iure et absque ulla voluntatis significatione*; sed tenere possumus Capituli declarationem uti referentem consuetudinem Capitularem, optimam legum interpretem. Porro huiusmodi *ascensus* seu optio necessaria, *ipso iure* capitulari constituta, non contradicit regulis iuris et est *iuridice* possibilis. Nam, hoc in casu, *optio* non cadit in ipsum canonicatum seu titulum canonicatus qui semper expostulat aliquam *collationem* et hinc tituli acceptationem *tacitam* vel *expressam* sed caderet in simplicem praebendam. Siquidem *duplex* optionis genus iure Canonum distinguitur; *altero* nimirum novus titulus seu novus canonicatus acquiritur; *altero* vero antiquus titulus seu canonicatus non amittitur sed tantum fit accessio redituum praebendae optatae; *facto*, (ut inquit Gonzalez. *Ad Reg. Cancell. gloss. 34 n. 55*) *transitu de una ad aliam praebendam absque novo titulo et absque nova provisione vel collatione virtute provisionis seu tituli in prima* ». Sane praebendam distingui a canonicatu seu a canonia, titulo canonicatus, exploratissimi iuris est uti docet cum *communi* Barbosa *De Can. et dignit. cap. 12 n. 18 seq.* et firmavit H. S. C. in *Maceraten. Optionis 22 Decem. 1832*; et in *Vicentina Optionis 31 Ianuarii 1856*, et uti praedicat effatum, *canonicum non fieri per praebendam sed per receptionem in fratrem.* Quippe in citata *Maceraten.* ad I. Dub. ita conceptum: « *An optioni sit obnoxia praebenda tantum an praebenda simul et canonicatus in casu* », prodiit responsum: *affirmative ad 1.am partem; negative ad 2.am*.

Inde admittere fas est, in capitulo Osnaburgensi plures haberi canonicatus quorum fit collatio et possessio conceditur canonicis quum hi capitulum ingrediuntur, deinde vero, quin ulla habeatur nova tituli collatio, et possessio, fit ascensus *necessarius* ad *praebendas* seu ad fructuum assignationes quae proinde tantum *numero* distinguuntur et pinguiores sunt pro numeri prioritate. Re ita constituta, non est alienum a regulis iuris quod ascensum faciat et altiorem attingat praebendam etiam canonicus penitus *amens*, nullam significans sui animi determinationem. Hac de causa Statuta Capit. *in cit.* § *13* eiusmodi fructuum alterius praebendae accessionem proprie non vocant *optionem*, quum *optare* videatur motum voluntatis necessario continere sed appellant simpliciter *ascensum.*

Constitutiones autem capitulares ita intelligendas esse testantur ipsi canonici; et ipsis fides adjicienda est; quippe res est quae ipsorum intersit; quamvis hodie, et hoc adverti debet, reapse et heredum canonici Cosse et causae piae a Canonico Meurer testamento vocatae ratio habenda est; eorumque iuribus derogare non est integrum canonicis.

Quoad *alteram* quaestionem iam Episcopus attulit iuris auctoritates et H. S. C. iurisprudentiam, unde evincitur, canonicos infirmos immunes esse ab omnibus muneribus canonicalibus et nihilo secius lucrari omnes fructus sui canonicatus. Verum in Capitulo Osnaburgensi constituti sunt vicarii et hi *loco canonicorum impeditorum* tenentur ad munus hebdomadarii, ad celebrationem missae conventualis, eis congrua tributa remuneratione, ab Episcopo autem non satis declaratur an talis remuneratio desumatur e quadam *massa* ad hoc constituta, vel potius a singulo canonico impedito elargienda sit. — Certe ad ipsum *ius commune* quod attinet non posset *absolute* improbari consuetudo iuxta quam canonicus etiam infirmus conferre obligaretur mercedem vicariis; nam cum petitum fuisset *die 6 Decemb. 1666* ab H. S. C.: « Primo *an distributiones quotidianas lucretur canonicus vel beneficiatus qui solitus ceteroquin inservire a civitate, legitimo vacationis tempore discedens in vicinum oppidum (unde sub fine dictae vacationis potest opportune se reddere ad servitium Ecclesiae) se contulit, ibique, superveniente infirmitatis corporalis impedimento ita continetur ut ad civitatem redire et choro interesse non valeat? et quatenus affirmative*, Secundo *an hoc locum habeat quamvis in Ecclesia vigeat contraria consuetudo?* Haec S. Cong. respondit: *Ad primum lucrari; ad secundum non habere locum si consuetudo sit legitime praescripta.* Tamen huic consuetudini obtemperare non fas esset, si canonicus infirmus fructibus praebendae indigeret universis ut suae consuleret conservationi; tunc enim obstaret *ius naturale;* arg. decisionum H. S. C. in *Albinganensi Paroch.* 1 Sept. 1663 (*lib. Decret. 25 p. 594*) et in *Novariensi et Cremonensi* (*lib. 3 Decret. p. 35 et 40*).

Demum quia Episcopus in suis *dubiis* mentionem facit de *missis fundatis*, quasi de speciali onere Missarum, quae insint praebendae canonicali, praestat, ultimo loco, referre hanc decisionem H. S. C.; nam ad dubia: Primo *an Sacerdotes obligati ratione beneficii, capellaniae, legati aut stipendii celebrare quotidie Missam per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare, et quatenus affirmative;* Secundo *quando et quoties a dicta celebratione vacare possint; H. S. C.* (*die 18 sept. 1682*) hoc rescripsit: *Ad* 1.um et 2.um *affirmative, concurrente aliqua rationabili causa.*

Quare etc.

Emi Patres rescripserunt: *Canonico Cosse ascensum deberi; quoad servitium chorale serventur Constitutiones Capitulares.*

4973
2

II.

Brixien. — Iurium.

Vertitur controversia inter Praepositum eiusque cappellanos perpetuos, circa interpretationem et applicationem Constitutionis Alexandri VI;

ediciturque Decretum Ordinarii sustineri, cum aliquo temperamento.

In civitate Brixiensi constituta est ab a. 1502 parochialis ecclesia *S. Agathae*, ad praescriptum Const. « *Iniunctum nobis* » Alexandri VI, in eaque curam agit animarum Praepositus parochus cum tribus aliis *perpetuis* cappellanis congrua praebenda instructis, *qui* « — uti iubet Constitutio — *una cum dicto Bartholomaeo et pro tempore existente dictae Ecclesiae Rectore in ipsa Ecclesia horis canonicis interesse ac curam animarum parochianorum praedictorum exercere in ipsaque Ecclesia personaliter residere et per seipsos non autem per substitutos, impedimento cessante legitimo, deservire ac singulis diebus missas per se vel per alios celebrare tenerentur* ». Processu temporis exortae sunt controversiae de iuribus cappellanorum ad curam animarum et H. S. C. rescripto *diei 24 Iulii 1875* edixit ipsis ius competere « *exercendi curam animarum dependenter ab ipso Praeposito* », in executionem cuius rescripti Episcopus confecit *decem ordinationes* et has approbavit H. S. C. rescripto diei 22 Sept. 1877 — *Haec* quoad *ius* et *constitutionem* Ecclesiae.

Accidit autem ut aegrotante parocho alterius ecclesiae extra civitatem, huic Episcopus suffecerit, titulo vicarii, unum ex *tribus* capellanis curatis, nepotem Praepositi dictae ecclesiae S. Agathae, ea quidem ratione quia iste solus repertus est, prout ipsa Curia testatur, ad illud munus explendum idoneus.

Quare eodem absente ab Ecclesia S. Agathae, ne animarum cura ex parte deficeret, in eius locum Praepositus-parochus Episcopo quemdam proposuit Sacerdotem, cuius electioni libenter ipse annuit. Verum, licet idem Praepositus tum ex bulla — *Iniunctum Nobis*, — tum ex statutis Episcopi ab H. S. C. *die 22 Sept. an. 1877* approbatis, sibi competere autumet vicarium temporaneum sufficiendi potestatem, qui capellani ad tempus absentis vices in parochiali munere gerere possit, adversarios tamen expertus est caeteros *duos* capellanos, hoc ius eidem denegantes: adeo ut officium capellani absentis etiam in praesenti, prout ipsa Curia advertit, adhuc vacet, cum illud, contradicentibus capellanis curatis, vicarius designatus minime suscipere potuerit.

Praeterea alia controversia agitur a capellanis adversus Praepositum qui asserit sibi competere ius proponendi Consilio Fabricae Ecclesiae sacerdotem deputandum in Praefectum Sacristiae, etiam inauditis capellanis.

Ordinarius *die 5 Sept. an. 1902* ius dixit favore parochi Praepositi, tum scilicet quoad ecclesiae ipsius regimen, tum quoad ius deputandi vicarios, haec decernens: « Questo Ordinariato Diocesano, vista la Bolla Pontificia di Papa Alessandro VI, colla quale erigeva le Cappellanie Curate di S. Agata, vista la Costituzione del Prevosto Del Pozzo, vista la sentenza della S. Congregazione del Concilio 24 Luglio 1875 — giudica, — soltanto però in via amministrativa, che l'unico diritto attribuito ai Cappellani titolari di S. Agata sia quello — *exercendi curam animarum dependenter ab ipso Praeposito*, — il quale diritto di cura d'anime non è certamente il *plenarium ministerium curae animarum*, che obbliga il solo Prevosto al governo della Parrocchia, quindi si ritiene libero il Prevosto di proporre alla Fabbriceria, quel Sacerdote che crede più opportuno all'Ufficio di Prefetto di Sagrestia.

« Giudica inoltre che nessuno può togliere al Vescovo il diritto di disporre di un Beneficiato e di sostituirlo con un Vicario e che nel fatto tale diritto è concesso anche al R. Prevosto di S. Agata dalla Bolla summentovata là dove dice agli esecutori della medesima che *quod dictis Cappellanis absentibus dictae Ecclesiae Rector alium seu alios loco absentium substituere possit* etc. Quindi, essendo legittimamente assente il Rev. Volpi D. Giovanni, il R.mo Prevosto può liberamente al medesimo sostituire un Vicario ».

Verum cum eidem sententiae parere renuerint capellani Praepositus Parochus Volpi, ad H. S. C. recursum instituit, haec pro re sua animadvertens.

Praemittit enim praesentis controversiae causam esse repetendam ex praepostera interpretatione decreti ab H. S. C. sub die 24 Iulii an. 1875 editi, ad applicandam Constitutionem Alexandri VI. « *Iniunctum Nobis* » diei 9 Sept. 1502.

Siquidem in eodem decreto (quod caeteroquin, iuxta ipsum peculiaribus rerum adiunctis instantibus editum fuisse sibi videtur, ob leges scilicet civiles tunc eiusmodi bona usurpantes) curae animarum exercitium, quod iuxta eamdem Bullam pro ipsis capellanis *munus* et simplicem *obligationem* importat, ut *ius* recognitum est. Ex quo evenit, ait, ut iidem capellani eamdem parochialem iurisdictionem qua Praepositus gaudet sibi vindicaverint, adeo ut quadam *honoris* tantum praerogativa contentus ipse esse debeat, prout ex. gr. primum locum in choro tenere, solemnitatibus pluviali indui, etc.

Quare ex hoc illud a iure prorsus alienum provenire, ait, ut eadem ecclesia a quatuor parochis, pari iure pollentibus, manifesto quidem cum animarum discrimine, regatur.

Quapropter ut iuri etiam successorum in eadem Praepositura consulatur, idem orator ab H. S. C. haec declaranda petit: « 1. Ha diritto il Preposito Rettore di Santa Agata di usare la facoltà concessagli dalla Bolla Pontificia di nominare e provvedere per le Capellanie vacanti, senza intervento e consenso dei Capellani presenti in Ufficio?

« 2. Ha diritto il Preposito stesso di usare la facoltà, concessagli dalla Bolla, di sostituire altri ai Capellani che per alquanto di tempo debbano assentarsi dalla residenza? e nel caso affermativo, a carico di chi devono stare le spese per il sostituto?

« 3. Deve ammettersi e ritenersi, che in forza della Bolla, *Iniunctum Nobis* e della conseguente Costituzione 1515 del Prevosto Del Pozzo, istitutore delle tre Capellanie, abbia a competere ai Capellani Beneficiati la *piena* e *perfetta* parrocchialità *a parità* col Preposito medesimo, di guisa che il Parroco fondatore abbia inteso mettersi al loro livello, spogliarsi della sua autorità e commettere a loro il governo della sua chiesa?

« 4. Se la frase — *una cum Rectore Praeposito* — proposta dall'istitutore e conservato nella Bolla, intesa nel senso di piena parrocchialità produce così disastrose conseguenze, non sarebbe più razionale e giusto intenderla nel senso di unione, di buon accordo, di premurosi intendimenti in una azione salutare, come appunto si dice che il soldato combatte *una cum duce* senza che diventi capitano, o che l'operaio lavora nella officina *una cum domino* senza che diventi padrone, o come diciamo *una cum grege sibi credito* nella orazione *pro pontifice?*

« 5. La cura d'anime, che devono esercitare i Capellani coadiutori consiste (come è per tutti i coadiutori parrocchiali, sia pure con riserva nel caso nostro della potestà ordinaria e della inamovibilità) nell'amministrazione dei SS. Sacramenti, nel catechizzare e predicare, nell'aver cura dei poveri e degli infermi e nel prestare il servizio di chiese; o deve anche intendersi estesa alla reggenza e governo della chiesa? »

« 6. Qualunque sia il senso della frase *una cum Rectore Praeposito* questa fu apposta nella Bolla al primo dovere dei Capellani, cioè *interesse horis canonicis*? o devesi anche intendere ripetuta per gli altri doveri successivamente enumerati, specie il *missas quotidie celebrare* e il *deservire*, mentre il Prevosto non è obbligato alla quotidiana celebrazione, e se anche egli deve servire *una cum capellanis*, si avrebbero quattro servi senza uno che comandi? »

Ex facto denique constare animadvertit eisdem capellanis coadiutoribus numquam onus fuisse impositum festivis diebus Missam pro populo applicandi, nec homiliam alterne cum Praeposito habendi, sed tantum eo absente suas vices gerendi, iuxta omnium coadiutorum parochialium morem.

E contra Capellani negant, *primo*, ius Praeposito Volpi eligendi, absque scilicet eorum consensu, sacerdotem qui praesentandus erit Fabricae procuratoribus, pro sacrarii praefectura obtinenda.

Hoc enim electionis ius etiam ipsis competere autumant, utpote necessario in facultatibus sibi concessis pro animarum cura, una cum Praeposito exercenda, contentum, — *una idest communiter cum Praeposito*, — argumento *ordinationis* confirmatae a S. C. Concilii *22 septembris 1877*.

Quod quidem plenum ius eorumdem capellanorum S. Agathae relate ad curam animarum comprobatum fuisse asserunt tum ex Bulla citata Alexandri VI. « *Iniunctum Nobis* », tum ex possessione pacifica, et antiquissima, scilicet 300 annorum, consuetudine; tum etiam ex pluribus sententiis tribunalium Brixiae, Mediolani ac Romae: quae quidem omnia in opusculo relata sunt « *Acta Sacrae Congregationis Concilii Tridentini in causa iurium Parochialium inter Praepositum et Capellanos Curatos S. Agathae civitatis Brixiae* ».

Brevitatis causa tribunalis mediolanensis sententiam tantummodo exhibent « il diritto di piena Parrocchialità, e quindi canonicamente di assistere ai matrimoni in detta parrocchia, spettare *a parità* e *reciprocanza* in vigore di fondazione così ai Coadiutori titolari, come al Parroco Prevosto ».

In iis autem solummodo cappellani curati autumant eos subdi Praeposito, quae eadem S. Congregatio ipsi servanda praecepit, ut scilicet in exercitio parochialium iurium collisio arceretur: « *Capellanis ius esse exercendi curam animarum una cum Praeposito et dependenter ab ipso iuxta ordinationem*, etc. » (S. C. C. 24 Iulii, an 1875).

Iamvero ista parochialium iurium paritas, aiunt, nonne tribuere dicenda est eisdem capellanis facultatem sese ingerendi in iis etiam quae ipsius ecclesiae bonum spectant? Quanam ratione ipse Praepositus eiusque antecessores de exquirendo capellanorum consensu usque fuere solliciti, tum scilicet pro electione laicorum aedituum, tum etiam pro quolibet alio parochiali negotio gerendo?

Secundo — relate ad electionem vicarii qui suffectus est, in animarum cura, capellano S. Agathae Sac. Ioanni Volpi, cum hic ab Episcopo ut vicarius parochi in oppidum loci vulgo — *Alfianello* — missus fuerit, asserunt se reclamasse, ne exinde eorum iura detrimentum caperent.

Etenim in Ordinationibus ab H. S. C. confirmatis, normam constituentibus iurium quae mutuo inter Praepositum et Capellanos curatos exercentur, haec leguntur: « che vi sono attribuzioni connaturali ai Cappellani Curati, che debbono rimanere integre, e che lo stesso Prevosto non può perturbare o diminuire « ipsis *integre* maneant ex officio connaturales attributiones, quas *Praepositus perturbare* aut minuere *nequeat* ». E se queste attribuzioni del predicare, dell'amministrare i Sacramenti ecc. non possono essere diminuite dallo stesso Prevosto, lo potranno essere da un semplice Sacerdote »?

« Leggiamo nelle stesse Ordinazioni che il R.mo Prevosto, per causa legittima, può compire le funzioni designate ai Cappellani Curati, ma *personalmente* e dietro avviso, e quindi mai per sostituti o vicari ». (Ordinazione III).

« Leggiamo ancora che mancando il R.mo Prevosto del celebrare funzioni riservate a Sè, lo dee supplire il Curato di settimana, non quindi altri Sacerdoti non Curati, nè investiti ». (Ord. V.).

« Leggiamo sempre in quelle Ordinazioni, che nelle assenze o del Prevosto o dei Curati debbono tra loro accordarsi, acciò taluni fra loro siano pronti ad assistere i fedeli nei sacri ministeri « ut *aliqui ex ipsis* praesto sint etc. »; non dunque estranei Sacerdoti » (Ordinazione X).

Inter autem praecipua onera a coadiutoribus explenda in Ecclesia S. Agathae, recensent homiliae recitationem, alternis vicibus, Praeposito praemonente, peragendam, tum munus adiuvandi Praepositum, in catechesis explanatione quae munera proinde nonnisi a capellanis curatis expleri posse contendunt: « *onus praedicationis ita commune sit Praeposito et Coadiutoribus ut ipsi homiliam habeant... iidemque eum adiuvent in catechesibus* ». (Ordinat. n. 2).

His igitur suae Ecclesiae ordinationibus freti, necnon facto constanti, vi cuius in ecclesia S. Agathae tum Praeposito, tum Cappellanis curatis mortis vel translationis causa deficientibus, nunquam vicarii vel oeconomi electi fuerint; contra dictam, electionem vicarii, absente sac. Ioanne Volpi Capellano, peractam, iure reclamasse recurrentes contendunt, simulque ab H. S. C expostulant: *a*) utrum S. Agathae Praepositus, absque eorumdem capellanorum consensu, Sacrarii Praefectum eligere possit?

b) Utrum idem S. Agathae Praepositus, vel quidam ex capellanis curatis, ipsis absentibus, vicarios nominare possint, qui animarum curam aeque ac capellani curati, parochialibus facultatibus ordinarie pollentes, exercere valeant?

In hanc complexam quaestionem haec mihi advertenda videntur. Quamvis plures a contendentibus proferantur quaestiones, tamen, pro stylo H. S. C., videntur *practice* et *obiective* reduci ad duo quaesita quibus in suo decreto respondet Ordinarius. Nihilominus serio perpendere praestat an decisio reddita ab Ordinario mereatur EE. PP. confirmationem.

Rem a suo initio repetens, advertam, originem capellanorum perspicue explicari in Const. *Iniunctum Nobis*. — Inde enim eruitur Ecclesiam S. Agathae usque ab a. 1502 *unum* tantum obtinuisse Praepositum Parochum. Hoc anno exeunte, Bartholomaeus quidam eo tempore Praepositus, a S. Pont. Alexandro VI petiit ut tres aliae capellaniae *perpetuae* cum fructibus pro capellanorum sustentatione de suis reditibus magna ex parte adsignandis *erigerentur* qui *una cum* pro tempore existente dictae Ecclesiae Praeposito - Parocho *horis canonicis interesse*, *resi dere*, *celebrare* et animarum curam exercere, tenerentur. — Quae postulaverat Bartholomaeus obtinuit, uti evincitur ex verbis Constitutionis relatis sub initio. Qua Constitutione proinde factum est ut erigerentur vera et propria *beneficia* eademque *residentialia* cum cura animarum.

Equidem, progressu temporis, capellani se aemulos exhibeerunt Praepositi - Parochi, eidemque omnimode pares se ostendere et gerere curarunt et eiusmodi intentionem capellanorum ratam habuerat et firmaverat sententia tribunalis Mediolanen. iam relata a capellanis, edicens eis competere *il diritto di piena parrocchialità.... a parità e reciprocanza;* et haec sententia submissa fuit examini H. S. C. *die 24 Iulii 1875*, uti reperii in Thesauro Resolutionum H. S. C.; nam *in actis* non exhibetur. Sane ad dubium: « *An et quomodo sententia Curiae Mediolanensis sit confirmanda in casu*, rescriptum prodiit: *sententias primi et secundi gradus esse reformandas: Capellanis ius esse exercendi curam animarum una cum Praeposito et dependenter ab ipso: iuxta ordinationem ab Episcopo proponendam et ad S. Congregationem transmittendam* ».

Hoc rescripto sapienter statuitur, curam animarum capellanis competere una cum Praeposito, et inde ius habere adsistendi matrimoniis absque Praepositi *delegatione*, nihilominus, ne gravis exoriatur confusio, *dependentiam* a Praeposito capellanis servandam esse.

Praeterea animadvertatur, capellanos participare *curam parochialem*; sed in munere parochi et rectoris Ecclesiae continetur etiam *ius administrandi*, tutandi, servandi *bona* Ecclesiae et beneficii, nec non advigilandi in Fabricam Ecclesiae. Atqui unum ius alterum necessario non sequitur; quamobrem, uti exploratissimi iuris est, parochus suspendi valet tantum *ab officio parochiali* quin ab *beneficii administratione* suspendatur. Inde hoc sequitur, capellanos ius habentes exercendi curam animarum, non necessario ius obtinuisse administrandi Ecclesiam et bona

parochialia; quin immo eiusmodi ius assequutos esse non satis probatur nisi expressa exhibeatur concessio ipsis facta istius iuris. Revera, Praepositus Bartholomaeus ut obsequeretur praecepto Concilii Tridentini *Sess. 21 cap. IV De ref.* iubentis, in omnibus Ecclesiis parochialibus vel baptismalibus in quibus populus ita numerosus sit ut unus rector non possit sufficere sacramentis ecclesiasticis ministrandis vel cultui divino peragendo, rectores debere *sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere quod sufficiant ad sacramenta exhibenda et ad cultum divinum celebrandum*, dictas capellanias erigendas curavit. Quo factum est ut *dismembratio* quaedam seu divisio haberetur in cura animarum sed haec non secus ac in omnibus *dismembrationibus* intelligenda est *stricte*; videlicet non magis censetur concessum quam expresse concessum fuisse significetur. Disertis verbis capellanis tribuitur *cura animarum* seu administratio sacramentorum aliarumque functionum parochialium; ast forsan tributum fuisse intelligendum est ius administrandi bona beneficii, aut ipsam Ecclesiae Fabricam? Quia versamur *in odiosis, quod minimum est, sequi debemus*, iuxta Regulam 30 iuris *in Sexto.*

Hae animadversiones videntur persuadere, Praepositum iure se gessisse dum Consilio Fabricae proposuit Praefectum Sacrarii, inauditis capellanis. Hic enim Praefectus praesumitur ea gerere, pro suo munere, quae ad Fabricae bona administranda pertinent.

Non item et Praepositus et Ordinarius videntur rite rem expediisse dum effecerunt ut capellanus, derelicto loco residentiae et suo officio, alio se conferret. Nam hae capellaniae sunt *residentiales* et legi residentiae dispensare uni S. Pontifici permissum est. — Ad haec, ex alio capite, laesae forsan fuerunt tabulae fundationis, si propter constitutum vicarium, vel graviora ceteris capellanis onera effecta sunt, vel minuti sunt reditus *certi* aut *incerti* suae capellaniae. Equidem, uti advertit Ordinarius in suo decreto Constitutio — *Iniunctum Nobis* — facultatem facit Praeposito Parocho ut ipse *alium seu alios loco absentium substituere possit*, — verum, posito semel onere *residentiae* in eiusmodi capellaniis erectis Pontificia auctoritate, decernet Sapientia EE. PP. an *legitima* dicenda sit absentia Capellani Volpi qui ab Episcopo ad aliam Ecclesiam translatus fuit. Quod si etiam advertatur in cit. Constitutione caveri, — *collationem et provisionem dictarum trium capellaniarum in perpetuum reservatam et concessam fuisse* — Praeposito Parocho, tamen quae onera fundationis insunt in dictis capellaniis videntur neque a Praeposito neque ab Episcopo, ordinario iure, derogari posse.

Ceterum *in actis* non prostant Ordinationes ab Episcopo confectae auctoritate H. S. C. ab Eaque approbatae; at hae prae oculis habendae sunt in determinandis *taxative* limitibus quibus continentur singulae functiones, et specialia iura capellanis attributa, aliisque Ecclesiae administris. — Inde ex his Ordinationibus normam capellani desumant oportet in resolvendis aliis quaestionibus quas ipsi aut Praepositus innuunt quasque proprie ad praesentem quaestionem non pertinere patet.

Quare etc.

Rescriptum fuit: *Decretum Episcopi sustineri; dummodo translatio capellanorum fiat ad breve tempus et ob Ecclesiae necessitatem; Vicarios vero nominandos esse a Praeposito, et ab Episcopo approbandos, quin necessarius sit consensus capellanorum coadiutorum; in reliquis serventur Ordinationes Episcopi ab H. S. C. approbatae a. 1877.*

B. — In Folio.

$\frac{2936}{1}$

II.

Mechlinien. — Nullitatis matrimonii.

E.mi Patres noluerunt declarare nullitatem matrimonii ex defectu consensus legitimi, et ideo confirmata fuit praecedens resolutio.

Iterum ad Vos redit, EE PP., haec causa matrimonii initi die 7 Maii 1895 inter I. et H.; proposita enim in Comitiis plenariis diei 14 Decembris 1901 sub duplici rogandi formula: « I. *An sententia Archiepiscopalis curiae Mechliniensis sit confirmanda vel infirmanda in casu* »; et quatenus affirmative ad 1^{am} partem: « II. *An consulendum sit SS.mo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu* »; Vos respondere censuistis: « *Ad* 1um *sententiam esse confirmandam. Ad* 2um *Negative* ». Cumque vir nova allegans, beneficium novae audientiae obtinuerit, denuo S. V. O. causa discutienda proponitur sub rogandi formula: « *An sit standum vel recedendum a decisis in casu* ». Rogo igitur EE. VV. ut sueta benignitate velitis praeteritum folium resumere, dum pro meo munere partium deductiones summatim referam.

Advocatus contendit ex noviter deductis constare de matrimonii nullitate ex defectu legitimi consensus; coniuges enim H., ait orator, matrimonium contraxerunt ad effectus civiles tantummodo, hac nempe sub conditione, ut alter in alterius corpore nullum ius haberet, et ut rebus familiaribus extricatis, ereptisque liberis a secta massonica, sibi mutuo libertatem redderent.

Itaque in primis orator iuris principia recolit quibus demonstratur simulata seu ficta connubia esse irrita. Et sane Benedictus XIV (*De Synod., 13, 12, n. 8*) scribit: « Quicumque contractum vult, necesse est eiusdem substantiam velit, ideoque si contrahentes, in matrimoniali foedere ineundo, conditionem apponunt illius substantiae contrariam, certissimum est argumentum, nequaquam in veri matrimonii contractum consentire ».

Et Sanchez (*De Sac. mat. lib. II, disp. 29, n. 11*), ait: « Contractus debet saltem implicite intendere bonum Sacramenti, quod evenit quando non habet intentionem contrariam: quare si haberet animum, etiam corde retentum, adversum bono Sacramenti, quia scilicet intenderet non contrahere matrimonium nisi ad tempus, non esset verum matrimonium ».

Hisce praemissis, advocatus tribus articulis tria adnititur demonstrare, nempe: 1) adfuisse in casu causam, qua coniuges H. ducti sunt ad fictum et simulatum coniugium contrahendum; 2) Coniuges H. revera hanc mentem habuisse nempe ficte matrimonium contrahendi; 3) hanc mentem etiam in actu matrimoniali perseverasse.

Et ad causam simulationis quod attinet, refert orator, quod I. mortuo Barone V., tres filios ab eo susceptos superstites habebat adhuc in minori aetate constitutos, quibus Tribunal tutorem constituerat Dominum I., Senatorem, et caput seu Venerabilem, ut aiunt, massonicae sectae, cuius mens erat filios in eadem secta inscribendi. Quare I. ut filios a tanto periculo eriperet, et ut suis bonis in discrimen adductis consuleret, Comitem H. rogavit ut gestionem rerum suarum susciperet; cumque ad tutorem removendum titulus legalis requireretur, sese Comiti obtulit in matrimonium. At Comes H., sive ob disparitatem aetatis, mulier enim senior erat quindecim annis, sive ob huius impotentiam ad sobolem procreandam, vero matrimonio se I. iungere recusavit. Sed cum necessitas urgeret, conventionem inierunt de matrimonio mere apparenti ineundo cum pacto ut alter in alterius corpore nullum ius haberet, et ut rebus familiaribus extricatis, ereptisque liberis a secta massonica, sibi mutuo libertatem redderent.

Quod si obiicias haec omnia non constituere causam ficti

matrimonii, respondet advocatus, referens circumstantias quae suadent verum matrimonium haud contrahi potuisse in casu. Nam, ait, H. habebat promissam sponsam puellam M., quam deperibat; praeterea I. impotentia laborabat ad relationes sexuales habendas eoque magis ad sobolem procreandam, dum in animo Comitis erat nobilem familiae suae stirpem perpetuare.

Deinde ad secundum articulum gradum faciens orator, contendit coniuges habuisse revera intentionem fictum matrimonium ineundi, seu nullum ius coniugale tradendi et acceptandi, quod eruit ex coniugum depositionibus, et ex depositionibus testium, qui asserunt, coniuges praedictam intentionem fictum matrimonium ineundi, speciali contractu sive orali, sive scripto stipulasse.

Idem probatur prosequitur patronus ex epistola, quam orator die 25 ante celebrationem matrimonii misit ad suam promissam sponsam.

Cumque puella lacrymis precibusque urgere non desineret, H. die tertia mensis Maii 1895, seu paulo ante ficti matrimonii celebrationem, ei contractum scriptum exhibuit. « Malgré même — ipsa ait — les affirmations si nettes de mon fiancé, j'avais encore des inquiétudes. C' est alors que M. H., qui descendait toujours chez nous lors de ses voyages à Paris, me montra, pour me rassurer, les premiers jours du mois de mai 1895, le contrat passé entre les époux futurs, et par lequel ils prenaient l'engagement de n'avoir pas de rapports conjugaux ».

Puella photographo documentum tradidit, ipsumque photographice reproductum habuit.

En contracti species photographice reproducta:

« Le 1er mai 1895.

« Nous soussignés, H. et J., déclarons ici nous unir d'une façon purement contractuelle. Notre mariage, imposé par de dures circonstances, n'aura qu'un effet civil. Nous entendons formellement n'user jamais des droits ni de l'usage des droits que nous confère le mariage, nous refuser le corps, conserver notre entière liberté et le respect que nous avons d'engagements antérieurs. Et devant Dieu nous prenons solennellement l'engagement de ne jamais manquer à notre parole.

« En foi de quoi, et sur l'honneur, nous signons le présent contrat.

« H. J. ».

De fideli reproductione contractus constat, ait advocatus, sive ex testimonio iurato puellae M. sive ex testimonio iurato photographi viri integerrimi, nempe Petri.

Haec omnia, adnotat patronus, peracta sunt veluti immediate ante fictum matrimonium Etenim matrimonium initum fuit die 7^a^ Maii 1895; contractus vero exaratus fuit sub die 1^a^ Maii 1895; contractus autem revelatio a Comite facta ad puellam M. et eius imago photographice reproducta, habitae sunt tribus vel quatuor ante nuptias diebus, ut constat ex testimonio iurato sive puellae, sive viri periti.

Die quinta Maii photographus huius contractus duas imagines photographice reproductas misit puellae M., quae ut securius eas asservaret, eas detulit Marchionissae H. Cum autem causa pro matrimonii nullitate proposita fuerit, unam Tribunali remisit.

Praefatae circumstantiae, prosequitur advocatus, novo examine iudicialiter examinatae fuerunt et probatae, quod evolvit.

Unde, arguit orator, extra omnem dubitationis aleam posita est existentia contractus; cumque ex huiusmodi contractu probetur coniuges H ficte matrimonium celebrasse, iam patet uti demonstratam censeri posse nullitatem matrimonii in casu.

Insuper, pergit orator, intentio ficte nuptias celebrandi in ipso actu matrimonii perduravit; etenim attentis in casu omnibus circumstantiis, nempe aetate atque morbo D.nae I., haec mentis mutatio in coniugibus non potest rationabiliter praesumi, imo contrarium praesumendum est.

Id praeterea ex subsequentibus manifestum est, etenim ex eorum sive dictis, sive factis, sive ex eorum vivendi ratione, ut ex luculentissimis testimoniis habemus, clarissime eruitur, intentionem, matrimonii ineundi ficte tantum et simulate, in actu matrimonii nunquam mutasse.

Patet igitur, arguit orator, contrahentes in actu Sacramenti intentionem non mutasse, secus neque immediate post matrimonium, neque postea processu temporis constanter declarassent, eorum intentionem fuisse contrahendi matrimonium fictum, ut constat ex allatis testibus iuratis, et fide dignis, qui non tantum testantur, se a coniugibus post matrimonium audivisse, eos in eodem proposito contrahendi matrimonium fictum semper perseverasse, sive ante, sive post matrimonium, sed etiam eorum iudicium referunt, innixi non tantum in coniugum dictis, sed etiam in factis, seu in eorum vita separata, et in tota eorum vivendi ratione.

Ideoque si haec intentio perduravit in actu matrimonii, iam liquet matrimonium esse irritum, ac tale esse declarandum.

Huc perducta oratione, gradum facit orator ad solvendas nonnullas difficultates a vinculi defensore propositas in prima causae propositione. Et primo quoad verba Glossae in *cap. 26, De sponsal. et matrim. verb. Mulierem*, quibus traditur quod in casu quo aliquis protestetur coram pluribus, quod omnia quae dicat vel faciat, non faciet animo contrahendi matrimonium, et postea publice dicat, consentio in te, Ecclesia iudicare debet pro matrimonio, quia recurrendum est ad communem verborum intelligentiam; animadvertit orator DD. excipere, fatente Pitonio *discept. eccl. 52, n. 38*, casum quo protestatio facta fuerit parte praesente et consentiente, quia in hoc casu censetur durare prior voluntas faciendi matrimonium fictum. Ex quo consequitur, ipse ait, idem dicendum etiam in aliis casibus, quoties ex probationibus prior voluntas durare censetur, ac proinde ista verba Glossae ita accipienda sunt, quod protestatio antea facta coram pluribus attenditur, quoties probetur durare prior voluntas.

Sed quia vinculi defensor obiiciebat verba Pitonii *loc. cit. num. 10 et seqq.* quibus tradit « eam limitationem non amplius obtinere postquam Concilium Trid. matrimoniis praefinierit certam formam, quia cum matrimonium de quo agitur, fuerit coram Parocho et testibus pure celebratum per verba de praesenti sine ulla conditione, Ecclesia pure et simpliciter iudicare debet illud fuisse contractum, quia cum matrimonium hodie in eius facie sit celebrandum iuxta Tridentinum, quidquid coram ipsa non fuit dictum, dicitur non adesse in rerum natura »; respondet patronus, haec verba Pitonii: Quidquid coram ipsa non fuit dictum, dicitur non adesse in rerum natura accipienda esse iuxta finem Tridentini, qui erat statuendi, ut non amplius, velut antea, matrimonia valerent sine praesentia Parochi, ita ut verba praefata sonent, iuxta advocatum, matrimoniales contractus non esse validos nisi exprimantur coram Parocho, et non quatenus ea quae exprimuntur coram Parocho, non sint sumenda iuxta ea quae probantur expressa antea absente Parocho. Sane, inquit, ea, quae dicuntur coram Parocho non sunt sumenda materialiter ut sonant, sed iuxta regulas rectae interpretationis, et si aliter interpretandum esset, Ecclesia matrimonia sustineret, de quibus constaret esse sine intentione, quod in contractu matrimoniali dissonum prorsus est.

Insuper addit orator, etiamsi ex difficultate a Pitonio proposita, et a vinculi defensore allata, adhuc dubium superesset, cum dubium in casu sit non facti sed iuris, non valet adagium: « in dubiis standum pro valore actus », sed aliud adagium: « lex dubia non obligat ».

Caeterum, addit orator, statutum utique in iure est, matrimonium non contrahi sine intentione sed utrum post Tridentinum hoc principium sustineatur tantum in foro interno, vel

etiam in foro externo, ita ut qui contraxit sine intentione, non valeat a matrimonio recedere, non est lex constituta, sed quaestio quam Pitonius Doctoribus proposuit disputandam. « Quae omnia tamen dixi, concludit Pitonius, per modum dubitandi, non autem decidendi, ad hoc ut si casus eveniat, materia melius examinetur ».

Ideoque urget orator, cum lex quae impediat quominus coniuges matrimonium simulantes recedere queant sit dubia, non potest in casu urgeri, ac proinde coniuges H, qui matrimonium ficte contraxerunt, liberi a quocumque vinculo declarandi sunt, eo vel magis quod bona fide culpa patrata fuit, nempe in legis et religionis obsequium seu ad eripiendos liberos a secta massonica.

Deinde patronus quamvis uti probatam habeat ex dictis nullitatem matrimonii in casu ex capite simulationis, nonnulla addit ad demonstrandum matrimonium in casu non fuisse consummatum.

Et hoc nititur demonstrare primo ex iurata partium ac testium depositione.

Tandem patronus finem imponit suae orationi, advertens adesse in casu, uti ex dictis patet, legitimas causas, quae suadent omnino dispensationem concedendam esse in casu, quatenus non constet de nullitate eiusdem coniugii ex capite simulationis.

Ex adverso vinculi defensor totus in eo est ut probet non constare in casu de matrimonii nullitate, nec indulgeri posse dispensationem super matrimonio rato et non consummato. Ad hoc probandum orator in prima parte suae orationis summam refert argumentorum quae sive pro sive contra in priori propositione allata fuere; deinde in secunda parte suae orationis novas congerit difficultates. Omissa synopsi primae partis orationis, referam tantummodo summam animadversionum, quas nunc congerit Sacramenti vindex.

Novas animadversiones triplicem in classem tribuit vinculi defensor, in quarum *prima* ea refert, quae pertinent ad germanam doctrinam canonicam de simulato matrimoniali consensu; in *secunda*, quae spectant ad practicam investigationem, num scilicet in casu consensus simulatus rite probetur; in tertia tandem, disserens de dispensatione super rato, contendit prius negativum responsum esse firmandum.

Et ad primam classem quod attinet orator, allegatis iuris principiis, demonstrat, quod illa omnia, quae consensum vitiant, matrimonium quoque per se, seu independenter etiam ab ulla positiva dispositione, nullum reddunt, unde, infert, quia consensus simulatus seu fictus non est consensus verus, sed consensus larva, luce meridiana liquet ineptum prorsus esse eum censendum voluntatibus contrahentium conciliandis, et hinc conventionem quamlibet, ac proinde matrimonialem potissimum utpote omnibus nobiliorem, per fictum consensum celebratam omni prorsus robore carere.

Nec veram censet vinculi defensor sententiam illorum qui tenent denegandam esse actionem volentibus matrimonia sua, coram Ecclesia ipsa pure et simpliciter celebrata, impugnare, adlegata simulationis causa. Ecclesia enim, ait orator, numquam id praestitit neque ante neque post Concilium Tridentinum. Unde concludit orator, tradens admittendam esse probationem simulationis, qua huius causa non improbabilis et verisimilis allegetur, iuxta doctrinam Rotae citatam ab adversario « requiri simulationem probandam saltem per causas et coniecturas urgentes ».

Gradum deinde faciens Sacramenti vindex ad secundam classem animadversionum, an scilicet in casu consensus simulatus rite probetur, breviter praemissa coniugii historia, inquit, iamvero in conspectu huius, licet brevissimae narrationis, sponte tres erumpunt interrogationes, seu: Sunt haeccine possibilia? sunt haeccine verisimilia? sunt haeccine vera?

Et orator, admissa harum circumstantiarum possibilitate, ita scribit: At si haec, quae narrantur, sunt possibilia, sunt-ne verisimilia? Huic vero interrogationi censeo respondendum, utique quoque esse verisimilia eo sensu quo verisimilia nobis exhibere potest ardens phantasia et ars mira, licet non semper probanda, eorum, qui romantici scriptores audiunt, quales nobis praesertim suppeditat schola gallica, duce Ponson du Terrail. Profecto, ea quae in casu referuntur de amoribus luxuriosis, de filiis illegitimis, de massonibus ruinam spiritualem machinantibus, de documentis prius inficiatis et postea productis, et alia plura, quibus ex necessitate parco, eiusmodi sunt, quae per romanticam evoluta phantasiam ac romantico descripta stylo portentam milesiam fabulam gignerent. Quia ergo, urget orator, haec quae nobis enarrantur, sunt eiusmodi, ut nonnisi romantica verisimilitudine gaudere rectissime censeantur, adversarii, quo nos ad ea credenda obstringant, validissimis argumentis assertiones suas probare deberent.

Sed contra est, inquit orator, nam allata hucusque argumenta inepta prorsus sunt ad ea iuridice probanda, quae tam exigua veri specie proferuntur.

Hisce praehabitis, vinculi defensor arguit ad suam thesim demonstrandam primo ex inconstantia in modo quo coniuges H. praetensam conventionem iudici enarrant. Quod argumentum validissimum est, inquit orator, nam si semper inconstantia confitentium et attestantium eis nocet, eo vel magis id verum erit in casu, quum agatur de re, quae coniuges ipsos, eosque solos, proprie actores habuit, de quibus propterea duo omni iure praesumere possumus et debemus, seu edoctissimos eos fuisse et esse quoad omnem adserti facti vel minimam circumstantiam, atque exactissimos proinde eos fuisse et esse, quando, maxime in iudicio et sub fide iuramenti, de eo deponunt; idque eo magis quod, eo facilius optatam coniugii dissolutionem consequi potuissent, si responsiones undequaque veras et plenas statim ab exordio edidissent.

Quod autem in casu confessio coniugum H. inconstantiae nota laboret, liquet, ait orator, ex diverso modo quo uterque factum conventionis enarrarunt, tunc quum prima vice de eodem deposuerunt, et tum quum postea de eodem sunt locuti.

Et reapse, si, in primo examine, ad interrog.: « Ce contrat a-t-il été fait par écrit, ou était-ce une simple convention orale? » uterque nitide respondent: « Ce contrat n'a pas été fait par écrit, c'était de notre part une simple convention orale confirmée de part et d'autre par serment ».

Quod si advocatus nitatur inconstantiae nota clientes purgare, dicendo, eos ita respondisse, quia tunc temporis, quum documentum scriptum iam fuisset laceratum, poterat haberi conventio ut conventio oralis et non scripta; haec responsio, iuxta vinculi defensorem, non cohaeret rerum naturali ordini iuxta ea quae communiter accidunt, nam uterque vel saltem alteruter circumstantiam hanc, quae gravissima fuisset et eis summopere favorabilis, indigitare poterat, auctoritatem photographi statim invocando.

Sed non solum inconstantes, sed et mendaces putat orator coniuges H. Nam, inquit, si eorum responsa in primo interrogatorio attenderis, haec reperies. Instante iudice: « Au moment de la célébration du mariage avez-vous manifesté d'une façon quelconque votre intention de faire une union purement contractuelle... » ipsi respondent: « Au moment de la célébration du mariage nous n'avons manifesté à personne la convention qui existait entre nous.... avant le mariage nous n'avons communiqué à personne notre intention de faire cette union purement contractuelle ».

Iamvero, haec haud possunt conciliari cum iis quae testatus est v. g. A., frater sponsi: « J'ai eu connaissance d'un acte écrit sur papier timbré et que mon frère nous a présenté à mon frère et à moi, c'était avant le mariage... ». Sed, quod magis est, nec possunt conciliari cum iis, quae sponsus in novo examine est fassus; nam ad interrog.: « Vos frères eurent-ils con-

naissance du contrat? Dans l'affirmative, pourquoi avez-vous omis des témoins de cette importance? » ipse respondit: « Oui, mes frères en eurent connaissance. Ce point sera aussi expliqué dans ma défense écrite ». Nec forsan subsumas, instat orator, haec verba: « en eurent connaissance », esse intelligenda, post nuptias, nam et citatus frater A. et D.na C. aperte loquuntur de contractu scripto: « avant le mariage », ergo, quum comes H. horum testimonia producat directe sibimet adversaria, facto proprio se mendacem proclamat. Quod et de eius sponsa est verum, nam v. g. D.nus C. indigitat contractum scriptum sibi ab ea ostensum: « quelques jours avant le mariage ».

Sed nec satis. Nam et aliae contradictiones in coniugibus H adnotandae omnino sunt, inquit orator, ut liqueat quam parum eis sit fidendum. Et reapse I. interrogata, quaenam fuerit eius intentio, respondet: « Nous avions mis une condition à notre mariage, à savoir la condition que je ferais tout pour lui rendre sa liberté lorsque les difficultés seraient aplanies ». Iamvero si in adserto documento, prout photographice exhibetur, hanc conditionem: « je ferais tout pour lui rendre sa liberté » exquisieris, incassum ages, nam ibi nec verbum nec vola huiusmodi conditionis est.

Quod si, addit vinculi defensor, hisce coniugum H. reticentiis, contradictionibus etc. adiungantur ea omnia dubitandi argumenta, quae veluti in globo ac in confuso superius adnotata sunt, profecto ancipitem, imo vix non incredulum, animum suum quisque prudens sentiet.

Quod si advocatus obiiciat, praesumptiones cedere debent veritati, ergo si testes fide digni testantur de contractu et quidem scripto, atque praeterea huius exhibentur photographica exemplaria, quidquid in contrarium videri poterit, erit concludendum pro adserti pacti veritate; haec obiectio haud movet Sacramenti vindicem; ipse enim, omnibus rite perpensis, quamvis censeat admitti posse ut probatum, quod extiterit documentum ita conceptum, ut nunc exhibetur, putat tamen illud non retulisse et continuisse veram conventionem inter futuros coniuges H., sed retulisse et continuisse quamdam imaginariam conventionem, utroque, seu H. et I. conspirantibus, vafre confictam.

Audax forsan prima fronte hypothesis, ait orator, sed non a vero dissimilis, quod satis superque est, ut donec ipsa evidentissima fuerit probata falsa, sit pro ea standum, et hinc repellendi prorsus sint coniuges H. instantes pro nullitate.

Hanc vero hypothesim omnino admittendam esse ita probat orator. Haec hypothesis, ait, mirifice componitur cum tela universae narrationis, qualis nobis a coniugibus obtruditur. Et reapse, si imaginaria seu ficta aliqua extitit conventio, commode explicantur factum v. g. testium, qui conventionem hanc ante coniugium viderunt... facta I. documentum ad photographum deferentis, necnon photographi illud arte sua reproducentis, atque rem in agenda notantis... factum destructionis documenti ipsius etc.

Itemque, si imaginaria seu ficta haec conventio admittitur, facile intelligitur quomodo tam inconstantes fuerint coniuges H., quum de ea coram iudice variis temporibus testarentur, nam, falsum si fuit factum ipsum in sua substantia, quid mirum quod postea fuerit mendax labrum eorum, qui falsitatis auctores fuerant? Nonne vulgatissimum est divinum adagium: *Mentita est iniquitas sibi?*

Quod si quis quaerat: *si conventio fuit imaginaria seu ficta*, cur hoc factum est? Tunc respondet Sacramenti vindex, non deesse in actis, quae mysterii latebras luce aliqua perfundant. Et reapse, inquit, ut matrimoniali nexu H. et I. copularentur, argumentum (in hac re supremum) urgebat, nempe interesse.

Et H. quidem intererat matrimonium hoc inire, quippe tunc temporis gravibus patrimonialibus angustiis pressus, ut liquet ex actis.

Nec solum H., prosequitur vinculi defensor, sed I. quoque interest matrimonium huiusmodi celebrare, quippe in H., negociorum valde, si eam audias, perito, et sibi et filiis nacta fuisset auxilium, ut liquet: v. g. ex depositione testis de C.: « Il m'a été dit que ce mariage était plutôt un mariage d'intérêt et d'affaires amené par la situation difficile où se trouvait Mme ».

At, quum hisce nuptiis conciliandis, gravissimum obstaret impedimentum, nempe sponsalicia fides, qua H. alteri I. se devinxerat, excogitatum est, astuto consilio, ait orator, de nuptiis celebrandis per simulatum consensum seu ad tempus. Nam hoc modo praesumendum erat (quod et factum probavit) I. alteri I. fore pro tempore iura sua quodammodo cessuram ac simulatas nuptias minus aegro animo passuram.

Hanc hypothesim probabiliorem putat Sacramenti vindex ex hisce duobus argumentis. Et in primis, si H. et I. reapse voluerunt contrahere solum simulate et ad tempus, quomodo eos effugit gravissimus difficultatum labyrinthus, in quem et coram Ecclesia et coram statu se intricabant, quum profecto, ut libertatem in utroque foro seu ecclesiastico et civili postea adsequerentur, multum et plurimum esset eis insudandum, et hoc certe; idque eo magis quod agebatur de re, quam facillime praevidere poterant? Accedit quod simulati non consensus sed contractus iudicia gravissima habes tum ex epistola, quam paucis diebus ante matrimonium sponsus scribebat I. quaeque tota in eo est, ut deserenda sponsa astute vano solatio et vana spe futurarum nuptiarum demulceatur: quod puella ingenua vere credidit: tum, et potissimum, ex documento scripto, quod paucis diebus ante matrimonium H. deceptae sponsae exhibuit, imo ei prae manibus reliquit, quum, certe non sine studio, illud reliquerit, ut I. valeret ipsum iterato et pro sui libitu examinare; adeo verum, ut, opportunam occasionem exinde nacta puella illud photographice exprimendum sollertissime studuerit, fidens, eheu! se in eo validissimum argumentum habere ad urgendum postea infidum sponsum.

Quod si quaerat advocatus: et tunc si simulata fuit conventio de consensu simulato praestando, quomodo explicatur, modus agendi, qui nuptias est subsequutus, nempe thorus diversus etc.? Respondet vinculi defensor: 1. in primis neminem hucusque certos nos fecisse, quod constanter sponsi H. a re maritali abstinuerint: 2. praeterea, quae supra dicta sunt de conciliatis hisce nuptiis ex interesse potiusquam ex amore, factum hoc, si et quatenus verum, explicant; ideo magis, quod I. in actis exhibetur ut talis, quae tempore initi coniugii, non multis illecebris ad thalami palaestram invitet.

Instanti vero patrono: Et tunc si, simulata fuit conventio, cur sollicitos se exhibuerunt coniuges in ea primum ostendenda ac dein destruenda? Respondet Sacramenti vindex facile utrumque explicari, seu 1. affectatam ostentationem ante coniugium, nam intererat cohonestare coram propinquis et amicis factum H. I. deserentis pro idque eo magis quod in omnium oculos insiliret harum nuptiarum absona indoles, quippe I. longe senior H. erat, imo antequam ei nuberet plurimis annis in concubinatu cum alio viro vixerat ac duodecim ex eodem viro procreaverat filios!: 2. immediatam destructionem post coniugium, quia intentus finis iam fuerat saltem in substantia obtentus.

Neque obiiciat patronus: si fuit simulata conventio, quomodo nunc in ea ponunt uterque coniux sua castra ut matrimonium impugnent? Nam respondet vinculi defensor: nihil mirum si nuptiae non ex amore, sed ex interesse conciliatae, nunc mutuo consensu seu per collusionem impetantur. Nam fortasse maioris interesse rationes suadent nunc dissociandum coniugium, quod olim rationes aliae suaserunt conciliandum: et caeteroquin, quum simulata conventio optimum argumentum eis suppeditet, quid mirum si ea usi sunt? Imo, quis nos facit certos, factum simulatae conventionis occasionem non fuisse, ut, de impetendis nuptiis coniuges H. cogitaverint, secus id non praestituri, utpote aliis argumentis carentes?

Nec movent oratorem testimonia, quae ad firmandam con-

iugium H. religionem et hinc credibilitatem exhibentur, utpote quibus nullam fidem adhibendam esse censeat.

Ceterum, inquit, omnibus compertum est: *a*) magna prudentia esse pensanda favoribilia testimonia, quae palam a parochis solent concedi, maxime instantibus ditioribus et potentioribus familiis: *b*) talia testimonia nonnisi quamdam praesumptionem inducere, quae proinde cedere debet veritati, uti in casu nostro verificatur.

Unde, urget orator, dato et non concesso, contractum non simulatum, sed verum inter H. et I. intercessisse, adhuc maneret probanda authentica subsignationis mulieris.

Tandem quod attinet ad dispensationem super rato, animadvertit vinculi defensor haud probatam haberi in casu non sequutam matrimonii consummationem, imo nec probari posse; quum, exclusa probatione ut dicunt, coarctatae non maneat nisi confessio coniugum in casu suspectissima, necnon testimonium septimae manus in casu ob adiuncta prorsus vel fere prorsus ineptum.

Hisce itaque hinc inde perpensis, Vestrae benignitati ac sapientiae placeat EE. PP., sequens enodare

DUBIUM

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

Fuit rescriptum: *In decisis.*

3760 / I

VI.

Syracusana. — Dismembrationis Paroeciae.

Agitur de dismembratione cuiusdam paroeciae. Decretum episcopale dismembrationis fuit confirmatum iuxta mentem, quae videtur versari circa dotem neo-paroeciae constituendam. Interiecta fuit appellatio.

In urbe — *Ragusa* — archidioecesis Syracusanae una tantum hactenus erecta est paroecia sub titulo *S. Ioannis Baptistae,* quae omnes cives Ragusanos amplectitur, ad triginta *millia* hodie pertingentes. Inde studium excitatum est novam erigendi paroeciam in Ecclesia succursali — *Ecce Homo,* — ast in contrarias partes illico, uti fieri solet, divisus est populus. Interim in ipso consilio Municipali res disceptanda proposita est, et ex quadraginta consiliariis Consilio conscriptis, huic deliberationi unus et viginti partem habuerunt; atque octo et decem suffragium dederunt pro imploranda ab Episcopo paroeciae divisione reliquis tribus contradicentibus. — Etiam de dote constituenda actum est; et statutum fuit, in dotem attribui lib. annuas *quingentas* (500), easdemque veluti compensare summam pecuniae olim solutae titulo *quartae funerariae* modo *abolitae.* — Quanam ratione autem fieret haec praestatio, ex *actis* satis non constat.

Archiepiscopus annuendum censuit voto municipii, novam erexit paroeciam, eique oeconomum spiritualem sacerdotem Ioannem Scrofani deputavit. Equidem die 23 Aug. 1901 hoc edidit decretum:

« Ea quae animarum pericula submovent et populo Nobis credito levamina praebent, sedulo amplectentes, supplicationibus hominum Ragusiae, urbis in Nostra Syracusana Archidioecesi existentis, porrectis per publicos Municipalium rerum inibi Curatores, inclinati, quibus dolentes Nobis exposuerunt, quod populus Ragusanus, plus aequo ad triginta tria capitum millia auctus, sub hactenus unica S. Ioannis Baptistae Parochia, cum magno incommodo quoad suscipienda Sacramenta et divinum Verbum audiendum congeritur, quod incolentes remotiores urbis oras ad occidentem vergentes, quum obstent ardua viarum, quae luto et torrentibus hieme, aestu et arido pulvere aestate faticant et laxant euntes, non possunt praesertim senes et pueri, puellae ac debiles ad unicam S. Ioannis Baptistae Parochialem Ecclesiam, absque maxima difficultate et periculo, eo potissimum si loci illius nostrorumque temporum habeatur ratio, accedere pro divinis officiis audiendis et percipiendis sacramentis; quod nec satis nec tuto provisum fuerit tantis malis et incommodis removendis per subsidiarium capellanum capellanorumque remedium; quum nihilo secius plures, in spiritualis vice huius Parochi per capellanos exhibendi servitii ratione, defectus non mediocres experti sint, quum non raro frustra quaerantur qui fidelium confessiones excipiant, aut infantibus in vitae periculo constitutis baptismum administrent, quum nonnulli sine sacramentis e vita excesserint; quod propterea quaerunt, postulant et instant ut nova per dismembrationem Parochia in templo sub titulo SS. Ecce-Homo ad remotiores praedictos incolas iuvandos erigatur, Nos ad dismembrationem et erectionem respective novae Parochiae; prout ipsi postulant, procedere statuimus.

« Idcirco facta per Nosmetipsos diligenti super expositis inquisitione, ac desuper confecto (citato et audito Rectore Parochialis Ecclesiae S. Ioannis Baptistae) processu de quo in actis, illisque plene per testium depositiones aliisque legitimis probationibus, concludenter verificatis, ut patet ex actis et relativo a Nobis hodie edito decreto, regionem illam occidentalem Ragusiae urbis, cum omnibus ecclesiis in ea existentibus, hominibus incolis et familiis ab unica hactenus Parochiali praedicta ecclesia S. Ioannis Baptistae, usi non modo nostra auctoritate Ordinaria, verum etiam a S. Concilio Tridentino (cap. IV, sess. XXI) delegata, accedente etiam consensu nostri Capituli Metropolitani, separamus, dividimus et dismembramus; et in Parochialem Ecclesiam erigimus et constituimus Ecclesiam inibi existentem sub titulo SS. Ecce-Homo, cum suo loco et districtu, habita ad rem pro termino mediana linea divisoria quae incipit a via Leggio qua haec via intersecatur a via Serra, eaque linea ducta usque ad punctum quo a parte opposita descendens via Camerina, lineam pertingens, ultimos ab eadem parte incolas, proximos contiguae valli, complectitur et signat; ita ut omnis locus et omnes aedes quae a dicta linea divisoria ad occidentem porriguntur, pertineant et pertinere dignoscantur ad novam Parochiam SS. Ecce-Homo: et e contra omnis locus et omnes aedes quae a dicta linea divisoria ad orientem porriguntur, pertineant et pertinere dignoscantur ad veterem S. Ioannis Baptistae Parochialem Ecclesiam, dantes et concedentes incolis et habitatoribus dicti loci, districtus et Parochiae novae, ut supra dismembratae, divisae et constitutae per certos limites, plenam et liberam potestatem in dicta Parochiali Ecclesia, sepulturas, coemeterium, fontem baptismalem, archivium, campanile, campanas et alia insignia parochialitatis constituendi et retinendi.

« Praeterea novae sic erectae Parochiae filialem ecclesiam SS. Salvatoris in finibus ipsius districtus existentem, in filialem ecclesiam attribuimus et assignamus.

« Acceptantes deliberationes a Municipio Ragusano initas, alteram die 13 Maii, alteram die 11 Iulii volventis anni 1901, quingentarum libellarum annuam summam ab eodem Ragusano Municipio, donec maiorem iuxta civiles leges Administratio Fundi Cultus sufficiat, solvendam ad titulum aboletorum iurium quartae funerariae; et praeter hanc summam, omnia emolumenta ad titulum exercitii Curae Parochialis et iura decimarum sacramentalium, Nos pro ipsius novae Parochiae Curati et Parochorum, deinceps eligendorum in perpetuum, sustentatione, onerum supportatione et congrua taxamus et assignamus, declarantes, sicut iure declaramus, novam Parochiam in perpetuum esse et fore liberae collationis.

« Pro exercitio autem curae in populum et utriusque sexus fideles in dicto territorio habitantes, vice futuri Parochi, donec, edito edicto et concursu ad normam Concilii Tridentini peracto, novi Parochi provisio fiat, dilectum Nobis in Christo Presbyterum Ioannem Scrofani, Nostrum Ragusiae Provicarium Foraneum, tamquam habilem et idoneum Oeconomum Spiritualem praeficimus et deputamus, et praedicto Presbytero Oeconomo Spirituali novae Parochiae, potestatem ex speciali nostro mandato committimus, ut vice Parochi mox praeficiendi et omnium in posterum praeficiendorum Parochorum, ea omnia gerat, quae ad erectionem factam novae parochiae et ad consequens universum ius novae erectae parochiae tutandum referuntur.

« Praeterea ad servandum honorem debitum veteri S. Ioannis Baptistae Parochiae, edicimus et iubemus, eidem Parochiae S. Ioannis Baptistae a novo Curato et ab omnibus in perpetuum novae Parochiae Rectoribus, nec non a quibusque quocumque titulo, parochia vacante, curam habentibus, quotannis, utpote Matrici, die solemni Paschatis esse in signum recognitionis Matricitatis, rite offerendam libram unam cerae elaboratae ».

At parochus ad S. Ioannis Baptistae appellationem apud H. S. O. instauravit et in summa, haec animadvertit adversus impetitam sententiam. — Nimirum Sacerdos Angelus Arezzi parochus Ecclesiae S. Ioan. B. exponit quod iuris canonici et Sacrae Congr. principium, in dismembratione aut divisione paroeciae tenendum est, *prius cogitandum esse de dote*, quae, si desit, ad dismembrationem paroeciae nullo modo procedi potest: *can. 1 caus. 1, q. 2, can. 26, caus. 16, q. 7: cap. 1 et 8 De Consec. Fagnanus in cap. Ad audientiam n. 31 et alii communiter.* Dos autem constitui debet ex bonis liberis, frugiferis, in perpetuum, et nomine dotis constitutis et ad parochum parochiamque sufficientibus: quod pariter est extra controversiam, ait Monacelli *Form. tom. 1, t. 2, p. 1, n. 4*; Fagnanus *l. c.*; Lotterius *De re benef. lib. 1, q. 31. n. 60*, qui citant Sacrae Rotae et SS. Congr. decisiones. Quod etiam firmatur ex ipsa definitione beneficii: *Ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasiasticis propter officium sacrum, auctoritate ecclesiastica constitutum.*

Iamvero in casu nostro non habetur dos sive pro parocho sive pro Ecclesia in paroeciam erigenda.

Lib. 500 assignatae recensentur inter expensas *arbitrarias*, seu ad nutum revocabiles: et reapse idem Municipium istam summam nunquam dedit eamque suppressit in annum 1902. — Auctoritas tutoria, ut dicitur: *La Giunta Amministrativa Provinciale*, huius summae erogationem non adprobavit, et ipsa lex municipalis hanc prohibet quia expensae ultra quinquennium vel *arbitrariae* a maiori parte ex omnibus consiliariis (in nostro casu 40) adprobari debent.

Nec tenet ratio nempe assignari summam loco quartae funerariae suppressae, quia hoc nullo modo constat, nec tollit instabilitatem assignationis. Siquidem etiam Parocho S. Ioan. iampridem summa aliqua hoc titulo fuit assignata, sed ad arbitrium diminuta fuit.

Nec sperandum est quod Gubernium supplementum, quod vocant, dotis congruae novo Parocho assignet, quia hoc tributum fuit tantum paroeciis *iam constitutis*, at pro *erigendis* requireretur nova lex. Decretum igitur divisionis *caret fundamento*, idest, dote. — Summa insuper Lib. 500 non est sufficiens pro parocho, ut fatentur ipsi Consiliarii Municipales, qui erectioni favent et ipsa, Curia Archiepiscopalis quae ad *Fundum Cultus* recurrere vellent: imo et ipse Oeconomus Spiritualis, qui conatus est dotem constituere vel supplere ex bonis suae familiae; at incassum, quippe absque Archiepiscopi adprobatione et suis fratribus acriter resistentibus. — Concordatum autem Siciliae a. 1818, beneficium parochiale reditus L. 850 habere iubet, et ipsum Civile Gubernium reditus L. 900 hodie parochis congruos et necessarios recognoscit.

Praeterea ipsa Ecclesia *Ecce-Homo*, quae erigenda esset in paroeciam, dotem habet L. 203,97; et haec summa erogari deberet pro fabrica, pro oneribus Missarum, pro sacris supellectilibus et functionibus, pro sacrarii custode, aliisque clericis: imo et pro Coadiutoribus Capellanis! Nec adest domus parochialis ita, ut parochus longe ab Ecclesia habitare cogatur.

Incerta parochialia pro tota civitate Ragusa non superant L. 200, quia deducuntur tantum ex matrimoniorum solemnitatibus.

Deinde Orator observat quod Gubernium Civile decretum divisionis paroeciae non adprobavit, quia dos pro novo parocho non est sufficiens, nec perpetua, et assignatio a Consiliariis Municipalibus facta est invalida: et quia dos qua fruitur Ecclesia non est sufficiens, neque habetur domus parochialis; denique non adest ulla ratio innovandi statum paroeciae.

Ad causas canonicas deveniens quibus dismembrari aut dividi potest paroecia, Orator adnotat quod omnes canonistae communiter assignant distantiam, et magnum incommodum, ex cap. *Ad audientiam* Alexandri III et ex Conc. Trid. sess 21 cap. 4 *De Reform.*

Quoad distantiam iuxta H. Ipsam S. C. sufficiunt *duo* milliaria, in *Ariminensi, erect. paroec. 18 iun. 1789. Placentina, dismembr.* 18 maii 1791: sed non sufficit *unum milliarium*, ut centies declaravit H. S. C. ac praesertim in recentioribus *Lancianen.*, 18 nov. 1847, *Novarien., dismembr. 12 aug. et 18 nov. 1847:* in hac ultima agebatur etiam de via non secura: cf. Fagnanus *l. c. n. 23.*

Iamvero in casu nostro omnes domus in civitate — *Ragusa* — non distant a paroecia S. Ioannis B. dimidia parte milliarii et nonnullae tantum uno milliario, at certe non amplius, ut constat ex charta topographica, quae allegatur, et ex relatione quatuor peritorum. — Ecclesia *Ecce-Homo*, erigenda in paroeciam, ita parum distat ab Ecclesia parochiali S. Ioannis B., ut in hac nemo praedicare valeat, quando pulsantur campanae illius Ecclesiae *Ecce-Homo*, uti affirmant periti. — Citata iura autem et Canonistae explicant incommodum *accessus* ad paroeciam, et inde causa habetur dismembrationis: et unanimiter docent quod sit *magnum*, h. e. quod adsint torrentes, vel flumina, absque pontibus, vel viae asperrimae etc. *Fagnanus l. c. n. 19*; *De Luca Adn. ad Concil. Trid. Discept. 16. n.* 2; *Barbosa De Off. et Pot. Ep. all. 68, n. 2*; et H. S. C. denegavit dismembrationem in *Lucen.* seu *Sarzanen.* 27 sept. 1792 licet adessent *dos aliaque necessaria*, et viae essent ita *arduae et asperae ut nec missae secundum praeceptum interesse, nec fidei rudimenta a parocho recipere possent, et aegroti saepe decederent absque extrema sacramentorum expiatione:* et in *Novarien.*, 17 maii 1749, *quamquam deruptissimae essent viae, ita ut in ecclesiam paroecialem in monte positam, praesertim hiemali tempore, nedum pueri et senes, sed et iuvenes robustiores aegre se conferre possent:* et alibi pluries.

In casu nostro viae omnes sunt lapidibus stratae, aquaeductis munitae, et fere semper planae et currui perviae, praesertim illa, quae ab Ecclesia *Ecce-Homo* ducit ad Matricem, quaeque proinde vocatur *Maestra.* Quod autem quaecumque difficultas accedendi absit, probatur ex eo quod oeconomus Spiritualis Ecclesiae *Ecce-Homo*, coadiutores et cappellani habitant in paroecia S. Ioannis B. et in parte remotiori ab Ecclesia *Ecce-Homo.* Pariter id constat ex relationibus peritorum et ex ipsis viarum *photographiis*, quas Parochus S. Ioannis. B. attulit. Ipsum Consilium Municipale decretum emanavit, prohibens ne defuncti prouti mos erat, afferrentur ad matricem propter ipsius matricis decorem, sed iussit ad Ecclesias succursales afferri. Pars ipsa adversa testatur quod in Parochiali Ecclesia S. Ioan. B. frequentissimus est populus. Et Auctoritas Civilis imposuit hoc anno parocho S. Ioan. B. ducere processiones per totam Urbem Ragusa, more solito; « *ad evitare i malumori di tutta la popolazione e i di-*

sordini che si temevano », ut ait. Haec omnia demonstrant non adesse ullam difficultatem accessus ad paroeciam S. Ioannis B.

Pars adversa, prosequitur Parochus, exhibet nonnulla testimonia, ex quibus videretur, quod quidam infans mortuus est absque baptismo, et alius infirmus absque sacramentis. Sed praeterquamquod agitur tantum de periculo, quo fuit infans ille moriendi *absque caeremoniis*, et infirmus *absque adsistentia* sacerdotis, ut luculentissime patet ex attestationibus parentum: ipse Oeconomus Spir. *Ecce-Homo*, testatur impossibile esse quod infantes *Ragusae* moriantur absque baptismo, quia levatrices consuetudinem ministrandi private baptismum habent. Paroecia autem S. Ioannis B. habet quatuor succursales Ecclesias, in quibus explicatur Evangelium et Doctrina Christiana singulis diebus festis, habetur fons baptismalis, administrantur omnia sacramenta, non excepta communione paschali, et viaticum, celebrantur omnes functiones, etiam hebdomadae sanctae; ibique deferuntur defuncti et funera celebrantur. Insuper adsunt *Ragusae* 15 cappellani coadiutores, praeter Parochum, et alios 45 sacerdotes.

Nec refert, quod numerus parochianorum sit 32.000, quia in iure *solus* numerus parochianorum non est causa sufficiens dismembrationis paroeciae: ita communiter Doctores, et H. S. C. in *Messanen. 9 maii 1840* ubi legitur: « Verum admonent doctores, *ob solum parochianorum numerum, etsi exorbitanter sit auctus* in eodem loco Ecclesiae parochialis, ad subsidiarium dismembrationis remedium non deveniri, cum succurri possit semper per unius vel plurium vicariorum deputationem ».

In facto autem anno 1899 numerus parochianorum fuit 34 millia, et coadiutores parochiales erant decem, sed nemo dismembrationis necessitatem sentiit aut postulavit; hodie iste numerus valde diminutus est et adsunt 15 coadiutores parochiales. Adverte insuper quod tot parochiani degunt in parvo territorio, ut patet ex topographia. Et parochiae ita populosae sunt frequentes in Sicilia; v. g. Vittoria et Comiso, prope Ragusam, numerant fere 30 millia parochianorum, et in Catania nonnisi una paroecia adest.

Adversa pars confugit, observat Parochus, ad maiorem utilitatem Ecclesiae. Sed respondetur, non quamlibet utilitatem sufficere ad dismembrationem paroeciae, sed requiri *evidentem et absolutam utilitatem* ut notat Van-Espen, *Iur. Eccl. Univ. part. 2, tit. 2, cap. 2. § 24*, et pluries definivit H. S. C. Haec vero utilitas non habetur, ut patet ex Epist. Archiepiscopi ad Vicarium foraneum post sacram visitationem, in qua scribit: « Lo slancio dell'affetto, l'entusiasmo, la vita religiosa di questo popolo, mi ha commosso vivamente e lasciato nel mio cuore la più viva impressione ». Immo dismembratio causa est discordiae et divisionis in clero et populo, fons litium propter pias fundationes, functiones ac processiones etc. ut factum fuit hoc anno.

Nec parvi ponderis sunt maiestas et decor Ecclesiae S. Ioannis B. quae decoratur nomine Cathedralis et Basilicae, et residentia esse deberet ipsius Archiepiscopi Syracusani per plures menses in anno. — De Luca in adnot. ad C. Trid. Discept. 16 notat expresse quod ista est causa denegandi dismembrationem. Item votum fere totius cleri et populi necnon votum omnium sacerdotum, procuratorum et incolarum paroeciae erigendae, est sane maximi momenti. Quod si desit votum aliquorum consiliariorum municipalium, ipsiusque pro tempore Syndaci, et cuiusdam societatis opificum, sciendum est, illos placitis socialistarum favere nec ratione boni Ecclesiae moveri, ut pluribus argumentis probari posset.

In *Messanen.*, *dismembr. 9 maii 1840* legitur: « Nemo nescit, qui vel a limine sacros canones salutaverit, beneficiorum dismembrationem in iure esse *odiosissimam* quippe quae alienationem sapiat, aiunt Abbas ad Cap. *Ad audientiam*, Lotterius, De re benef. cap. 31, q. 28, n. 4 etc. et S. Rota *recent.* p. 7 dec. 68 n. 1. — Hinc nonnisi in subsidium ac *gravissimis potentibus causis*, quae sunt urgens necessitas, vel evidens Ecclesiae utilitas, permittendam esse docent, iuxta can. 52, caus. 12, q. 2, cap. 2, caus. 10, q. 2, cap. 1, *De rebus eccl. non alien.* S. Rota pluries, praesertim cum de parochialibus sermo est: *Nihil enim magis alterat ecclesiarum praesertim parochialium statum, quam divisiones seu dismembrationes*, ut ait Lot. l. c.

Iamvero si, ut in casu nostro, non adest dos, non adsunt causae canonicae, nulla adest utilitas, e contra plura et gravia incommoda oriri possunt, dismembratio Ecclesiae par. S. Ioannis B. perquam odiosissima fieret, et ideo non concedenda.

Ex adverso patronus qui contendit sententiam Curiae Archiepiscopalis Syracusanae confirmandam esse, quaestionem sub duplici respectu considerat iuris, nempe et facti. — Sub primo respectu patronus appellat tum ad Decretalem celeberrimam Alexandri III « *Ad audientiam nostram* » (Lib. 3. Decret. Tit. 48 « De Ecclesiis adificandis »), tum ad decretum Trident. Cap. 4, Sess. XXI. In citata Decretali haec habentur: « *Ad audientiam nostram noveris pervenisse quod villa quae dicitur H. tantum perhibetur ab Ecclesia parochiali distare ut tempore hiemali, cum pluviae inundant, non possint parochiani sine magna difficultate ipsam adire: quia igitur dicta Ecclesia dicitur reditibus abundare quod praeter illius villae proventus minister illius valeat sustentationem habere, mandamus quatenus si res ita se habet, Ecclesiam ibi aedifices, et in ea sacerdotem sublato appellationis obstaculo ad praesentationem rectoris Ecclesiae maioris cum canonico fundatoris adsensu instituas, ad sustentationem suam eiusdem villae obventiones ecclesiasticas percepturum: providens tamen ut competens in ea honor pro facultate loci Matrici Ecclesiae servetur .... Si vero persona Matricis Ecclesiae virum idoneum praesentare distulerit, vel opus illud impedire voluerit, tu nihilominus facias idem opus ad perfectionem deduci et virum bonum, appellationis cessante refugio, instituere non omittas* ». In praedicto Cap. IV Concilii Tridentini ita statuitur: « *Episcopi etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati in omnibus Ecclesiis parochialibus vel baptismalibus in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios ad quos pertinet sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum. In iis vero in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias etiam invitis rectoribus iuxta formam Constitutionis Alexandri III quae incipit « Ad audientiam » constituere possint* ».

Igitur iuxta leges expositas duae sunt causae dismembrationis, scilicet, *distantia* vel *aliud impedimentum quo fideles non sine gravi incommodo ad Ecclesiam parochialem accedere possunt.* Notat Fagnanus (Capit. « Ad audien. ») hoc impedimentum undecumque provenire posse, et Tridentinum *alternative* locutum esse, nempe ob locorum distantiam sive difficultatem, ita ut alterutrum sufficiat.

Ulterius Tridentinum Concilium duos casus fingit primum quod ita populus sit numerosus ut parochus per se illum gubernare nequeat, alterum quod propter distantiam loci vel aliam difficultatem fideles difficillime ad parochiam accedere possunt. Primo in casu coadiutores parocho adiungendi sunt, altero in casu parochia absolute dismembranda est. (Bouix « De Parocho » P. 2 Cap. 4. prop. 6). Etenim si nequeat Episcopus novam parochiam, dismembrata antiqua, erigere nisi in casu quo satis consuli non possit parochianis nimium distantibus per capellam vel vicarium apud ipsos commorantem, vix videtur quandonam dismembrationi locus esse possit, ut ait Bouix loco citato. Ita etiam sentit Pignatelli Tomo 4 Consult. 230 N. 9; ita Van-Espen Ius Eccl. Univers. P. II, Sec. II, Tit. II, Cap. III, N. 30. Verum

etiamsi Tridentinum Concilium statuerit coadiutores parocho esse adsignandos propter magnum numerum parochianorum, tamen Romani Pontifices ita interpretati sunt Tridentinam legem *ut quoties parochianorum numerus 30,000 excedat, ipsis per novae parochiae erectionem consulatur.* Patronus recolit Constitutionem Pii VI. « *Quod aliquantum, diei 10 martii 1791* » qua Pontifex declarat, parochias vires unius parochi excedere cum sexmille parochianos *contineant*, ac iubet novam parochiam erigi.

His theoretice constitutis patronus notat, *hodiernam iurisprudentiam* quam maxime parochiarum divisionibus favere, qua in re plures citat Sacrae Congregationis Concilii decisiones, ita v. g. in *Aquinaten. 17 Martii 1827*; in *Comen.* 5 dec. 1750; *Nolana* 3 febr. 1758, etc. Plura etiam habentur exempla dismembrationum propter populi numerum, ut videre est in *Sypontina*; in ista causa *diei 25 Jan. 1879* in qua duae causae afferebantur dismembrationis, nempe distantia quae non excedebat unum milliarium, et auctus numerus 20,000 incolarum. Imo iuxta hodiernam iurisprudentiam non solum propter Ecclesiae necessitatem, sed etiam propter fidelium *tantummodo utilitatem* ad parochiarum divisionem devenitur.

His constitutis *in iure*, patronus *ad facti* quaestionem descendens sibi probandum assumit 1. in casu canonicas adesse causas quibus ad parochiae S. Ioannis Bapt. in civitate Ragusana divisionem deveniatur; 2. Archiepiscopum in hac divisione peragenda iuxta iuris praescriptiones processisse. — Quoad primum patronus sese refert ad Archiepiscopi Syracusani sententiam in qua huiusmodi causae iuxta allata documenta describuntur. Et primo quoad statum viarum refertur, vias difficiles esse per totum districtum parochiae erigendae usque ad parochiam S. Ioannis Bapt.: adeo ut hieme ob profundissimum lutum viarum, et aestate propter pulverem, sub aestu solis, oculis et faucibus infestissimum, sine magna difficultate incolae ad ecclesiam S. Ioannis Bapt. accedere non possint. Quoad distantiam, ex remotiore supra memoratae regionis parte usque ad ianuam principalem Ecclesiae parochialis S. Ioannis, distantia viarum intercedit quae non longe abest a milliario; quae plurimi facienda sunt, non solum quia ex decisione S. Cong. Conc. *diei 25 ianuarii 1879 in Ianuen. Dismembrationis*, minor distantia milliarii ad dismembrationem obtinendam sufficit, sed etiam attenta indole fidelium in civitate Ragusana quae ad extremas Italiae meridionalis oras pertinet. Addatur hactenus in una parochia *triginta tria millia incolarum contineri.* Nec ad capellanorum subsidiarium remedium recurrendum est. Nam praeterquamquod hoc *contra Tridentini Concilii dispositionem esset*, Archiepiscopus testatur experimentum cappellanorum quindecim in parochia S. Ioannis constitutorum ostendisse tale remedium in *casu esse omnino insufficiens*, quodque iurata testimonia pluribus documentis rite redactis ac in actis causae extantibus ostendunt.

Advertit Archiepiscopus Ecclesiam *Ecce-Homo* bene instructam esse, eiusque redditus ad libellas 300 pertingere. Praeterea advertere praestat, facta divisione, novam parochiam continere 13,485 parochianos; veteri autem parocho superesse numerum 19,099 incolarum.

Animadvertit deinde patronus ad subscriptiones quae adversariis contra novae parochiae erectionem exhibentur vel falsas esse, vel dolo obtentas. In specie quoad subscriptionem « *Delle Dame di S. Vincenzo* » notat patronus, maiori ex parte has ad praedictam congregationem non pertinere; ex mulieribus quae subscripserunt alias neque in civitate Ragusana domicilium habere, alias nec ad *annum aetatis quintum* pertigisse; dum mulieres congregationis Sancti Vincentii vix sexaginta numerantur, in subscriptione adversariorum ad numerum 106 pertingunt. — Exhibet patronus subscriptionem 26 sacerdotum civitatis Ragusanae, qui enixe rogant ut Archiepiscopalis sententia confirmetur. Nec desunt in actis subscriptiones favore dismembrationis; sed notat patronus, fideles monitis Archiepiscopi obsequentes a quaerendis subscriptionibus abstinuisse. Demum ait patronus, non esse praetermittendum, ecclesiam matricem S. Ioannis Bapt. non plusquam tria millia fidelium continere posse, ita ut non sine pudoris offensione in maioribus solemnitatibus tanta populi multitudo ibi congeratur. Concludit inde patronus in casu canonicas adfuisse causas quibus propter animarum utilitatem ad divisionem Parochiae S. Ioannis Bapt. procederetur.

Postremo patronus ostendit, Archiepiscopum Syracusanum solemnitates iuris servavisse in divisione parochiae peragenda. Ipse enim consensum canonicorum unanimem habuit; sententiam non solum a parocho S. Ioannis Bapt. petiit, sed etiam a sex procuratoribus eiusdem parochiae, ex quibus tres pro erigenda, tres vero pro non erigenda nova parochia votum tulerunt. Populus etiam per legitimos suos curatores ut patet ex deliberatione municipali diei 6 februarii 1901 votum cum instantia pro erigenda nova parochia tulerat. Insuper omnia acta modo iudiciali confecta sunt; procuratores utriusque partis sunt constituti, eisque datus est terminus ad documenta exhibenda, ad discussionem definitivam faciendam. — Ulterius congrua 500 libellarum annuarum a consiliariis municipalibus, habitis comitiis die 13 maii 1901, tribus tantummodo abstinentibus, assignata est, donec « *non ne assumerà l' incarico l' amministrazione del Fondo per il Culto a termine dell' art. 28 N. 4 della Legge 7 luglio 1866 Numero 3036 e dell' art. 1 della Legge 4 giugno 1899 N. 191* ». Haec congrua, ut notat Archiepiscopus, est *certa, perpetua* et *sufficiens*; *certa* quia exhibet summam 500 libellarum annuarum parocho solvendam; *perpetua* quia municipium Ragusanum illam solvere tenetur ex iustitia ob titulum legalem aboletorum iurium quartae funeralis, donec administratio *Fundi Cultus* maiorem congruae summam rependat; *sufficiens* sicut eadem summa sufficiens pro parocho S. Ioannis Bapt. recognoscitur, et etiam quia alia emolumenta parochialia addenda sunt quae medium reditum minorem libellis 400, duce experientia, praestare nequeunt. Tandem limites novae parochiae iam definiti sunt ut ipse Archiepiscopus testatur. Postremo tandem ad quamcumque contentionem circa congruae assignationem vitandam, oeconomus novae parochiae « *Ecce Homo* » ad Archiepiscopum Syracusanum et ad hanc S. Cong.nem declarationem misit, qua se obligat ad *constituendam praedictam dotem* in proprio praedio « *Giubiliana* » quod in Ragusae territorio reperitur.

Finem orationis suae imponit patronus notando iam a die 24 augusti anni 1901 Archiepiscopalem sententiam divisionis executionem habuisse. Parochia enim « *Ecce Homo* » per sacerdotem oeconomum regitur, et quidem independenter omnino in omnibus a parochia S. Ioannis, et ut Vicarius foraneus et Syndicus testantur, omnia bene procedunt sine turbis, sine dissidiis, imo maxima cum populi laetitia et utilitate.

Modo dignentur EE. PP. sequens diluere

DUBIUM

An sententia curiae Archiepiscopalis Syracusanae sit confirmanda vel infirmanda in casu.

E.mi Patres rescripserunt: *Decretum esse confirmandum et ad mentem.*

2556/44

VII

Nullius S. Luciae. — Iuris conferendi Ordines seu dandi dimissorias.

Declaratur Abbati, S. Luciae non competere

ius dandi dimissorias ad Ordines; simulque ex gratia hoc hodierno Abbati permittitur.

Iam ab aetate Friderici II Imperatoris sub a. 1206 civitas — S. Lucia — quam iste in sui commorationis sedem elegerat erecta fuit, uti traditur, in *Abbatiam nullius dioeceseos* atque in *Regiam Capellam*. Ferunt vero *Abbatiam nullius dioecesis* erectam fuisse ab Imperatore Friderico per auctoritatem *legati a latere* quam sibi vindicarunt Reges Siciliae ob celebrem et adeo controversam Regiam Legatiam seu Monarchiam Siciliae.

Abbatia habita est uti vere *nullius dioeceseos* utpote distincta a confinibus dioecesibus, nempe Liparitana, Pactensi et Messanensi. Inde Abbati attributum esse dicitur ius conferendi S. Ordines, nimirum, si ipse episcopatus ordine polleret, secus dandi dimissorias ad *quemcumque Episcopum*. Haec iura Abbati vindicata et solemniter recognita fuerunt, inter alia, per regium decretum *diei 4 Iunii 1819*.

Verum quia ex eiusmodi more dandi *dimissorias*, graves visi sunt exoriri abusus; nempe in Abbatia nimio excrevisse clerum, clericos autem sacris initiandos neque scientia neque virtutibus praestare in sacerdote requisitis, quippe in Abbatia non est constitutum Seminarium clericorum, Episcopi viciniores querelam apud S. Sedem moverunt, et eo magis rem non amplius tollerandam esse arbitrati sunt, quia re perpensa, eiusmodi ius *dandi dimissorias* revera non competit Abbati cui titulus a S. Lucia.

Hic percontatus ut sua iura deduceret, per constitutum procuratorem haec deducit.

In primis advocatus recolit legem tridentinam Sess. 23, cap. 10. De ref. (*ibi*): « Abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum, *intra fines alicuius dioecesis consistentibus*, etiamsi nullius dioecesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre: nec ipsi Abbates, et alii exempti aut Collegia, vel Capitula quaecumque, etiam Ecclesiarum Cathedralium, litteras dimissorias aliquibus Clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant: sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quae in huius sacrosanctae Synodi decretis continentur, ad Episcopos, *intra quorum dioecesis fines existant*, pertineat: non obstantibus quibuscumque privilegiis, praescriptionibus, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus ».

Contendit vero patronus, hanc legem non afficere Abbatiam S. Luciae, quippe non *intra fines alicuius dioecesis consistit* sed ait esse *vere nullius* et *extra fines cuiuscumque dioecesis*.

Proinde infert advocatus, Abbati S. Luciae suffragari saltem *immemorabilem consuetudinem*, quae tantummodo non iuvat Abbatias positas *intra fines* alicuius dioecesis, et asserit, negari non posse iam a *septem* saeculis usque ad nostram aetatem *dimissorias* dedisse. Deinde rerum historiam ita refert: « Che l'Abbate di S. Lucia avesse il privilegio di ordinare i suoi chierici anche in *sacris*, se Vescovo, o concedere dimissoriali *pro quocumque episcopo*, lo si prova splendidamente dai privilegi concessi ai Cappellani Maggiori dei Re di Sicilia, come risulta dagli indulti di Sisto IV, Innocenzo VIII, Alessandro VI, Giulio II e Leone X e confermati pel Regno di Napoli e delle due Sicilie da Benedetto XIV colla Costituzione *Convenit*, Luglio 1741 e susseguente *Motu proprio*, « *Cum Alias* », del Novembre dello stesso anno, nei quali si leggono precisamente queste parole: che il Cappellano Maggiore possa ordinare i suoi chierici, e non essendo Vescovo od essendo legittimamente impedito, possa farli ordinare a *quocumque episcopo*.

« E i Re di Sicilia erano Legati *a latere* del Sommo Pontefice, e come tali emanavano leggi ecclesiastiche senza necessità di ulteriore conferma della S. Sede: « Siciliae Principes, dice il Balsamo (*Inst. Iuris lib. 1, tom. 2*) cum gaudeant privilegio Apostolicae Legatiae, leges ferre in provinciam possunt suae legationis in clericos atque ecclesias, et causas ecclesiasticas iudicare: perinde possunt punire, excommunicare, aliaque, quae ad legatorum iurisdictionem spectant peragere ».

« Con tale autorità Federico II Imp. eletta S. Lucia a sua sede, la staccò completamente dalle diocesi di Lipari e Patti e l'innalzò ad Abbazia *vere Nullius* e a Cappella Reale.

« Carlo I d'Angiò, impadronitosi del Regno di Sicilia, anch'egli in qualità di Legato *a latere* confermò l' indipendenza di questo R. Cappellano Maggiore di S. Lucia del Mela ». (Rocco Pirri l. c. fol. 778).

« Quando nel 1675 l'Arcivescovo di Messina mosse questione intorno alle facoltà esercitate dall'Abbate di S. Lucia, il Giudice fu lo stesso Sovrano, nella sua qualità di Legato *a latere*, e diede ragione all'Abbate di S. Lucia, con decisione dell'anno 1676.

« Nè si dica che la Costituzione Benedettina si riferisca solo al Cappellano Maggiore di Napoli in occasione delle contese giurisdizionali tra il Cappellano Regio e l'Arcivescovo di Napoli.

« Poichè Benedetto XIV non creò nuovi diritti ai Cappellani Maggiori e non fece che conservare quelli già concessi da Sisto IV, Innocenzo VIII, Alessandro VI, Giulio II e Leone X, i quali tutti concessero ai Cappellani Maggiori dei Re di Spagna, di Sicilia e di Napoli questo privilegio.

« Perciò il Rocco Pirri, dopo avere descritto le prerogative e i privilegi dell'Abbate di S. Lucia conclude che questo Prelato godeva degli stessi privilegi che godevano i Cappellani Maggiori di Spagna e di Napoli « hae itaque series... inde apparent quae sint officia maioris Cappellani propria, ea quidem omnia quibus in Hispania et Neapoli etc. Maiores Cappellani fruuntur ».

« Nè ha maggior valore un'altra obiezione, cioè che i Cappellani Regi di Caserta e di Portici ottennero questo privilegio per concessione particolare pontificia. Oltrechè i detti Cappellani non sorsero che nel 1700 ai tempi di Carlo II d'Angiò, quando cominciarono i Cappellani Maggiori di Napoli, è da ritenersi che fossero Cappellani minori. Che se l'ottennero essi, molto più dovea goderne un Cappellano Maggiore. Nè essi potevano vantare alcun privilegio antico confermato da una consuetudine tante volte secolare ed incontestata, come l'Abbate di S. Lucia del Mela. Il Cappellano Maggiore di S. Lucia fu istituito dai Re di Svevia quali legati *a latere* e confermato nei suoi privilegi il 4 Giugno 1818 sopra citato.

« Il quale Regio Decreto faceva seguito ed era un'opportuna ed immediata legale interpretazione del Concordato fra il S. P. Pio VII e S. M. Ferdinando I Re del Regno delle due Sicilie, promulgato il 21 Marzo 1818. In esso si legge: Art. 1. Tutti gli articoli del Concordato saranno puntualmente e religiosamente, di parola in parola, osservati ed eseguiti in tutto il nostro Regno delle due Sicilie dal dì della pubblicazione della presente legge... Articolo 76. La Curia del Cappellano Maggiore e la sua giurisdizione si conterrà nei limiti della Costituzione di Benedetto XIV che comincia *Convenit* e del susseguente *Motu proprio* dello stesso Pontefice sul medesimo oggetto ». E negli art. 31 e 32 si ordina che le disposizioni del Concordato vengano a sostituirsi a tutte le leggi, ordinazioni e decreti emanati nel Regno delle due Sicilie in materia di religione da osservarsi in tutte le chiese di tutti i domini del Regno ».

In actis autem proferuntur *novemdecim* attestationes redditae vel ab Archiepiscopo Messanensi vel ab Episcopo Liparensi vel ab Episcopo Pactensi de collatis ordinibus vi litterarum dimissiorialium ab Abbatibus S. Luciae datarum: ultima attestatio pertingit *ad a. 1872*.

Ad haec, advertit advocatus, Abbatem S. Luciae alia obtinuisse privilegia, veluti ius *visitandi dioecesim*, celebrandi *synodum dioecesanam*, dispensandi *super interstitiis;* quae privilegia facile persuadent, haec disiuncta certe non fuisse a iure dandi *dimissorias*.

Demum quia opponitur Constitutio Apost. — *Suprema* — Pii IX a. 1864, quasi haec abolevisset omnia huiusmodi privile-

gia utpote temporum adiuncta mutata erant, respondet advocatus hoc nullimode probari; et privilegia Abbatis S. Luciae abolita dici non posse, uti abolita non fuerunt privilegia Abbatis *Montiscassini*, *SS.mae Trinitatis Caven.*, *S. Martini in Cimino* etc. Item opponuntur litterae. « *multis gravissimis* » eiusdem Pontificis, sed reponit advocatus.

« In questa Lettera, che si vorrebbe opporre, si stabilisce, che in sede di appello l' Arcivescovo di Messina, quale Delegato Apostolico, possa giudicare le cause che si agitano dall'Abbate di S. Lucia, „ *qui iurisdictionem quasi episcopalem in uno seu pluribus oppidis vel locis nullius dioecesis provinciae Messanensis exercet*, e soggiunge : *Per praemissa autem non intendimus eidem Abbati S. Luciae quidquid novi iuris tribuere...* " ». Unde infert orator, per has litteras neque aliquid novi datum fuisse, neque aliquod ius iam quesitum fuisse ablatum.

Postremo loco procurator a Beatissimo Patre *subordinate* petit benignam privilegii concessionem. Videlicet si non videatur ex dictis satis probata antiqua privilegii possessio, efflagitat ut hodie omnia removeantur dubia per novam privilegii concessionem. Et animadvertit procurator:

« E il novello Vescovo, amministratore dell' Abbazia di S. Lucia, è un personaggio che alla nobiltà della nascita e del censo, aggiunge una pietà singolarissima e una dottrina non comune; quindi anche personalmente merita ogni considerazione e favore. ». Refert, praeterea, patronus, nominationem et institutionem Abbatis privative hodie spectare ad S. Sedem.

Ex adverso sententia exquisita est Archiepiscopi Messanensis qui haec retulit:

« Sono a tutti noti ed evidenti i mali ed i danni, di cui la Sicilia fu miseramente afflitta a causa della Legazia Apostolica e per essa venne avvilita l' autorità dei Vescovi con sommo danno dei loro diritti e con gravissimo pericolo delle anime. In virtù della pretesa Legazia Apostolica si costituirono i così detti Cappellani Maggiori, ai quali gradatamente si sottomisero dei territorî con facoltà ad esercitare giurisdizione esente dell' autorità dei Vescovi, non solo sulla famiglia reale, ma benanco su tutte le persone ivi domiciliate siano pure Sacerdoti od ordinandi.

Il Sacrosanto Concilio di Trento ravvisò le tristissime conseguenze delle ordinazioni conferite dai Prelati con territorio separato e li obbligò, col citato Capo, a fare ordinare i loro Chierici dai Vescovi, nel cui territorio trovasi la prelatura, *non ostante qualsiasi privilegio, prescrizione e consuetudine, sia pure immemorabile.*

Nè sembrami potere il Prelato di S. Lucia trarre argomento a favore dell' asserto privilegio dalla Costituzione *Convenit* di Benedetto XIV in data 6 luglio 1741 e susseguente *motu proprio — Sum alias* di novembre stesso anno.

Tali disposizioni richieste da Carlo III per dare termine a tutte le gare e discordie sorte per gli abusi dei Capellani Maggiori e limitarne le facoltà, riguardavano la Cappella Reale di Napoli, tanto che per poterne godere le Regie Cappelle di Portici e di Carlomaliopoli, o sia di Caserta, fu necessaria altra speciale grazia, che il Santo Padre concesse con venerato Rescritto della Segreteria dei Memoriali in data 5 gennaio 1754.

« Perciò nel Concordato di Terracina del 16 febbraio 1818 si tratta in numero singolare della Curia del Cappellano Maggiore e della sua giurisdizione da doversi contenere nei limiti della Costituzione e *Motu proprio* Benedettini ».

« Ecco perchè per reintegrare l'Abbate di S. Lucia, si ritenne necessario un altro Decreto Reale, che fu emesso li 4 giugno 1818, dopo cioè circa quattro mesi del Concordato suddetto; ma non si ebbe cura nel contempo ad implorare, come si era fatto per le sopracitate Chiese di Napoli, la grazia del Sommo Pontefice per l'estensione dei privilegi quivi in vigore: in modo che se il Prelato n'esercitò, agì abusivamente in base a facoltà meramente attribuita dal Decreto contro le prescrizioni del Tridentino ».

« Nè può a mio parere ricorrere il Prelato, con successo, all'espediente di accertare il privilegio col possesso di fatto del supposto diritto: « Talis possessio acquiritur per eiusmodi iuris usum, accedente scientia et patientia illius ad quem pertinet resistere actui ». Schmalzgrueber Tom. III, § 1. De poss.

« Intanto dai documenti prodotti dal Vicario Capitolare, dal 1652 al 1847 non risultano che quattro casi di ordinazione con lettere dimissoriali rilasciate da quel prelato, nei quali uno solo in persona di un Accolito Luciese ordinato dall'Arcivescovo di Messina al 1847, quando quivi esisteva ancora il Tribunale costituito sul finire del secolo passato per arbitrio dell'autorità civile ed anche indipendente dal tribunale di Monarchia in Sicilia: e per cui avrebbe avuto l'Arcivescovo a temere gravi danni se, invece di tollerare per quella volta, la manomessione del suo diritto, si fosse colla negativa opposto al Decreto Reale del 4 giugno 1818 ».

« Ma sia pure che potevasi allora discutere sui diritti più o meno legittimi acquisiti dal Cappellano Maggiore della Monarchia e sull'esistenza o meno del possesso di fatto in onta al Tridentino ancora pienamente in vigore, sembrami però potersene fare a meno oggi dopo la Lettera Apostolica *Suprema* del 28 gennaio 1864. In essa il Sommo Pontefice Pio IX, accennando alla pretesa Monarchia, che fu la sorgente della concessione della quale trattasi sembrami aver chiaramente fatto rilevare il concetto che, quantunque si trattasse di concessioni fatte altra volta dalla Santa Sede per cause legittime, si dovrebbero rivocare ed abolire del tutto *essendo mutate le condizioni dei tempi e delle cose*, e l'esperienza dimostrando che nacquero e nascono gravi danni da tali concessioni e che sono causa di corruttele e di abusi, che grandemente nocciono alla salute delle anime. Per cui conchiuse non potersi per debito del ministero Apostolico sopportare e tollerare più a lungo ed *in nessun modo* tanti mali e corruzioni, nè permettere che, *col pretesto* dei *privilegi della Monarchia*, la dignità dell'ordine ecclesiastico sia indebolita e spenta. E coll'altra lettera Apostolica *Multis gravissimis*, di pari data, nel destinare l'Arcivescovo di Messina Delegato Apostolico nelle cause di appello dalle sentenze emesse dall'Abbate di S. Lucia, « qui iurisdictionem *quasi Episcopalem*, in uno seu pluribus Oppidis vel locis nullius Dioecesis Provinciae Messanensis exercet » soggiunse: « Per praemissa autem non intendimus eidem Abbati Sanctae Luciae quidquam novi ipsi tribuere ». Finalmente poi tale Prelatura fu sottoposta ad Amministrazione Apostolica esercitata per molti anni dal mio predecessore di felice memoria ed indi da me per un tratto di tempo.

« Laonde mi sembra che il privilegio cui accenna il Vicario di S. Lucia, ancorchè fosse stato certo ed indiscusso sotto il passato governo legittimo, non più esiste per le mutate circostanze e per le risoluzioni di Pio IX, colle quali il Sommo Gerarca ebbe in mira di torre di mezzo i mali gravissimi, dai quali erano veramente afflitti i fedeli Siciliani e provvedere alla salute delle anime ed alla giurisdizione dei Vescovi a norma dei Sacri Canoni e specialmente del Concilio di Trento ».

Modo, ex meo munere, aliquid advertam in solutionem praesentis quaestionis. Iamvero quia celebris canon tridentinus iam relatus, *Sess. 23, cap. 10*, videtur sane peremptorius instantiae Abbatis S. Luciae si probetur, isto canone comprehendi etiam Abbates VERE NULLIUS seu qui territorium habeant separatum ab quacumque dioecesi; exinde abbatis procurator negat, posse legem tridentinam extendi ad Abbates *vere nullius*. Re sane vera aliquam facit difficultatem haec ratio loquendi Concilii; videlicet. « . . . . *nec ipsi Abbates et alii exempti aut collegia vel capitula quaecumque etiam eccles.* cathedralium litteras dimissorias aliquibus clericis saecularibus ut ab aliis ordinentur concedant sed horum omnium ordinatio servatis servandis.... *ad Episcopos* INTRA QUORUM DIOECESIS FINES EXISTANT,

PERTINEANT. » Equidem eiusmodi verba Concilii *authentica* indigebant interpretatione quam reddere non praetermisit H. S. C. — Rem ita narrat Bened. XIV, *De syn.* lib. II, cap. 11, n. 15. « Sed huius decreti censura comprehendi Abbates aliosque praelatos inferiores primae et secundae speciei nemo unquam potuit in quaestionem adducere; at plerique Praelati *tertiae speciei*, se ab eiusmodi severitate autumabant immunes hac freti ratione, videlicet quia ipsorum territorium in quod exercent iurisdictionem quasi Episcopalem, non existit intra fines alicuius dioecesis de quo tantum videtur loqui Tridentinum sed est a qualibet dioecesi omnino seiunctum et separatum; ac propterea, etsi ab ordinibus per semetipsos conferendis abstinerent (nempe *minores ordines*), liberum nihilominus sibi esse putabant, litteras dimissoriales ad ordines suscipiendos suis subditis saecularibus impertiri. Verum alia fuit mens S. Cong.nis Concilii Tridentini interpretis ad quam unice spectat decretorum eiusmodi Concilii genuinum sensum aperire, ea siquidem probe considerans, in allegati capituli initio sermonem esse non solum de Abbatibus utcumque exemptis, verum etiam de illis qui *nullius dioecesis esse dicuntur*, quales sunt habentes territorium separatum; hosce pariter in omni parte comprehensos dixit iisdemque ablatam censuit facultatem concedendi suis subditis saecularibus litteras dimissoriales ad Ordines quos proinde elargiri ad viciniorem Episcopum unice pertinere declaravit. Eiusmodi S. Cong.nis responsa congesta sunt a Fagnano et Cardinali Petra etc. ». Iuvat interim referre hanc H. S. C. decisionem quam ita refert Bened. XIV, *l. cit.* « Lis vertebatur in Romanae Rotae auditorio inter Episcopum Brictinorien. et capitulum Basilicae S. Petri de Urbe, super articulo, an Abbatia S. Rufilli sita in castro Fori Pompilii, eidem Capitulo perpetuo iuncta, haberet territorium omnino separatum a dioecesi Brictinoriensi. Interim vero Capitulum S. Petri innixum immemorabili consuetudine seu quasi possessione concedendi litteras dimissoriales personis intra suae Abbatiae limites commorantibus, ne hac possessione exturbaretur, pendente adhuc controversia super Abbatiae separatione, easdem litteras concedere non dubitabat; at contradicente Episcopo Brictinoriensi ac iure merito contendente, immemorabilem possessionem utpote a Concil. Tridentino infractam viribusque destitutam non suffragari Capitulum, etiamsi territorium separatum evinceret, ad eius instantiam *die 3 Decemb. 1718* fuit in S. Cong.ne Concilii disceptatum: *An etiamsi constaret de territorio separato posset capitulum S. Petri concedere dimissorias*; et *die 21 Ianuarii 1719*, unanimi omnium suffragio responsum: *Negative* ».

Nihilominus tamen non desunt etiam nunc Abbates *vere nullius* hac peculiari praerogativa fulgentes, ut suis subditis litteras dimissorias ad Ordines nedum minores sed etiam sacros suscipiendos elargiri valeant; at haec praerogativa non est annexa qualitati *Nullius* neque profluit ex territorio perfecte separato sed unice derivatur ex speciali privilegio post Tridentinum obtento, quo Sedes Apostolica nonnullos cumulavit Abbates. Eiusmodi privilegio a Sisto V auctus est Abbas Cassinensis et a Paulo V Abbas Cavensis.

Praeterea iuvat afferre quae notat Cardinalis Petra *Comment. Const. IV, Callisti III, sect. II*, n. 72. (Tom. V, pag. 118-119.) Nam cum nonnullae editae sint decisiones a S. Rota et declarationes a S. C. EE. et RR. asserentes in cit. decret. Concil. Trid. non comprehendi Praelatos *vere nullius*, uti videre est apud Honorante *Praxis Secretariae tribunalis dicti Card. Vicarii Urbis, cap. XII, not. XVI*, — Cardinalis Petra *l. cit.* haec refert. « Contraria semper fuit mens S. C. C. ut refert Fagnanus in cap. *Significasti* n. 27 *De off. Archidiaconi*, quod scilicet procedat dicta prohibitio in omnibus Praelatis inferioribus cum discrimine ut si sunt in dioecesi alicuius, collatio ordinum et concessio dimissorialium pertineat ad Episcopum talis dioecesis sed si sit in dioecesi *vere nullius*, spectat ad viciniorem Episcopum ex ratione quia Concilii mens id importat, dum voluit eam facultatem auferre inferioribus ac solis Episcopis reservare, tamquam pendentem ab ordine Episcopali cuius actuum sunt incapaces praelati inferiores. Proinde dicta S. C. usque ab a. 1602 ita declaravit Tom. V, Decret. fol. 66, censuitque *Facultatem ordinandi ad Episcopum intra cuius dioecesis fines Abbatia consistit, pertinere*; *quod si intra nullius dioecesis fines posita sit, ad viciniorem episcopum; vicinitatem autem ratione Ecclesiae Cathed., non territorii esse attendendam* ». Alias numero plures congerit decisiones H. S. C. Cardinalis Petra eamdem referentes certam interpretationem cit. canonis Concil. Tridentini; at has, brevitatis causa, praetermittam.

Advertere vero praestat, minime afferri privilegium Pontificium *satis expressum* post Conc. Tridentinum concessum, vi cuius fas sit Abbati S. Luciae vel ordines conferre, vel dimissorias dare. Porro, e contra, origo privilegii quae repetatur ab auctoritate Regis Siciliae uti *legati a latere* S. Pontificis et hoc in vim *Legatiae seu Monarchiae Siciliae* est sane infirmum fundamentum. Etenim quum innumeri et gravissimi habiti sint abusus sub praetextu exercitii huius potestatis quam sibi iam ab aetate Rogerii I vindicarunt usque ad nostram aetatem Reges Siciliae, ita Pontifices Romani numquam destiterunt a condemnanda hac usurpata potestate, uti docent eruditi in iure publico ecclesiastico. Praestat heic referre conclusionem iuridicam quam in hanc quaestionem docte explicatam refert Card. Cavagnis *Inst. iuris pub. eccles.*, lib. III, n. 104. (edit. tertia) hisce verbis. « Ex his concludere licet: I. Legatia Siciliae non subsistit historice. II. Etiamsi subsisteret historice, fuisset privilegium personale concessum Rogerio I et eius filiis, quod proinde cum Rogerio II. extinctum fuisset; III. Vera origo fuit in regalistis desiderium dandi titulum legitimum antiquis abusibus Guillelmi I quos saeculo XVI renovare et ampliare cupiebant ». De Constitutionibus editis a Pio IX ad eiusmodi penitus convellendos abusus haec habet idem Cl. Auctor sub n. 102: « Anno autem 1864, V. Kal. Februarii redacta est constitutio « *Suprema* » qua, considerata continuatione abusuum, omnia privilegia et concessiones retractantur; sed publicata est tantum die *10 Oct. 1867*. — Die autem 28 Ian. 1864 editum est Breve « *Multis gravissimis* » quo statuitur novus modus procedendi in causis eccles. pro Sicilia, abolito iudice delegato et multis factis concessionibus Episcopis ».

Demum quia Abbas S. Luciae sibi blanditur attribuens titulum *Cappellani Regii* et consequentes immunitates a iure communi; in primis, exemptionem a iurisdictione Episcoporum extra quorum dioeceses ipse censetur omnimode existere, animadvertere oportet, uti docet Bouix *De Episcopo tom. I, pag. 519 seq.* plures referens *auctoritates*, *eiusmodi Cappellanos Regios* aliquando, ex speciali praerogativa, haberi uti Praelatos *vere nullius*, iisdemque vere applicanda esse ea quae, ex iure communi, constituta sunt de Praelatis *vere nullius*.

Haec quoad *quaestiones iuris*; quoad vero *instantiam gratiae* res tota posita est in benignitate et prudentia EE. PP.

Sint itaque

DUBIA

I. *An constet de iure Abbatis S. Luciae conferendi ordines aut dandi dimissorias in casu.*

Et quatenus negative,

II. *An sit locus concessioni eiusmodi privilegii in casu.*

E.mi Patres rescripserunt: *Ad 1.um Negative. — Ad 2.um Affirmative, ex speciali gratia favore hodierni Praelati facto verbo cum SS.mo.*

E SACRA CONGREGATIONE
EPISCOPORUM ET REGULARIUM

8935/14 PONENTE EMO AC RMO

CARDINALI STEINHUBER

die 12 Dec. 1902

Nicien. — Remotionis ab officio.

Licet in tabulis fundationis adnectere canonicatum alicui officio, dummodo collatio canonicatus sit perpetua, nec possit separari officium a beneficio, absque beneplacito auctoritatis ecclesiasticae.

Sub anno 1820 a pio quodam sacerdote fundatum fuit in civitate Nicien. hospitium dictum a Providentia, quod regi debebat ab administratoribus, scilicet ab Episcopo, a duobus consulibus civitatis et ab uno ex membris familiae donatoris. Istis administratoribus competit ius et officium deputandi superiorissam hospitii, arcarium et protectorem seu rectorem, cum onere invigilandi circa rectam pii operis gestionem, illique subsidia procurandi.

Elapsis nonnullis annis, pia quaedam foemina, nomine Angela Panzeri, vidua ex Ioanne Bianchi d'Aiglun, fundavit in ecclesia Cathedrali canonicatum annui redditus lib. 600, cum iure patronatus passivo in favorem protectoris seu rectoris dicti hospitii, sub onere curandi culturam spiritualem alumnarum. Episcopus hunc canonicatum canonice erexit.

Sub die 10 Nov. 1893, Commissio administrativa hospitii deputavit sacerdotem Iosephum Fabre in Protectorem pii loci, cum iure passivo ad canonicatum et cum annuo stipendio lib. 1600, computatis redditibus canonicatus. Et quum postea exortae essent quaestiones cum Capitulo, sequentia dubia fuerunt ad Sacram Congregationem pro solutione transmissa:

1. Utrum canonicatus d'Aiglun, regulariter erectus in Cathedrali Niciensi, reputari debeat uti adnexus officio protectoris, vel potius officio rectoris seu directoris spiritualis hospitii Providentiae in casu?

2. Utrum et quomodo spectet Capitulo ecclesiae Cathedralis, ius nominandi ad dictum canonicatum in casu?

Et S. Congr. sub die 5 April. 1895 rescripsit:

« Ad 1um Affirmative, quoad protectorem; negative quoad cappellanum, vulgo aumônier.

« Ad 2um Affirmative, ita ut Capitulum ius habeat exigendi praesentationem trium candidatorum, tantummodo in casu quo protector sive rector praesentari nolit, vel non habeat qualitates requisitas a fundatrice; quatenus autem protector sive rector praedictas qualitates habeat (habendi curam spiritualem alumnarum) et canonicatum consequi velit, eligi debeat a Capitulo, tanquam passive vocatus ».

Decursu temporis placuit administrationi adnumerare, officialibus hospitii secretarium arcarii et ordinatorem, quod non arrisit protectori sac. Fabre, qui conquestus est hanc innovationem superfluam esse, a statutis non contemplatam, piique operis laesivam.

Hinc orta dissidia, quae adeo exarserunt, ut administratores arbitrati sint separare officium protectoris a beneficio, sacerdotem Fabre a munere destituere, illiusque loco laicum sufficere. Insuper episcopus privavit sac. Fabre ab omni iurisdictione spirituali in hospitium. Quod vero attinet ad redditus beneficiales, negotium remissum est ad Sanctam Sedem.

Nil impedit quod in tabulis fundationis, canonicatus adnecti possit officio cuidam extraneo dummodo non excludat compatibilitatem cum substantialibus oneribus canonici. Facta semel hac unione, nequit a privatis disrumpi. De cetero de natura beneficiorum est ut perpetuo conferantur per integram vitam beneficiati.

In casu tamen nostro sedulo notandum est quod Officium protectoris pendet ab administratione quae pro maioritate laicalis est et quae sub protectione legum civilium versatur. Certo certius perpetuitas beneficii collati sustinenda est in persona sac. Fabre. Quid vero de perpetuitate officii? Ad evitandos posteriores iurisdictionis conflictus, necessarium forsan erit separare officium a beneficio. Sed hoc nequit fieri nisi accedente beneplacito Sanctae Sedis. In Comitiis generalibus diei 12 Dec. 1902, proposita sunt sequentia

DUBIA

1. An revocatio sac. Fabre ab officio protectoris hospitii Providentiae, et proin ab oneribus canonicatus d'Aiglun sustineatur in casu? Et quatenus negative:

2. An iste debeat simpliciter reintegrari ad dictum officium in casu?

3. An saltem illi competant emolumenta anni 1900, seu lib. 1600, provenientes ex fructibus canonicatus et ex stipendio protectoris in casu?

E.mi Patres rescripserunt:

« *Ad 1um 2um et 3um. Ad mentem. Mens est quod Canonicus Ioseph Fabre canonicatum retineat, dispensatis in hoc casu oneribus, quae attinent ad hospitium Providentiae in civitate Nicien. Quoad cetera vero, attentis omnibus, non esse interloquendum* ».

E SACRA CONGREGATIONE PROPAGANDAE FIDEI

I.

Quando festum Titularis in Statibus Foederatis occurrit infra hebdomadam, solemnitas ad dominicam sequentem transferri poterit.

Beatissime Pater,

Iacobus Cardinalis Gibbons Archiepiscopus Baltimorensis aliique Statuum Foederatorum Americae Bo-

realis Archiepiscopi in annuali conventu una simul congregati, a Sanctitate Tua humiliter petunt, ut ratione habita circumstantiarum eorum locorum, benigne concedere dignetur Indultum vi cujus in quibuscumque Statuum praedictorum ecclesiis, sive in urbibus sive extra, Titulare festum quando inciderit in diem ferialem transferri valeat quoad extrinsecam solemnitatem ad Dominicam proxime insequentem, quemadmodum ibidem concessum fuit pro ecclesiis ruralibus et oppidulorum.

Ex Audientia SSmi habita die 3 Februarii 1903, SSmus D. N. Leo Div. Prov. PP. XIII, referente infrascripto S. Cong.nis de Propag. Fide Sec.rio, attentis specialibus locorum circumstantiis, benigne indulsit ut in singulis supramemoratis ecclesiis, quibus annis titulare festum in diem ferialem inciderit, firma manente obligatione celebrandi Missam et persolvendi officium de eodem festo die in Kalendario affixa, extrinseca eius solemnitas cum Missa solemni et Vesperis transferri possit ad Dominicam proxime insequentem, dummodo non occurrat festum ritus duplicis primae classis, vel Dominica juxta rubricas privilegiata. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Aed. S. Cong.nis de Propaganda Fide die et anno ut supra.

(*No. 53508*).

Aloisius Veccia, *Secr.ius.*

II.

Circa facultatem alienandi bona ecclesiastica pro Institutis Religiosis votorum simplicium.

Illme et Revme Domine:

Pervenerunt ad me litterae ab Amplitudine Tua mihi datae die 14 elapsi mensis decembris, in quibus quaestiones fiunt circa facultatem alienandi bona ecclesiastica pro Institutis religiosis votorum simplicium.

Quoad primam quaestionem, utrum haec instituta sive virorum, sive mulierum, sive a S. Sede approbata, sive tantum Dioecesana, indigeant, beneplacito Sedis Apostolicae pro alienatione suorum bonorum, responsio est affirmativa.

Relate vero ad alteram quaestionem, utrum Episcopi vi privilegii ipsis concessi circa alienationem bonorum Dioeceseos possint praedictis Congregationibus has alienationes permittere, responsio est, id posse Episcopi intra limites suae facultatis.

Tandem quoad imploratam sanationem pro alienationibus sine necessaria licentia bona fide peractis, Sacra Congregatio hujusmodi sanationem et, si opus sit, etiam absolutionem a censuris transgressoribus concedit.

Interim Deum precor ut Te diu sospitet.

A. V. addictissimus Servus

Fr. H. M. Card. GOTTI, *Praef.*

Aloisius Veccia, *Secret.*

R.mo ac Ill.mo Archiepiscopo Friderico Katzer.

(*Protocollo N. 52982*). *Roma, 15 Gennaio 1903.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

LUGDUNEN.

Probatur nova editio Missalis Romani Lugdunensis.

Nobilis Lugdunensis Ecclesia, antiquitate et dignitate in Galliis praestantissima, proprios ritus quos ab Ireneo Praesule suo et Martyre accepisse fertur, a priscis temporibus fideliter tenuit. Attamen progressu temporis quum, opera et studio piissimi Caroli Magni, omnes Galliarum Ecclesiae in filialis amoris pignus et obsequium erga apostolicam Sedem ab Hadriano I, Summo Pontifice Sacramentarium et Antiphonarium Sancti Gregorii Magni, una cum Liturgia Sanctae Romanae Ecclesiae amplexatae fuerint, et ipsa Lugdunensis Ecclesia nemini secunda plenissimum dedit consensum nonnullis tantummodo retentis, de ipsius Apostolicae Sedis assensu, ritibus et consuetudinibus quibus clerus populusque fidelis firmius adhaerebant. Neque mirum: probe enim noverat sententiam praelaudati sui praesulis Irenei qui a Policarpo Ioannis Ap. et Ev. disciplulo et ab Eleutherio Summo Pontifice Apostolicas traditiones, quas Romana Ecclesia illibatas servabat oretenus didicerat, nempe: « Ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse esse omnes convenire Ecclesias, hoc est eos qui sunt undique fideles ». Illae autem S. Pii V constitutiones « Quo primum » et « Quod a nobis » Missale et Breviarium ad usum Lugdunensis Ecclesiae editum et adhibitum haud immutarunt, sed sartum integrumque in sua legitima possessione reliquerunt. Verum quum saeculo XVIII per Gallias invaluerit abusus, quo Antistites Missale et Breviarium pro libito et absque debita licentia permutarunt, id etiam Metropolitanae Ecclesiae Lugdunensi frustra ipsius Canonicorum Ordine renuente, obtigisse compertum est. Superioribus autem annis Sacrorum Antistitum Galliae aemulatus exempla et sa: me: Pii Papae IX voluntati obsequens, Cardinalis Ludovicus de Bonald, Archiepiscopus Lugdunensis, Romani Missalis et Breviarii usum in Lugdunensem Archidioecesim induxit; simulque Kalendarii et Proprii Officiorum et Missarum pro eadem Archidioecesi, Apostolicam approbationem obtinuit; servatis tantum ex vetusta Lugdunensis Ecclesiae Liturgia a memoratis novitatibus purgata, quibusdam ritibus et consuetudinibus Romanae Liturgiae consonis et probatis. In votis demum erat capituli Metropolitanae Ecclesiae ceterique cleri Lugdunensis Archidioeceseos missale Romanum typis imprimi iuxta decreta et privilegia iam concessa. Quod opus vix inceptum a praelaudato Archiepiscopo, hodiernus E.mus Archiepiscopus et R.mus D.nus Cardinalis Petrus Hector Coullié perficiendum curavit. Supplicibus enim litteris a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII efflagitavit, ut Missale Romanum iuxta exemplar exhibitum cum Apostolica approbatione in lucem edi et ab universo

clero Lugdunensi adhiberi fas sit. Sacra porro Rituum Congregatio, de mandato eiusdem Sanctissimi Domini Nostri, supradictum Missale accurate expendendum suscepit, praeviis necessariis et opportunis informationibus et exquisitis etiam suffragiis unius et alterius ex suis Consultoribus una cum voto Commissionis Liturgicae. Quae omnia quum in promptu fuerint, instante praelaudato E.mo Archiepiscopo una cum capitulo Metropolitanae et universo clero Lugdunensis Archidioeceseos, E.mus et R.mus D.nus Cardinalis Vincentius Vannutelli Episcopus Praenestinus et huiusce causae Relator in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis die 22 Aprilis vertentis anni ad Vaticanum coadunatis quaestionem proposuit: *Super concessione et approbatione novae editionis Missalis Romani Lugdunen. cum Rubricis peculiaribus, textibus liturgicis et singulis sanctorum Missis iuxta privilegia.* Atque E.mi et R.mi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius E.mi Cardinalis Ponentis, omnibus maturo examine perpensis rescribendum censuerunt: Nihil obstare quominus Missale de quo in casu typis edatur cum titulo: *Missale Romanum in quo antiqui ritus Lugdunenses servantur, Apostolicae Sedis auctoritate recognitum et probatum;* additis in Missa solemni, prout in usu, duabus benedictionibus novorum fructuum in festo S. Iacobi Ap. et uvarum in festo Transfigurationis Domini. Quam sententiam ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto relatam SS.mus D.nus Noster Leo PP. XIII ratam habuit et probavit, simulque induxit ut Missale Romanum cum enuntiato titulo typis edi et ab universo clero lugdunensis Archidioeceseos in posterum adhiberi valeat. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 1 Maii 1902.

D. CARD. FERRATA, *Praef.*

D. PANICI. Archiep. Laodicen. *Secret.*

II.

PLOCEN.

Circa choros mixtos in missis cantatis.

Quo divini cultus decori prospiciatur et sacrae functiones recte ac rite peragantur in Dioecesi Plocensi, hodiernus R.mus Episcopus eiusdem Dioecesis, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur, pro opportuna declaratione, humiliter exposuit, nimirum: In Dioecesi Plocensi, sicut in aliis Poloniae Dioecesibus extat mos ut in missis solemnibus, praesertim diebus per annum solemnioribus, canant *Gloria, Graduale, Credo,* et in choro super maiorem Ecclesiae portam, ubi organum est, constituto, mulieres ac puellae, sive solae ipsae cum organista, sive iuvenibus et viris coniunctae, in quibus cantorum choris mixtis vocem *soprano* exequuntur puellae. Quum huiusmodi morem quaedam Ephemerides polonicae defendant contra plures Archaeologiae et Liturgiae cultores qui illum improbant, quaeritur:

I. An mos supradescriptus licitus sit et conformis legi et sensui Ecclesiae?

II. Et quatenus negative ad I. an saltem tolerari possit?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, respondendum censuit: Negative ad utrumque, et Decretum n. 3964 *De Truxillo* 17 sept. 1897 etiam ad hunc casum extendi declaravit.

Atque ita rescripsit die 19 Februarii 1903.

S. Card. CRETONI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

SANCTI MINIATI.

Reprobatur quidam usus exponendi imagines in Feria V^a Maj. Hebd.

Hodierno Archipresbytero parocho Ecclesiae S. Ioannis Baptistae in oppido *Fucecchio* nuncupato Dioeceseos Sancti Miniati postulanti: An non obstante decreto R.mi Episcopi S. Miniati die 19 Februarii vertentis anni 1903 edito, tolerari possit ut imago seu effigies SS.mi Redemptoris demortui, vel Deiparae Virginis Perdolentis in altari separato ab illo in quo SS.mum Eucharistiae Sacramentum Feria V in Coena Domini publice expositum manet, venerationi Fidelium eadem Feria exhibeatur?

Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisita etiam sententia Commissionis Liturgicae respondendum censuit: Negative et servetur Decretum Episcopale.

Atque ita rescripsit die 27 Martii 1903.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

IV.

PISANA.

Nequit tolerari consuetudo pulsandi Harmonium, aliave instrumenta, in cantu Lamentationum etc. in Feria IV, V et VI Hebd. Maj.

Quum ex Caeremoniali Episcoporum et ex pluribus Sacrorum Rituum Congregationis Decretis, non obstante consuetudine permitti nequeat ut Feriis IV, V et VI Maioris Hebdomadae cantentur simul cum sono

organi et aliorum instrumentorum Lamentationes, Responsoria et Psalmus *Miserere* ac reliquae liturgicae partes, R.mus D.nus Guidus Salvioni Canonicus decanus et vicarius de choro Ecclesiae Primatialis Pisanae, haec probe noscens, ab eadem Sacra Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter efflagitavit, nimirum:

I. An in Ecclesia Primatiali Pisana, Feriis supradictis, attenta antiqua consuetudine tolerari possit ut cantus Lamentationum, Responsoriorum et Psalmi *Miserere* fiat simul cum instrumento *Harmonium* et aliis instrumentis sine strepitu, *a corda, violini, viole, contrabassi* nuncupatis?

II. Et quatenus negative ad I, an saltem tolerari possit in casu sonus tantum instrumenti *Harmonium*?

Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito R.mo D.no Archiepiscopo Pisano, et exquisita sententia Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: *Negative ad utrumque*, iuxta Caeremoniale Episcoporum Lib. I, Cap. XXVII, et Decreta *2959 Taurinen.* 11 Sept. 1847 ad I, *3804 Soana* 16 Iunii 1893 ad II, et *4044 Bonaëren*, 7 Iulii 1899. ad I.

Atque ita rescripsit et servare mandavit.

Die 20 Martii 1903.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM.

Feria V, die 5 Martii 1903.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici Librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 5 Martii 1903, damnavit et damnat, proscripsit, proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

FERDINAND BUISSON. — La religion, la morale et la science; leur conflit dans l'éducation contemporaine. — Paris, Fischbacher 1901.

JULES PAYOT. — De la croyance. — Paris, Félix Alcan 1896.

JULES PAYOT. — Avant d'entrer dans la vie. Aux instituteurs, et aux institutrices, conseils et directions pratiques. — Paris, Armand Colin 1901.

P. SIFFLET. — Cours lucide et raisonné de doctrine chrétienne. Les sept mystères chrétiens; Trinité, Péché originel, Incarnation, Rédemption, Eucharistie, Résurrection des corps, Eternité, Souffrance — au regard de la nature, de la raison et de l'irréligion. — Lyon, Librairie S. Augustin et Librairie Delhomme et Briguet.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII, per me infrascriptum Secretarium relatis SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 30 Martii 1903.

ANDREAS Card. STEINHUBER, *Praef.*

L. ✠ S.

Fr. THOMAS ESSER, *Ord Praed.*
a Secretis

Die 1 Aprilis 1903; ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Henricus Benaglia, *Mag. Curs.*

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

SULMONEN.

Exercitium Viae Crucis viventis peragi potest in privatis domibus.

A. M. Canonicus Cathedralis Basilicae Sulmonensis huic S. Indulgentiarum Cong.ni sequentia dubia dirimenda proposuit:

I. An ad exercitium Viae Crucis viventis rite peragendum et ad indulgentias eidem adnexas lucrandas requiratur, una cum meditatione, etiam visitatio Stationis per sortem unicuique adsignatae? Et quatenus affirmative;

II. An dicta visitatio peragenda sit in Ecclesiis ubi Sodalitas Viae Crucis viventis constituta est, vel etiam in quacumque alia Ecclesia ubi Stationes Viae Crucis erectae reperiuntur?

Sacra vero Congregatio respondendum mandavit: Ad I. *Negative, juxta Decretum diei 16 Augusti 1901* in lege VII (1).

Ad II. *Provisum in responsione ad 1.um*

Datum Romae ex Sec.ria S. Cong.nis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 26 Novembris 1902.

L. ✠ S.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. IX p. 401.

II.

TERTII ORDINIS SAECULARIS SANCTI FRANCISCI

Circa interruptionem novitiatus.

Moderator cuiusdam Congregationis Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci huic S. Congregationi Indulgentiarum sequens dubium dirimendum proposuit:

An interrumpatur novitiatus Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci, si quis habitum, id est scapulare cum cingulo, absque dispensatione, deposuerit sive ex oblivione sive ex negligentia, sive ex impossibilitate?

Porro eadem S. Congregatio, audito Consultorum voto, proposito dubio respondendum mandavit:

Negative, si ex oblivione vel impossibilitate; si vero ex negligentia, pariter *negative*, dummodo voluntas emittendi professionem in praefato Ordine non fuerit retractata.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congr. die 4 Martii 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† Franciscus Sogaro, Archiep. Amiden., *Secr.ius*

III.

BONONIENSIS.

Circa absolutiones impertiendas Monialibus Tertiariis.

A Confessariis quorundam Monasteriorum Sanctimonialium Tertii Ordinis in Archidioecesi Bononiensi existentium huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequens dubium propositum fuit:

Sanctimoniales Tertiariae alicuius Ordinis Regularis, iurisdictioni Episcopi subiectae, quae ius habent ad quasdam annuas absolutiones generales et benedictiones apostolicas suscipiendas, debent-ne huiusmodi favores spirituales obtinere ministerio confessarii ab Episcopo adsignati, aut ope Religiosi vel sacerdotis saecularis deputati a superiore Ordinis respectivi?

S. Congregatio respondendum mandavit:

Affirmative quoad 1am partem, negative ad 2am.

Datum Romae ex Se.cria eiusdem S. Congr. die 11 Februarii 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† Franciscus Sogaro, Archiep. Amiden., *Secr.ius.*

IV.

RATISBONENSIS.

Circa transitum Tertiariorum de una ad aliam obedientiam.

Episcopus Ratisbonensis huic S. Cong.ni Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, exposuit, in sua dioecesi tertium Ordinem Saecularem S. Francisci latissime propagari, praesertim tempore SS. Missionum, quae promiscue habentur a trina Franciscalium familia, id est PP. Minoritarum, nec non Capuccinorum et Conventualium.

Ast haec agendi ratio multiplicem dubitandi praebet occasionem; praesertim quoad cooptationem Christifidelium in praefatum Ordinem et eorumdem professionem. Siquidem saepe accidit, ut qui Sacerdos Directoris munus a familia ex. gr. Conventualium accepit, alio transferatur, ubi existit Congregatio Tertiariorum a familia Capuccinorum erecta; quo in casu dubitatur an hic eodem modo inibi exercere valeat facultatem ipsi tributam a familia Conventualium. Imo Tertiarii ipsi, qui ab aliqua praedictarum familiarum ad habitum et novitiatum recepti fuere, aliquando alio transmigrant, ubi franciscalium familia diversa ab ea, quae eosdem ad habitum admiserat, reperiatur; poterunt-ne Tertiarii isti valide ad professionem admitti ab hac familia?

Quare sequentia dubia, dirimenda Orator proposuit:

I. Utrum Christifideles, qui fuerunt admissi ad novitiatum Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci in aliqua Congregatione, quae subest iurisdictioni, puta, FF. Capuccinorum, si alio transmigrent, ubi existit Congregatio subiecta FF. Minoritis, aut FF. Conventualibus, inibi professionem valide emittere possint?

II. Utrum Parochus, vel quilibet alius Sacerdos, qui erat praeditus facultate, puta a FF. Minoribus, cooptandi Christifideles in Tertium Ordinem saecularem S. Francisci, si in alium locum pergat, ubi existit Congregatio subiecta FF. Capuccinis, denuo obtinere debeat facultatem ad praefatos actus exercendos, vel uti ea valeat, qua primum potiebatur?

S. Cong.tio audita etiam Moderatorum Franciscalium familiarum sententia, quoad propositas quaestiones haec in posterum servanda decrevit:

1.° Ut Novitii tertiarii Saeculares S. Francisci professionem emittere valeant in congregatione alterius obedientiae, seu diversae ab illa, in qua ad novitiatum fuerant admissi, si ita melius eorum commoditati provideatur.

2.° Ut professi eadem de causa transire possint de una Congregatione ad aliam diversae obedientiae.

3.° Ut parochus vel quilibet sacerdos alicuius Congregationis Tertiariorum moderator, si alio transferetur, ubi alia Congregatio diversae obedientiae reperiatur, eamdem regere possit, quin indigeat nova adprobatione; teneatur tamen hac de re certiorem facere visitatorem regularem, ut cum eodem negotia Congregationis gerere valeat.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 4 Martii 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Franciscus Sogaro, Archiep. Amiden., *Sec.rius.*

ANALECTA VETERA

Nonnulla documenta inedita S. Congregationis Episc. et Reg. (an. 1677-1690).

239. Neapolitana. — Licentiae transferendi a Monasterio ad domum parentum Monialem pro curatione.

Em.mi e R.mi Signori. — Suor Maria Carmelia Caravita Monaca, figlia del fu Consigliero Caravita e sorella di Monsignor Arcivescovo di Cozza, humilmente ricorre di nuovo all'EE. VV. ad implorar pietà per potersi assicurare un poco più di vita, narrandole di trovarsi in età di 34 anni compiti, de quali 27 vi è stata nel detto Monastero per esserci entrata fanciulla ed haver 17 anni di professione: ma da qualche anno in qua si trova gravemente inferma, et havendo sperimentate infruttuosamente tutte le cure più studiate e dispendiose per ultima conclusione li medici, riflettendo che detto Monastero dove al presente si trova, è in un luogo infelice d'aria, hanno risoluto che essa non può trovare altro rimedio al suo gran male, che quello della mutazione d'aria per qualche poco di tempo, per reiterare secondo l'arte, con più fondamento, le cure suddette, si come rispondendo alla lettera dell'EE. VV., ha riferito Monsignor Nuntio, dopo haver sentiti li medici, presa esatta informatione del miserabile stato dell'Oratrice e delle sue qualità e costumi.

Nè può essa porre in esecutione la suddetta cura con buona speranza di giovamento, che in casa dei proprii fratelli, tanto perchè solo appresso di loro può havere ogni esatta assistenza, quanto anche perchè non può riuscirgli l'essere ammessa ad altro Monastero, mentre si tratta di male etico, che porta seco contagione, come apparisce dalla relatione di Monsignor Nuntio, e da quella de medici, essendo la sua flussione tanto vehemente, che gli cagiona doppio male, e di Etisia ed Hidropisia, havendo cominciato ad offendergli non solo il petto, ma horamai tutto il rimanente del corpo rendendola inhabile al moto, e perciò non puo trovare altro Monastero che voglia riceverla per timore, che non infettasse l'altre Monache, tantopiù che per cagione di detta sua infermità corre voce per Napoli, che sia pericoloso l'introdurre o Monache o Educande nel detto Monastero, dove al presente si trova, dove se si tratterà senza la debita cura, potrà innocentemente cagionar molto danno all'altre consuore.

E quando anche l'oratrice trovasse altro Monastero, che per precetto dei Superiori la ricevesse, resterebbe in esso abbandonata in una cella e separata da tutte le altre monache, come fanno al presente le sue compagne, per necessità di fuggire il male, ma con molto pregiuditio e confusione dell'Oratrice, che non ha chi la assista e la consoli secondo il suo bisogno, perchè in questi casi di Etisia, si schiva non solo chi ne patisce, ma anche li serventi, perchè sono sospetti d'infestar l'altri col tatto e con le robbe dell'inferma.

Questa E.mi Signori, è la cagione perchè l'Oratrice humilmente replica l'istanza di pater andare a curarsi alla casa de suoi fratelli, poichè vorrebbe fare fruttuosamente ogni esperienza possibile, per poter guarire, essendo naturalmente la vita più cara di ogni thesoro, e spera di ottenere dalla pietà loro questa gratia, unicamente necessaria per farla sopravvivere, non potendosi pratticare in altra forma, per le ragioni suddette.

E può cessare ogni contrario motivo di non introdurre esempio che le monache escano di clausura; poichè non è cosa nuova, in detta Città ve ne sono numerosi esempi notorii, anzi vivono ancora in Napoli delle Monache, le quali, per simili infermità, ma meno inoltrate, hanno avuto, e goduto di simili gratie.

1. Nell'anno 1607 fu conceduta licenza a Beatrice Riccia, monaca di S. Pietro e Marcellino, d'uscire ed andare alla casa dei suoi parenti a curarsi, come si veda ne Processi della Corte Arcivescovile.

2. Nell'anno medesimo fu conceduta similmente a Donna Maria della Noix, come in detta Corte apparisce.

3. Nell'anno 1612, di nuovo fu conceduta licenza alla medesima della Noix, perchè potesse prendere li rimedii d'Ischia e Pozzuolo, come in detti Atti.

4. Nell'anno 1634, fu conceduta a Donna Isabella Caracciola, monaca nel Monastero di S. Maria Donna Regina, perchè potesse andare a casa di detta Lucrezia Caracciola, sua sorella, per potersi curare de suoi mali, come in detti Atti.

5. In tempo della be. me. del Cardinal Filonanno, fu conceduta simile licenza alla figlia del Principe di Rocca Romana, come in detti Atti.

6. Hebbe una simile, in detto tempo, suor Caterina Lanfranchi, monaca del monastero di S. Chiara, la quale guarì, e tornò al Monastero et ancor vive. Supplica pertanto l'Oratrice, che con la scorta di tanti esempi, vogliano l'EE. VV. usar con essa lei, della solita benignità in tanta urgenza, dove si tratta di assicurar la vita alla supplicante, che essendo in età di 34 anni, se fosse aiutata con detto rimedio opportuno, potrebbe vivere lungamente. E può togliere ogni repugnanza l'esemplarità notoria, con la quale essa sempre ha vissuto, non avvezza ad altri costumi, che a quelli della Regola che professa, inbevuti dalla sua prima fanciullezza di sei anni, che entrò in Monastero senza mai aver conosciuto il mondo. E può concorrere a persuaderli il merito ancor vivo del padre defonto, noto per la carica cospicua di Consigliero, che sino all'ultima età esercitò, e tanto chiaro per la notoria integrità sua, la religiosità dei suoi fratelli, e casa paterna conosciuta da tutto Napoli, dove per quel poco di tempo che dovrà stare fuor di Clausura, potrà trattenersi quasi in un altro Monastero, tanto maggiormente che per le circostanze suddette, necessità precisa, bontà di vita, notorio costume, et esempii vulgati il medesimo Ministro Apostolico, che è di zelo così famoso, attesta all'EE. VV. che può concedersi la gratia do-

mandata, il quale non è da credersi, che cadesse in tal consiglio se vi potesse essere un minimo motivo in contrario. e se mancasse una delle cose suddette. — Per il che....

Fuit rescriptum die 5 Martii 1676: *Non esse concedendam, et Dominus Secretarius cum Sanctissimo pro gratia.*

Nota E.mi Casanata: — Nuncius Apostolicus verificatis expositis et quatenus aliquis e fratribus oratricis uxoratus sit, petitam licentiam concedat durante necessitate, qua cessante, redeat ad Monasterium.

240. Neapolitana. — Monitorii.

E.mi ac R.mi Domini. — Postquam Carolus Ansalonus, et Socii a Regia Camera Neapolis condemnati fuerunt ad solvenda plura ducatorum millia ipsique bona mobilia occultarunt, prodiit ab Archiepiscopali Curia Neapolitana monitorium pro revelationibus sub poena excommunicationis in forma solita, et per Sacrum Concilium Tridentinum praescripta in sess. 25, cap. 3 de reformatione.

Appellavit Ansalonus cum Sociis ad D. A. C. Capraram, qui quamvis inhibitionem moderatus fuerit, tamen postea extraiudicialiter impedivit expeditionem moderationis demandando iura hinc inde communicari.

Supplicamus igitur rescribi ut Archiepiscopalis Curia procedat non attenta inhibitione.

Certum enim est monitoria pro revelationibus concedi extraiudicialiter ab Episcopis, ideoque nec A. C., nec Rotam super illis habere iurisdictiones, ut in dec. 342. coram Pena, et apud Barbos. in Collectan. ad Concil. sess. 25. cap. 3. n. 10. de reformatione.

Unicum obiectum Partis adversae quod monitorium ab Archiepiscopali Curia concessum nominet ipsum Carolum Ansalonum et Socios suorum mobilium Occultatores, non subsistit nec in facto, nec in iure. Non in facto, quia monitorium non est directum contra ipsos Debitores, vel Detentores nominatim, sed tantum generaliter contra Detinentes, vel detineri scientes bona Caroli Ansaloni, et Sociorum, pro quibus capiendis non extat ullum remedium iudiciale, nec modestius poterat procedi, ut notat Genuens, in prax. cap. p. n. 4 ad 6.^{m}; Ricc. decis. 219. n. 5. vers. sed tantum p. p.

Non in iure, quia quatenus Curia excessisset, debuisset Pars extraiudicialiter adire hanc Sacram Congregationem, et obtinere praeceptum reformandi monitorium vel iudicialiter procedendi contra certas personas in prima instantia, ut refert Ricc. in prax. p.^{e} p.^{a} resolut. 247; Barbos. de officio Episcopi alleg.^{e} 96. n. 25.; rursus ad Concil. sess. 25. de reformat.^{ne} cap. 3. sub n. 2. Nec dubitari contingit de facultatibus Sac. Congregationis in protectionem Episcopalis iurisdictionis, ut apud Pignatt. Consult. 9. Tom. p.^{o}.

JOANNES VINCENTIUS RUSSOPHILUS.

Fuit responsum die 19 Februarii 1683: *Facto verbo cum Auditore Sanctissimi causa remittatur ad Ordinarium quacumque inhibitione non obstante.*

Nota Emi Casanata: — Archiepiscopalis Curia procedat non attenta inhibitione — Quia Monitoria pro revelationibus dantur extraiudicialiter, ideo nec A. C. nec Rota in illis habet iurisdictionem, ut in d.^{e} *342.* coram Penam, et apud Barbosam in collect. ad Concil. Sess. 25. Cap. 3. n. 10 de reformat. Immo quatenus agendum foret iudicialiter contra nominatos debitores vel occupatores prima instantia pertinet ad Ordinarium, ex vulg. cap. 20. de ref. sess. 24. Caeterum monitoria sunt in forma ordinaria et non irrogant infamiam, dicendo quod debitores censentur bona occultasse, vel protulisse. Nec dubitandum de auctoritate Sacrae Congregationis, ut apud Pignatt. Consult. 9. tom. p.

241. Neapolitana. — Nullitatis contractus.

E.me et Rev.me Domine. — Censum annuum ducatorum 75 in sorte principali Ducatorum 1000 7 Septembris 1652 constituerunt bo. me. Ioannes Franciscus et Octavius Vitalis ad favorem Canonici Horatii Palumbi cuius haeredes fuerunt Rev.mi Domini Canonici Cathedralis Neapolitanae, qui pro solutione fructuum dicti census iudicialiter convenerunt D. Carolum Vitalem, tamquam haeredem beneficiatum memoratorum Iohannis Francisci, et Octavii. et cum Litis eventus fuisset hinc inde dubius post varios actus iudiciales, sub die 25 februarii 1673, devenerunt ad amicabilem transactionem in qua antedictus Carolus Vitalis nomine proprio se solvere obligavit in Beneficium Domini Capituli Cathedralis annuos ducatos 60. sic concorditer reductos: et etiam memoratum Capitale ducatorum 1000, et inter alia pacta (sunt verba instrumenti) fuit conventum quod si « infra annum ab hodie non fuerit « obtentus, et impetratus dictus assensus Apostolicus, « praesens instrumentum habeatur pro nullo, irrito, et « casso, prout partes in casu praedicto illud cassaverunt, « irritaverunt, et annullaverunt, ac si nunquam stipu« latum fuisset, et in casu praedicto sint salva utrique « parti omnia eorum iura, ut ex instrumento dato in « manibus E.mi Domini Ponentis ». — Distulerunt canonici adversarii impetrare Beneplacitum, qua de causa 4.^{a} Iulii 1674 judicialiter D. Carolus Vitalis Principalis noster declaravit nolle amplius stare d. contractui, Sum.^{o} n.^{o} unico; attamen saepe dicti canonici hodie illud expostulant ab ista Sacra Congregatione, credimus esse rescribendum, illi non esse locum.

Clarissimi enim iuris est contractum esse de iure gentium inde eius essentia a voluntate contrahentium dependet ad Text. in l. petens ex stipulat. Cod. Depaolis. et glos. in l. 22. vers. ult. ff. de action. et obligat. Contrahentium voluntas manifesta est per antedictum pactum in quo si infra annum non fuisset impetratus Beneplacitus, Partes contractum cassaverunt, idcirco earum voluntas venit iure inspecto servanda; ratio si quidem viva est ex quo post illud tempus abest Consensus, et non residet in potestate facere, quod contractus sine partium consensu maneat. Gratian. decis. march.; decis. 49. n. 11.; et Rota coram Puteo decis. 66. per totam lib. 3.

Praesertim in casu praesenti in quo concurrit explicita dictarum partium resolutio resultans ex illis verbis « quod illud cassaverunt, irritaverunt, et annullaverunt, « ac si nunquam stipulatum fuisset, et remaneant iura « salva utrique parti ». Ita ut ratione voluntatis contrahentium amplius dici non posset contractum esse in mundo, immo cassatum earum voluntate, et per conse-

quens super eo nullomodo de iure praestari potest assensus ex adverso petitus.

Nec concessionem Beneplaciti persuadere potest purgatio morae, quando quidem ista purgatio morae ubi praeter inobservantiam sit resolutio contractus ex conventione (prout hic) non admittitur etiam secundum aequitatem canonicam, ut de communi opinione testatur Ciziac. Contr. 169 n. 43. cum seqq. ubi n. 47 ait hoc procedere etiam in contractibus bonae fidei.

Declaratio facta per canonicos Adversarios de stando contractui post multos annos, et acceptatam nullitatem non est habenda in aliqua consideratione, dum non intercessit consensus nostri Principalis de iure requisitus ex iuribus vulgatis. Caeterum solutiones Tertiarum gratis ex adverso supponuntur, quinimo decretum iudicis de partibus fuit statim suspensum nec illius vigore Principalis noster aliquam peregit solutionem. — Quare etc.

Clemens Salvius.

Fuit edictum die prima Dec. 1684: *Non esse locum executioni confirmationis Apostolicae.*

Nota E.mi Casanata: — Non esse locum confirmationi transactionis. Etenim Carolus Vitalis anno 1673 se obligavit de proprio erga Reverendissimum Capitulum Ecclesiae Neapolitanae pro censu Ducatorum mille reductis fructibus a 75 ad 60 et si census fuisset debitus ab Haereditate Francisci et Octavii Vitalis, quatenus tamen Rev.mum Capitulum intra spatium anni beneplacitum apostolicum non impetraret, alias transactio remaneret nulla et resoluta; cum igitur Vitalis anno 1674 protestatus fuerit de resolutione transactionis in praesenti Summ.°, non est locus beneplacito nunc impetrando, ut apud Sperell. d.° 130 n. 45. Videatur tamen an solutiones fructuum post transactionem, fuerint factae ad formam transactionis, quia inde Vitalis recessisset a protestatione, imo ratificasset transactionem.

242. **Neapolitana — Prioratus.**

Precedendo la visita generale dei Frati Agostiniani Scalzi, e riferita nel Diffinitorio generale a 7 di Febbraio prossimo passato il medesimo Diffinitorio trasferì fra Giuliano di S. Guglielma, Priore del Convento di Napoli, al Priorato del Convento di Carbonara in Puglia. E quantunque detto fra Giuliano appellasse, niente dimeno questa Sacra Congregazione 22 Marzo disse: « Lectum, et orator pareat », a 4 di Maggio: « Iam provisum », et a 25 di Maggio: « doceat de paritione ».

Commessa poi a me la causa il medesimo fra Giuliano (contradicente il Prior Generale) fa istanza d'esser reintegrato al Priorato di Napoli: Pretende che non poteva il Diffinitorio levarlo da detto Priorato, e mandarlo Priore fuor di Provincia in un Conventino, com'è quello di Carbonara.

Ne osta (dice Egli), lo statuto della Congregatione confermato in forma specifica da Paolo V., che dà facoltà al Diffinitorio: Priorem aliquem ab uno conventu amotum alteri praeficere ante triennium expletum, — perchè queste parole si devono intendere: praevio processu, et verificata culpa, trattandosi d'amonizione senza libero consenso del Priore, tanto attesa la mente de' statuenti, quanto la disposizione iuris sopra gl'officii conferiti a tempo determinato, e l'altra sopra le cause penali.

Risponde il Priore Generale distinguendo due amozioni, una per trasferire, e l'altra per privare, con la qual distinzione si conosce la mente dello statuto nella particola suddetta che il Diffinitorio a suo arbitrio possa trasferire un Priore da un Convento all'altro senza cognizione di colpa o demerito, e nella seguente particola dove si tratta di privazioni che si conosca la colpa o demerito del Priore. Ne quali termini entra la disposizione discretiva, e si aggiunge l'osservanza interpretativa per molte traslazioni anco da Priorati maggiori a meno.

Nota. — Exequatur.

Il Superiore Regolare deve visitare per se stesso la clausura interiore e non per mezzo di altri, benchè legittimamente impedito. Si faccia la visita sollecitamente, et in un sol giorno, ne si cominci prima che sia levato il sole, nè si prolonghi oltre il tramontare, nè possa pigliar refettione nel Monasterio.

Nota. — Exequatur.

Se visita il Generale possa haver seco due compagni del suo Ordine, se visita un deputato da esso Generale, habbia un sol compagno, e detti compagni

non lascino mai di vista il visitatore, il quale deve essere assistito da quattro monache antiane, le quali non devono mai separarsi da loro.

Nota. — Exequatur.

La Visita si faccia alle crati etc. Il Confessore ordinario, o straordinario delle Monache non entri dentro il Monasterio se non per amministrare li Sacramenti, entri sempre col compagno, il quale non lo lasci di vista.

Nota. — Exequatur.

Che li confessori non possino havere habitatione contigua a Monasterij di Monache, si come più diffusamente si dice in essa bolla etc.

Nota. — Sufficeret quod non haberet fenestras respondentes intra Monasterium.

Proposta 7. — Se paresse bene, che si destinassero due Monache per dire a vicenda le orationi alle Monache moribonde, e che il Confessore stia in Chiesa, o altro luogo, di dove possa essere facilmente chiamato, in caso solamente che all' inferma occorresse di valersi di lui per causa di confessarsi.

Risposta. — Ciò pare di non potersi permettere, poiche il ministero di raccomandar l'anima, secondo lo stile di S. Chiesa, appartiene a Sacerdoti, li quali con l'autorità spirituale, che hanno, possono in tal funtione molto coadiuvare alla salute delle anime.

Nota. — Est contra charitatem, nam moniales decederent absque precibus ordinatis ab Ecclesia.

Proposta 8. — Che non possino pigliar regali, si nel vestire zitelle all' habito, come anco nell'ammetterle alla professione.

Risposta. — In tal fontione non si può prender cosa alcuna, et in Salerno che per ciascuna monacanda si faceva l' Ordinario pagare 20 scudi, fu dalla Sacra Congregatione ordinato, che si levasse tale abuso. Pare ancora che in ciò si proveda con la riforma delle tasse, che intende far Nostro Signore.

Nota. — Exequantur taxae.

Proposta 9. — Se sia bene levar li straordinarii come pasti ed altri regali, che si fanno in occasione di vestire zitelle, o professione delle medesime, e se fosse espediente di accrescere in qualche parte in luogo d'essi la dote delle monacande.

Risposta. — Sarebbe forse necessario sentire gli Ordinarii de' Luoghi per sapere da essi quanti siano li pasti, o altri regali ed a qual somma ascendino, ad effetto d' esaminare, e rimediare alle superfluità, et anco per haver notitia dell' applicatione di essi straordinarij, perchè in alcuni luoghi servono per comprar letto, pagamento di cella et altro, il che risulta in benefitio del Monasterio, et sarebbe quasi una specie di dote, benchè si chiamano straordinarij.

Nota. — In monasteriis opulentis removeri possunt coenae et convivia omnino, in egenis possit aliqua pars applicari communitati.

Proposta 10. — Se si devono tolerare li livelli, che godono le Monache particolari.

Risposta. — La Sacra Congregatione ha tollerato sempre simili livelli, perchè quasi tutti li Monasterij non danno il necessario alle Monache, e così da parenti durante la loro vita se li paghino simili livelli, e quando si proibissero, non si darebbono più, onde risultarebbe in gran danno de' Monasteri e Monache.

Nota. — Posset tollerari, quia ex longa consuetudine monasteria refundunt in moniales aliqua onera monasterii; et si carerent livellis solitis monasteria essent insufficientia. Curandum tamen est ut pecuniae expendantur, vel in usus necessarios aut saltem honestos monialium, vel ad commodum Communitatis.

ANALECTA VARIA

I.

Utrum et quo pacto Beatissima Virgo Martyrum Regina dici possit?

Ad hanc quaestionem, circa quam plures errare solent, rite expendendam, necessarium ducimus, ex tutissima Angelici doctrina, praemittere in quonam martyrii ratio proprie consistat.

*
* *

« *Martyres graece, testes latine dicuntur*, ait S. Isidorus (L. VII. Etym. c. 11); *quia propter testimonium Christi passiones sustinuerunt, et usque ad mortem pro veritate certaverunt* ». Significat igitur martyrium quoddam sanguinis testimonium veritati perhibitum, ad salutem spiritualem quae per Christum est; unde secundum cuiuslibet virtutis officium, quo aliquid boni facimus aut alicui malo resistimus propter Christum, potest attend gratia martyrii (2 2ae Quaest. CXXIV, art. 5).

Porro martyrii nomine quandoque significamus ipsam mortem pro Christo toleratam, quandoque vero virtutis actum, nempe ipsam voluntariam mortis acceptationem propter Christum. Hoc secundo modo de adultis martyribus loquimur; primo autem modo, etiam parvuli usum rationis non habentes, martyrium pati dici possunt, ut sunt Innocentes, qui *non loquendo, sed moriendo Christum confessi sunt* (Ibid. art. 1), et quos ita salutat Ecclesia:

« *Salvete, Flores martyrum* ».

Pertinet autem martyrium ad virtutem fortitudinis formaliter, in quantum nempe quis propter mortis periculum a recta iustitiae ratione non deflectit; imperatur tamen a charitate, ex quo capite est actus maximae perfectionis, quia nullus

actus, inter actus humanos, magis demonstrare potest perfectionem charitatis, quam propriae vitae contemptus propter Deum; unde dicitur (Io. XV, 13): « *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* »; quapropter martyrium tamquam Dei singulare donum merito reputatur, iuxta illud (Phil. I, 29): « *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini* »; sicque martyrium supplens vices baptismi totam culpam et poenam remittit, ut exponit S. Prosper (Epigram. LXXXVII):

« *Fraudati non sunt sacro baptismate Christi*
Fons quibus ipsa sui sanguinis unda fuit;
Et quidquid sacri fert mystica forma lavacri,
Id totum implevit gloria martyrii ».

Quapropter, martyribus singulare praemium decernitur, nempe aureola specialis, et pro eis orare iniuriosum reputat Ecclesia (Cf. Supplem. Quaest. XCVI, art. 6).

At vero ad martyrii plenam et propriam rationem spectat ut quis revera mortem corporalem sustineat: cum enim christiana fides, cuius martyr dicitur testis, tradit omnia visibilia et temporalia pro invisibilibus et aeternis esse contemnenda, hanc fidem plene et proprie non testatur, nisi qui Deo ipsam vitam corporalem, quae inter omnia visibilia hominis bona primatum tenet, tortoribus tradendo despiciat (2 2^{ae} Quaest. CXXIV, art. 4). Unde qui pro Christo tolerant tormenta, sed non usque ad mortem, etsi quodammodo ad martyrii dignitatem accedant, tamen perfectam et plenam martyrum rationem non participant; tales sunt aliqui sancti, qui etsi tormenta pro Christo sustinuerunt, tamen non in ipsis tormentis obierunt; de quibus propterea Ecclesia non canit, sicut de aliis canere solet: *Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit* » (1). Qui vero magnas animi afflictiones pro Christo sustinuerit, nonnisi per similitudinem martyr dici poterit. Quapropter alii sunt martyres *proprie* et *perfecte;* alii autem *proprie* sed *imperfecte;* alii demum secundum *similitudinem.*

***

His ita declaratis, iam patet quid de Deiparae martyrio sit retinendum. Scilicet ipsa non proprie, sed secundum similitudinem martyr debet praedicari (2 2^{ae} Quaest. CXXIV, art. 4 ad 1^{m}; et Supplem. Quaest. XCVI, art. 6, ad 4^{m}); quin tamen hoc ipso eius martyrii merito quidquam sit detrahendum.

Ad cuius rei evidentiam, singillatim considerandae sunt in martyrio causa impellens sive inclinans, causa finalis et causa formalis.

Causa impellens seu inclinans est charitas, nam « *ad actum martyrii inclinat charitas sicut primum et principale motivum, per modum virtutis imperantis* » (2 2^{ae} Quaest. CXXIV, art. 2, ad 2^{m}).

Finis autem martyrii est exterior protestatio veritatis fidei, non cuiuscumque, sed eius quae secundum pietatem est, quae scilicet nobis per Christum innotuit; fidem autem quis confiteri potest non solum per verba, sed etiam per facta; unde martyr ille est qui sanguine suo perhibet testimonium non solum veritati in actu signato, sed etiam in actu exercito; ideoque, « *ut christianus patitur, non solum qui patitur pro fidei confessione quae fit per verba, sed etiam.... pro quocumque bono opere faciendo, vel pro quocumque peccato vitando propter Christum* » (Ibid. art. 5, ad 1^{m}). Quapropter martyrii causa possunt esse omnium virtutum opera, secundum quod referuntur in Deum: sic enim « *sunt quaedam fidei protestationes, per quam nobis innotescit quod Deus hujusmodi opera a nobis requirit et nos pro eis remunerat, unde et beati Joannis Baptistae martyrium in Ecclesia celebratur, qui non pro neganda fide, sed pro reprehensione adulterii mortem sustinuit* (Ibid.).

Denique martyrii causa formalis consistit in firmitate, qua quis bonum fidei et iustitiae non deserit propter imminentia mortis pericula, et quidem usque ad hoc quod mortem sustineat propter Christum (Ibid. et art. 4).

***

Quae cum ita sint, iam pronum est deducere quaenam fuerit excellentia martyrii Deiparae, etsi hoc martyrium non proprium, sed secundum similitudinem fuerit, ut dictum est.

Ad quod intelligendum, convertenda est mentis consideratio ad illud tempus quo, testante Evangelista (Io. XIX, 25), (stabat) *iuxta crucem Iesu Mater eius*. Quod quidem subaudit ipsammet Beatam Virginem, cum rescivisset tempus advenisse quo in Calvariae monte Filius suus mortem pro nobis esset subiturus, sponte, ut etiam fert traditio, ad sacrificii locum se contulisse, ut fidei a Christo praedicatae testis invicta maneret. Et quidem in hoc actu nihil prorsus ad martyrii rationem defuisse dicendum est, nisi quod, cum ita divinitus fuisset provisum, mors corporalis non sit secuta: quod ut evidentius fiat, per ordinem considerandae sunt in Deipara tres martyrii causae superius recensitae.

***

Et primo quidem, quantum ad virtutem quae ad martyrium impellit, scilicet *charitatem*, ex qua martyrii perfectio dependet, cum in hoc actu homo maximum praesentis vitae bonum, quod est vita ipsa, propter Deum despicit (2 2^{ae} Quaest. CXXIV, art. 3), nulli ambigendum est eam in Beata Virgine adeo intensam fuisse, cum sese mortis discrimini propter Christum exposuit, ut ad ipsam potiori iure spectet illud (Io. XV, 13):

(1) Huiusmodi sunt, puta, sancti pontifices Eusebius, Marcellus, Martinus, etc.

« *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* ».

Pariter, quod attinet ad martyrii *finem*, nihil ex hoc capite defuisse dicendum est perfectioni martyrii Deiparae, quum hoc ipso quod Iesum ad Calvarium comitata, iuxta Crucem morientis Filii intrepida constiterit, testificata sit se vere esse illius Matrem secundum humanitatem; et sic splendidissimum testimonium reddiderit veritati Incarnationis Domini, quod est maximum Dei opus, et fidei Christianae principale mysterium.

Denique, quantum ad speciem ipsius actus martyrii, dicendum quoque est nihil prorsus defuisse martyrio Virginis, prout comparatur ad virtutem proxime elicientem ipsum, scilicet ad *fortitudinem*, licet actus ipse martyrii completus non fuerit.

Revera, martyrium pertinet, ut dictum est, ad virtutem fortitudinis, secundum quod quis « *fidem et iustitiam non deserit propter imminentia pericula mortis, quae etiam in quodam certamine particulari a persecutoribus imminent* » (2 2^{ae}, loco cit. art. 2). Ad fortitudinem autem spectat voluntatem hominis ita tueri, ut non retrahatur a bono rationis propter timorem mortis corporalis, sive illius mortis quae in bello communiter dicto imminet, sive cuiuscumque alterius mortis quam quis subire non refugiat propter virtutem : unde fortis dicitur non solum miles qui propter reipublicae defensionem mortis periculo se obiicit, sed etiam qui non refugit amico infirmanti inservire propter timorem mortiferae infectionis, aut qui, non obstante naufragii aut latronum periculo, iter suscipit ad aliquod pium negotium prosequendum (Ibid. Quaest. CXXIII, art. 5).

Quae cum ita sint, dicenda est Deipara actum maximae fortitudinis elicuisse, cum propter timorem mortis, Christo patienti et morienti adsistere non refugerit. Quod autem verum immineret mortis periculum, nulli dubium esse potest parumper consideranti iudaeorum odium in Christum usque ad eius apostolos et potissime usque ad eius Matrem extendi debuisse; nam quos diabolus excitaverat ad occidendum Messiam, excitare etiam debuit ad delendos de terra eius apostolos et praecipue eius secundum carnem Genitricem. At Apostoli, relicto Christo, aufugerunt, Maria autem non aufugit; sed incerta eventus, certa tamen odii diaboli et iudaeorum, certo se mortis discrimini obtulit, ut Christum morientem confiteretur.

Quod autem usque ad sanguinis effusionem martyrium Beatae Virginis non fuerit perductum, hoc citra Mariae intentionem fuit, sed factum est ex ipsiusmet Verbi dispensatione, cuius divina potestas impedivit ne quisquam ex eius sequacibus violentam mortem in passione sua incurreret, cum ait (Io. XVIII, 8): « *Dixi vobis quia ego sum : si ergo me quaeritis, sinite hos abire* » (Cf. Comment. S. Thomae in h. l.).

***

Quapropter concludendum est martyrium Beatae Virginis per omnia excellentissimum fuisse, nisi quod ad mortem usque perductum non fuerit; sed hoc nihil eius merito detrahit ; cum, quantum erat in se, omnia posuerit quae ad martyrii rationem constituendam concurrunt : quinimmo dicendum est missionem invisibilem Spiritus Sancti, quae attenditur secundum augmentum notabile gratiae cum quis ex fervore charitatis exponit se martyrio (1. Quaest. XLIII. art. 6. ad 2^{m}), tunc factam fuisse ad Beatissimam Virginem, quam proinde Ecclesia *Martyrum Reginam* invocat; unde et Bonifacius Papa IV, die 13 Maii 609, Romae consecravit templum Pantheon Beatae Mariae Virgini et Martyribus, quod propterea *S. Maria ad Martyres* appellatum est.

***

At, non solum quia mortis periculo se obiecit propter Christi fidem testificandam, Beata Virgo dicitur martyrum Regina, sensu explicato, sed etiam mystica quadam ratione, videlicet propter ingentes animi dolores quos toto vitae mortalis decursu propter Christum sustinuit. Qui ut rite intelligantur, ponderanda est, secundum quadruplex causarum genus, excellentia virginei doloris.

Et primo quidem, profundissima dicenda est Deiparae tristitia propter excellentiam causae *efficientis* illiusmet. Causa enim tristitiae Virginis fuit passio Christi, cui Beata Virgo compassa est; praeterea, quia *quod est causa causae est causa causati*, ideo magnam ei tristitiam ipsa illius passionis causa attulit, videlicet ingentia et pene innumera hominum peccata ; sed et ea quae ex Christi passione indirecte secuta sunt Deiparae doloris causa exstiterunt, nempe praevisus suae gentis casus, discipulorum scandalum, necnon perditio tot hominum et pro eis inutilis reddita ipsa meritorum Christi copia.

Haec autem Christi passio eo vel potissime beatissimam Mariae animam transfixit, quod sciret pro semetipsa magis quam pro alio quocumque sancto quodammodo ordinari Filii passionen : non quidem ex qua parte passio Christi salutem nostram est operata per modum *satisfactionis* et *sacrificii*, nulli enim poenae sanctissima Virgo subiacuit, nec ipsi Deus fuit placandus ; sed secundum quod Christi passio hominem a peccato originali *redemit*, ipsique salutem aeternam *meretur*. Esto enim quod Beata Virgo peccato originali nunquam subiacuerit, tamen ab ipso praeservari debuit intuitu Christi passionis : plus vero est quodammodo praeservari quam liberari. Cum autem omnis gratia et gloria sit homini derivata ex Christi passione, B. Virgo autem omnes sanctos in gratia et gloria superet, sequitur Christum pro ipsa etiam ex hoc capite specialissime passum fuisse (Cf. 3, Quaest. XLVIII).

Sed et causae *materialis* excellentia optime deducitur ex summa perceptibilitate patientis secundum animam, cuius vires interiores efficacissime apprehendebant omnes et singulas tristitiae causas.

Pariter causae *formalis* praestantia deducitur ex vehementi Mariae in Deum et in Filium amore, necnon ex doloris puritate, videlicet, ex carentia omnis cuiuscumque consolationis, iuxta illud (Thren. I. 2): « *Non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius* ». Ubi hoc quoque notandum est, videlicet aliquid maius ex hac parte decernendum videri de Deipara quam de Christo: siquidem Dominus Noster tristitiam expertus est in parte sensitiva animae, necnon in ratione inferiori; at ratio superior, quae videlicet intendit aeternis inspiciendis et consulendis (S. Augustinus l. XII de Trin. c. 7), ex parte sui obiecti pati non potuit; hoc enim obiectum erat Deus, quem Christus semper vidit facie ad faciem, etiam tempore passionis suae, et ex quo summam delectationem summumque gaudium percipiebat, quemadmodum beati in coelo, cum hac differentia quod ista beatitudo in Christo continebatur in parte superiori, nec ad inferiores partes redundabat, sicut redundat in beatis; et hoc quia in Christo, ex divina dispensatione, unaquaeque pars agebat et patiebatur quae propria (3, Quaest XLVI. artic. 7). At aliter dicendum est de Beata Virgine, quae beatifica visione carebat, cuius proinde dolor nulla delectatione temperatus totam eius animam occupavit, iuxta illud (Thren. II. 13): « *Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, filia Ierusalem? Cui exaequabo te et consolabor te, virgo filia Sion? Magna est enim velut mare contritio tua* ».

Demum ostenditur excellentia compassionis Mariae ex *fine* illius, qui fuit ut iustitiae divinae, una cum Christo, satisfaceret, et ut misericordiam Dei provocaret. Siquidem, Beatae Virginis dolores, sicut et passio Christi Domini, habuerunt quidem rationem poenae *satisfactoriae*, non autem poenae *simpliciter*. Ratio distinctionis est quod poena satisfactoria ea est, quam quis *secundum voluntatem* subit, sive pro propriis, sive *pro alienis culpis*, in quantum scilicet plures communicatione gratiae uniuntur. Poena autem simpliciter est malum inflictum in vindictam *proprii peccati et contra subeuntis voluntatem* (3 Quaest. LXXXVI. art. 4).

Ad quod plenius intelligendum, sciendum est quod dolor est malum quoddam quod habet rationem poenae: poena autem peccato debetur. Porro peccatum est actus inordinatus, in quo est et bonum physicum et malum morale. Poena e contra, est privatio ordinata, et in ipsa est malum physicum et bonum morale. Quocirca poena ordinatur ad reparandum ordinem laesum per peccatum. At laeditur ordo divinus per peccatum et quantum ad iustitiam Dei, in quantum peccator, veluti sacrilegi furti reus constituitur erga Deum debitor; laeditur vero ordo divinus et quantum ad misericordiam, in quantum intercipitur fons divinorum beneficiorum. Quapropter summa debuit esse et Christi et Beatissimae Virginis suscepta poena, ut efficaciter redintegrari valerent iustitia et misericordia Dei. Et sicut Christus factus est *vir dolorum* (Is. LIII. 3), ut fieret nobis *sapientia a Deo et iustitia et sanctificatio et redemptio* (1 Cor. I. 30), ita Beatissima Virgo *Martyrum Regina* fuit constituta, per quam, tamquam per Filii sociam, copiosior redemptio, quantum ad iustitiae et misericordiae redintegrationem, proventura nobis erat.

* * *

Haec recoluisse iuvabit, ut appareat quid, iuxta theologiae rigorem, de virgineo dolore sit decernendum, simulque ostendatur quanti sit facienda devotio in Deiparam perdolentem, quae praedestinata a Deo est, ut per maternam compassionem esset humani generis corredemptrix, sicut Christus praedestinatus est ut esset hominum Salvator per passionem suam. Re quidem vera nihil magis ad Ecclesiae aedificationem pertinet, quam ut pios devotionis sensus erga Christum patientem et Beatissimam eius Matrem ipsi compatientem in hominum animis excitent sacri concionatores: sic enim fiet ut copiosam a Filio Dei allatam redemptionem fideles facilius percipiant, et suam aeternam salutem consequantur.

Fr. Alexius Maria Lépicier
Ord. Serv. B. M. V.

II.

Hymnus in honorem S. Antonii Patavini.

Hunc hymnum, seu eius exemplar nuper Romae inventum diversae Ephemerides ecclesiasticae divulgarunt. Compositus fuit, uti videre est, in honorem Sancti Thaumaturgi Antonii Paduensis. Ubinam originem habuerit hymnus, ignoramus, nec inquirimus. Hic idem inseritur, non curiositatis gratia sed devotionis ergo, praesertim pro usu Franciscalium Tertiariorum, qui post S. Patrem Franciscum, magna devotione feruntur in S. Antonium. Sit ergo:

Te Antonium in Deo laudamus, te servum Dei confitemur.

Te benignum patrem pius omnis veneratur.

Tecum omnes Angeli, tecum coelorum universa potestas;

Tecum Cherubim et Seraphim unanimes et nobiscum voce Deo conclamant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

Plena est omnis terra multitudinis miraculorum tuorum.

Tecum gloriosus apostolorum chorus;
Tecum prophetarum laudabilis numerus;
Tecum martyrum candidatus exercitus.
Te sanctum in orbe terrarum cum sancta pronuntiavit Ecclesia.
Patrem immensae maiestatis et Unicum Filium.
Sanctum quoque Paraclytum Spiritum.
Tu ad Regis gloriam Christi.
Tu ad subveniendum hominibus non horruisti pro S. Virginis Filio quodlibet asperum.
Tu despecto mortis periculo praeposuisti regna coelorum.
Tu in sedibus aeterni Regis sedes in gloria Dei.
Judicis venturi crederis esse placator.
Te ergo quaesumus tibi devotis famulis intercedendo subveni, quos pretioso Sanguine Christus redemit.
Aeterna cum sanctis suis impetra nos gloria numerari.
Salvum faciat precibus tuis populum suum Dominus et benedicat haereditati suae.
Et regat eos, et extollat illos usque in aeternum.
Per singulos dies benedicimus te, servum Dei.
Et laudamus te, Antoni, ut dignetur Dominus die isto sine peccato nos custodire.
Misereatur nostri Dominus, misereatur nostri.
Fiant miracula tua super nos quemadmodum speravimus in te.
In te, Antoni de Padua, post Deum speravi, non confundar in aeternum.

ROMANAE INSTITUTIONES

I.

Casus Conscientiae propositus et solutus Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli.

III.

De impedimento erroris.

Die 29 Decembris 1902 hora 15 1/4 (3 1/4 pom.)

Titius iuvenis germanus, qui, utpote primogenitus familiae praedivitis et antiqua nobilitate conspicuae, a patre defuncto comitis titulum et bona plurima haereditavit, in animo habet, hortante etiam matre, uxorem ducere. In statutis autem suae familiae diuturna consuetudine inviolabiliter servatis cautum est, ut primogenitus uxorem aequalis conditionis sibi sumat. Titius certior fit ab amico, quem in civitate mediolanensi primo cognovit, ibidem commorari Bertam optimae indolis puellam filiam unicam Caii comitis, praenobilis et ditissimi viri, et literis peramantissimis eam in uxorem petit. Verum Bertae cubicularia, vaferrima mulier, has literas intercipit, iisque suppressis ad Titium rescribit sub falso Bertae nomine. Responso accepto in Germaniam proficiscitur, ibique mira dexteritate utens, simulat se esse Bertam, et cum Titio matrimonium contrahit illudque consummat, omnia deinde manifestans.

Quaeritur:

1. *An et qualis error in matrimonio contrahendo illud dirimat?*

2. *Quo iure erroris impedimentum matrimonium dirimat?*

3. *An matrimonium, de quo in casu, irritum sit ob errorem qualitatis redundantis in personam?*

Respondeo ad 1um — cum S. Thoma qui in Summa Theologica (Suppl. qu. 51 a 1.) quaerit: *Utrum error convenienter ponatur impedimentum matrimonii*, et respondet « dicendum quod « quidquid impedit causam de sui natura, impedit effectum « similiter. Consensus autem est causa matrimonii, ut dictum « est (qu. 45 a. 1). Et ideo quod *evacuat* consensum, *evacuat* « matrimonium. Consensus autem voluntatis est actus, qui prae- « supponit actum intellectus. Deficiente autem primo (i. e. prae- « supposito) necesse est defectum contingere (etiam) in secundo « (i. e. in eo quod pendet a praesupposito). *Et ideo* quando « error cognitionem impedit, sequitur etiam in ipso consensu « defectus; et per consequens in matrimonio. Et sic error de « *iure naturali* habet quod *evacuat* matrimonium ».

Evacuare matrimonium Angelico Doctori manifesto est idem quod *nullum reddere*, seu *dirimere* matrimonium; consensum vero *evacuare* idem, quod *nullum reddere* consensum. Eatenus igitur et eatenus tantum error evacuat, seu nullum reddit, dirimit matrimonium quatenus evacuat seu nullum reddit consensum qui est causa efficiens matrimonii. Hoc enim ex natura sua est contractus qui per mutuum viri et mulieris consensum perficitur, sive agatur de matrimonio inter christianos quod est elevatum ad dignitatem Sacramenti, et dicitur matrimonium *ratum*, sive agatur de matrimonio inter non baptizatos seu infideles, quod est simplex contractus et dicitur matrimonium (mere) *legitimum*.

Unde statim oritur dubium ulterius, quod S. Thomas ponit in articulo 2° eiusdem quaestionis 51ae Supplementi: *Utrum omnis error matrimonium impediat*, ita nimirum ut etiam *dirimat* iam contractum. Quod enim non de impedimento impediente *tantum* hic agatur, id ex modo dictis iam patet, et insuper S. Doctor in quaestione praecedenti, quae est de impedimentis matrimonii *in generali*, iam posuit errorem inter ea impedimenta « quae contrariantur his quae sunt de essentia matrimonii » et faciunt ut non sit verum matrimonium; et ideo dicuntur non solum impedire contrahendum, sed dirimere iam contractum. — Porro ad dubium propositum in a. 2° quaestionis 51ae pariter respondet « dicendum quod sicut error ex hoc quod involunta- « rium causat, habet excusare peccatum, ita habet quod matri- « monium impediat *ex eodem* (i. e. ex eadem ratione quatenus sc. « reddit matrimonium involuntarium). Error autem non excusat « a peccato nisi sit illius circumstantiae, cuius appositio vel « remotio facit differentiam liciti et illiciti in actu. . . . . *Unde « oportet quod error qui matrimonium impedit sit alicuius eo- « rum quae sunt de essentia matrimonii.* Duo autem includit « ipsum matrimonium, sc. personas duas quae coniunguntur, « et mutuam potestatem in invicem, in qua matrimonium con- « sistit. Primum autem tollitur *per errorem personae*; secundum « *per errorem conditionis*, quia servus non potest potestatem sui « corporis libere alteri tradere sine consensu sui domini. Et « propter hoc hi duo errores matrimonium impediunt, *et non alii* ». Ita in corpore articuli; in responsione autem ad 1um addit:

« Sed conditio servitutis non impedit, *si servitus sciatur* », quod deinde pluribus exponit in quaestione 52.ª

Error proinde qui sit circa *personam ipsam* cum qua contrahitur matrimonium, iuxta S. Thomam evacuat seu dirimit matrimonium, quia versatur circa essentiam matrimonii, seu circa substantiam ipsius contractus matrimonialis, qui per consensum perficitur. Error vero qui sit tantum circa *qualitatem* non invalidat consensum simpliciter, et propterea non dirimit matrimonium, nisi, ut communiter tradunt doctores, in duplici casu: 1° sc. si qualitas, quaecumque sit, ponatur explicite ut conditio *sine qua* alterutra pars non intendit contrahere; tunc enim consensus est essentialiter conditionatus qui non transit in absolutum nisi verificata conditione; 2° si qualitas est talis, ut habita ratione status contrahentium, error unius circa qualitatem illam in altero aequivaleat errori personae seu, ut dici solet, *redundet in errorem personae*. Qua de re etiam S. Thomas loquitur in citato art. 1 quaestionis 51ªᵉ Supplementi, *ad quintum*: « dicendum, quod « error nobilitatis, *in quantum huiusmodi* (i. e. in quantum « est simpliciter error qualitatis), non evacuat matrimonium, « eadem ratione qua nec error (alterius) qualitatis. Sed si error « nobilitatis, vel dignitatis, *redundat in errorem* personae, tunc « impedit (i. e. evacuat seu dirimit) matrimonium. Unde si con« sensus mulieris feratur *in istam personam directe*, error nobi« litatis ipsius non impedit matrimonium; si autem *directe intendit* « *consentire in filium regis*, quicumque sit ille, tunc si alius « praesentetur ei quam filius regis, *est error personae*, et im« pedietur matrimonium ».

Haec commentans egregie ait Billuart (De Matrim. Dissert. 7. a. 1): « Censetur autem error qualitatis involvere errorem « personae, quando consensus contrahentis fertur *primario et* « *directe in illam qualitatem*, seu in personam *sub hac qua*« *litate;* et tunc censetur intendere directe et primario hanc « qualitatem, quando, antequam personam cognoscat, concipit « personam cum qua vult contrahere, hic et nunc sub certa qua« litate *non communi*, ut est bonitas, opulentia, virginitas, sed « *particulari et individua* ut quod sit filius regis, quod sit pri« mogenitus talis familiae; unde si contrahens intendat consen« tire in filium regis, aut primogenitum, *quicumque ille sit*, et « alter ei offeratur, est error personae dirimens matrimonium. « Si vero prius personam cognoscat, et cum ea vult contrahere « quamvis moveatur qualitate circa quam errat, *non censetur* « *intendere directe et primario illam qualitatem*, nec ideo error « huius qualitatis involvit errorem personae, nisi apponatur (cum « intentione actuali aut saltem virtuali) ut conditio (sine qua « non) ».

Sponte hic occurrit memoriae matrimonium Liam inter et Jacob (Gen. XXIX), quod videtur vèrum fuisse matrimonium non obstante errore personae; sed respondet S. Thomas cum magistro sententiarum, matrimonium illud non fuisse perfectum ex concubitu, qui ex errore contigit, sed ex consensu qui postmodum accessit (Suppl. q. 51 a. 1 ad 4).

Neque hic agebatur de errore qualitatis redundantis in personam, verum de errore circa ipsam personam, cum qua Jacob voluit contrahere; nam loco Rachel oblata est ei Lia quam, cum vespere esset, non potuit statim agnoscere.

Resp. ad 2ᵘᵐ — Errorem circa personam, vel circa qualitatem redundantem in errorem personae, natura sua, et proinde *ex iure naturae* dirimere matrimonium, satis per se patet, cum afficiat ipsam essentiam matrimonii et objectum primarium consensus, ut supra habemus ex S. Thoma.

Idem porro *videtur* S. Doctor docere de errore circa conditionem servilem unius vel alterius contrahentium, quae nimirum ab altera parte *ignoretur*; servitus enim *scita* etiam iuxta ipsum non dirimit matrimonium. Si vero servitus ignoretur, i. e. si una pars contrahens ex errore putet alteram partem esse liberam dum e contra est conditionis servilis, ita sc. ut tanquam verum mancipium sit totaliter in potestate domini tanquam eius possessio (Billuart l. c.), tunc etiam huiusmodi error, iuxta S. Thomam, loco superius citato, versatur circa aliquid eorum, *quae sunt de essentia matrimonii* nimirum « circa mutuam potestatem (coniugum) in invicem », quatenus nimirum servus (proprie dictus) « non potest potestatem sui corporis *libere* alteri tradere sine consensu sui domini ». Et complectens errorem circa conditionem servilem una cum errore circa personam reapse concludit: « Et propter hoc *hi duo errores* matrimonium impediunt, *et non alii* ». Unde, si error personae *ex iure naturae* ita impedit matrimonium contrahendum, ut etiam dirimat contractum, idem de errore circa conditionem servilem videtur dicendum.

Verumtamen S. Doctor loquens in quaestione 52ª ex professo de impedimento conditionis servitutis, ait in art. 1° ad 3ᵘᵐ expressis verbis: « *Iure positivo determinante* est factum quod servitus ignorata matrimonium impediat, ne aliquis sine culpa puniatur; est enim quaedam poena uxoris quod habeat virum servum, et e converso ».

« Unde, ait rursus Billuart (l. c.), quando S. Doctor . . . . « probat *ratione*, servitutem ignoratam dirimere matrimonium, non « adducit rationem *convincentem*, sed *convenientem* tantum, qua « motum fuit ius positivum, ut tale impedimentum statueret. Nec « enim diffitemur ius humanum quo irritatur matrimonium con« tractum ex errore servitutis, habere maximum fundamentum in « iure naturae, eo quod sit magna inaequalitas in tam gravi « contractu, cum pars libera tradat plenam sui corporis potestatem « serva autem restrictam et secundum quid impeditam; tum etiam « quia officit aliquo modo bono prolis, quae non ita commode pos« set educari in tali coniugio, eo quod non posset esse ita con« tinua et libera habitatio coniugum simul: hae tamen rationes « non sufficerent ut *de se* dirimerent matrimonium nisi accederet « jus positivum; alias servitus scita etiam dirimeret, cum eadem « incommoda importet ».

De errore conditionis, seu servitute ignorata agitur in lib. IV Decretalium cap. 2, 3 et ultimo *de Coniugio Servorum*, et in Decreto Gratiani cap. *Si quis ingenuus* causa 29, quaest. 2.

Caeteroquin servitus proprie dicta feliciter exulavit a societate Christiana, quamobrem matrimonium invalidum ex hoc capite saltem in Europa vix occurret, nisi forte in partibus turcici imperii, aut si quae personae, servituti adhuc mancipatae, in alias Europae partes aliunde adveniant (Cf. Buccer. Theol. Mor. II, n. 1022).

S. Alphonsus de impedimento erroris egregie, more suo, tractat in Theol. Mor. l. 7. a n. 1008 ad n. 1022, ubi eadem fere quae supra, sed fusius, exponit.

Resp. ad 3ᵘᵐ. — Si iam accedimus ad discutiendum casum propositum, qui quidem posticae cuiusdam fictionis speciem prae se fert nec tamen ideo impossibilia referre censendus est, sat facilis solutio apparet, nec ullum dubium quin matrimonium inter Titium et Bertae cubiculariam irritum sit ob errorem qualitatis redundantis in personam, nisi potius simpliciter irritum dicatur ob errorem personae.

Sane Titius, ut erat praedivitis ac nobilissimae familiae primogenitus, *a statutis familiae diuturna consuetudine inviolabiliter servatis* recedere ac propterea aliam uxorem *nisi aequalis conditionis* accipere noluit. *Ideo* cogitat de ducenda Berta, quam amicus Mediolani degens ei describit ut optimae indolis puellam et *filiam unicam Caji Comitis, praenobilis et ditissimi viri*, et quam ipse non cognoscit nisi ex amici descriptione. Mirum utique videri potest quod statim *literis peramantissimis* eam in uxorem petierit, quin unquam vidisset, at esto: certo mens eius fuit, voluntas, intentio, ducere filiam unicam Caji Comitis, praenobilis et ditissimi viri, ut ipse Titius erat. Sed ecce intervenit vaferrima Bertae cubicularia, quae litteris primum sub falso nomine Bertae scriptis, deinde verbis etiam ac tota agendi ratione artificiose composita se Bertam simulat et a Titio in-

uxorem sumitur, qui certo certius putat, se ducere *filiam unicam Caji Comitis, praenobilis et ditissimi viri*, et postea, matrimonio contracto et iam consummato, comperit se loco Bertae eius cubiculariam duxisse.

Profecto matrimonium illud invalidum fuit. At cur? Prima fronte videtur respondendum, ob *errorem qualitatis redundantis in personam*. Nam Titius voluit omnino ducere uxorem aequalis conditionis, divitem sc. ac nobilem, ut ipse erat, ac talem putabat esse feminam illam, cum qua contraxit matrimonium; si vero talem non putasset nunquam duxisset, quia illam duplicem qualitatem *primario et directe* in sponsa intendebat: error igitur circa huiusmodi qualitatem vel qualitates erat sane pro ipso error qualitatis redundans in personam et proinde irritans matrimonium.

Et hoc verum fuisset etiam in hypothesi quod circa personam ipsam non errasset, sed reapse personam, ab amico sibi designatam, duxisset, quae tamen falso se iactasset Caji Comitis filiam, praenobilis ac ditissimi viri, dum e contra esset vaferrima quaedam mulier conditionis plebeiae. At in casu Titius circa ipsam personam et ex toto deceptus est, sicut Jacob quando Liam accepit, loco Rachelis; nam loco filiae Caji Comitis accepit ejus cubicularíam. Et sicut matrimonium Jacob cum Lia fuit ab initio omnino invalidum ex errore personae nec postea validatum est ex copula coniugali, sed per novum consensum, ita et in casu nostro matrimonium penitus invalidum habendum est ex errore personae. Et Lia quidem veniam meruit, quia Laban potius, eius pater, quam ipsa Jacob decepit; at vaferrima illa cubicularia Bertae, quae et dominam suam et Titium sponsum tam indigne artibus suis delusit, nonnisi poenam meruit crimini parem.

Posset tamen fieri hypothesis quaedam, in qua aliud iudicium esset ferendum. Et siquidem plura in casu proposito *ficta* potius quam *facta* videntur, possumus et nos fingendo aliquid addere, idque cum bona pace viri poëtae qui casum composuit. Fingamus ergo, seu ponamus, cubiculariam illam vaferrimam Titium tandem adeo in amorem sui rapuisse, tum venustate sua, tum blanditiis, tum omni alio genere muliebrium artium, ut Titius aliorum omnium veluti oblitus, ipsam ac nonnisi ipsam in uxorem ducere voluerit, immo et iuramento quodam amatorio ad hoc se obstrinxerit, quaecumque tandem esset. Quid tunc? Equidem puto, in matrimonio contrahendo semper considerandam esse intentionem contrahentis, hic et nunc praevalentem: si ergo ista feratur in personam praesentem *quaecumque illa sit*, tunc error quilibet circa eius originem vel qualitates ut accessorius habendus est, matrimonium vero ut validum.

At mera hypothesis est: nam in casu nihil apparet quod res ita contigisse suadeat.

Fr. Maurus M. Kaiser *O. Praed.*
Censor deputatus.

II.

Casus Liturgici propositi et soluti Romae, in Academia Liturgica.

III.

De Missa *pro Populo* a Parochis celebranda.

Die 7 Ianuarii, hora 3 1/4 a meridie.

Antoninus parochus, cum die quadam Dominica stipem recepisset pro Missa votiva canenda, eam sine difficultate applicat, ad diem sequentem applicatione amandata *pro populo*. Item, applicationem *pro populo* ad aliam diem transfert alia vice, eo quod die quadam Dominica Missam de requie cantat pro defuncto, cuius praesens est in sua Ecclesia cadaver. Similiter alia die duplici, cum funus agere debeat, praesente cadavere, et nullam recepisset pro Missa applicanda stipem, Missam quidem canit, quandoque legit, de requie ut in die obitus, sed pro defuncto non applicat. Denique, accepta pro Missa quadam votiva eleemosyna, illam legit de die, quamvis in semiduplici, et quandoque de requie, applicans tamen ad mentem offerentis. *Quaeritur*:

1. *Quo, quanto iure, et quibus diebus teneantur animarum pastores Missam applicare* pro populo, *et quaenam huiusce obligationis antiquitas?*

2. *Num praedicta obligatio adnexa dici debeat personae, loco et diei?*

3. *Licet ne Missam de requie facere ut in casu, quin pro defuncto applicetur?*

4. *Quomodo Antoninus iudicandus?*

SOLUTIO

In conventu Academiae die 7 Ianuarii 1903 habito super casu proposito disseruit R. D. Sylvius Bruzzesi Pont. Sem. Rom. Alumnus; Epitomen egit Rmus P. Bonaventura a Collepardo, O. M. Cap.

Ad 1. — Academia Liturgica recognovit parochos ad missam applicandam *pro populo* teneri, iuxta Tridentinum (*ses. 23 c. 1 de ref.*) ex *praecepto divino*; quod confirmarunt Ss. Pontifices Benedictus XIV (Const. *cum semper oblatas* 19 Aug. 1744) et Pius IX (Const. *Amantissimi* 3 Maii 1858). Haec obligatio numquam defuit, et adhuc viget, testante Ss. P. N. Leone XIII (Const. *In supremo* 10 Iunii 1882), omnibus diebus festis de praecepto, non exclusis festis quoad forum a Sede Apostolica suppressis. Pro diebus festis intelliguntur illi qui ab Ecclesia catholica recoluntur cum duplici praecepto, nec non festa localia, uti Patronus, cum eodem duplici praecepto celebrata. Cf. S. R. C. decreta 3042 ac 3189 novae Collectionis.

Quoad vero antiquitatem huius praecepti, Academia distinguit in Missa *pro populo*, sive *parochiali*, celebrationem et applicationem. Pro *celebratione* procul dubio testimonia habentur in Batiffol, ubi agit de conventibus fidelium pro divino officio, unde missa *conventualis* dicta fuit; pro *applicatione* autem, certo certius tempore Concilii Tridentini onus parochis missam pro grege applicandi saltem diebus festis, ubique iam inolevisse credendum est.

Ad 2. — Academia, tenet communem doctrinam, onus scilicet parochialis Missae esse *Personale* — *Reale* — *Locale* et *diei adnexum*.

Personale: Ideoque Parochus *per se* hanc obligationem adimplere tenetur, iuxta Fagnanum (c. *Extirpandae de Preb.*), Garziam (*de Benef. p. 3* n. 36) et S. Alphonsum (*c. 6, n. 326*). Porro S. Congr. Concilii pluries declaravit: *Parochos non posse per alium sacerdotem huic officio* (applicandi missam pro populo) *satisfacere excepto casu verae necessitatis, et concurrente causa canonica.* In *Mechlin.* 25 Sept. 1847.

Per *hanc veram necessitatem* intelligitur impotentia, nam eadem S. C. Concilii die 9 Apr. 1881 declaravit, parochum non impeditum, non posse diebus festis missam pro benefactoribus applicare, onus applicandi pro populo in alium sacerdotem transferendo. Idem dicatur de infirmitate.

Per *causam* autem *canonicam* intelligitur ex gr. quando Parochus qui simul sit Canonicus, die festo missam conventualem celebrare deberet; tunc alii Sacerdoti missam pro populo applicandam committere debet. (*S. C. C. 16 Dec. 1820*).

Locale: Hinc parochus debet missam pro populo celebrare

in ecclesia parochiali, uti probat Bouix *(de Parocho* p. 5. c. 6. prop. 7), cum Barbosa et Ferraris, et ex declaratione S. C. C. (*11 Martii 1720*). Hoc autem ordinario modo intelligi debet in praxi quia si Parochus alibi bona de causa degit, tunc ipse in loco ubi habitat Missam pro populo applicat in festis, et Sacerdoti cui suae paroeciae delegavit curam, celebrationem in parochiali ecclesia committit. (*S. C. C. 25 Sept. 1847 ad 4*). In casu enim scinditur *applicatio* a *celebratione*.

Applicatio, uti personalis, afficit parochum, licet ad tempus extra paroeciam degat, ipse enim est pastor et pro ovibus sacrificium offerre debet; celebratio, cum sit localis, fieri oportet in loco ut oves missam audire possint.

Quando autem parochus infirmus, per alium missam pro populo applicare nequeat, tunc post recuperatam sanitatem tot Missas celebrabit quot durante morbo omisit S. C. C. 14 Dec. 1872.

Diei adnexum: Benedictus XIV in citata Constitutione (§ 8) docet expresse onus huiusmodi nullam ob causam transferri posse ad aliam diem.

Quapropter S. C. C. d. d. 29 Junii 1819 declaravit: « Ad tramites Encyclicae Ss. D. N. 3 Maii 1858 recurrendum est a singulis parochis aliqua reductione indigentibus, super applicatione Missae pro populo, ut eam remittere possint in sequentem diem, audito voto Episcopi ».

Quod si parochi adeo sint pauperes ut ferme ex eleemosynis fidelium pro missis celebrandis vivere cogantur, tunc habent episcopi facultatem opportune dispensandi ad hoc ut eiusmodi parochi diebus festis, pro aliis applicent missam, dummodo infra hebdomadam pro populo applicent. (S. C. C. 26 Martii 1735, Benedictus XIV. Constit. citata).

Ad 3. — Academia liturgica, ad tramitem decreti S. R. C. d. d. 21 Februarii 1896 n. 3887, tenet, missam parochialem, diebus festis pro populo applicandam, respondentem esse officio diei iuxta Ecclesiae calendarium; ita ut si in die festo una tantum missa in parochiali ecclesia habeatur licet funus in die obitus alicuius esset celebrandum, debet missa esse omnino diei conformis (S. R. C 26 ian. 1771 ac. 14 aug. 1858 n. 3069).

Hinc in praenotandis quae leguntur in calendariis, explicite declaratur, in ecclesiis parochialibus, in quibus una tantum habetur Missa, haec nequit esse *votiva* in diebus Rogationum, aut in diebus suppressis; nec pro sponsis, neque de requiem, etiam praesente cadavere.

In casu autem proposito agitur de parocho qui in die *duplici* legit missam pro defuncto quin pro eo applicetur. Hoc certo certius prohibetur omnibus diebus 1. classis solemnioribus Ecclesiae Universalis, et particularium dioecesis; in aliis diebus praesente cadavere, licet missam de requie canere, sed supponitur ut et sacrificium pro ipso applicetur. Nihilominus, ex S. C. C. 27 Aprilis 1895 declaratione, missa in casu celebrari potest de requie, quin pro defuncto applicetur, quando parocho stipes non tradatur.

Ad 4. — Antoninus missam votivam legit die festo et eam applicat pro offerente. Dupliciter in hoc peccat contra Rubricas: 1° quia *votivam* legit, cum die festo missa concordare debet cum officio; et quia *pro populo* non applicat, cum applicatio huiusmodi diei festo est adnexa. 2° accipiens autem pro missa votiva eleemosynam, in die semiduplici legit missam de die, et aliquando pro defuncto. Academia, cum ex Rubrica, missa votiva vel de requie, nequeat celebrari *nisi ob legitimam causam*, tenet in casu proposito Antoninum non potuisse legere missam de *requie*, deest enim causa, quia missa, non pro defuncto sed ad mentem offerentis votiva celebranda erat.

Dr. Petrus Piacenza.

IV.

De festorum translatione recte ordinanda cum habentur festa *propria* vel *cum octava*.

Die 21 Ianuarii 1903, hora 3 1/2 a meridie.

Gelasius Presbyter Calendarium examinans suae Regularis Provinciae a confratre suo Opilio ordinatum pro anno proximo 1903, censoria virgula notat quae sequuntur: *a*) Officium S. Felicis a Cantalicio, duplex II classis cum octava, die 21 Maii occurrens, atque a solemnitate Ascensionis impeditum, translatum videt in diem 23, quae est III infra octavam, dum ea die inscribendum erat officium translatum pariter II classis, Patrocinii S. Ioseph a Festo S. Crucis impeditum. *b*) In ordine translatorum videt primos dies liberos occupatos esse ab officiis duplicibus maioribus S. Rochi, S. Mauri Ep. S. Iustinae Virg. et postea reposita conspicit duplicia maiora S. Dominici et S. Francisci C. quae, utpote a diebus anterioribus translata, prius erant inscribenda. *c*) Festa S. Isidori Agricolae, S. Ferdinandi Regis, S. Pulcheriae V., S. Gallae Vid., S. Emigdii suae provinciae concessa, uti *propria* considerata, animadvertit fuisse praelata officiis aliis, quae ad Ecclesiam universalem pertinent. Cum vero Opilius censuram non mereri contendat, eo quod, ipse ait, ad normam S R. C. Decretorum similes translationes peregit, ipse et Gelasius Academiae nostrae simul confectam miserunt Epistolam, in qua *postulant*:

1. *An S. R. C. Decretis novae Collectionis inspectis, nec non reformatis Rubricis, Festum habens octavam aliquo gaudeat in translatione privilegio super prius translata?*

2. *Utrum Festa omnia alicui Ecclesiae concessa, eo ipso uti* propria *eiusdem Ecclesiae, in sensu rubricae, haberi debeant?*

3. *Utrum* proprietas *Festorum vim habeat tam in repositione perpetua, quam in accidentali translatione?*

4. *Cuinam ex duobus contendentibus in casu ratio faveat?*

SOLUTIO.

In conventu Academiae die 21 Ianuarii 1903 habito, super casu proposito disseruit R. D. Iulius Rossi, Pont. Sem. Romani Alumnus; Epitomen egit Rmus D. Petrus Piacenza.

Ad 1. — Academia recognovit et tenet, quod *Festum habens octavam*, in translatione gaudet praeferentia super quodcumque festum etiam altioris ritus, quando remitti potest infra propriam octavam. Haec doctrina communis est apud omnes liturgistas; Cf. De Herdt *p. 4, n. 278*, et comprobatur ex S. R. C. decreto d. d. 13 Martii 1804 quod sic se habet: « Festum gaudens octava si transferri contingat, et dies non impedita occurrat priusquam octava finem habeat, in repositione praeferendum esse aliis Festis etiam maioris ritus; vel dignitatis prius translatis, quae tamen vel non gaudent octava, vel post eam transferentur ».

Quamquam istud decretum non amplius inveniatur in nova Collectione, nihilominus adhuc vim habere tenet Academia, eo quod Decretum d. d. 16 Februarii 1898, quo ipsa nova Collectio probatur, statuit: *decreta hucusque vulgata in iis quae a decretis in hac Collectione insertis dissonant, veluti abrogata esse*

censenda; atqui, citatum decretum 13 Martii 1804, in antiqua Collectione sub n. 4492, non solum *non dissonat*, sed novum decretum n. 3853, d. d. 23 Aprilis eadem de re latum, complet, ergo non esse abrogatum dicendum est. Enimvero cum aliquid disponat, quod non continetur neque in reformatis Rubricis, neque in ullo alio decreto novae Collectionis, vim suam non deperdidisse dicendum probe est, alioquin lacuna non parva in legibus liturgicis adesset.

Itaque festum ex. gr. duplex 2 classis, impeditum sua die 1. Iunii, praeferendum est Dedicationi Ecclesiae dupl. 1. clas. a die 18 Maii translatae, si antequam expleatur octava, aliqua adsit dies libera. In ea festum 2 classis, licet inferioris ritus, et posterioris translationis celebrandum est; quia omnes dies quibus constat octava, pro unico festo reputantur, ac proinde festum *habens octavam*, si infra illam reponi potest, praefertur cuicumque festo.

Ad 2. — Academia, iuxta S. R. C. decretum d. d. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 37, ex quo « officium proprium alicuius dioecesis si extendatur ad aliam dioecesim non debet praeferri Officio ecclesiae universalis »; distinctionem admittit inter festa *propria* alicuius Ecclesiae, festa *universalia*, ac festa *particularia* sed *non propria*.

Festa *propria*, sunt illa quae vel ex Rubricis, uti Dedicatio, et Titulus Ecclesiae vel Patronus loci, vel ex concessione S. Sedis aliquibus in locis celebrantur, uti sunt sancti cives, episcopi, illique quorum habentur corpora et similia. Festa *universalia*, sunt ea quae in calendario Breviarii Romani inscribuntur. Festa *particularia*, non sunt quidem ubique concessa, sed passim in fine Breviarii *pro aliquibus locis* inveniuntur, et ut plurimum implorata sunt, ut pauciores in calendariis localibus haberentur sedes vacuae. Haec sunt ex. gr. Officia Mysteriorum Passionis Domini, Desponsatio, Maternitas, Puritas B. M. V.; festa S. Gabrielis, Raphaëlis, etc. etc.

Academia optime recognoscit praeferentiam deberi festo *proprio*, in paritate ritus etc. supra festum universalis Ecclesiae, quia maiori et strictiori vinculo devincitur in loco. Quando vero agitur de festo *particulari* quidem, sed nullimode *proprio*, haec ratio deficit; imo alia ratio urget, melius est enim cum tota Ecclesia festum *universale* eadem die celebrare, quam officium persolvere, quod cum Ecclesia vel loco nullam habeat relationem specialem sicuti habent festa propria.

Quam ob rem decretum d. d. 24. Martii 1902 in quo praeferentia conceditur S. Isidoro supra S. Ioannem de la Salle, valet tantummodo pro Hispania, in qua Festum S. Isidori *magis est proprium*; alibi vero praeferendum est novum festum S. Ioannis B. de la Salle. Hoc tenet Academia, ac in praxi cum approbatione superiorum tenet redactor calendarii pro Clero Romano.

Ad 3. — Licet antiqui scriptores, et praxis universa nullam admittebant praeferentiam officiorum eiusdem ritus in translatione temporanea unius anni (Vide A. Carpo et de Herdt pro omnibus) nunc vero, bene inspectis novis Rubricis, in quibus non fit distinctio inter occurrentiam perpetuam et accidentalem, Academia antiquam praeferentiam in casu non admittendam esse censet.

Cum autem hodie officia duplicia minora accidentaliter impedita non amplius transferuntur; in praxi huiusmodi lex rarissime applicatur.

Ad 4. — Opilius 1. non erravit, transferendo officium S. Felicis in diem III. infra eius octavam, licet prius translata haberentur Patrocinium S. Ioseph, et S. Crucis eiusdem ritus, quia iam vidimus, festum gaudens octava ius habet praeferentiae in translatione, si reponi possit infra suam octavam.

2. Item non erravit praeferendo officia localia, uti *magis propria*, S. Mauri Ep. et S. Iustinae.

3. Erravit vero concedendo praeferentiam huiusmodi S. Rocho, S. Isidoro, S. Ferdinando, S. Gallae, et S. Aemidio, quia non sunt *propria* haec festa, sed *particularia*, quae proinde ut vidimus non praeferuntur *universalibus*.

Doct. Petrus Piacenza.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ
NE PEREANT

Mars 1903.

1 Dimanche

A l'occasion du 94e anniversaire de Sa naissance et du 25e Anniversaire de Son Couronnement, Léon XIII reçoit dans Sa Bibliothèque privée les hommages et les félicitations des Cardinaux présents en Curie. Les Cardinaux sont seuls, admis à l'audience, durant laquelle aucun discours n'a été prononcé.

3 Mardi

A l'occasion du 25e anniversaire du Couronnement de Sa Sainteté et de la clôture du Jubilé Papal de Léon XIII, une messe solennelle est célébrée dans la Basilique Vaticane par S. Em. le Card. Langénieux, en présence du Souverain Pontife et d'une assistance qui est évaluée à 60,000 personnes environ.

6 Vendredi

Le T. R. P. Paul de Pieve di Cotrone, Prédicateur Apostolique, prêche au Vatican le premier sermon de la Station du Carême.

7 Samedi

Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Cyriaque Marie Sancha y Hervas, Arch. de Tolède, est nommé Protecteur de l'Institut Œuvre de S. Pierre pour le Clergé indigène des Missions; — et S. Em. le Card. Joseph Calasanz Vivès y Tuto est nommé Protecteur de l'Institut des Sœurs de la Pureté de la T. S. Vierge, à Majorque.

8 Dimanche

Deux mille pélerins Belges, Allemands et Autrichiens sont admis à défiler en présence de Sa Sainteté.

9 Lundi

Le S. Père reçoit en audiences successives: LL. Em les Cardinaux Adolphe Ludovic Perraud, Ev. d'Autun — Joseph Prisco, Arch. de Naples; — Jean Puzyna; Ev. de Cracovie; — Joseph Sarto, Patriarche de Venise; — et Augustin Richelmy, Arch. de Turin.

10 Mardi

Le S. Père reçoit en audience un groupe de pélerins Anglais présidé par le Duc de Norfolk.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. François Désiré Mathieu, est nommé Protecteur des Cercles Catholiques des ouvriers en France.

12 Jeudi

Le S. Père reçoit en audience S. Em. le Card. Joseph Francica Nava de Bontifé, Arch. de Catane; — S. G. Mgr. Guillaume Schneider, Ev. de Paderborn; — et S. G. Mgr. Henri Ludovic Chapon, Ev. de Nice.

— Un certain nombre de pélerins de Nice sont reçus en audience dans la Salle du Consistoire.

13 Vendredi

Sermon de Carême au Vatican *coram SS.mo.*

— Le S. Père reçoit en audiences: LL. Em. le Card. Antoine Joseph Gruscha, Arch. de Vienne; — le Card. Georges Kopp, Prince Ev. de Breslau; — et le Card. Cyriaque Marie Sancha y Hervás, Arch. de Tolède; — ainsi que LL. GG. Mgr. André Jordan, Arch. de Goritz; — Mgr. Albert Léon Le Nordez, Ev. de Dijon; — Mgr. Edouard Dunne, Ev. de Dallas; — Mgr. François Nagl, Ev. de Trieste; — et Mgr. Jean Barret, Camérier secret surnuméraire de S. S. représentant de Mgr. l'Evêque de Brooklyn.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Joseph Calasanz Vivès y Tuto, est nommé Protecteur de l'Institut des Sœurs de S. Anne de la Providence de Turin.

14 Samedi

Le S. Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Dominique Svampa, Arch. de Bologne; — S. G. Mgr. François Hautin, Arch. de Chambéry; — et S. G. Mgr. Joseph Callegari, Ev. de Padoue.

15 Dimanche

S. Exc. M. Armand Nisard, Ambassadeur de France près le S. Siège, présente au S. Père les Lettres qui l'accréditent en qualité d'Ambassadeur Extraordinaire pour offrir à Sa Sainteté les vœux et les félicitations du Gouvernement français à l'occasion du Jubilé Papal.

— Le S. Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Benoît Marie Langénieux, Arch. de Reims; — LL. GG. Mgr. Arthur Stanislas Touchet, Ev. d'Orléans; — Mgr. Jules Marie Ludovic de Carsalade Dupont, Ev. de Perpignan; — Mgr. Constantin Marie Douais, Ev. de Beauvais; — et Mgr. Pierre Pace, Arch. Ev. de Malte; — ainsi que M. le Comte Arco-Zinneberg, et Mme la Comtesse de Stolberg-Stolberg.

16 Lundi

Le S. Père reçoit en audience de congé S. Exc. M. Pedro Diez de Rivera y Muro Comte d'Almodovar, Ambassadeur Extraordinaire d'Espagne.

— S. Exc. M. le Dr. Emmanuel Marie de Peralta, Ministre de Costarica près le S. Siège et S. Exc. M. le Dr. Bruno Chaves, Ministre du Brésil près le S. Siège, offrent au S. Père les hommages de leurs Gouvernements, à l'occasion du Jubilé Papal.

— M. le Comte Camille Pecci, Lieutenant surnuméraire de la Garde-Noble avec le grade de Brigadier général, est nommé Commandant de la Garde-Palatine d'honneur, en remplacement de M. le Comte Fortuné Crostarosa démissionnaire.

— Le S. Père reçoit en audiences: S. Exc. M. le Comte de Khevenhüller Metsch, Bailli de l'Ordre de Malte, Ambassadeur titulaire de Sa Majesté Apostolique: — LL. GG. Mgr. Joseph Médard Emard, Ev. de Valleyfield; — Mgr. Michel Hoban, Ev. de Scranton; — Mgr. Jean Joseph Koppes, Ev. de Luxembourg; — Mgr. Albert Bitter, Ev. Tit. de Doliche, Vic. Ap. de la Suède; — Mgr. Benoît Tommasi, Arch. de Sienne; — Mgr. Thomas De Stefano, Arch. de Trani et de Nazareth; — ainsi que M. le Prince et Mme la Princesse de Croij; — Mme la Princesse de Béarn; — M. le Général de Charette; — M. le Comte Hompesch-Bollheim et Mme la Comtesse Stolberg-Stolberg; — M. le Commandeur Léon Harmel; — M. François Veuillot, et plusieurs autres personnages étrangers.

17 Mardi

Congr. Préparatoire des S. Rites, tenue au Vatican pour examiner l'héroïcité des vertus de la Vén. Jeanne d'Arc.

19 Jeudi

Par Billets de la Secrétairerie d'Etat S. Em. le Card. Jérôme Marie Gotti, est nommé Protecteur des Sœurs de l'Assomption; — et S. Em. le Card. François Désiré Mathieu, est nommé Protecteur de l'Association de S. François de Sales de Paris.

22 Dimanche

Le S. Père reçoit en audience une députation des étudiants des Universités catholiques de l'Autriche, de l'Allemagne et de la Suisse.

23 Lundi

Le S. Père reçoit en audience S. G. Mgr. Joseph Mora, Ev. de Tulacingo.

24 Mardi

Le S. Père reçoit en audience plusieurs personnages venus à l'occasion du Jubilé Pontifical.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Barthélémy Bacilieri, Ev. de Vérone, est nommé Protecteur du Monastère des Clarisses de Vérone.

27 Vendredi

Sermon du Carême au Vatican, *coram SS.mo.*

28 Samedi

Par Billets de la Secrétairerie d'Etat: S. Em. le Card. François de Paule Cassetta, est nommé Protecteur de la Société Antiesclavagiste Italienne, et de l'Archiconfrérie des Jurisconsultes de S. Yves; — S. Em. Card. Dominique Ferrata, est nommé Protecteur de la Congrégation des Prêtres du T. S. Sacrement; — S. Em. le Card. Raphaël Pierotti, est nommé Protecteur des Garde-malades Tertiaires Dominicaines de S. Catherine de Sienne; — et S. Em. le Card. Joseph Calasanz Vivès y Tuto, est nommé Protecteur du Tiers Ordre Régulier de S. François et de S. Félix de Cantalice, à Cracovie.

29 Dimanche

Le S. Père reçoit en audience S. A. R. la Duchesse Pauline, Veuve de Saxe-Weimar Eisenach.

— S. Em. le Grand Maître de l'Ordre de Malte offre au S. Père ses hommages et ses félicitations pour le Jubilé Pontifical.

— Le S. Père reçoit en audience S. G. Mgr. Stanley, Auxiliaire de S. Em. le Card. Vaughan, Arch. de Westminster.

31 Mardi

Le S. Père reçoit en audience S. A. la Duchesse de Mecklembourg-Schwérin.

— Séance Antipréparatoire de la S. C. des Rites tenue auprès de S. Em. le Card. Vincent Vannutelli, Ponent, pour examiner les deux miracles proposés pour la Béatif. du Vén. Etienne Bellesini, Curé de N. D. du Bon Conseil, à Gennazzano.

F. C.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister.
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Arch. Myren. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente*.

Roma - 1903 - Tip. Agostiniana, Banchi Nuovi, 36.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS UNDECIMUS

FASCICULUS QUARTUS - APRILIS 1903

SUMMARIUM

ANALECTA NOVA

EX ACTIS LEONIS XIII ET E SECRETAR. BREVIUM

Duae novae dioeceses eriguntur in insula Cubana, aliaeque eduntur dispositiones ad rei catholicae incrementum.

LEO PP. XIII

Ad futuram rei memoriam.

Actum praeclare a divina Providentia cum Cubana insula est, quae regio praedives maximeque frugifera, quemadmodum immortali viro Christophoro Columbo patuit e primis, ita maturius lumini christianae veritatis accessit. Quo Dei beneficio celerrime per eas gentes diffuso, Leo X, Decessor Noster, minime dubitavit parochialem ecclesiam S. Iacobi de Cuba in cathedrae episcopalis honorem provehere. Aucto fidelium numero, eadem provinciae caput, seu metropolitana declarata est a Pio VII P. M., die XXIV mensis Septembris anno MDCCCIII, subiecta illi sede Avanensi, quam eiusdem nominis Decessor Pius VI instituerat. Haec vero Pontificum romanorum haud intermissa sollicitudo, ab iisdemque permissum Hispaniae regibus munus tuendi tam felices insulas, rei catholicae apud Cubanos proximosque incolas talia in dies incrementa attulerunt, qualia vix a confirmatis diuturna humanitate ac religione gentibus expectari poscent.

Nuperrime conversus bello reipublicae status in vices quoque religionis influxit. His de causis, et sublato hispaniensium regum dominio in Cubanam insulam, plane intelleximus nostri muneris esse, pro ratione temporis earum regionum bono consulere. Itaque Ven. Fratrem Placidum Lodovicum Chapelle, Archiepiscopum Novae Aureliae, illuc misimus cum munere Delegati Nostri Apostolici extraordinarii, qui, rebus diligenter inspectis, quae maxime opus essent, de iis ad Nos accurate referret. Omnibus inde mature perpensis, maximeque animadverso Cubanam insulam inter ceterasque Americae latinae gentes affinitates esse quasdam mutuasque similitudines, idcirco edito pridie Nonas Septembris anni MDCCCCI decreto providimus, ut Cubana Insula iisdem legibus contineretur, quae a plenario Concilio Americae latinae latae fuerant, Romae habito anno MDCCCXIX.

Neque tamen per haec novis necessitatibus occurrisse satis habentes, Apostolicam sollicitudinem ad consilia convertimus rei catholicae in ea regione ordinandae loco aptius ac tempori. Quamobrem, auditis sententiis nonnullorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationis extraordinariis negotiis praepositae, quae religioni tuendae, provehendae in insula Cubana expedire in Domino visa sunt, per hanc Constitutionem supremo Nostro iudicio pronunciamus.

Ac primum compertum habentes Cubae et Avanae fines tam late protendi, auctisque commerciis sic in dies catholicorum numero affluere, ut utrique episcopo eorum lustratio sit perdifficilis, multiplicandi per eos tractus antistites consilium cepimus. Itaque decernimus, ut Cubanae et Avanensi dioecesibus addantur, *ex ipsis distrahendae*, sedes Pinar de Rio et Cienfuegos. Harum priori, ad quam tota pertinebit eius nominis regio, fines constituimus ad septemtriones, mexicanum fretum; ad ortum, Avanam provinciam; ad meridiem, aequor Antillarum; ad solem occidentem, Jucatan fretum. Dioeceseos autem Cienfuegos, iis definitae limitibus quibus provincia civilis S. Clarae continetur, hi sunto fines; ad septemtriones, fretum Bahamae vetus; ad ortum, provincia Portus Principis; ad meridiem, aequor Antillarum; ad occasum, provincia Matanzas.

Princeps Cubanae insulae sedes eadem esto quae antea, id est S. Iacobi, cui sedi erunt obnoxiae, seu suffraganeae, praeter iam institutam, quam diximus, S. Christophori de Avana, etiam novissimae duae, altera Cienfuegos, altera Pinar de Rio. Portoricensem enim dioecesim a vinculo subiectionis metropolitanae ecclesiae S. Iacobi de Cuba solutam, atque interim Apostolicae Sedi immediate subiectam declaramus. Suis autem iuribus, privilegiis, officiis, metropolitanus antistes fruetur, tum quae communi sacrorum Canonum et apostolicarum Constitutionum vi obtinent, tum quae a plenario Americae latinae Concilio descripta sunt. Quibus in exercendis in iisque omnibus quae pastoralis ministerii sunt, pro suo quisque munere, quum metropolitanus antistes tum ceteri episcopi illud maxime curent, ut mutua inter ipsos caritas vigeat, mens omnibus una sit, una in commune bonum conspiratio animorum atque voluntas.

Ecclesiae S. Iacobi de Cuba itemque S. Christophori de Avana sua Canonicorum collegia, seu capitula, servari iubemus, quum propter sacri cultus dignitatem, tum adiuvandi episcopi causa ex praescripto SS. Canonum. Quod si res angustae non sinant eumdem in eo coetu haberi numerum qui antea; sic erunt partiendi redditus, ut in utroque collegio, post constitutos in dignitate suppetat unde solvatur pro canonicis decem.

Suis item Capitulis, ubi primum licuerit, ornari denuo constitutas dioeceses Pinar de Rio et Cienfuegos, atque utrumque consilium saltem canonicis decem constare volumus. Interim vero, Collegiis huiusmodi nondum canonice institutis, episcopi sibi deligent ex utroque clero consiliarios viros, qui pietate, doctrina et rerum gerendarum usu prae ceteris commendentur. Hi sacra obeunti solemniore ritu episcopo adstabunt.

In beneficiis ecclesiasticis conferendis vel Canonicis vel aliis sacri ordinis viris serventur leges plenarii Concilii latini Americani et authenticae earum declarationes editae a S. Congregatione Negotiis ecclesiasticis extraordinariis praeposita; quibus legibus haud minus ac SS. Canonum decretis Canonici pareant in suis muneribus obeundis.

Quandoquidem vero quae prius erant emolumenta pecuniae aut omnino desierint aut fuerint admodum deminuta, optime sacri cultus decori, cleri necessitatibus aliisque catholicis rebus dioecesium fuerit consultum, si ad SS. Canonum normam et ad memorati plenarii Concilii Americani praescripta provideatur et Ius cathedraticum restituatur; cui quae certa pecuniae vis assignanda sit, in proximo Concilio provinciali aestimabitur.

Quae de hierarchia ordinanda, quae de iuribus, privilegiis, honoribus eorum, qui sunt prae ceteris constituti, Nostris hisce Litteris decernimus, ea quidem et ad optimum christiani populi regimen et ad cultus divini amplitudinem opportuna sunt ac prope necessaria; sunt tamen externa quodammodo. Illud autem interest maxime, ut quibus et fidelis cura gregis et ipsius domus Dei vigilantia commissa est « idonei comprobentur atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum et vitae monita ab eis possint expectari » (1). – Nec pietate solum ac virtutibus Ecclesiae viros eminere necesse est, verum etiam tum sacra tum profana doctrina, conversis hoc maxime tempore ad abditissima quaeque hominum studiis. In hoc igitur episcopis collocanda peculiaris cura est, sacerdotes ut efforment gravissimo pares muneri, quorum opera iuvari maxime christiana plebs possit, tot insidiis circumventa, tot obnoxia periculis. – E sacerdotali autem ordine sic instituto et comparato aequum est ad maiora negotia eos vocari: « qui, in clericali ordine versati, doctrina ad suum munus exequendum necessaria ac morum integritate commendentur » (2); ad regimen vero animarum, quos aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, magis idoneos Episcopi iudicaverint (3). – Ceterum sacri ordinis viri, in quovis versentur officio, studiis partium civilium omnino abstineant, iuxta illud Apostoli: « nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus » (4); idque praesertim ne religio sancta, quae cunctis rebus humanis super eminere debet et omnium civium animos mutuae caritatis et benevolentiae vinculo coniungere, officio suo deesse videatur, eiusque salutare ministerium suspectum habeatur. – Etiam amotis huiusmodi concertationibus, patet sane campus catholicae rei iuvandae, potissimum exemplo mutuae concordiae, qua invidia omni et aemulatione depulsa, sacerdotes omnis ordinis « caritate fraternitatis invicem diligentes », possint in unum Christi corpus coalescere, prout habet Apostolus: « multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra » (5). – Cui retinendae concordiae non minus ac pietati fovendae, a qua interdum externis tot rebus evagatus animus potest abduci, quum usui maximo sint piae illae exercitationes, quibus rerum divinarum contemplationi vacare licet impensius, curent antistites ut, statis anni diebus, Ecclesiae viri congregentur ad sanctissimae Religionis documenta et vitae sacerdotalis officia secum reputanda. Ea commentatione, cui consilia succedent vitae sanctius degendae, atque usu sacramentorum frequenti roborentur, confirmentur. – Denique ut sacrae vigeat disciplinae cultus,

(1) Conc. Trid., De Ref., Sess. 23, C. XIV.
(2) Conc. Trid., De Ref., Sess. 24, C. XII.
(3) Conc. Trid., id., C. XVIII.
(4) II. Tim., II, 4.
(5) Ad Rom., XII, 5.

habeantur coetus, in quibus quaestiones de moribus de sacrisque ceremoniis agitentur.

Magnum profecto negotium institutio sacri ordinis alumnorum, cuius rei spes ferme omnis est in Seminariis reposita. In eiusmodi ergo domicilia excitanda incumbant episcopi, de iisque gerant sollicitam curam, caventes potissimum ne alii admittantur nisi « quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros » (1). Qua super re plura sunt a memorato Concilio plenario Americae latinae declarata sapienter et opportune sancita. Ad spiritualem autem utilitatem totius Cubanae insulae, enixe commendamus Seminarium Pio-Latino-Americanum, in quo multi et praeclari evangelici praecones et animarum rectores, in Urbe totius christiani orbis principe et sub ipsis Romanorum Pontificum oculis, educati fuerunt, plurimique futuri illorum imitatores educantur. Quare volumus, quemadmodum a ceteris Americae dioecesibus, ita etiam ab unaquaque Cubanae insulae saltem binos adolescentes alendos in eo Collegio, non intermissa vice, collocari.

Sedulam quoque sibi vindicant curam scholae adolescentium e populo, praesertim quo tempore imperitorum animi per tot inductos errores, per tot obiecta irritamenta vitiorum facile corrumpuntur. Agitur enim de hominum societate futura tali, qualis ab initio processerit, eoque maturius eripienda periculo, quo citius ac paene ab incunabulis impiorum fraudibus circumvenitur. Ex quo nemo est quin intelligat, quanti momenti sit ludos aperire quamplures, iisdem advigilare, in fidem, in mores docentium inspicere. E re autem erit scholas illas maiores, quibus magistri formantur, utrique sexui constituere.

Religiosas Familias, quae in Cubana versantur insula, tam bene de Ecclesia deque ipsa civili societate meritas, vix est ut moneamus, ne a pristina laude desciscant; quibus Deo sese votis obstrinxerunt, in iis constent; claustri legem ne frangant; audientes dicto sint praepositis; cum reliquo clero coniunctis viribus conspirent « in aedificationem corporis Christi » (2). Quae vero ad ipsos fere pertinent ministeria, vulgo « missiones », latissimus per haec patet campus fidei adservandae, tuendae, morumque christianae plebis continendorum. Verum, quo uberior inde fructus percipiatur, necesse est in frequentioribus locis religiosas constitui domos, saltem virorum octo, quorum sit munus, quum in urbibus tum in vicis, habere conciones ad populum, ipsumque docere.

Ut actio concors episcoporum in Cubana insula valeat iis, quae communiter opus sint, occurrere satis atque prospicere, maximae erunt utilitatis episcopales coetus, seu Consilia, in quibus de dioecesium necessitatibus deliberetur. Huc spectant, quae per S. R. E. Cardinalem a publicis negotiis declaranda curavimus datis Litteris Calendis Maii an. MDCCCC. (3)

Quae praesentibus Litteris constituimus, quae monuimus, procul dubio e sententia procedent suosque parient fructus, si sacri ordinis viri summo studio curaverint suo ministerio sese dignos exhibere, confirmantes exemplo doctrinam, vere « facti forma gregis ex animo » (4). Oportet igitur iidem sic vitam moresque conforment, ut habitu, incessu omnique re nihil ipsi redoleant nisi « bonum odorem Christi ». Itaque, ad ecclesiasticam disciplinam roborandam, praecipimus, ubi primum nova dioecesium circumscriptio fuerit promulgata, institutaeque sint novae sedes suisque pastoribus assignatae, ut Ven. Frater Noster Placidus Lodovicus Chapelle, Archiepiscopus Novae Aureliae, Delegatus Apostolicus Cubanae insulae, cui executionem committimus praesentium Litterarum, convocet Provinciale Concilium, eique praesideat, cuius Acta ad hanc Apostolicam Sedem iuxta canonicas praescriptiones mittat.

Quod reliquum est, optima spes tenet, eum quem vehementer cupimus exitum res habituras, et quae Nostris hisce decreta sunt Litteris salutares fructus datura brevi. Hac expectatione erecti, ad Cubanum populum extrema verba convertimus, eum enixe adhortantes ut in fide maiorum perstent invicti, servent unitatem in vinculo pacis, pro suae conditionis ratione, idest filiorum dicto audientium patribus, opera sua sacris Pastoribus praesto sint, Evangelii praeceptis obtemperent, reipublicae praepositos debito honore prosequantur, « impleant gaudium Nostrum eamdem caritatem habentes unanimes, idipsum sentientes » (1).

Praesentes vero Litteras et quaecumque in ipsis continentur, nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse, sed semper validas et in suo robore fore et esse, suosque effectus in omnibus obtinere atque ab omnibus cuiusvis gradus et dignitatis inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus, non obstantibus Apostolicis atque in synodalibus, provincialibus et universalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus sanctionibus, necnon veterum Sedum Cubanae Insulae et Missionum inibi constitutarum et quarumcumque Ecclesiarum ac piorum locorum iuribus ac privilegiis, iuramento etiam, confirmatione apostolica aut alia quacumque firmitate roboratis, ceterisque contrariis quibuscumque, peculiari etiam mentione dignis; quibus omnibus quatenus supra dictis obstant, expresse derogamus. Irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declaramus.

Volumus etiam ut harum Litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi, his praesentibus ostensis, haberetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo tertio, die XX Februarii, Pontificatus Nostri anno vicesimo quinto.

L. ✠ S.

ALOYSIUS Card. MACCHI.

(1) Conc. Trid. Sess. XXIII, c. 18 *de Ref.*
(2) Ad Ephes. IV, 12.
(3) Cfr. *Anal. Eccles.* Vol. VIII, pag. 211. *N. D.*
(4) I^a Petr. V. 3.

(1) II Philip. II. 2.

II.

Permittitur solemnis incoronatio imaginis B. M. Virginis Opiferae in templo Salesianorum, Augustae Taurinorum.

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili Noster,
Salutem et Apostolicam benedictionem.

Omnium sane templorum quae bo: me: Ioannes Bosco Salesianae Sodalitatis pater legifer ad maiorem Dei gloriam et animarum salutem provehendam, sedulus a fundamentis excitavit, tum amplitudine cum religione praestantissimum illud censendum est quod anno millesimo octingentesimo octavo et sexagesimo Augustae Taurinorum Virgini Deiparae praesentissimae christiani nominis adiutrici solemni ritu dedicandum curavit. Statim enim ac illud fidelium cultui patuit ibique ea Beatae Virginis Imago affabre inter Apostolos in obsequium hinc illinc circumstantes depicta cum sceptro in dextera regio et Iesu puerulo laevo ipsius in brachio dulciter sedente, in âra principe fidelium venerationi proposita fuit mirandum prorsus in modum clarum et venerabile evasit. Continuo in ipsius Virginis honorem pia fidelium instituta Sodalitas brevi ad Archisodalitatis dignitatem erecta et pluribus ab hac S. Sede privilegiis aucta et indulgentiis: dein sacrae huiusce Deiparae Imaginis cultus Italiae et Europae fines transgressus, hodie ad omnes fere christiani orbis gentes est singulari Dei consilio mirabiliter prolatus. Praeclara vero atque innumera in fideles ab Opifera Virgine collata beneficia tum tabulae votivae cum peregrinantium concursus luculenter testantur. Haec animo repetentes cum dilectus filius Michaël Rua sacerdos et sacrae Salesianae familiae rector supremus suo et universae ipsius Salesianae familiae nomine enixas Nobis preces humiliter exhibuerit ut hoc anno quo Nos feliciter ab inito Pontificatu quintum et vicesimum agimus percelebrem ipsam Imaginem diademate decorare velimus, Nos quibus nihil antiquius est neque suavius quam ut christiani populi pietas erga Virginem Deiparam magis magisque in dies augeatur precibus huiusmodi annuendum libenti quidem animo existimavimus. Quae cum ita sint omnes et singulos quibus hae literae Nostrae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Tibi, dilecte Fili Noster, eas tenore praesentium partes committimus ut eam Opiferae Virginis Imaginem puerulum suum ac Servatorem nostrum Iesum ulnis foventem memorato in templo Civitatis huius tuae Taurinensis publicae fidelium venerationi propositam huius anni die per te eligendo solemni ritu Nostro nomine et auctoritate corones ea servata lege nimirum ut sacro utrique capiti tum Virginis tum Pueri Iesu diadema pro dignitate imponatur. Quo vero solemnia huiusmodi vel in spirituale christiani populi emolumentum cedant omnibus ex utroque sexu christifidelibus qui vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti ipso Coronationis die Benedictioni a te Nostro nomine et auctoritate impertiendae iuxta ritum formulamque praescriptam intersint, et similiter in posterum perpetuum in modum die solemnis huius coronationis anniversario a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi Ecclesiam et Imaginem pias devote visitent, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicabilem misericorditer in Domino concedimus. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIII Februarii MCMIII, Pontificatus Nostri anno vigesimo quinto.

ALOIS. Card. MACCHI.

L ✠ S.

Dilecto Filio Nostro Augustino S. R. E. Presbytero Cardinali Richelmy ex dispensatione Apostol. Archiep. Taurinensi.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII (1)

B — In folio.

5681/44 IV.

Melevitana — Iurium ad functiones parochiales.

Die 20 Decembris 1902.

In casu, cura animarum tam habitualis quam actualis Capitulo pertinebat, illius tamen exercitium competebat Vicario Curato. Hinc difficultates, hinc discordiae; quibus tollendis, proposita sunt et soluta octo dubia, uti videre est infra.

Perinsigne Capitulum Collegiatae Ecclesiae sub invocatione B. M. V. absque labe originali conceptae in civitate *Conspicua* Melevitanae Dioecesis a Pio VII fuit institutum a. 1822, eique, ab ipsa erectione, *habitualis* animarum cura commissa est, reservata canonico Archipresbytero *cura actuali*. — At canonicos inter et Archipresbyterum aemulationum et rixarum occasio fuit, ob temporum calamitates, gravis subsecuta, redituum diminutio in praebendis canonicalibus dum unus Archipresbyter locupleti praebenda fruebatur ob emolumenta *certa* et *incerta* ab exercitio curae animarum derivantia. Inde contentiones exortae sunt de functionibus quae Archipresbytero, *privative* quoad capitulum, pertinerent; quas radicitus ad convellendas rixas Pius VIII a. 1830 sua Constitutione decrevit ut cura animarum ab Archipresbyteratu, postquam hunc quomodolicet ex persona tunc existentis Archipresbyteri vacare contigisset, perpetuo disiuncta, cura eadem tam *actualis* quam *habitualis* capitulo concederetur et uniretur, exercenda tamen vel per dignitarios et Canonicos *per turnum* vel per Presbyterum saecularem, *Vicarium curatum*, a Capitulo deputandum et ad eius nutum amovibilem. Inde factum est ut universa emolumenta *certa* et *incerta* ab exercitio curae animarum

(1) In praesenti mense non fuit Congregatio. *N. D.*

provenientia singulis canonicis et in his ipsi Archipresbytero aequis portionibus dividerentur.

Verum Constitutio plures nacta est difficultates in sua executione ab eaque exequenda supersedendum fuit. Progressu temporis cum alius Episcopus in Melevitana Sede successerit, hic auctor fuit ut Capitulum quamdam *concordiam* iniret quam dein per Bullam Apostolicam Pontificis Pii IX, a. 1850, firmari curavit. – In hac etiam exequenda Bulla non defuerunt discordiae quas suo iudicio dirimere aggressa est S. R. Rota, at his per concordiam sopitis, *die 19 Martii 1852* decretum prodiit ab Episcopo *executoriale* quod Constitutionem Pii IX et initam pridem *concordiam* executioni demandari iussit. Ista concordia est sequentis tenoris:

1° « Ut nempe Cura actualis sic unita cum habituali (*Capitulo*) exerceri debeat perpetuo et inamovibiliter a Vicario Curato per Capitulum universum comprehenso Archipresbytero eligendo et per Ordinarium confirmando modo et forma inferius decernenda.

2° « Ut ad Vicarium ipsum Curatum spectet tantum Administratio Sacramentorum et quidquid memoratum actualis animarum curae exercitium ei commissum stricte respicit; salvis et reservatis favore Capituli ceteris iuribus et privilegiis etiam super huiusmodi exercitio quae eidem Capitulo uti Ecclesiae Rectori debeantur; caetera vero iura et privilegia eidem Capitulo uti Ecclesiae Rectori reservata sint et remaneant.

3° « Ut Archipresbyter pro tempore existens perpetuo exclusus sit a praedicto officio Vicarii Curati; quin imo si et quoties Vicarium Curatum ipsum ad Archipresbyteratum assumi contigerit eo ipso a Vicarii Curati perpetui munere cessare debeat et censeatur, ac Capitulum illico et immediate ad alterius in id muneris assumendi electionem procedere valeat.

4° « Ut Vicarius Curatus praefatus eligi debeat per turnum e gremio Capituli ipsius, eadem prorsus ratione, qua memoratis Literis Pii Papae Octavi Praedecessoris constitutum fuerat, videlicet facta facultate singulis Capitularibus optandi idem officium, incipiendo a priori Dignitario post Archipresbyterum, et sic deinceps transeundo ad inferiores, ac postremo ad simplices Canonicos, servato, quoad istos, ordine antianitatis in possessione Canonicatus.

5° « Ut sic electus examini Ordinarii subesse debeat, prout in praefatis Literis etiam continetur. Quod tamen examen nedum super scientia, sed etiam super ceteris qualitatibus iure requisitis versari debeat, ita ut ab eodem Ordinario nequeat ille confirmari, nisi ad formam Sacrorum Canonum idoneus ab eo iudicatus fuit.

6° « Ut quatenus nemo ex Capitularibus Vicarii Curati officium assumere voluerit, vel nemo ad id munus ab Ordinario iuxta formam superius praescriptam fuerit approbatus, tunc a Capitulo alius Presbyter extra illius gremium, necessariis facultatibus praeditus et ab Ordinario ut supra examinandus et approbandus, eligi queat.

7° « Et quoad reditus ex praefatae Curae animarum exercitio provenientes statutum fuit, ut ex reditibus huiusmodi tum certis tum incertis trecenta annua scutata Monetae Melitensis, a quovis onere prorsus immunia, Vicario Curato, loco congruae, perpetuo assignata remaneant, tributa eidem Vicario potestate suos faciendi proventus ex oblationibus quas vocant Paschalis Benedictionis derivantes: residui vero fructus, detracta annua Pensione antiqua perpetua aliorum quinquaginta Scutatorum monetae Melitensis, parisque Apostolicis Literis eiusdem Pii Papae Septimi Praedecessoris ad favorem pro tempore existentis Rectoris Parochialis Ecclesiae Casalis Dingli praefatae Meliten. Dioecesis reservata reperitur, nec non dempta mercede pro duobus Vice-Parochis ab ipso Capitulo deputandis et ad eius nutum amovibilibus, ac deducta denique eleemosyna Missarum pro Populo, cedere debeant favore Dignitatum et Canonicorum praefatorum, et inter eos distribui ad formam earumdem Literarum Pii Papae Octavi Praedecessoris.

8° « Tandem ut Vicario Curato pro tempore tradi debeant collectae omnes quae fieri solent pro pauperibus, nec non reditus Piorum Legatorum pro iisdem pauperibus usque ad praesens institutorum, sive quae adhuc vigent, sive quae reviviscere possunt, onere tamen ei iniuncto summas universas huiusmodi in ipsorum pauperum levamen distribuendi ».

De hac vero concordia statuit eadem Const. Pii IX (ibi) « quam concordiam huiusmodi et in ea contenta quaecumque supradicta Apostolica Auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, eidemque concordiae Apostolicae inviolabilis et irrefragabilis firmitatis robur vim et efficaciam adiicimus ». Quamobrem in themate nulla moveri potest quaestio an cura quoque *actualis* competat universa capitulo (quod saepe in huiusmodi controversiis in quaestione versatur), sed tantum, uti fert hodierna contentio, quaestio esse potest an una vel altera functio intelligenda sit contineri in delegatione qua constituitur Vicarius curatus.

Porro hisce postremis annis dubitari coepit, an nonnulla munera ad curam animarum pertinentia, expleri deberent a Vicario Curato, eique commissa esse censerentur in ipso deputationis actu. – Has quaestiones amplectuntur sequentia dubia quae partium procuratores nempe et Vicarii Curati et Capituli procuratores contestati sunt:

1um – *An iuxta Constitutiones Apostolicas universa actualis cura animarum competat Vicario Curato, in casu?*

Et quatenus *Negative:*

2um – *An Missa pro populo celebranda sit a Vicario Curato vel potius a Capitulo, in casu?*

3um – *Cuinam competat ius docendi sacram catechesim in Collegiata, in casu?*

4um – *Cuinam competat ius docendi pueros catechesim praeviam S. Synaxi, eosque aptos designandi, in casu?*

5um – *An Vicario Curato vel potius Capitulo spectet emolumentum a Gubernio solutum pro associatione cadaverum pauperum, in casu?*

6um – *An Vicario Curato vel potius Capitulo ius competat deputandi Vice-parochos, in casu?*

7um – *An et quomodo praedicti Vice-parochi a Vicario Curato dependere debeant, in casu?*

8um – *An explicatio S. Evangelii haberi debeat a Vicario Curato vel potius a Capitulo, in casu?*

Modo de more subtexam summam animadversionum. – Vicarii Curati procurator in explicationem I Dub.: « *An iuxta Const. Apostolicas universa actualis cura competat Vicario curato in casu* »; ait quod Capitulum est verus parochus et in ipso primario residet cura animarum eiusdemque exercitium, proindeque solummodo secundario et per modum delegationis, Vicario Curato aliqua determinata officia committi poterunt.

Equidem vero, pergit orator, quod hic Vic. Curatus toto coelo differat a Vicario Perpetuo eo sensu quo iure communi intelligitur, rem iam esse iudicatam, nec amplius dici posse controversam, liquet ex authentica resolutione huius S. C. in *Melevitana* eiusdem ecclesiae Collegiatae Conspicuae diei 13 Sept. 1862. Tunc enim, cum ageretur de fallentiis choralibus a Vic. Curato solvendis ad curam animarum intento, hoc punctum praecise erat disceptandum; nam, si revera naturam Vicarii Perpetui secundum ius commune dictus Vicarius induisset, fallentias, datis circumstantiis, solvere non debuisset. E contra S. C. respondit « Affirmative », solvere scilicet fallentias debere. – Sed ulterius, et alias adest explicita resolutio favore Capituli hac in re emanata. Proximiori

tempore agebatur de iure adscribendi fideles in Associatione S. Familiae ad normam Brevis Summi Pontificis Leonis XIII diei 14 Iunii 1892. – Vic. Curatus dictum ius sibi praetendebat, at Emus Card. Vicarius eiusdem Associationis Moderator, Capitulo favorabile edidit Decretum die 19 Ian. 1896. Ibi: « Considerando ora le Bolle dei SS. PP. Pio Papa VIII "Cunctis ubique" in data 25 Settembre 1830, e Pio IX "Inter cetera" in data del 1 Ottobre 1850. – Considerando che in queste Bolle vien evidentemente stabilito il privilegio spettante al prelodato Reverendissimo Capitolo di Cospicua di ritenere la cura delle anime non solo abituale ma anche attuale, tanto che esso Capitolo debba ritenersi qual vero Parroco, e il Vic. Curato qual semplice suo deputato esclusivamente per l'amministrazione dei Sacramenti... ».

Ex his duo haec extra omnem controversiam posita habet advocatus, scilicet: *a*) verum parochum Ecclesiae Collegiatae Conspicuensis primario esse Capitulum, retinens nedum habitualem sed et actualem animarum curam; *b*) Vicarium autem Curatum, non esse nisi delegatum Capituli, utique inamovibilem, sed limitative tantum ad quaedam determinata parochialia officia, quae in ipsis Apostolicis Constitutionibus eidem expresse commissa sunt. – Notat patronus eiusmodi officia satis significari in 2° Art. Concordiae ita concepto: « Ut ad Vic. ipsum Curatum spectet tantum administratio Sacramentorum, et quidquid memoratum actualis animarum curae exercitium ei commissum stricte respicit, – salvis et reservatis favore Capituli caeteris iuribus et privilegiis etiam super huiusmodi exercitio, quae eidem Capitulo uti ecclesiae Rectori debeantur, – caetera vero iura et privilegia eidem Capitulo uti Ecclesiae Rectori reservata sint et remaneant ».

Quia pars contraria contendere conatur, quod vi relatae dispositionis non solum administratio Sacramentorum, sed ulterius et quidquid stricte respicit curae animarum exercitium, eidem Vic. Curato commissum fuerit, respondet patronus quod *in 1° art.* Concordiae committitur indeterminate ac generice Vic. Curato curae animarum exercitium, dum in 2° art. hoc exercitium specificatur et limitatur *tantum* in Sacramentorum administratione « et quidquid *memoratum* actualis curae exercitium ei commissum stricte respicit » seu memoratam Sacramentorum administrationem. Alioquin contradictorie sese haberet, instat advocatus, illud *tantum*, si exercitium curae Vic. Curato commissum etiam ad alia officia sit extendendum; neque sufficientem haberet rationem illud *memoratum*, nisi partiale exercitium, Vic. Curato commissum, indicaret.

Iamvero praeter claram dispositionem legis, ait patronus, istam conclusionem probare continuam, subsequentem praxim, a publicatione Bullae usque ad nos, sibi semper constantem atque pacificam: ita ut nec a parte contraria controverti ullimode possit haec *consuetudo secundum legem*. Nam dispositio legis in relatis Bullis continetur, et successiva praxis nihil aliud effecit nisi eiusdem sensum explicare ac in facto determinare iuxta modum moribus consecratum. Hinc dicta praxis novum ius non constituit, sed tantummodo habenda est tamquam declarativa iuris constituti praeexistentis: « Consuetudo secundum legem est illa, quae legem iam praeexistentem supponit, eamque vel deducit in usum vel si ambigua est interpretatur. Unde haec ius novum non constituit, sed aut dubium interpretatur iuxta *l. Si de interpretatione ff. de Legib.* ibi: Optima enim est legum interpres consuetudo. Quod ipsum habetur in *c. Cum dilectus 8, h. t.* Aut ius praeexistens confirmat, et adiuvat deducendo illud in opus, iuxta illud *can. 3 dis. 4.* Leges firmantur, cum moribus utentium comprobantur. » (Reiff. *Lib. I, Tit. IV, De Consuet.*). Et ita communiter omnes Doctores cum Ferraris *V. Consuetudo n. 10.* Duo insimul, pergit patronus, consideranda sunt in casu: et verba legis, quae in Bullis prostant, et successiva consuetudo, ipsius legis optima interpres. Ad rem refert, quod exponitur in *Folio Officii* praecitatae Causae 1862, quae disceptata fuit sub primo Vic. Curato et post decem annos ab executione Bullae Pii IX; ibi: « Maxime in Collegiata Ecclesia Civitatis Conspicuae, in qua omnes Canonici ratione canonicatus et curae actualis, quae Capitulo restituta fuit ann. 1830, onus celebrationis Missarum pro populo sustinent, Doctrinam Christianam fideles docent, mercedem Vice-Parochis persolvunt et conciones catechisticas quavis secunda dominica mensis tenent, praeter alias quas singulis feriis sextis horis serotinis, instituendas curarunt. »

Ad II. Dub. – *An Missa pro populo celebranda sit a Vic. Curato vel potius a Capitulo, in casu;* – a Capitulo vero hanc celebrandam esse deducit orator ab ipsa Bulla Pii IX, iubente: « Et quoad redditus ex praefatae curae animarum provenientes statutum fuit, ut ex reditibus huiusmodi tum certis tum incertis, trecenta annua scutata monetae melitensis a quovis onere prorsus immunia Vic. Curato, loco congruae, perpetuo assignata remaneant; tributa eidem Vicario potestate suos faciendi proventus ex oblationibus quas vocant Paschalis Benedictionis derivantes; residui vero fructus detracta annua pensione.... nec non dempta mercede pro duobus Vice-Parochis ab ipso Capitulo deputandis et ad eius nutum amovibilibus, ac deducta denique eleemosyna Missarum pro populo, cedere debeant favore Dignitatum et Canonicorum praefatorum, et inter eos distribui ad formam earumdem Literarum Pii Papae VIII Praedecessoris. Tandem ut Vicario Curato pro tempore tradi debeant collecta omnia quae fieri solent pro pauperibus, nec non etc. ». Ex quibus infert orator quod Vicario Curato certa summa uti congrua una cum determinatis incertis fuit taxative assignata, adeo ut praeter haec, nihil aliud percipere ipse valeat: sicut enim limitatum ei fuerat officium, ita etiam compensatio. Caetera autem omnia sive certa sive incerta a curae exercitio provenientia, favore Capituli relicta fuerunt.

Nunc vero, pergit orator, si a Vicario Curato Missa pro populo fuisset iure celebranda, opus non erat ut Capitulum gravaretur onere taxam peculiarem pro illa Missa solvendi, quippe Missa pro populo eidem congruae parochiali adnexa est; vel saltem, cum Summus Pontifex mandasset ob Missam pro populo taxam a Capitulo esse solvendam, si favore Vic. Curati illam cedere voluisset, certo certius id declarasset, prout factum est quoad caetera ad Vic. Curatum spectantia. – Sed e contra ad normam iuris, quia in dicta Bulla consideratur Capitulum tamquam verus parochus cui primario incumbit curae animarum exercitium, et cui proinde spectare debet onus Missam pro populo celebrandi, cavetur quod ex redituum residuis, inter alia, praelevanda etiam esset taxa pro dicta Missa, antequam devenire posset ad eorumdem redituum inter canonicos distributionem. Inde praxis habita est qua Capitulum, praedicto oneri satisfaciens, ab anno 1852 usque hodie, canonicum vel sacerdotem semper delegavit ad Missam pro populo celebrandam, quin ullus Vic. Curatus eiusdem celebrationem praetenderit.

Ad Dub. III. – *Cuinam competat ius docendi sacram catechesim in Cathedrali in casu;* nec non ad Dub. IV. – *Cuinam competat ius docendi pueros catechesim praeviam S. Synaxi, eosque aptos designandi in casu,* refert patronus praxim hanc fuisse. Capitulum eligebat inter canonicos Rectorem seu Moderatorem Doctrinae Christianae ab Episcopo confirmandum, qui sine ulla remuneratione pueros docebat sacram catechesim, eiusdemque institutionem dirigebat, ab aliis sacerdotibus ordinario coadiuvatum, inter quos Vicarius Curatus praeeminere solebat. Quum autem tempus pervenerit quo adolescentes ad S. Synaxim accedere possent, tunc ipse Rector habebat exclusivum ius licentiam in scripto eis concedendi, cum qua iidem adolescentes sese

Vic. Curato offerebant, ut admitterentur ad Corporis Christi susceptionem. Ipse Vicarius Generalis, qui olim fuit Vic. Curatus ab ann. 1866 ad annum 1879 candide testatur quod « seguendo la pratica de' miei antecessori, sempre assisteva i rispettivi Direttori della Dottrina Cristiana dei ragazzi e delle ragazze ». Documentum insuper habetur quo primitiva tempora memorantur, nempe ann. 1857; ex eo namque eruitur iam pridem solitos esse canonicos eligere Rectores doctrinae christianae, et praecise « utentes facultate Capitulo, uti habenti curam actualem vigore binarum Literarum Apostolicarum Pii VIII fel. mem. ac IX fel. reg., tributa ».

Quia adversarius opponit, Vicario curato fuisse commissam non solum nudam Sacramentorum administrationem, sed etiam quidquid eidem administrationi stricte connectitur; respondet orator quod opus esset in iure disceptare ac definire quid in relatis officiis sit censendum *stricte* connecti cum Sacramentorum administratione; adeo ut exclusum censeri debeat Capitulum, quod verus parochus actualis in sua ecclesia Collegiata existit. Verum ab his praecisione facta, asserit patronus, maxime obtemperandum esse successivae praxi, quae iure merito legis intentionem declarat. Consuetudo autem quae invaluit, si ex una parte Vicarium Curatum non exclusit a docendo Christianam Catechesim ac pueros parando ad S. Synaxim, utpote Sacramentorum administratorem, ex altera vero eiusdem directionem Capitulo concessit, utpote vero parocho, primario ac principali.

De quinto Dubio: – *An Vicario Curato vel potius Capitulo spectet emolumentum a Gubernio solutum pro associatione cadaverum pauperum in casu;* in primis notat patronus, Vic. Curatum cadavera levare ac associare uti de iure; tamen si Capitulum interveniat, canonicus Praeeminens seu Hebdomadarius, et non Vic. Curatus, quamvis praesens, stolam induit, cadavera levat, eademque associat. Sed hic non agitur de iure cadavera associandi, quia hoc ultro Vic. Curato concedit Capitulum, quando ipsum non interveniat, simulque Vic. Curatus circa hoc quaestionem non instituit. Tota quaestio vertitur circa emolumenta, quae occasione funerum lucrari solent.

Ad rem narrat Advocatus, quod ante legem civilem anni 1870, per quam Melevitana publica Coemeteria sunt instituta, cadavera in ecclesiis sepeliebantur, et Vic. Curatus pacifice officio suo fungebatur, quin relativa emolumenta repeteret; quae emolumenta Capitulum lucrabatur, ad normam Bullae Pii IX. Cum autem pauperes nihil solvere solerent occasione funerum, considerans Gubernium quod per dictam legem maius incommodum parochi pati debebant ob associationem ad Coemeterium, hinc iisdem assignavit summam annuam ob dictam associationem cadaverum pauperum. Qua de re, Capitulum in casu, suapte natura, uti in praeteritum percipiebat funerum taxas, ita in posterum etiam Gubernii elargitionem propter pauperum associationem lucratum est. Immo, ut Vic. Curatus liber esset in aliis officiis persolvendis, alios idoneos sacerdotes eligere consuevit praecise ut associarent cadavera tum pauperum tum divitum ad Coemeterium, iisdemque solvit congruam summam. – Equidem Summus Pontifex Vic. Curato taxative assignavit annuam summam, loco congruae, et alia determinata incerta; ita ut, praeter haec caetera omnia cedi deberent favore Capituli. Si ergo Vic. Curatus contendat quod associatio ad Coemeterium iure sibi competit, haec associatio inter officia sibi commissa adnumeranda est, pro quibus officiis iam congrua compensatio stabilita fuit.

Ceterum si res eo sensu considerari velit, quod nempe associatio ad Coemeterium, per civilem potestatem hodiernis temporibus institutum, aliquod importet peculiare incommodum, cuius intuitu aliqua conceditur peculiaris remuneratio; recolit advocatus, tritum in iure esse quod publica Coemeteria ecclesiis subrogata censeri debent, unde aphorisma: mutatur locus non vero ius. Hinc eodem iure quo parochi in ecclesiis associabant, nunc associant in Coemeterio. Iamvero certum est in casu nostro quod Vic. Curatus usque ad ann. 1870 cadavera associabat in ecclesiis, et Capitulum percipiebat relativa emolumenta; item ergo eodemque iure nunc Vic. Curatus usque ad publicum Coemeterium associet, et Capitulum relativa emolumenta percipiet. Maxime quia potest ipse, quando vult, associare ad Coemeterium cadavera divitum, et Capitulum ex mera sui liberalitate condonare ei solet medietatem taxae a familia solutae, alia medietate sibi reservata.

Dubium sextum: « *An Vicario Curato vel potius Capitulo ius competat deputandi Vice-parochos, in casu;* et septimum: *An et quomodo praedicti Vice-parochi a Vicario Curato dependere debeant, in casu* »; expedit Advocatus ab eodem principio procedens, Capitulum scilicet esse verum parochum etiam *actualem*, inferens Vicarium Curatum inutiliter haec iura, quae parocho actuali utique competunt, sibi reclamare, tum enim ius, tum dispositio legis pro Capitulo militant; nec non eiusdem legis observantia usque hodie.

Circa vero subiectionem a Vice-parochis praestandam, asserit orator, quod hi dependere debeant a Vic. Curato, in cuius adiutorium fuerunt constituti: sed pari modo patet quod haec dependentia praetergredi nequeat officium ipsius Vic. Curati, seu administrationem Sacramentorum. Hinc suapte natura admittendum est quod Vice-parochi hoc sub adspectu subiacere debeant Vicario Curato, cui exclusive spectat v. gr. eos mittere ad infirmos et alia huiusmodi; sed quoad caetera, dicti Vice-parochi sese subtrahere non possunt a debito obsequio erga Capitulum praestando, a quo electi sunt et recipiunt debitam mercedem. Capitulum autem, utpote dominus ac omnibus praeeminens, habet nativum ius iisdem Vice-parochis concedendi, datis circumstantiis, absentiae licentiam, eos admonendi vel puniendi aut mulctandi et similia. Haec est continua praxis, rationi congrua, et minime controversa. Hodiernus Vicarius Generalis, qui per plures annos fuit olim Vic. Curatus, ita testatur: « e che i Vice-parroci sebbene eletti dal R.mo Capitolo, sempre però dipendevano esclusivamente da me nella amministrazione de' Sacramenti, assistenza ai moribondi e trasporti di cadaveri ».

Denique ad ultimum dubium: « *An explicatio S. Evangelii haberi debeat a Vicario Curato vel potius a Capitulo, in casu* »; reponit Advocatus, certe S. Evangelii explicationem spectare ad curae animarum exercitium, et hinc eamdem Vicario Curato competere. Per Evangelii enim explanationem fideles parantur ad sacramenta rite suscipienda. Praxis vero, magis quam littera Constitutionum, hoc confirmat, ait patronus qui ex allatis documentis haec probari confidit; scilicet: *a)* Omnes praedecessores actualis Vic. Curati Evangelium semper explicaverunt. Sunt attestationes duorum Vic. Curatorum adhuc superstitum, qui longissimum temporis spatium comprehendunt, nempe ab ann. 1866 ad ann. 1891; et cum fateantur hoc fecisse « seguendo la pratica degli antecessori », ultro patet, usque a primordiis nempe ab anno 1852 continuo eumdem morem prosecutum fuisse. *b)* Etiam actualis Vic. Curatus ab anno 1891 Evangelium iuxta solitum explicavit, adeo ut, eo impedito, alios sacerdotes delegare sollicitus fuerit. *c)* Per quinquaginta annorum spatium populus assuevit verbum Dei audire infra Missam vulgo dictam « dell'Aurora », quam omnibus diebus Dominicis Vic. Curatus celebrat, ita ut Evangelii explicatio tamquam ipsius stricta obligatio semper inter fideles considerata fuerit.

Advocati qui Vicarii Curati patrocinium susceperunt, totius quaestionis resolutionem in 1° capite concordiae a Pio IX f. r. per bullam approbatae inveniri putant. Hoc caput eiusdem conventionis ita sonat « *At nempe Cura actualis sic unita cum habituali exerceri debeat perpetuo et inamovibiliter a Vicario Curato* ».

Haec verba forsan paullo obscuriora videntur, quia cura actualis, in sensu iuris canonici, nihil aliud est quam curae exercitium. Propterea advertunt advocati, difficile concipitur quomodo cura actualis inesse possit Capitulo, et curae exercitium, quae idem est, Vicario. Sed difficultatem aiunt, evanescere si consideretur, ad Capitulum, ex eadem bulla, deberi *fructus stolae*, qui ex cura animarum, idest ex actuali cura promanant: ex quibus Capitulum omnia onera sustinere debet vel curae actuali inhaerentia, exempli gratia stipendium *de missa pro populo* solvendum. « Et quoad reditus ex curae animarum exercitio provenientes statutum fuit, ut ex reditibus huiusmodi tum incertis *Tercentd* annua scutata Monetae Melitensis a quovis onere prorsus immunia Vicario Curato loco congruae perpetuo assignata remaneant, tributa eidem Vicario potestate suos faciendi proventus ex oblationibus quas vocant Parochialis Benedictionis derivantes. Residui vero fructus, detracta annua pensione antiqua perpetua aliorum Quinquaginta scutatorum Monetae Melitensis paris quae Apostolicis Literis eiusdem Pii Papae Septimi Praedecessoris ad favorem pro tempore existentis Rectoris Parochialis Ecclesiae Casalis Diugli praefatae Meliten. Dioecesis reservata reperitur, nec non dempta mercede pro duobus Vice Parochis ab ipso Capitulo deputandis et ad eius nutum amovibilibus ac deducta denique eleemosyna Missarum pro populo, cedere debeant favore Dignitatum et Canonicorum praefatorum et inter eos distribui ad formam earumdem Literarum Pii Papae octavi Praedecessoris ». Hoc sensu iuxta advocatos, dictum est curam actualem ad Capitulum pertinere, nempe quod spectat, ut ita dicatur, ad eius temporalia et oeconomicam administrationem: firma manente regula, ut, quod attinet ad administrationem spiritualem omnimodam idest ad eius liberum exercitium, Vicario pertineat.

Ex quo deducunt advocati, totam actualem curam (quae est curae spiritualis exercitium, excepta idest ut supra temporali administratione) Vicario competere.

Admittunt equidem advocati quod Capitulum alio capite conventionis nititur, in quo Vicarii officium coarctari, et ad unicam sacramentorum administrationem restringi decernetur: « Ut ad Vicarium ipsum Curatum spectet tantum Administratio Sacramentorum et quidquid memoratum actualis animarum curae exercitium stricte respicit, sit ei commissum, salvis et reservatis favore Capituli ceteris iuribus et privilegiis etiam super huiusmodi exercitio, quae eidem Capitulo uti Ecclesiae Rectori debeantur ». Sed hoc caput, iuxta advocatos, idem sonat ac praecedens.

Re vera quamvis hoc caput solam sacramentorum administrationem complecteretur, optime notat Reiffenstuel quod « generali commissione administrandi sacramenta, censetur universam committi curam animarum » *(tit. 3, lib. 4, dec. n. 83)*; at caput non solam sacramentorum administrationem complectitur, sed etiam quidquid actualis animarum curae exercitium stricte respicit. – Haec duo simul iuncta, iuxta advocatos, totam praecise constituunt actualem animarum curam, quae est spirituale exercitium, quam Vicario competere dictum est. – Verba autem quae sequuntur « salvis et reservatis favore Capituli ceteris iuribus et privilegiis etiam super huiusmodi exercitio, quae eidem Capitulo ut Ecclesiae Rectori debentur » clare indicant fructus stolae, idest temporalis actualis curae administratio, quae Capitulo, iuxta advocatos, reservatur.

Ceterum quod hoc alterum caput conventionis idem significet ac primum suadere conantur advocati. Primum enim, quum generale sit et totam actualem curam, favore Vicarii contineat, alterum, quin primo contradicat, hanc curam limitare non potest.

Capitulum opponere nisum est quoddam decretum a Vicariatu Urbis editum, quo videtur ita bulla intelligi, ut non omnis actualis cura Vicario Curato concredatur. – Sed frustra, iuxta advocatos: nam Vicariatus haud iuris ordine servato, auditis partibus pronunciabat: nec illi munus commissum est ut de istiusmodi controversiis, ad Urbis administrationem spiritualem non spectantibus pronunciet. – Vicariatus, occasione petitionis Card. Vicario porrectae de iure aggregandi ad Piam Consociationem vulgo *della S. Famiglia*, cui ipse praesidet, rogatus est num idem ius Capitulo vel Vicario Curato competeret. Vicariatus idem ius Capitulo adiudicavit; sed quisque videt iudicium istud huic causae nullum praeiudicium inferre, saltem ex eo, quod non in legitima contradictione partium, nec iudiciaria forma datum est.

Quod si, his non obstantibus, dubia videretur bullae interpretatio, stante dubio, iuxta advocatos, interpretationis ratio, quam ipsi proponunt, admittenda foret. Nam in dubio confugere oportet ad ius commune. Quum igitur ad iuris communis normam non sit dubium, quin Vicario perpetuo tota actualis cura competat, recte inferretur, ita bullam accipiendam esse, ut tota actualis cura Vicario commissa existimetur: excepta tantum eius temporali administratione, quae in fructuum stolae perceptione consistit, quaeque *expresse* in bulla Capitulo adiudicata est.

Eoque magis, iuxta advocatos, quod *in casu* haud prorsus abest quaelibet obreptionis suspicio in Litteris Apostolicis, quibus Capitulum nititur. – Quo posito, ex ista quoque ratione vel ad ius commune redeundum est, vel saltem, ad normam iuris communis contra Capitulum in Bulla interpretanda iudicandum erit. Obreptionis suspicionem in eo locant advocati, quod Bulla Papae Pii IX ad Capituli petitionem prodierit, et in Capituli petitione, ut patet, ex Bulla, affirmatum fuerit, praecedentem Papae Pii VIII Bullam Capitulo universam curam actualem et habitualem committentem, *supervenientibus difficultatibus effectum sortitam non fuisse*. Quapropter Pius Papa IX, ad tramitem accepti libelli declarat se confirmare praedecessoris Bullam, *nondum exequutioni demandatam* in iis omnibus quae novae conventioni non adversantur. At ex documento, quod exhibent advocati patet Bullam Pii Papae VIII, non solum executioni *demandatam non fuisse*, sed ab ipso Pontifice *revocatam* fuisse. – Quod, iuxta advocatos, quum aliud sit, exprimi debebat, ex eo praesertim quia Capitulum curam actualem et habitualem sibi vindicans, hoc praecipue fundamento nitebatur.

Eoque magis adhuc advocati prosequuntur, quod nisi universa cura actualis ab uno exerceatur, incommoda gravissima sequuntur. Ad quod probandum advocati referunt notissimam Galtellinorensem causam pluries apud S. V. disceptatam, intra Capitulum et Canonicum Parochum Galtellinorensis Cathedralis Ecclesiae: et testem invocant experientiam, quae docet, munia ad actualem curam pertinentia, plerumque negligi, quum non uni Parocho vel Vicario, sed universo Capitulo committantur. Tunc referunt in praesenti causa, continua impedimenta a Capitulo obiecta fuisse libero curae exercitio, non sine fidelium discrimine eo usque, ut Capitulum protestationem emittendam censuerit, cum declaratione, nempe se acturum contra Vicarium prout de iure, quia hic, quum quoddam decretum Ecclesiae laesivum emanatum fuisset e gubernio, ceteris Parochis conquerentibus vocem suam adiecit.

Hisce perpensis concludunt advocati ad primum dubium

affirmative respondendum esse, aut saltem affirmative, excepta fructuum stolae perceptione, si hanc reservationem in responsione exprimere placeat. Ad sequentia dubia, iuxta advocatos, *provisum in primo* respondendum est, quum ambigi nequeat, quin ei, qui universam actualem curam agit, spectet doctrinam pueros docere, eos ad sacram Synaxim parare et aptos iudicare, missam celebrare pro populo, Evangelium explanare, et coadiutoribus in eodem curae actualis exercitio assignatis praesidere. Dubitari tantum posset de emolumento a gubernio soluto: quippe quod aliquo modo fructibus stolae aequiparari posse videretur. Sed re inspecta iam patet, iuxta advocatos, longe aliud sentiendum esse, nam emolumentum tunc est assignatum quum gubernium coemeterium publicum instituit: ea expressa de ratione, quia qui pauperes antea in Ecclesiis tumulandos, ad coemeterium efferre debebant, maius incommodum sentiebant. Quum igitur emolumentum incommodi gratia detur, haud fructibus stolae aequiparandum est, sed Vicario, qui incommodum re vera sustinet, quique cadavera pro munere stricte parochiali, associandi ius habet, tribui debet.

Quod autem ita responderi debeat, ad primum nempe dubium *affirmative*, ad sequentia *provisum in primo*, facta expressa declaratione *pro tertio* ad ambiguitates removendas; confirmatur, iuxta advocatos, ex quadam S. H. C. resolutione, quae in causa admodum simili *Ripana Iurium parochialium* die *15 Dec. 1725* edita est. Agebatur, ut hic, de cura habituali cum actuali cumulata in Praeposito terrae Aquavivae, eo forte sensu, qui super iudicatus est: nam exercitium non soli Praeposito competebat sed etiam, turnatim, duobus capellanis, qui rurales Ecclesias gubernabant. Haec S. Congregatio sanxit hoc proposito dubio: « *An cura animarum tam habitualis quam actualis in Ecclesia Parochiali S. Nicolai terrae Aquavivae spectet privative ad Praepositum? — Curam habitualem et actualem esse penes Praepositum et exercitium curae esse penes eumdem Praepositum et beneficiatos* ».

Quum postea, in quo consisteret huiusmodi exercitium, determinari deberet, celebri Cardinali Petra commissum est ut Decretum exararet, quod postea die 4 Maii 1726, et iterum, addita clausula *et amplius*, die 26 Novembr. 1762 a Cong. generali approbatum est. Ex hoc Decreto expresse eruitur, omnem actualem curam, exercitii titulo, fuisse comprehensam: et munia quoque docendi pueros christianam doctrinam, praeparandi pueros ad sacram Synaxim de quibus hodie quaestio est: « In aliis functionibus mere parochialibus tam Praepositus, quam beneficiati turnarii possent in solidum procedere, prout unus vel alter fuerit a parochianis requisitus, proinde alteruter, possit, altero irrequisito, sacramenta administrare, pueros et puellas ad primam eorum susceptionem approbare, et admittere, sacramentum eucharistiae in satisfactione praecepti Paschalis administrare, assistere matrimoniis. Doctrinam Christianam tam Praepositus quam beneficiati simul publice docere debeant statutis temporibus, missam vero parochialem teneantur, alternate celebrare et applicare in eaque, qui celebrat, Evangelium explicet: debeat etiam publicas denunciationes tam pro matrimoniis celebrandis quam pro promovendis ad Ordines, monitoria excommunicationis promulgare, sicut etiam denunciationem festivitatum ac indulgentias promulgare ».

Quod si per hypothesim, quam advocati non admittunt ex Piana constitutione, non omnia munia quae ad Parochum actualem competunt, Vicario competerent, sed ea tantum quae ad illam curam *strictius* referuntur, attamen advocati asserunt munia de quibus agitur ad illam strictissime sumptam referre. De S. Evangelii explanatione non loquuntur, quam Capitulum admittit a Vicario faciendam esse, immo ab eo non fieri conqueritur: Vicarius vero se ad eam teneri non negat, sed nunc omittit, quia administrationi sacramentorum quae ei tantum competere Capitulum dictitat, non annumeratur. Quoad missam *pro populo* recolit ex Concilio Tridentino et Benedicti XIV const. « Cum semper oblatas », ea adeo stricte ad curam animarum pertinere, ut non modo Parochis et Vicariis perpetuis, sed omnibus, quicumque curam agant, vel perpetuo, vel ad tempus, vel inamovibiliter, vel ad nutum alterius iniungi. Concilium Tridentinum haec habet: « ac praecepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre » *(Sess. 23, cap. I)*. Benedictina constitutio ita cavet: — « Huius porro epistolae ad vos scribendae occasionem Nobis atque argumentum in primis praebet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi Missam Parochialem pro populo ipsorum curae commisso.... (§ *1*) — itaque mens nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a praelaudatis Congregationibus iudicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli, qui actu curam animarum exercent et non solum Parochi aut Vicarii Regulares, uno verbo omnes et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque etiam specifica et individua mentione digni aeque teneantur missam parochialem applicare pro populo ipsorum cnrae commisso (§ *41)* ».

Immo aiunt advocati, missam pro populo non solum omnibus quocumque titulo animarum curam agentibus imponi, sed ea rigiditate, ut per se, sublata delegandi facultate, applicare teneantur (S. H. C. *Fesulana, 26 Ian. 1771, Castri Albi, 18 Iul. 1789)*. Haec omnia auctores comprobant, quos inter advocatus citat Vecchiotti *(lib. II, cap. VIII, inst. Eccl.)*, Monacellum *(form. leg. lib. I, p. 32 a 54)* et Gonzalez, *(l. III, decr. tit. De paroch. 29 e II)*.

Hoc confirmant per S. V. O. iurisprudentiam, quae assidue missam pro populo ut ad curae exercitium strictissime pertinentem existimavit. Et praesertim in *Patavina - Missae pro populo* (14 Apr. 1804) nostrae admodum simili: nam, cura actuali existente penes Capitulum, limitatum curae exercitium, vicariis concredebatur.

Gradum facientes advocati ad dubium de fidei rudimentis pueris docendis, advocati, ut probent vel ius istud stricte ad curam animarum pertinere, recolunt constitutionem Benedicti XIV, quae incipit *Etsi minime.* Ibi haec habentur: « Duo potissimum onera a Tridentina Synodo curatoribus animarum sunt imposita: alterum ut festis diebus de rebus divinis sermonem ad populum habeant; alterum ut pueros et rudiores quosque divinae legis fideique rudimentis informent » (§ 5).

Inde eruitur, onus fidei rudimenta docendi *curam animarum agentibus*, non Parochis, praecipi: quod significat id stricte curae animarum inhaerere, ita ut omnis, quicumque, quovis titulo curam agat, eo teneatur. Eruitur etiam onus idem ex eodem fonte manare et idem fere esse, obiecto mutato, ac onus S. Evangelium explanandi. Ergo si Capitulum ultro admittit, S. Evangelii explanationem stricte ad Vicarium pertinere, non diverse de impertienda pueris catechesi iudicari potest. – Quod confirmatur ex auctorum sententia, qui assidue duo onera aequiparant et de iisdem, unico contextu, loquuntur. Porro Maschat ita se habet: « tamquam pastor obligatus diebus festivis populum verbo divino pascere, rudimenta fidei explicare » (Maschat, *inst. can. ad tit. De paroch. 9, 3, pag. 193, vol. II*). Cui concinit Vecchiotti: « pueros rudesque personas christianae fidei rudimenta ac vitae praecepta edocere atque etiam dominicis festisque solemnibus concionem ad populum habere, eique per se, vel alterius opera uti Parochi se rite destinari dignoscant, exponere et explanare quae ad aeternam salutem necessaria sunt » *(loc. cit.)*.

Hinc concludunt advocati, ad quaestionem hanc quod attinet, sua Capitulum confessione iugulari.

Quare eadem advocatorum est sententia, ad quaestionem quod attinet, de iure parandi adolescentes ad S. Synaxim eosque aptos declarandi. Nam hoc ius, ex eodem rursus principio profluit, et eamdem fere naturam habet, ac ius fidei rudimenta docendi. Quapropter cui unum competit et alterum competere debet. Ceterum hac de re habemus S. H. C. declarationem in causa *Ripana* superius memorata. In decreto Card. Petra quod S. Congr. confirmavit, ius istud parandi adolescentes ad S. Synaxim inter *munia mere parochialia* recensetur. Quapropter id strictissime ad curam animarum pertinere autumant advocati.

De emolumento a gubernio soluto pro cadaverum pauperum associatione non aliud sentiunt advocati. Revera animadvertunt, cadaverum associationem dubio procul muneribus annumerari, quae curam animarum *stricte* respiciunt. Quapropter, novo Vicario onere imposito, et remuneratione, pro maiori incommodo, a gubernio concessa, omnia iura clamant et aequitas exposcit, ex supra recensitis, ut cui onus et incommodum est impositum, ei commodum cedat.

De dependentia Vice-Parochorum observant advocati, illud stricte animarum curam agentibus esse proprium, ut quicumque ad eos opitulandos in gravi ministerio deliguntur, illis omnino subiiciantur.

Id nisi fieret, mira oriretur confusio, nam a pluribus, suo arbitrio agentibus, recte paroecia gubernari non potest.

Quin etiam inutile evaderet adiutorium Vicario oblatum: nam si Vice-Parochi, in cura animarum agenda ab eo omnino non dependerent, nullam ipse haberet potestatem, qua, in casu impedimenti, nolentes, ad suas vices explendas, obligaret.

Quoad vero deputationem Viceparochorum advocati fatentur eam ad tramitem bullae competere Capitulo, sed tenent ad incommoda vitanda, necessarium esse ut deputatio cum consilio et assensu Vicarii fiat. Secus enim quisque videt rationabiliter timendum esse ne ii Viceparochi eligantur, qui cum a Vicario aliqua de causa se discordes exhibeant rectam curae administrationem in discrimen adducant.

Huc perducta oratione, obiectionem advocati praeoccupant ex consuetudine forsan deducendam: nam Capitulum tenet hucusque recensita munia a se, non a Vicario Curato, fuisse exercita. Sed primum respondent advocati, ex Piana constitutione non tantum temporis effluxisse, ut quamvis observantia certa esset, Vicarii ius praescriptum haberetur. Eoque magis quod Vicarii curati ratio agendi eius successoribus non ita nocere poterat, ut constitutionem per se intellectu perspicuam connivendo labefactarent. Sed longe abest, iuxta advocatos, ut observantia certa sit, quin etiam contrarium demonstratur. Et re vera, quod missa pro populo ad nostra fere tempora a Vicariis applicata fuerit, testantur, qui in vicarii munere, praesentem Vicarium praecesserunt.

Iidem affirmant, pluribus attestantibus sacerdotibus, ad nostra fere tempora, catechesi pueris impertiendae Vicarium praefuisse. Idem ius circa munus parandi adolescentes ad S. Synaxim et aptos declarandi vindicant Vicario disertissima testimonia, itemque comprobatur de Vice-Parochorum dependentia, et advertunt advocati quod ubi primum ab obedientia hi defecerunt, gravissima incommoda, in gregis detrimentum, intulerunt. Nec aliud denique asserunt patroni, de associatione cadaverum pauperum; quam Vicarius, ad nostra usque tempora vel per se explevit, vel per Vice-Parochos si quo impedimento ipse detineretur.

Modo dignentur EE. PP. infrascripta diluere

DUBIA

1um. - *An iuxta Constitutiones Apostolicas universa actualis cura animarum competat Vicario Curato, in casu?*

Et quatenus *Negative:*

2um. - *An Missa pro populo celebranda sit a Vicario Curato vel potius a Capitulo, in casu?*

3um. - *Cuinam competat ius docendi sacram catechesim in Collegiata, in casu?*

4um. - *Cuinam competat ius docendi pueros catechesim praeviam S. Synaxi, eosque aptos designandi, in casu?*

5um. - *An Vicario Curato vel potius Capitulo spectet emolumentum a Gubernio solutum pro associatione cadaverum pauperum, in casu?*

6um. - *An Vicario Curato vel potius Capitulo ius competat deputandi Vice-parochos, in casu?*

7um. - *An et quomodo praedicti Vice-parochi a Vicario Curato dependere debeant, in casu?*

8um. - *An explicatio S. Evangelii haberi debeat a Vicario Curato vel potius a Capitulo, in casu?*

Porro Emi Patres, rebus aequa lance perpensis, rescripserunt:

Ad 1um. *Affirmative quoad exercitium curae animarum.*

Ad 2um. *A Vicario Curato, soluta eleemosyna a Capitulo.*

Ad 3um. et 4um. *Vicario Curato.*

Ad 5um. *Dilata et ad mentem.*

Ad 6um. *Competere Capitulo.*

Ad 7um. *Affirmative in iis quae respiciunt curam animarum.*

Ad 8um. *A Vicario Curato.*

596
2

Parisien. — Nullitatis matrimonii.

Die 28 Februarii 1903.

Confirmatur sententia circa nullitatem matrimonii ex capite clandestinitatis. In infrascripto folio plura argute eruditeque hinc inde congeruntur.

De validitate matrimonii, quod viginti abhinc annis Hadrianus 24 annos tunc natus contraxit cum Anna in aetate 16 annorum constituta, coram Parocho Ecclesiae de Pointis-Inard, disceptatum iam fuit in plenariis Comitiis diei 26 Aprilis elapsi anni (1). Dubium erat utrum confirmari vel infirmari debuerit sententia Archiepiscopalis Curiae Parisiensis, quae die 27 Decembris 1901 nullitatem matrimonii ex defectu formae Tridentinae declaravit. Cui dubio Vos, EE. PP. reponere censuistis: Constare de nullitate matrimonii. Post hanc sententiam Defensor vinculi ex officio beneficium novae audientiae obtinuit. Eapropter causa Vobis hodie discutienda reproponitur sub rogandi formula: « An sit standum vel recedendum a decisis ».

Modo Vobis, EE. PP. breviter referam, quae pro valore matrimonii vel contra disceptantur, simul Vos rogans ut sueta benignitate praeteritum folium resumere velitis.

Annae patronus praeprimis animadvertit ex dictis in priori Restrictu facti et iuris et responsionis uti plene probatam retinendam esse nullitatem matrimonii in casu, quippe cui proprius Parochus non adstiterit.

Etenim, inquit, parochus de Pointis-Inard non erat parochus proprius alterutrius coniugis, nec ratione domicilii, nec quasi-domicilii.

Quod attinet ad Hadrianum res evidens est, ipse enim numquam à *Pointis-Inard* commoratus est, nihilque unquam cum hac parochia commune habuit. Sed res non minus evidens est ex dictis pariter in priori Restrictu facti et iuris et responsionis, quoad Annam, sive ratione domi-

(1) Cfr. Anal. Eccl. Vol. X, p. 151.

cilii, sive quasi-domicilii. Ratione domicilii, nam si Anna consideretur ut *minor*, domicilium habebat apud tutorem in Brasilia; si consideretur *sui iuris*, domicilium pariter in Brasilia habebat, ubi eius parentes domicilium semper habuerunt, ubi illa domum, penates, familiam, rura possidebat etc. Ratione quasi-domicilii; Anna enim quasi-domicilium habebat in Conservatorio *de Saint-Maur des Feuillants* ubi educationis causa morabatur, et dato etiam, quod Actrix huiusmodi quasi-domicilium anno quo nuptias contraxit amiserit, illud nunquam tamen *à Pointis-Inard* acquisivit, ubi plusculum ferias autumnales, sed non ultra quatuor menses, eo anno commorata est, matrimonii celebrandi causa, idest sine ulla intentione permanendi per maiorem vel minorem anni partem; quae intentio, vel potius quae absentia intentionis, iuxta patronum, non constituit animum *certum* et *determinatum* permanendi per maiorem anni partem, seu elementum *formale* necessarium ad acquirendum quasi-domicilium, licet etiam commoratio ad sex menses accidentaliter producta fuisset, quod non est in casu.

Praeterea quoad statuta Tolosana, quae art. IV, n. 377 inquiunt: « ut omne tollatur dubium de parocho qui matrimonio inesse debet, haec pro nostra dioecesi in praxi tenenda decernimus: 1. domicilium ad matrimonium requisitum sola habitatione statim acquiritur si publica sit, et cum animo manendi; 2. illi qui *domicilium* retinentes in aliqua parochia in altera ad tempus versantur, possunt matrimonium contrahere sive coram parocho domicilii, sive coram parocho loci in quo residentiam actualem habent, si spatio saltem unius mensis ibi iam commorati fuerint », demonstravimus, ait orator: 1. huiusmodi statuta, velut alia innumera in Galliis, falsa interpretatione *Instruct. 33, et Constitutionis Bened. XIV « Paucis abhinc »* inniti, ac proinde contra ius commune applicari non posse; 2. in omni casu, ad dioecesanos dumtaxat se referre, seu ad illos qui *domicilium* verum reale in aliqua parochia habent et in altera ad tempus versantur.

Et quia in actu appellationis, matrimonii vindex petiit ut duplex inquisitio fieret, una scilicet Tolosae, altera in Urbe Sancti Pauli in Brasilia, quae tamen, iuxta patronum, ad unicum finem evidenter directa erat, ad probandum nempe parentes Annae et Annam domicilium quod in Brasilia habebant, amisisse, et illud in Gallia acquisivisse *à Pointis-Inard* apud Achillem M. quin minus *à Estadens*, idque forsan ut supremum effugium in Statutis tolosanis, quae ut applicari possint domicilium seu animum perpetuo permanendi in aliqua parochia requirunt, inveniret; hinc orator, in primis refert quae vinculi defensor expetebat ab Ordinario Brasiliensi, nempe, ut inquireret: « An parentes Annae, anno 1875 cum ab urbe Sancti Pauli discesserunt, una cum filiola Anna, animum habuerint redeundi seu potius sedem alio transferendi, utrum instructam domum, quae et quanti plusve minusve valoris bona ibi reliquerint, utrum, anno 1879, vel 1880, cum in urbe S.P auli obierunt, eo reversi sint animo antiquum domicilium continuandi aut restaurandi seu potius remeandi in Galliam postquam bona paternae haereditatis composuissent.

« Ab Antistite vero tolosano quaerebat ut inquireret: num Annae parentes anno 1875 eo pervenerint et ibi constiterint animo figendi sedem, et num ipsi potissime iura exercuerint ac substinuerint onera quae sunt incolarum, non autem peregrinorum propria, atque an ii, qui probe illas noscebant, peregrinos ac transeuntes aut potius incolas et cives crediderint.

« Insuper quaerebat ut iudex inquisitor constare faceret:

« 1. De Titulo seu titulis queis innititur sententia Tribunalis, qua adiudicata fuit Annae domus sita in oppido *Estadens*, ita ut eniteat tempus quo illius domus dominium Anna vel parentes eius adepti sint;

« 2. De titulo et tempore quibus conspicua pecuniae vis in matrimonii actu Adriano tradita apud Annae avum maternum extiterit;

« 3. De quota summa, quae Monialibus de Saint-Maur annuatim pro Anna solvebatur, et an ab Avo ea pecunia penderetur, ac an suo vel alterius nomine;

« 4. De sensu qui tribui solet articulo IV, n. 377, Statutorum Tolosanae Dioeceseos, ut argui liceat utrum Anna valide contraxerit matrimonium in pago Pointis-Inard, dato etiam quod nec domicilium nec quasi-domicilium habuerit in ea parochia, sed tres vel quatuor dumtaxat menses ante matrimonii celebrationem inibi permanserit ».

Hisce praemissis, sermonem instituit patronus de inquisitione tolosana.

Iamvero, inquit, ad examen adducti sunt testes omni exceptione maiores, qui, quaestionibus a iudice positis, *de propria scientia* respondent.

R. D. Emmanuel Castex, *olim Parochiae Estadens rector*, qui Annam eiusque parentes *optime novit*, sciscitanti iudici: « Vous souvenez-vous si M. et Madame N. sont arrivés à Estadens en 1875 en vue d'y fixer leur domicile? » respondit: « J'ai toujours cru que M. et Madame N. sont arrivés à Estadens nullement dans l'intention de s'y fixer, mais en vue d'y soigner leur santé. J'ai été assez intime dans la famille pour pouvoir affirmer qu'ils ne figuraient ni sur les rôles des contributions ni sur les listes électorales ».

Urgenti iudici: « Les a-t-on regardés dans le pays comme habitant définitivement la contrée? » respondit: « On les a toujours regardés comme étrangers ».

Iisdem quaestionibus, Dominus Ioseph Touzet, qui pariter cum Anna eiusque parentibus familiariter usus est, respondit: « Je ne crois pas qu' ils soient venus à Estadens pour y fixer leur domicile, je les y ai connus dès leur arrivée... je sais que M. N. n'était pas inscrit sur les listes électorales... tout le monde dans le pays les regardait comme étrangers. On considérait M. N. comme venu pour soigner sa santé ».

Et Dominus Andrieu: « J'étais précisément à Estadens en 1875; j'y ai vu arriver M. et M[e] N. Je n'ai jamais compris qu' ils vinssent pour s'y fixer; ils y venaient plutôt pour se soigner; c'était le sentiment public.... Je ne crois pas que M. N. ait rempli les droits des citoyens à Estadens... l'opinion publique était qu' ils étaient là comme étrangers, et non comme habitant définitivement la contrée ».

Denique fides scripta praesidis Municipii d'Estadens ita se habet: « Je soussigné, Maire de la Commune d'Estadens, Canton d'Aspet (Haute-Garonne), certifie que pendant les années 1875 à 1879, que M. N. a passées à Estadens, il était regardé par tout le monde comme étranger, qu' il n'a rempli aucune fonction publique, et en particulier qu' il n'a jamais figuré sur les listes électorales! En foi de quoi, etc ».

Quid amplius, quaerit advocatus, desideraretur ad excludendum domicilium Annae eiusque parentum a Gallia? Eo veniunt non animo figendi sedem, sed curandae valetudinis causa, non iura exercent, nec sustinent onera quae sunt incolarum, ab omnibus veluti peregrini et transeuntes habentur, non domum, non terras adipiscuntur; exulat igitur animus perpetuo permanendi in parochia, exulat domicilium.

Sed quia vinculi defensor alia petebat circa dotem quam sibi Anna constituit, circa domum ab ea in oppido Estadens emptam, circa summam quae Monialibus de Saint-Maur annuatim pro Anna solvebatur, et an a Martin ea pecunia penderetur, ac an suo vel alterius nomine, hisce omnibus respondet orator. Et sane, inquit, R. D.

Emmanuel Castex, olim parochus oppidi Estadens, iudici percontanti: « Savez-vous sur quels titres reposait la propriété d'Anne? » respondit: « Mlle Anne possédait à Estadens une maison et des terres autour de cette maison achetée par elle à la succession de M. N. ». — « A quelle époque, instat iudex, a-t-elle été considérée comme propriétaire de ces immeubles? » — « Elle, reponit idem Castex, a été considérée comme propriétaire de ces immeubles après son mariage, quand elle eut acheté les propriétés après la mort de M. N. ».

Quoad dotem, quam vinculi defensor ab Achille constitutam fuisse autumabat, idem testis affirmat: « Je tiens de M. Couderc que M. N. n'a paru en rien dans le contrat de mariage et que c'est Mlle Anne elle-même qui s'est constitué sa dot ».

Tabellio autem qui instrumentum dotale stipulatus est, inquit: « Dans ce contrat, la future épouse a déclaré se constituer en dot divers objets mobiliers, linge, argenterie, bijoux à son usage personnel, d'une valeur de 15,000 francs, et une somme de 500,000 francs en argent comptant et en valeurs qui ont été remis au futur époux ».

At vinculi defensor urgebat: quomodo Anna hanc conspicuam pecuniae vim habere poterat? Ergo vendiderat domum, aliaque bona immobilia, quae in Brasilia possidebat, quod significat intentionem ad patrios lares remeandi eam amisisse. Ad nos non pertinet, respondit patronus, in crumena Annae investigare, sed in facto est eam sibi dotem constituisse, quin bona quae in Brasilia possidebat, venderet.

Caeterum in actis legitur: « Giudico essere regolare, ita iudex pupillorum brasiliensis, il presente conto, determino al tutore della minorenne Anna che converte in polizza la somma di 407 contos e 494,303 reis... in quanto ai beni stabili spettanti alla detta orfana, indecisa l'istanza al foglio 4 verso, visto che non presentò il detto tutore ragione valida per la loro vendita ». Et hoc fiebat die 2 Octobris 1883!

In *Summario* prostant etiam emptiones-venditiones praedii « della Fortaleza » atque domus in urbe de Guaratinguetà, dioeceseos Sancti Pauli, post matrimonium factae, quae mirifice probant, ait patronus, Annae opus non fuisse, ut sibi dotem constitueret, domum aliaque bona immobilia quae in Brasilia possidebat, alienandi.

Sed quia vinculi defensor cognoscere cupiebat titulum vel titulos queis innititur sententia Tribunalis, qua adiudicata fuit Annae domus sita in opido « Estadens » ita ut eniteat tempus, quo illius domus dominium Anna, vel parentes eius adepti sint, ex quodam instrumento quod in actis prostat, probat advocatus Annam dominium domus sitae in oppido « Estadens » post mortem D. N. seu post matrimonium acquisivisse, cum huius haereditas, constituta auctione, vendita fuit. Haec enim leguntur in exhibito instrumento: « Les biens immeubles de M. N. consistaient en 1.° la propriété et le château d'Estadens, situé dans la Commune d'Estadens; 2.° la propriété du château de Pointis-Inard; 3.° une maison située à Paris. La première de ces propriétés fut adjugée à Mme N. co-licitante, au prix de trente-cinq mille cent trente francs, par ordonnance des juges du Tribunal civil de Saint-Gaudens, à la date du 7 février 1889 »!!

Nec sine responso relicta fuit, prosequitur advocatus, quaestio de pecunia pro Anna Monialibus *de Saint-Maur* annuatim soluta, a quo et quo nomine soluta, etenim « pariter, inquirentes iudices inquiunt, authenticis litteris statuitur summas quae monialibus de St-Maur annuatim pro Anna solvebantur a D. N. quidem solvi, sed pecunia a tutore Annae missa ». Id confirmatur a Superiorissa sororum monialium de St-Maur ad examen adducta, quae sciscitanti iudici: « Qui payait la pension? » reponit: « La pension était payée par M. N., grand-père maternel. — Au nom de qui la pension était-elle payée? — La pension était payée au nom du tuteur, qui était au Brésil ». Hoc ipsum confirmatur, addit orator, acceptilationibus ipsius Achillis N. quarum una dumtaxat, speciminis ergo, hic refertur: « Ricevetti dall'Ill.mo Sig. Dott. N. tutore dell'orfana Anna, la somma di 3450 franchi per pagamento delle spese fatte nel collegio, robe e trattamento della detta minorenne dal 1° ottobre 1880 al 1° ottobre 1881, quali spese sommano a 3171 franchi, restando pertanto in mio potere per far fronte alle spese dal 1° ottobre 1881 la somma di 279 franchi. Pointis-Inard, 3 agosto 1882. — Achille N. d'Estadens ».

Quaestioni vero a vinculi defensore positae circa sensum articuli IV Statutorum tolosanorum hisce verbis respondet inquisitio: « Sensus articuli IV Statutorum Tolosanae dioecesis, quorum exemplar ad S. C. Concilii transmittitur, interpretatur iuxta ius commune, auctor enim Statutorum nec voluit, nec velle potuit statuere contra ius commune. In § 2 dicti articuli agitur tantum de dioecesanis ».

Si ergo, arguit patronus, articulus IV interpretari debet iuxta ius commune, nihil aliud ex eo erui potest quam praesumptio acquirendi quasi domicilium ex commoratione unius mensis deprompta, ut Rev. P. Wernz, in voto citato, affabre scribebat de Conciliis Auscitano, et Bituricensi inquiens « quae ultima verba Conciliorum Auscitani et Bituricensis (quibus consonant Tolosana statuta) ne falsa sint, per benignam interpretationem de argumento praesumptionis ex integro mense petito sunt intelligenda. Cf. quoque votum P. Tarquinii in causa *Parisiensi* a. 1868, et Lehmkuhl, Theol. mor. vol. II, n. 774 et seq. ».

Et quod maximum est, urget orator, etiam secundum hanc interpretationem, Statuta ad dioecesanos dumtaxat se referunt, seu ad illos qui domicilium habent in dioecesi « agitur tantum de dioecesanis », non ad illos qui ibi quasi-domicilium habent, velut probatur non solum ex eo quod nemo velut dioecesanus seu Episcopi subditus haberi potest nisi per domicilium, sed ex impossibilitate duo quasi-domicilia habendi, veluti verificaretur in casu. Unum enim quasi-domicilium, secundum hypothesim, haberetur in aliqua parochia, aliud in altera in qua quis versaretur saltem unius mensis spatio, quod absurdum est. Atqui, urget patronus, Anna non habebat domicilium in aliqua parochia, ergo nec in iure nec in facto ei applicari potest dispositio articuli IV Statutorum.

Hucusque de inquisitione Tolosae habita. Deinde advocatus gradum facit ad inquisitionem in Brasilia peractam, quae, inquit, completur ex publicis documentis, e Brasilia transmissis, quaeque idiomate italico versa in actis prostant.

Vinculi itaque defensor scire cupiebat ab Ordinario S. Pauli, « an parentes Annae, anno 1875 cum ab urbe S. Pauli discesserunt una cum filiola Anna, animum habuerint redeundi seu potius sedem alio transferendi; an instructam domum et bona ibi reliquerint; utrum anno 1879 vel 1880, cum in urbe S. Pauli obierunt, eo reversi sint animo antiquum domicilium continuandi aut restaurandi, seu potius remeandi in Galliam postquam bona paternae haereditatis composuissent ».

Hisce omnibus, sub iurisiurandi religione, respondet Ioachini frater, qui solus, ait advocatus, Annae patris voluntatem cognoscere poterat, et una cum N. Francisco, publica documenta respondent. Is itaque inquit « che sa che il dottore N., quando nel 1875 partì per la Francia in compagnia della sua consorte, col fine di attendere alla sua salute, non rivelò intenzione di trasferire il suo domicilio in Francia,

tantochè posteriormente alla morte di suo padre, ritornando per il Brasile, mostrò desiderio che gli toccasse in divisione il podere della Fortaleza, onde in essa fissare la sua residenza per la benignità del clima, il che non si realizzò, in vista che il padre di Anna venne a morire cinque o sei mesi dopo del suo ritorno dalla Francia ».

Ergo, arguit orator, Annae pater non solum animum non habuit, cum e Brasilia discessit, sedem alio transferendi, sed ei fixum immotumque mente manebat, in Brasiliam redire, quo reapse rediit, antiquum domicilium continuans, esto quidem desiderio habendi praedium « della Fortaleza », ut ibi sedem transferret, quod ut evidens est, domicilium non perimit, quin dicamus huiusmodi praedium situm esse in eadem parochia urbis de Guaratinguetá, dioeceseos Sancti Pauli, ubi Ioachim morabatur.

Quoad bona addit testis « che l'estinto padre del dottor N. possedeva cartelle del debito pubblico del Brasile, ed immobili nella città di Guaratinguetá », quorum immobilium pars ad Ioachim transiit iure haereditatis, et ex eo ad filiam Annam. Haec autem bona postea a marito Annae vendita fuerunt.

Sed Ioachim non solum bona paternae haereditatis, quae etiam vivente patre, filiorum propria ex iure censentur, sed et bona quae suo marte sibi comparaverat, possidebat et praecipue illam instructam domum quam vinculi defensor quaerit. Ex contractu enim alienationis huius domus probatur, inquit patronus: 1. illam semper Ioachim fuisse; 2. numquam Ioachim in animo fuisse, Brasiliam deserendi; qui enim domum aliaque bona immobilia integra servat, intentionem non habet natales oras relinquendi; 3. domicilium Annae fuisse et permansisse in Brasilia.

Hisce omnibus si addatur, inquit patronus, venditio praedii « della Fortaleza » ab iisdem coniugibus facta, ac insuper perpendatur non esse haec sola bona immobilia quae Anna in Brasilia possidebat, facile erit concludere, plene satisfactum fuisse inquisitioni a vinculi defensore propositae sive circa bona et praesertim domum, quae et quam parentes Annae in Brasilia reliquerunt, cum Galliam versus profecti sunt, sive circa eorum intentionem in Brasiliam redeundi.

Igitur, quaquaversus quaestio consideretur, concludit patronus, de nullitate matrimonii in casu nullimode est ambigendum. Etenim si consideretur domicilium legale pupillorum esse apud tutorem Annae domicilium erit in Brasilia apud patruum qui non solum tutor ab Annae patre designatus fuit, sed qui tutelam acceptavit, qui a iudice pupillorum tutor confirmatus fuit, qui iuramentum praestitit pupillae personae et bonis sedulo invigilandi, qui tutelam summa religione exercuit, domicilium erit in Brasilia, quia, abstrahendo etiam a persona tutoris, lex brasiliensis praecipit, ut domicilium pupillorum brasiliensium sit in Brasilia, licet extra regionem commorentur. Si vero consideretur Anna velut sui iuris, eius domicilium pariter in Brasilia erit, ubi penates, ubi domum, ubi bona, ubi familiam habebat, ex qua eius parentes et ipsa, causa omnino transeunti, discesserant, unde eam nihil avocabat, quo illam harum rerum omnium desiderium vocabat, et nullimode erit in Gallia, ubi non domum, non penates, non familiam, non bona habebat, ubi advena erat, et advena ab omnibus aestimabatur, ubi eius parentes nullum umquam dominium acquisierunt, ubi non iura, non onera civium exercuerunt. Quod attinet tandem ad quasi-domicilium à Pointis-Inard iam patet ex dictis ambo elementa materiale, et formale deesse: quia Anna vix quatuor menses ibi commorata est, nec animum unquam habuit per maiorem anni partem permanendi.

Ex adverso vinculi defensor contendit neque ex noviter adductis constare de matrimonii nullitate in casu. Et ad suam thesim demonstrandam, in prima parte suae orationis summam refert argumentorum, quae in prima causae propositione, tum ab oratricis patrono, tum a vinculi defensore allata sunt; deinde in secunda parte suae orationis suas congerit difficultates. Omissa synopsi primae partis orationis, referam tantummodo summam animadversionum, quas nunc congerit Sacramenti vindex.

Et in primis animadvertit vinculi defensor, inquisitionem brasiliensem haud cohaerere instructioni, iam datae, scilicet: Diligenter inquirat (Ordinarius Brasiliensis).... iudiciali examini illos supponat, qui in vicinia habitabant, aut aliqua alia ex causa v. g. negociorum, amicitiae, propinquitatis rem noscere poterant etc. Et sane, ait orator, unus testis tantum interrogatus fuit in Brasilia, frater Ioachim. Imo hic unus testis valde inepte excussus fuit, quum iubeant canonicae regulae, ut in examinandis testibus referantur ore proprio quae ipsi respondent, dum e contra heic omnia referuntur a notario quasi historice. Imo hic unicus testis, qua parte deponit de intentione quam fovebat frater, dum e Brasilia recederet, negativus potius quam affirmativus videtur, quum solum dicat: « quando... partì per la Francia..., col fine di attendere alla sua salute, non rivelò intenzione di trasferire il suo domicilio in Francia ». Iamvero, si testis solum scit fratrem abeuntem non revelasse hanc intentionem, rem hac ex parte non concludit, nam optime quis potest: « col fine di attendere alla sua salute » alio concedere vel tamquam accola, vel tamquam peregrinus, imo vel etiam tamquam vagus. Quod autem occasione paternae haereditatis desiderium patefecerit in Brasilia manendi, non concludit evidenter, nam, ait orator, bene potuit *antea* velle recedere Brasilia QUOD FECIT, et *postea* desiderare reverti QUOD TAMEN NON CONSTAT FECISSE, ut faciendum fuisset, ad antiquum domicilium recuperandum.

Dein adnotat Sacramenti vindex desiderari in actis particulam testamenti, qua tutor datus fuit: « Nec otiosum (edicebat enim instructio) forsan erit inseri particula testamenti, qua Franciscus datus est tutor Annae ». Quod utilitate profecto non caruisset. Non enim, iuxta oratorem, satis videtur ad rem facere brevissima indicatio tutelae per verba, quae referuntur in Summ. Nov. pag. 23, seu: « Tutela testamentaria, ai 7 giugno 1880.... ».

Imo ex tutela, quae quidem quasi cardo quaestionis in casu est, opportuna occasione arrepta vinculi defensor dubitat de huius tutelae legitimitate. Et revera, teste citato Francisco: « Il padre di Anna venne a morire 5 o 6 mesi dopo il suo ritorno dalla Francia... Morto il padre di Anna sua moglie contrasse seconde nozze con Alessandro, venendo la medesima a morire pochi mesi dopo nella città di S. Paolo, non sapendo il deponente se la medesima aveva intenzione di fare ritorno in Francia ».

Iam age, instat vinculi defensor, non una exinde emergit difficultas. Et reapse, si in Brasilia vigeret lex maritalis et tutoria qualis viget nunc penes Italos, haec haberentur consectaria.

a) Quia ex art. 242 Cod. Civ. « Il diritto di nominare un tutore parente od anche estraneo spetta a quello dei genitori che rimane superstite », iam sequeretur irritam fuisse constitutionem tutoris factam a sponsae patre, quippe factam vivente matre, sub cuius unica potestate iam fuisset censenda filia constituta.

b) Quia in articulo 18 edicitur: « La moglie, che non sia legalmente separata, ha il domicilio del marito; divenendo vedova lo conserva finchè non ne abbia acquistato un altro. Il minore non emancipato ha il domicilio del padre o della madre o del tutore », iam sequeretur Annam

civiliter domicilium habuisse apud matrem durante huius viduitate.

c) Quia tandem non cessat patria potestas, in vidua, quae novas nuptias iniverit, iam sequeretur domicilium Annae, per paucos menses quibus duravit novum coniugium eius matris cum viro Alexandro, ibi fuisse civiliter, ubi erat huius domicilium.

d) Quia tandem aetate minor, utroque parente orbatus, retinet domicilium parentis, qui posterior obiit, sequeretur et perseverasse, post mortem matris, domicilium Annae in loco, in quo haec domicilium et ipsa fovebat ratione secundi laudati viri!

Haec utique sequerentur, ait orator, si in Brasilia vigeret eadem lex maritalis et tutoria, quae viget penes Italos. Sed quia ipsum latet, an haec eadem lex vigeat in Brasilia nec ne, lucem hac in re summopere desiderat et expetit quum nihil de effectibus iuridicis, directe in ordine civili et indirecte in ordine canonico, adsertae tutelae certo decerni possit, nisi plene constet de ipsius tutelae legitimitate.

Quod si dicat patronus: si patruus ut tutor datus est et ut tutor recognitus est, praesumendum est omnia rite fuisse peracta, respondet vinculi defensor, hanc praesumptionem labilem esse, quum notum in negociis testamentariis et iudiciariis etc. sit, plura reapse fieri, quae fieri non deberent.

Deinde gradum facit vinculi defensor ad confutanda iuridica principia, quibus innititur patronus oratricis ad nullitatem matrimonii demonstrandam.

Quapropter cum advocatus affirmet: 1. Domicilium pupillorum esse necessario penes tutorem; 2. Quasi domicilium nullo modo acquiri posse nisi habeatur animus commorandi certo in loco, et quidem per maiorem anni partem; 3. Haud possibile esse, ut quis duo quasi-domicilia obtineat; respondet Sacramenti vindex, allegando rationes, quae quoad triplicem hanc doctrinam, ut certam traditam, ambigere sinunt.

Et sane, inquit, certa non est doctrina iuxta quam domicilium pupillorum est necessario penes tutorem.

Etenim domicilium est locus perpetuae commorationis, seu, ut edixerunt Imper. Diocletianus et Maximianus (in L. VII, C. De incolis):... incolas... domicilium facit. Et in eodem loco singulos habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem rerumque ac fortunarum suarum summam constituit; unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet; unde, cum profectus est, peregrinari videtur; quo si redit, peregrinari desistit.

Generatim loquendo, ait orator, ubi quis domicilium civile habet, habet quoque canonicum, ita ut ex generali regula, si quis est civis in oppido, est quoque parochianus paroeciae ibi existentis.

Dixi tamen, addit, generatim loquendo, quum certum sit, posse aliquem habere domicilium civile v. g. in oppido A. et ibi carere domicilio canonico.

Hoc probatur: 1) ratione, quia bene possumus effingere, quod lex civilis praescribat ad acquirendam civitatem conditiones diversas a constitutis per canonicas leges ad acquirendam parochialitatem: 2) resolutione S. V. C. nam scribit Scavini in sua *Theol. Morali*, V. III, L. III, Tract. XII. (Edit. XIII): Alicubi ex lege civili ad acquirendum domicilium sufficit inscriptio in albo oppidi, haec tamen sola ex se non potest constituere domicilium quod a canonico iure praecipitur ad rite contrahendum ex S. C. Congregatione 28 Aug. 1864: 3) ex nuperrima resolutione S. Congr. S. Officii, quae ad dubium: An Ordinarius parochis licentiam concedere possit assistendi matrimoniis eorum, qui diu in dioecesi versati sunt, sed in nulla paroecia domicilium vel quasi-domicilium acquisiverunt, die 9 Nov. 1898, respondit: Negative nisi diligenti inquisitione facta, constet eos, de quibus est quaestio, neque in civitate (N. N. de qua motum fuerat dubium) neque alibi, in nulla paroecia verum vel quasi-domicilium habere sed esse vagos. – Unde consectarium, posse aliquem in aliqua civitate secundum leges civiles non solum esse posse civem, sed et forsan supremum magistratum civilem (v. g. syndicum) et tamen carere domicilio necessario ad contrahendum secundum sacrorum statuta canonum.

Hisce praeiactis principiis, quaerit vinculi defensor: ubi est domicilium pupillorum? eritne necessario penes tutorem? vel potius poterunt, annuente imo et contradicente tutore, aliud sibi constituere?

Quaestionem hanc, pergit orator, plures ita solvunt, ut dicant ex hodiernis legibus domicilium minorum etiam coram Ecclesia necessario esse penes vel parentes vel tutorem. Unde D'Annibale « Uxor mariti, filius familiae sub cuius potestate est, qui sub tutela est tutoris necessarium domicilium sequitur ».

Sed non arridet vinculi defensori haec doctrina. Nam inquit, si domicilium canonicum esset indivisibile a naturali-civili, frustra quasi videretur movere hac ex parte dubitationes, nam necessario ibi esse deberet canonicum domicilium ubi naturale-civile est. Sed quia domicilium canonicum est divisibile a naturali-civili, imo, quod gravius est, est divisibile in se, adeo ut quis possit habere duo vera domicilia, aut unum verum domicilium et forsan (iuxta aliquos) plura quasi-domicilia, censet orator non frustra, sed valde congrue, ambigi posse, num semper hoc verum sit de pupillo, nam casus noster est de praesumpto pupillo, quia lex civilis id iubet, necessario habere domicilium tutoris.

Et revera domicilium et quasi-domicilium in iure canonico considerantur, ut par omnino est, in ordine ad res spirituales eisque connexas, et hinc potissimum in ordine ad Sacramenta petenda et recipienda. Adeo verum, ut theoriam romanam de domicilio ius nostrum evolverit ac perfecerit, introducto moribus primum et sancito legibus postea, usu quasi-domicilii. Non enim alia de causa id factum est, nisi ut quis facilius ac commodius proprium sacerdotem haberet, a quo sacra peteret et consequeretur: cui commoditati tunc maxime putatum fuit opportunum consulere, quando rigide vigebat lex de sacris (haud excepta confessione) a proprio parocho recipiendis. Unde etiam consectarium maximi momenti, nempe domicilium et quasi-domicilium, ut canonum intentioni satis fiat, late esse accipienda, quum dirigantur ad ordinandum exercitium et usum rerum spiritualium, seu mediorum sanctificationis.

Iamvero, hisce suppositis, haud potest indiscriminatim, iuxta vinculi defensorem, haberi, ut vera regula, iuxta quam: pupillus habet domicilium ubi tutor.

Certo legislatio nostra canonica id non constituit, imo talia constituit, quae contrariae favent resolutioni.

Et reapse inquit, nihil de hac quaestione esse expresse et formaliter in iure nostro sancitum omnes ultro admittunt; adeo verum ut recursus haberi soleat ad leges civiles, ad supplendum canonum defectum.

Nonnulla autem in iure nostro constitui, quae saltem implicite et tacite facultatem agnoscunt, de qua loquimur, seu facultatem in minoribus sibi saltem interdum domicilium et a fortiori quasi-domicilium constituendi liquet v. g. ex auctoritate Bonifacii VIII, qui recognovit veram et liberam capacitatem iuridicam in pupillis et minoribus in ordine ad spiritualia. Placet autem heic partem referre, quae tangit conditionem iuridicam minorum iuxta antiquam supputationem, seu eorum, qui pubertatem quum excessissent, nondum XXV annum excesserant: « Si annum quar

tum decimum tuae peregisti aetatis, in beneficialibus et aliis causis spiritualibus, necnon et dependentibus ab eisdem, ac si maior XXV annis existeres, ad agendum et defendendum per te vel per procuratorem (quem ad hoc constituendum decreveris) admitti debebis » (*C. III De iudiciis in VI*).

Imo neque huc stetit Bonifacius VIII, sed recognovit, v. g. in filiofamilias, dummodo puberi, facultatem sibi eligendi sepulturam independenter a patre: « Quamvis autem filiusfamilias (dicit ipse in C. IV *De sepulturis*) absque patris assensu sibi possit libere eligere sepulturam etc. ».

Unde sequitur, iuxta oratorem, pupillos coram Ecclesia esse in diversa conditione ab ea, in qua sunt, coram republica; nam si, ut cives reipublicae civilis huius subsunt legibus, ita cives reipublicae christianae subsunt Ecclesiae, quae in eis agnoscit capacitatem iuridicam independenter a parentibus et tutoribus, ut liquet v. g. ex eo quod filii-familias et minores, possunt, etiam renuentibus parentibus et tutoribus ad sacros ordines assumi... ad professionem religiosam recipi... ad matrimonium valide semper, et saltem interdum legitime celebrandum... admitti.

Quae, si praestare possunt, urget Sacramenti vindex, non video cur honesta de causa nequeant, qui minores coram republica sunt, aut verum domicilium aut quasi-domicilium sibi constituere, v. g. ut fiat religiosus etc. Et hoc eo magis censet verum orator, si parentes aut tutores seu curatores (pro casuum varietate) filio vel pupillo etc. cogitanti de novo capessendo domicilio non restiterint, sed, saltem tacite permiserint.

Quod si obiiciatur, ad domicilium animus requiritur perpetuo manendi, iamvero hic animus effingi nequi in eo, qui, hoc lege civili concedente, quandocumque a patre vel tutore revocari alio potest; respondet orator, vel ipsos Romanos agnovisse constitutioni domicilii non obesse possibilitatem ut quis recederet eo ex loco; imo adeo verum est ut in citata lege codicis dicatur: si nihil avocet; imo adeo verum ut recognoverint militem habere domicilium in provincia, ubi meret, si nihil in patria possideat: Miles (dicitur enim in Digest. *Ad municip.* Fr. XXIII) ibi domicilium habere videtur, ubi meret, si nihil in patria possideat. Quae probant, et praesertim posterius, non obstare domicilii acquisitioni, quod quis possit iure vel iniuria alio avocari... iure, ut v. g. prouti contingit in monachis, qui iuxta canonicas regulas habent domicilium in monasterio sibi assignato et tamen semper possunt alio a superioribus transferri...; per iniuriam, ut contingeret v. g. in eo, qui libertate sua usus, religiosa nuncupavit vota extra patriam, et postea a patre, adhibita forsan etiam vi, in paternam domum revocaretur.

Quod si, hisce non obstantibus argumentis, urgere quis vellet regulam traditam a D'Annibale, et contendere in casu ob deficientem expressam canonicam dispositionem, supplendum esse defectum ex civilibus legibus in obsequium celeberrimae regulae traditae a Lucio III in C. I *De novi operis nunciatione*, tunc quaerit orator, et ex quibusnam civilibus legibus?

Si enim responsum fuerit: ex novissimis constituentibus domicilium pupilli penes tutorem, observat tunc id fieri non posse, nisi incaute supponendo certum, quod est in se valde dubium, seu defectum legislationis canonicae esse supplendum ex codicibus civilibus hodiernis.

Quamvis enim aliqui hoc docuerint, arbitrarie censet orator eos hoc docuisse; adeo verum ut, ex singulis argumentis quibus D'Annibale sententiam hanc firmare conatur in Summula (*V. I, C. II, De leg. in specie N. 12*) ne unum quidem sit, quod sat commode everti nequeat, ac praesertim secundum depromptum ex C. 8 *De fide instrum.*, ubi confundit ius commune (quod indigitat Papa) cum iure civili...! Adeo item verum, ut contrario sensu scripserit Bouix in Tract. *De iudiciis* P. I, Sect. I, C. IV: « Et notetur propriam eam vim (seu supplendi defectui legis canonicae) esse Romano seu Iustinianeo iuri, non autem communem caeteris quibus populi hodie utuntur legum codicibus. Frustra enim ii codices in probationem adducerentur, quia non eos sed Iustinianeum dumtaxat suum Ecclesia ad supplendum in iis materiis, de quibus canones silent, aut dubie loquuntur...

Nec satis, porro duo ulterius in promptu habet argumenta vinculi defensor, quae formare apprime videntur theoriam, de necessitate confugiendi ad leges romanas, potiusquam ad hodiernas, in defectu legis canonicae.

Argumentum primum desumit ex celebri decretali *Super specula* data ab Honorio III, relata sub C. XXVIII *De privilegiis*, quaeque ita est concepta: « Super specula... (Et infra). Sane licet Sancta Ecclesia legum saecularium non respuat famulatum, quae aequitatis et iustitiae vestigia imitantur; quia tamen in Francia et nonnullis provinciis Laici Rom. Imperatorum legibus non utuntur, et occurrunt raro ecclesiasticae causae tales, quae non possint statutis canonicis expediri; ut plenius sacrae paginae insistatur... (Et infra). Firmiter interdicimus, ne Parisiis vel in civitatibus seu aliis locis vicinis quisquam docere vel audire ius civile praesumat ».

Et revera, quum principale motivum, quod impulsit Honorium ad interdicendum Parisiis studium legum romanarum, fuit ut plenius sacrae paginae insisteretur, seu ad fovendum studium theologiae, alias a clericis valde neglectum, ratio secundaria fuit, eo quia ibi leges romanae non erant in usu penes laicos, quum ibi vigeret ius Gallorum proprium. Iamvero, inquit, si defectus legislationis canonicae esset supplendus ex legibus localibus, et non ex romanis, inconsulto, imo vix non absurde, addidisset Honorius, quasi ad legitimandam suam prohibitionem, hanc aliam rationem, videlicet, quod caeteroquin ibi occurrunt raro ecclesiasticae causae tales, quae non possint statutis canonicis expediri.

Nam e converso debuisset dicere: et caeteroquin legibus vigentibus, si opus, utendum est ad solvendas paucas eas quaestiones, quae solis statutis canonicis expediri nequeunt.

Secundum vero argumentum desumit Sacramenti vindex ex documento, quod die 22 Martii 1898 (1) prodiit e S. C. EE. et RR. quoad prescriptionem delictorum in causis criminalibus clericorum. Iamvero in eo documento, edito instante Episcopo Lublinensi in Polonia Russica (ubi, uti censet orator, certe non vigent leges romanae antiquae) duo continentur quae rem mirifice firmant. Nam in primis edicitur; tralatitii iuris esse, in causis criminalibus ecclesiasticis locum habere praescriptionem. Quod si quaeratur, ubi sunt hae dispositiones, respondet Bouix, Tract. *De iudiciis* part. II, sect. III, cap. I, n. VIII: 1). An extinguatur actio poenalis praescriptione, id est, post certum tempus a die commissi criminis elapsum?

R. Primo. Nullam reperio a canonistis allegatam hac de re iuris sacri dispositionem. *Secundo.* Allegant autem Iustinianei iuris textum. Praeterea non solum principium generale de praescriptione fuit depromptum a iure romano, sed et temporis ad id necessarii supputatio. Et revera, in cit. doc. edicitur actionem iniuriarum spatio unius anni, crimen peculatus et delicta carnis spatio quinque annorum, crimina raptus, stupri per vim illati, et adulterii cum incestu coniuncti spatio viginti annorum, crimina vero suppositi partus, parricidii, laesae maiestatis, concussionis, abortus etc. etc., nullo unquam tempore praescribi. Iamvero hae sunt dispositiones profecto a iure romano mutuatae, et non ab aliis codicibus. Unde firmissimum argumentum pro thesi sua

(1) Cfr. *Anal. Eccles.*, Vol. VI, pag. 146.

habere censet orator in documento hoc, quod caeteroquin, quamvis datum Episc. Lublinen. ratione materiae indolem generalem praesefert, et mirifice probat etiam in S. V. C. sancte servari regulam de supplendis legibus canonicis ex civilibus antiquis et non hodiernis.

Si autem ex iure romano est supplendus defectus, romanae leges clarissime concedunt minori, saltem si puberi, facultatem eligendi sibi domicilium, ut liquet v. g. ex responso Ulpiani solemniter edicentis in Fr. III. IV. D. Ad Municipalem: Placet etiam filiosfamilias domicilium habere posse, non utique ubi pater habuit, sed ubicumque ipse domicilium constituit; et Fr. VI, § I ib. repetentis: Filius civitatem, ex qua pater naturalem originem ducit, non domicilium sequitur.

Caeterum, urget orator, sive hodiernae sive antiquae leges in auxilium canonicarum advocentur, firmum permanet principium superius positum, posse, quidquid lex civilis in civilibus negociis statuerit, in spiritualibus filiosfamilias se gerere uti sui iuris et hinc saltem qua pater aut tutor non contradixerint, ibi figere domicilium canonicum ubi libuerit, quod quidem domicilium, licet in facto eiusmodi sit ut per patris seu tutoris factum possit abrumpi, in iure, verum domicilium est, quum cessatio illa veluti accidentalis sit habenda, et accidentalis est habenda translatio monachi de monasterio ad monasterium et revocatio filii illius ad paternas aedes, cui pater facultatem dederat quasi-domicilium sibi constituendi, v. g. in civit. A, studiorum causa.

Gradum deinde facit orator ad reliqua doctrinae capita a patrono ut certa allegata nempe, ad quasi-domicilium certo requiri animum commorandi certo in loco et quidem per maiorem anni partem, et neminem duo quasi-domicilia obtinere posse. Ad primum quod attinet, animadvertit, quod quamvis probabilior sit opinio DD. qui talia docent, et conformior sit haec doctrina styló H. S. C., haud tamen dici potest hanc de quasi-domicilii natura doctrinam certam evasisse post instr. S. O. ad Episc. Angliae et Foeder. Stat. Americ. 7 iunii 1867.

Et reapse, inquit eiusmodi instructiones, nisi constet v. g. ideo datas fuisse ut quaestio aliqua auctoritative resolveretur etc. non aliud praestant quam referre communiorem et tutiorem doctrinam. Adeo verum, ut Eminentissimus Gennari, in suis laudatis ephemeridibus *Il Monitore, 1, X, P. II, pag. 221*, post relatam quamdam resolutionem practicam, et insuper concessionem factam favore civitatis N. N. ita scilicet, ut qui ibi commorati fuerint per sex menses ex gratia haberi debeant ut sufficienti quasi-domicilio instructi in ordine ad matr. quin de animo sit facienda inquisitio, addit in Nota: « Da questa risposta si fa chiaro, come la S. C. « non ha creduto di definire la questione se basti ovvero « no, al matrimonio, dimorare materialmente in una par« rocchia per sei mesi. Nessuno perciò creda che dal re« scritto *acquiescat* per l'Officiale, che opinava in senso « negativo, e per essersi concesso come grazia in quella città « di potere bastare la detta dimora materiale, debba rica« varsene, da ciò, che non basti per nulla altrove cotal « dimora pel matrimonio ».

Unde arguit orator, bene posse adhuc decertari pro opinione, quae contendit quasi-domicilium magis rem facti quam iuris esse, imo ut rem, quae in omnium sententiae utpote favorabilis, latam admittit interpretationem, utpote moribus inductum ad consulendum necessitatibus spiritualibus eorum, qui longe e domicilii loco versantur, et hinc: *a*) bene posse concipi quasi-domicilium tum quoad eum, qui per maiorem anni partem degit in paroecia, quin ab exordio animum habuerit manendi per talem maiorem partem; tum quoad eum qui vult consistere certo in loco per notabilem quidem, at non maiorem anni partem, imo: *b*) minime reprobandos qui consequenter admittunt posse, plura quasi-domicilia haberi.

Quapropter, cum hucusque certae resolutiones in puncto iuris deficiant, licet magni sit faciendus v. g. stylus S. V. C., fas non putat vinculi defensor dubio iuris perseverante contra matrimonium sententiam ferre.

Hisce relatis, Sacramenti vindex enixe petit, ut, ad omne dubium tum quoad factum, tum quoad ius removendum, institutis novis investigationibus adductisque opportunis documentis, duo in clara luce ponantur: *a*) utrum constitutio tutoris fuerit undequaque legitima ad tramites legum brasiliensium; *b*) in casu negativo, utrum et quale, seu qualia domicilia, iuxta leges brasilienses habuerit sponsa tum matre vivente, tum matre defuncta; *c*) num taliter in Gallia fuerit conversata sponsa, ut, praescindendo a legibus civilibus, censenda sit acquisivisse domicilium canonicum iuxta doctrinam superius expositam.

Cumque quoad ius dubitet orator: *a*) num filius-familias ac pupillus possit canonicum domicilium sibi constituere non obstante lege civili, quae eis necessarium domicilium tribuit penes parentes vel pene tutorem: *b*) num tale canonicum domicilium constituere sibi possint, saltem in hypothesi qua parentes aut tutores eis non obsistant; *c*) num adhuc probabilis sit censenda hodie opinio, quae admittit possibilitatem, ut quis obtinere possit quasi-domicilium per commorationem factam certo in loco vel per maiorem vel saltem per notabilem anni partem, sine animo manendi per partem maiorem et hinc per consequens ut quis habere valeat plura quasi-domicilia; hinc rogat EE. VV. ut iubeatis dubia haec solvi adhibita opera alicuius lectissimi Consultoris et, etiam consulta, qua opus, Suprema Cong. S. Officii.

Et tunc, ait, quum lux inter tot tenebras, quibus nunc obruimur, affulserit, iam difficile haud erit tutum proferre iudicium de matrimonio, de quo agitur. Nam v. g. si constiterit constitutionem tutoris fuisse irritam, omnia, quae ex hoc puncto dependent, necessario ruent... Sic v. g. quoque si constiterit tum posse pupillum canonicum domicilium sibi constituere, tum de facto sponsam talia peregisse, quae praesumere faciant voluisse ipsam vel verum domicilium vel saltem quasi-domicilium sibi apud avum constituere, omnes difficultates ex capite defectus proprii parochi necessario statim disiicientur... Sic item v. g. admissa possibilitate habendi duo quasi-domicilia, facili negotio solvi poterunt difficultates depromptae ex eo, quod sponsa, quum saltem haberet quasi-domicilium in monasterio, poterat aliud *forsan* sibi constituere in loco de Pointis-Inard penes avum, ubi, de facto semper residebat, quoties scholastica negocia in monasterio non detinebant, et ita omnibus perpensis, ad chimaeras amandanda hypothesis, quod sponsa coram ecclesiastica lege tum vero domicilio, tum quasi-domicilio caruerit et hinc ut canonice vaga fuerit aestimanda, quo in casu firmissimum prorsus esset coniugium! Et reapse, si probaretur: *a*) sponsam saltem quia destitutam tum parentibus, tum legitimo tutore in ea conditione fuisse, ut, abdicato iam brasiliano domicilio, *de jure* valeret sibi ubivis domicilium vel quasi-domicilium constituere; *b*) tamen *de facto* aut non constituisse, aut semel constitutum deseruisse, iudicandum prorsus esset eam nonnisi IURE VAGORUM uti debuisse ac potuisse; unde consectarium: matrimonium fuisse validum.

Hisce itaque hinc inde perpensis, Vestrae benignitati ac sapientiae placeat, EE. PP., sequens resolvere

DUBIUM

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

Emi Patres edixerunt: *In decisis.*

E SACRA CONGREGATIONE
EPISCOPORUM ET REGULARIUM

1391
13

I.

PONENTE E.MO AC R.MO
DOMINO CARDINALI GENNARI
Die 22 Augusti 1902.

PACTEN. — Interpretationis rei iudicatae.

Disponitur servandam esse usitatam praxim circa ius peragendi processiones SS. Patronorum, controversum a duabus paroeciis in casu.

In pago vulgo *S. Fratello* dioecesis Pactensis duae extant ecclesiae cum cleris respectivis, quarum una a B. Virgine in Coelum assumpta nuncupatur, et altera a S. Nicolao. Inter utrumque clerum quaestiones de privilegiis et praesertim de matricitate cuinam nempe ecclesiae haec spectaret plusquam saeculares exarserunt: quas cum compescere non valeret Ordinariorum auctoritas, tandem controversia deducta est ad S. Congr. Ep. et Regularium, quae die 18 Martii 1879 proposito dubio – *An et quomodo ecclesia S. Mariae manutenenda sit in possessione suorum iurium et privilegiorum?* – respondit: – *Nihil esse innovandum et ad mentem.* Mens autem erat; ut vacante Archipresbyterali ecclesia S. Mariae, cuius titularis parochus Archipresbyter duas praefatas ecclesias regebat, Episcopus procederet ad duas novas delimitationes, et duos parochos independentes institueret.

Ad normam praefatae resolutionis Episcopus Pactensis vacata paroecia processit ad determinationem limitum duarum paroeciarum obtenta sanctione nedum ecclesiasticae sed etiam civilis auctoritatis, et die 28 Martii 1882 indicto concursu postea duobus electis parochis Bullas nominationis expedivit. At cum in Bulla parochus ecclesiae S. Mariae titulo Archipresbyteri prae alio parocho S. Nicolai esset condecoratus, hoc maxime displicuit Clero S. Nicolai, qui conquestus est ab Episcopo non esse institutas duas paroecias vere independentes iuxta S. Congregationis mentem. Tunc S. Congregatio ad omnem amovendam litem expediens esse censuit concedere titulum Archipresbyteri etiam parocho S. Nicolai. Sed neque haec prudentialis dispositio pacem inter duos Cleros reduxit: siquidem novae et acriores lites exarsere circa pertinentiam iuris Matricitatis et alia privilegia. Quare S. Congregatio ad eradicanda haec litigia plus quam saecularia iussit ut causa in petitorio coram se proponeretur concinnatis sequentibus dubitandi formulis:

I. *An constet de re iudicata super matricitate aut maioritate favore ecclesiae S. Mariae in casu?*

Et quatenus negative:

II. *An et cuius favore constet de matricitate aut maioritate in casu?*

III. *An et quae iura competant praeter matricilia Ecclesiae Matrici declaratae in casu?*

IV. *An et quo sensu servandus sit titulus Archipresbyteri parocho S. Nicolai, posita declaratione Matricitatis Ecclesiae S. Mariae?*

V. *An tradendae sint ecclesiae S. Nicolai reliquiae SS. Patronorum cum simulacro et sacris ornatibus et cum exclusivo iure peragendi processionem per omnes oppidi vias usque ad ecclesiam Montis?*

VI. *An et a quo tempore ecclesia S. Mariae rependere debeat ecclesiae S. Nicolai annuum canonem 20 unciarum vel potius restituere quartam fundi partem in casu?*

VII. *An sit locus novae limitum constitutioni inter duas paroeciales ecclesias?*

Haec dubia die 28 Februarii an. 1890 sequenti fuerunt dimissa responso. – Ad I^{um}. *Affirmative.* Ad II^{um}. *Provisum in primo.* Ad III^{um}. *Affirmative quoad pulsationem campanarum in Sabbato Sancto tantum; et quatenus clerus utriusque ecclesiae ultro conveniat ad aliquam functionem ecclesiasticam, affirmative etiam quoad praecedentiam cleri matricis ecclesiae firmo caeteroquin remanente quoad processiones Episcopi decreto diei 1 Iunii 1883.* Ad IV^{um}. *Affirmative honoris causa tantum.* Ad V^{um}. *Negative.* Ad VI^{um}. *Negative in omnibus.* Ad VII^{um}. *Negative et amplius.*

Sed neque haec suprema resolutio finem imposuit controversiis inter duos cleros. Siquidem uti constat ex V° dubio clerus S. Nicolai nedum sibi vindicabat reliquias SS. Patronorum, sed etiam ius exclusive peragendi annuales processiones cum praefatis reliquiis usque ad ecclesiam Montis in quo ipsae inventae fuerunt. Cum autem S. Congregatio ad dubium negative, responderit nempe reliquias non esse tradendas cum iure exclusivo peragendi processiones, ex adverso Clerus S. Mariae asseruit sibi hoc ius spectare exclusive, et consuetudinem hoc sensu invexit; instante clero S. Nicolai, iterum quaestio ad trutinam revocari oportuit pro interpretatione resolutionis quinti dubii.

Audiatur in primis defensio jurium Cleri S. Nicolai.

Hic per suum procuratorem contendit praetensionem ecclesiae Matricis peragendi *exclusive* processiones SS. Patronorum fundari non posse neque in decisione S. Congregationis diei 28 Feb. 1890 mox relata neque in decreto Episcopi Pactensis diei 1 Iunii 1883 ideoque esse respuendam. Sane in quaestione agitata circa matricitatem et privilegia duarum ecclesiarum, Clerus S. Nicolai petiit ut sibi tribueretur ius exclusivum perficiendi processiones SS. Patronorum, ut ex quinto dubio supra relato liquet. Cum ex responso S. Congregationis hoc ius exclusivum ei fuerit denegatum, non sequitur ipsum adversae parti fuisse adiudicatum; secus enim haberetur concessio *ultra petita* cum tertii praeiudicio, abhorrens ab aequitate et iustitia, cui semper decisiones S. Sedis esse conformes praesumuntur. Quod autem hoc ius exclusivum Clerus S. Mariae non petierit ex eo revincitur, quod patronus eius tunc temporis proposuerat S. Congregationi, uti constat ex allegatione, ut processiones praefatae gererentur alternatim a duobus cleris. Insuper huic exclusivitati iuris obicem parat consuetudo plus quam centenaria, quae quantam habeat vim neque qui ius canonicum summis attigit labiis, nescit: confer *Reiffenstuel – Ius canon. tit. IV. de consuet. n. 194.* Hinc advocatus concludit: si ex tali consuetudine declaratum est clero S. Nicolai non esse tradendas reliquias SS. Patronorum, utpote quia in earum possessione non inveniebatur, pari ratione aequum est ut manuteneatur in iure faciendi processiones una cum clero S. Mariae cum in sui favorem militet huius iuris quasi possessio plus quam centenaria.

Neque iuxta advocatum item adversae parti suffragatur decretum Episcopi Pactensis diei 1 Iunii 1883. Per ipsum enim cautum fuit ut functiones et processiones fierent a

respectivis parochis intra limites propriae paroeciae; et hoc iuri maxime consonum erat, quia nulli parocho licet invadere iurisdictionem alterius: sed in hoc decreto conprehendi non poterant processiones SS. Patronorum. Sane id eruitur primo ex antecedentibus et contextu ipsius decreti. Ante divisionem paroeciae variae existebant conventiones et observationes apud Cleros duarum ecclesiarum; merae functiones et processiones modo ab uno clero modo ab altero fiebant; erectis an. 1882 duabus paroeciis iuxta praescriptum S. Congregationis, statuta et observationes vigentes cessarunt utpote non amplius utilia ut ait Episcopus in suo decreto, hinc novum ius firmatum fuit; sed hoc extendi non poterat, ad processiones SS. Patronorum, tum quia de his non est sermo in decreto, tum quia hoc fuisset derogare iuri communi quod facultatem Episcoporum excedit. Re quidem vera iuxta *Pignatelli tom. IV consul. 30 et S. Cong. Concilii in Fanensi 6 Feb. 1590, 13 Nov. 1600*, ad processionem Patroni aliarum ecclesiarum cleri nedum intervenire possunt, sed etiam cogi sub censuris ut tenuit eadem *S. Conc. Cong. die 19 Maii 1818.* Sed pro clero S. Nicolai in themate et alia ratio specialis aderat, nempe factum plus quam centenariae consuetudinis.

Pactenses Episcopi usque ab annis 1607 et 1724 statuerant ut festa SS. Patronorum mensibus Maii et Septembris in communi ab utroque clero celebrarentur: progressu temporis post haec statuta, circa alias functiones lites exarserunt, at non circa rationem praedicta festa celebrandi quae semper immota mansit, utpote antiquis pactis et decretis confirmata.

Insuper, subdit advocatus, in ipso Episcopali decreto diei 1 Iunii 1883 hic usus videtur servatus per ea verba – *Praesenti tamen decreto non intendimus menomare iura et privilegia..... quae in usu existunt* – hoc profecto sensu uterque clerus id est interpretatus a die illius publicationis usque ad an. 1886, quo clerus S. Mariae autumavit sibi spectare exclusivum ius dictas processiones peragendi.

Tandem advocatus advertit quod in resolutione tertii dubii supra relatae causae diei 28 Feb. 1890 additum fuit – *firmo ceteroquin remanente quoad functiones et processiones Episcopali decreto diei 1 Iunii 1883.* – Iamvero iuxta forensem praxim, si citatum decretum complecteretur etiam processiones SS. Patronorum responsio ad V^um^. dubium fuisset sequens: Negative, et quoad processiones SS. Patronorum provisum in tertio.

Unde adversae partis praetensioni adversantur tum decretum Episcopi Pactensis diei 1 Iunii 1883, tum ius commune et tandem ipsa S. Congregationis resolutio.

Clerus ecclesiae Matricis S. Mariae ita iura sua deducit. Praemisso quod post resolutionem S. Congregationis diei 28 Feb. 1890 processiones cum reliquiis SS. Patronorum mensibus Maii et Septembris actae semper fuerunt ab Ecclesia Matrice S. Mariae, huius Clerus propugnat sibi hoc ius exclusive tribuendum et praetensam participationem a clero S. Nicolai directe pugnare cum decisione S. Congregationis diei 4 Aprilis 1879 et cum decretis Episcopi Pactensis diei 13 Martii 1882 et 1 Iunii 1883 nec non cum ultima nuper allata decisione S. Congregationis diei 28 Februarii 1890.

Re quidem vera Episcopus Pactensis iussum exequens S. Congregationis diei 4 Aprilis 1879, in diviso territorio duas paroecias ab invicem autonomas erexit sub die 13 Martii 1882 et ambo eorum titulares etiam Archipresbyteri titulo sunt ornati ad invidiam inter duos cleros prorsus extinguendam: cum autem ortae quaestiones essent circa functiones et processiones propter inolitas iam consuetudines, Episcopus Pactensis altero decreto controversias omnes dirimere censuit separando functiones et processiones utriusque ecclesiae, ita ut hae proprias ecclesias et respectivum territorium non egrederentur: haec vero dispositio nedum sanctione auctoritatis politicae diei 16 Novembris 1883 sed etiam responso S. Congregationis diei 28 Feb. 1890 fuit roborata.

Ex quo evidens est, cum reliquiae SS. Patronorum ad Ecclesiam Matricem pertineant, ad hanc etiam privative spectare earum solemnem delationem seu processionem: si enim hoc ius clero S. Nicolai daretur, actum esset de autonomia ecclesiae Matricis, haberetur invasio iurisdictionis alterius ecclesiae, et independentia ex iussu S. Congregationis inter duas ecclesias statuta ad pacem inter duos cleros fovendam, in tenues resolveretur auras. Quare iure merito S. Congregatio resolutione diei 28 Feb. 1890 in responso ad tertium dubium firmatum voluit Episcopale decretum diei 1 Iunii 1883. – *Firmo caeteroquin remanente quoad functiones et processiones Episcopali decreto diei 1 Iunii 1883.*

Neque oggeratur, subdit Archipresbyter ecclesiae Matricis, Episcopi decretum loqui tantum de particularibus processionibus, et non de communibus uti essent illae SS. Patronorum. Haec enim distinctio praeterquam quod respuitur ex ipso decreti contextu, insuper directe contrairet ipsius decreti substantiali dispositioni quae statutam voluit ex utraque parte independentiam. Vis huius argumenti ab ipsis adversariis recognita fuit, et ad hanc eludendam proposuerunt speciem quamdam concordiae inter duos cleros nempe alternativam in processionibus peragendis. Sed huic concordiae clerus Ecclesiae Matricis consentire non putat. I. Quia Ecclesia S. Mariae tradere deberet reliquias SS. Patronorum pro processione agenda, ad quam traditionem ipsa non adstringitur iuxta S. Congregationis resolutionem. II. Quia timor fundatus extat quod rixae et discordiae iterum excitari possent ex tali traditione et concessione: quare Clerus S. Mariae petit ut contraria petitio omnino respuatur.

Hisce compendiose ab utraque parte deductis solvendum est sequens

DUBIUM:

An vi sententiae editae ab H. S. Congregatione sub die 28 Feb. 1890 Ecclesia Matrix ius acquisierit exclusive peragendi processiones SS. Patronorum intra limites sui territorii, vel potius festum et processiones dictae celebrari queant ab ambabus paroecialibus ecclesiis iuxta praxim ab immemorabili inolitam?

Sacra porro Congregatio rationibus hinc inde deductis aequa lance pensatis, die 22 Aug. 1902 respondit: *Nihil innovetur circa praxim ab an. 1890 usitatam.*

II.

Instructio pro religiosis virorum Congregationibus in Gallia, ad annum duratura.

Attentis peculiaribus conditionibus, in quibus religiosae Galliarum Congregationes nunc versantur, nonnulli Moderatores earumdem Congregationum ad Apostolicam Sedem con-

fugerunt petentes opportunas instructiones et facultates, quibus animorum anxietatibus et conscientiarum angustiis exinde obvenientibus provideri possit. Quare SSmus Dnus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII, re mature perpensa, mandavit per hanc S. Congregationem Episcoporum et Regularium ea quae sequuntur cum Moderatoribus praefatarum Congregationum communicari, scilicet:

1° Curandum est pro viribus ut Sodales religiosarum Congregationum, qui proprias domos deserere coguntur, ad aliam eiusdem Instituti domum sese conferant, ibique regulas sive constitutiones, quas professi sunt, observare satagant.

2° Quod si aliqui ex dictis Sodalibus, iustis de causis, super quibus Superioris Generalis conscientia graviter onerata maneat, in aliis proprii Instituti domibus recipi nequeant, idem Superior Generalis facultatem habebit, de consensu Consilii Generalitii, eis indulgendi ut extra Instituti domos commorari valeant, sub obedientia Ordinarii loci in quo degent, ad nutum S. Sedis ac ipsius Superioris, in habitu religioso ac etiam, quatenus ita ferat necessitas, in habitu presbyteri saecularis quoad sacerdotes et in habitu laicali modesti coloris quoad laicos, retento tamen interius aliquo signo habitus religiosi, et servando, quantum fieri potest, substantialia votorum; impertita dumtaxat dispensatione super regulis sive obligationibus cum eo statu non compatibilibus.

3° Iidem Sodales quamdiu ob enunciatas causas extra domos proprii Instituti commorari contigerit, subiiciantur etiam territoriali Provinciali, si agatur de Institutis in provincias iam rite divisis, sin minus Superiori domus vicinioris, qui de ipsorum moribus, quotannis et quandocumque rogatus fuerit, Moderatori Generali referat, et eos, quatenus opus fuerit, in officio contineat.

Porro facultates, de quibus supra, ad annum tantum conceduntur. — Contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 24 Martii 1903.

III.

Instructio pro religiosis sororum Congregationibus in Gallia, ad annum duratura.

Attentis peculiaribus conditionibus, in quibus religiosae Sororum Congregationes in Gallia nunc versantur, nonnulli Sacrorum Antistites, instantibus etiam Moderatricibus earumdem Congregationum, ad Apostolicam Sedem confugerunt petentes opportunas instructiones et facultates, quibus animorum anxietatibus et conscientiarum angustiis exinde obvenientibus provideri possit. Quare SSmus Dnus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII, re mature perpensa, mandavit per hanc S. Congregationem Episcoporum et Regularium ea quae sequuntur cum Ordinariis Galliarum et Moderatricibus praefatarum Congregationum communicari, scilicet:

1° Curandum est pro viribus ut Sorores, quae proprias domos deserere coguntur, ad aliam eiusdem Instituti domum sese conferant, ibique regulas sive constitutiones, quas professae sunt, observare satagant.

2° Quod si aliquae ex dictis Sororibus, ob iustas causas ab Ordinario domus principis examinandas, in alias proprii Instituti domos se recipere nequeant, idem Ordinarius, de consensu Moderatricis Generalis, eis indulgere poterit, ut apud suos consanguineos vel honestas matronas in habitu decenti, retento tamen interius aliquo signo religiosi habitus, firmo voto castitatis, servatis substantialibus aliorum votorum, quantum in eo statu commode fieri potest, adimpletisque quotidie aliquibus pietatis operibus ab ipso Ordinario praescribendis, sub obedientia Ordinarii loci in quo commorabuntur, ad nutum S. Sedis et propriae cuiusque Moderatricis Generalis manere licite valeant.

3° Quamdiu autem Sorores ob enunciatas causas extra domos proprii Instituti commorari contigerit, subiiciantur etiam Praepositae Provinciali loci commorationis, si agatur de Institutis in Provincias iam rite divisis, sin minus Superiorissae domus vicinioris, quae de ipsarum moribus, quotannis et quandocumque rogata fuerit, Moderatrici Generali referat, et eas, quatenus opus fuerit, in officio contineat.

Porro facultates, de quibus supra, ad annum tantum conceduntur. — Contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Episcoporum et Regularium, die 24 Martii 1903.

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

DECRETUM — URBIS ET ORBIS.

In Litaniis Lauretanis, post praeconium: *Mater Admirabilis*, addatur: *Mater Boni Consilii*.

Ex quo Beatissima Virgo Maria Spiritus Sancti gratia plena Eiusque luminis splendore illustrata, aeternum Dei consilium atque incarnati Verbi mysterium omni mentis et cordis obsequio atque affectu suscepit, Dei genitrix effecta, etiam Mater boni consilii meruit appellari. Insuper divinae sapientiae eloquiis instructa, ea vitae verba, quae a Filio suo acceperat et in corde servaverat, in proximos liberaliter effundebat. Neque solum in nuptiis Canae Galileae huius novae Rebeccae consiliis acquievere ministri; sed et pias mulieres aliosque Domini discipulos atque ipsos sanctos Apostolos eam audisse consiliatricem credere fas est. Quam praerogativam Deiparae Virgini agnitam et confirmatam fuisse deprehendimus, cum Iesus prope moriturus videns iuxta crucem matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dixit matri suae: *Mulier, ecce filius tuus.* Deinde dixit discipulo: *Ecce mater tua.* Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Ioannem autem omnes Christifideles tunc repraesentasse ab Ecclesiae Patribus traditum est. Item, approbante Apostolica Sede, ab antiquis temporibus tum a clero tum a populo christiano, opem simul implorante, ipsa Beatissima Virgo glorioso titulo *Mater boni consilii* consalutata est. Sanctissimus vero Dominus Noster Leo Papa XIII ob suam et Fidelium singularem pietatem erga Matrem boni consilii sacramque eius Imaginem quae in Sanctuario Genestani praecipue colitur, postquam per decreta Sacrorum

Rituum Congregationis anno 1884 novum Officium cum Missa pro die Festo approbaverit, et anno 1893 (1) etiam scapulare proprium cum Indulgentiis concesserit; hoc vertente anno 1903 (2) ipsum Sanctuarium, antea novis aedibus hospitalibus suo aere ampliatum, ad Basilicae Minoris gradum et dignitatem cum omnibus iuribus et privilegiis, per Apostolicas Litteras in forma *Brevis*, evexit. Tandem idem Sanctissimus Dominus noster, quo ipsimet Beatae Mariae Virgini enunciatus titulus maiori honore et cultu augeatur, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, infrascripto Cardinali Praefecto et Relatore, statuit et decrevit ut Litaniis Lauretanis post praeconium: *Mater Admirabilis*, adiiciatur alterum: *Mater boni consilii, ora pro nobis;* hac quoque cogitatione et firma spe permotus, ut, in tot tantisque calamitatibus et tenebris, pia Mater quae a sanctis Patribus *coelestium gratiarum thesauraria et consiliatrix universalis* vocatur, per totum catholicum orbem sub eo titulo rogata, omnibus monstret se esse matrem boni consilii, et illam Spiritus Sancti gratiam, quae sensus et corda illuminat, seu sanctum consilii donum sit impetratura.

Contrariis non obstantibus quibuscunque die 22 Apr. 1903.

SERAPHINUS Card. CRETONI, *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

✝ DIOMEDES PANICI, Arch. Laodicen., *S. R. C. Sec.rius.*

II.

HIEROSOLYMITANA SEU ORD. MIN. S. FRANCISCI DE CUSTODIA TERRAE SANCTAE.

Conceditur Officium cum Missa in solemnitate Manifestationis Christi Resurgentis, pro Sanctuario Emmauntino.

A remotissimis usque saeculis, ac praesertim Crucesignatorum Militum tempore, in Hierosolymitana Ecclesia laudabilis invaluit consuetudo, tum festivo more tum votivo in Officio divino atque in sacrosancto Missae Sacrificio, ea Mysteria unoquoque loco saepius commemorandi, ubi, teste Traditione, olim contigisse eadem feruntur.

Pluribus vero Domini Mansionibus iure adorandis (quae merito potissima ibidem Sanctuaria habentur), ubi Officia propria cum Missis praesertim votivis recitantur, quas Romani Pontifices, inde a saeculo XVI, particularium Praesulum anteacta exempla aemulati, large concesserunt, iure accensenda est Sancti Cleophae Domus apud Castellum Emmaus, ab Infidelium manibus anno 1861 erepta ac dein anno 1873 ruderibus antiquae Basilicae detectis sacra Aedes sive Sanctuarium effecta, Ordini Minorum Sancti Francisci concredita, atque horum cura et studio pristinae formae ac decori hisce temporibus restituta. Haec tamen Domus, maximis quamquam Mysteriis celeberrima, praecipue ob mirabilem Domini Nostri Servatoris Apparitionem duobus Discipulis Cleophae et Socio ipsa gloriosissima a mortuis Resurrectionis die peractam, qui Iesum Redemptorem in Eucharistici Panis Fractione ibidem agnoverunt, Officio ac Missa propriis, uti cetera Palaestinae Sanctuaria iampridem potiuntur, nondum fruebatur. Quare Reverendissimus Pater Frigdianus Giannini, e praelaudato Minorum Ordine, Terrae Sanctae Custos, Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII, ferventissima porrexit supplicia vota, exposcens, ut Officium cum Missa proprium, cuius schema humillime subiecit, de Manifestatione Christi Resurgentis in Castello Emmaus peracta, quae Titulus est Ecclesiae noviter a solo excitatae, ac Feria secunda infra Octavam Paschatis ibidem quotannis recolenda, benigne approbare et concedere dignaretur.

Eiusmodi vero Officium cum Missa quum ab infrascripto Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Cardinali Dominico Ferrata, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, ac Relatore, propositum fuerit in Ordinariis ipsius Sacri Consilii Comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis; Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, ac praesertim attento voto atque amplissimo commendationis officio Reverendissimi Ludovici Piavi Patriarchae Hierosolymitani, auditoque R. P. D. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Pro gratia, et ad Eminentissimum Praefectum, Ponentem, cum Promotore Fidei.* Die 2 Decembris 1902.

Exhibitis demum Officio et Missa revisis atque emendatis, hisque omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII, per eumdem infrascriptum Cardinalem Sacro ipsi Coetui Praefectum relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae eiusdem Congregationis ratam habens, suprascriptum Officium cum Missa, Suffragio, atque Elogio (Martyrologio Romano-Seraphico Terrae Sanctae inserendo) prout huic praeiacet Decreto, benigne approbare dignata est de Festo Titulari Manifestationis Christi Resurgentis in Castello Emmaus peractae, quotannis Feria II. infra Octavam Paschatis, sub ritu Duplici primae Classis tantummodo in Ecclesia, seu Domo Cleophae, recolendae: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 16 iisdem mense et anno.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

HIEROSOLYMITANA SEU ORD. MIN. S. FRANCISCI DE CUSTODIA TERRAE SANCTAE.

Conceduntur quatuor Missae votivae celebrandae in Sanctuario Emmauntino.

Quo uberiores pietatis sensus et fructus, qui e sacra Palaestinensium Locorum visitatione in Fidelium pie illuc peregrinantium animos effluere solent, colligantur quoque ab iisdem Sanctuarium, sive Sancti Cleophae Domum, ad Castellum Emmaus invisentibus, et praesertim ad Sacerdotum peregrinorum consolationem adaugendam, horum votis libentissime obsecundans, Reverendissimus Pater Frigdianus Giannini, Minorum Franciscalium, Terrae Sanctae Custos, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII. enixis precibus rogavit, ut privilegium Missae votivae propriae, ceteris Sanctis Palaestinae Locis vel inferioris quan-

(1) Cfr. Anal. Eccl. Vol. I, p. 218, p. 274.
(2) Hoc documentum quam primum edemus. *N. D.*

doque momenti ab Apostolica Sede tributum, ad Sanctuarium etiam Castelli Emmaus et Cleophae Domum extendere dignaretur.

Quare quatuor eiusmodi Missarum votivarum pro respectivis novae Ecclesiae et ipsius Sanctuarii Altaribus apte elucubratum schema Supremae Pontificiae Sanctioni humillime subiecit: quarum I^a. Missa (iuribus Sanctuariorum maioris ordinis ditanda in Apostolico Indulto diei 31 Augusti 1865 contentis) est de Mysterio Manifestationis Domini Nostri Iesu Christi Resurgentis habitae ad Castellum Emmaus, pro nova Ecclesia, cuius idem Mysterium Titulus habetur: II^a prouti reliquae duae Missae votivae privilegiis, queis, iuxta enuntiatum Apostolicum Indultum Sanctuaria Palaestinae minoris ordinis gaudent, exornanda foret, est de Sancto Cleopha, Christi Discipulo atque eius Resurrectionis teste: III^a de Sancto Simeone, vel Simone, Socio Sancti Cleophae, qui similiter Dominum a mortuis excitatum in Fractione Panis agnovit: IV^a denique Missa votiva pro Loco ubi Dominus Iesus binis iisdem Discipulis comitem in via se adiunxit, in Altari maximo enuntiatae novae Ecclesiae Emmaus celebranda, quoadusque alterum Sanctuarium in ipso Loco ex Infidelium manibus adimatur.

Earumdem vero quatuor Missarum schemata quum infrascriptus Eminentissimus ac Reverendissimus Dominus Cardinalis Dominicus Ferrata, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, Relator, in Ordinario Coetu ipsius Sacri Consilii subsignata die ad Vaticanum coacto proposuerit, Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, attento quoque voto et commendationis officio Reverendissimi Domini Ludovici Piavi, Patriarchae Hierosolymitani, atque audito R. P. D. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, rescribere rati sunt: *Pro gratia, et ad Eminentissimum Praefectum, Ponentem, cum Fidei Promotore.* Die 2 Decembris 1902.

Revisione denique peracta, hisque omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII ab eodem infrascripto Cardinali relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacri memorati Consilii ratam habuit, ac suprascriptas Missas votivas proprias in usum Sacerdotum in Sanctuario ad Castellum Emmaus Sacrum litantium, benigne approbare dignata est: ita tamen, ut Missa votiva de mirabili Agnitionis Mysterio Domini Nostri Iesu Christi in Fractione Panis celebrari valeat in cunctis Altaribus novae Ecclesiae cum *Gloria* et *Credo*, absque ulla Commemoratione, singulis per annum diebus, exceptis Epiphania Domini, integra Hebdomada maiori, Dominicis Paschatis et Pentecostes, Nativitate Domini Nostri Iesu Christi, necnon Festo Deiparae Virginis Assumptionis: ceterae vero tres Missae votivae iuxta preces celebrandae erunt in respectivis tantum Altaribus absque *Gloria* et *Credo* atque ulla Commemoratione, singulis anni diebus; exceptis Dominicis et Duplicibus primae et secundae Classis, nec non Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, Feria IV. Cinerum, tota maiori Hebdomada, Octavisque pri vilegiatis: servatis ceterum Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 16 iisdem mense et anno.

L. ✠ S. D. Card. FERRATA, *Praef.*

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

IV.

ROMANA

Dubium circa occurrentiam Commemorationum.

Hodiernus Ordinator Calendarii ad usum Cleri Romani sequens dubium Sacrorum Rituum Congregationi pro opportuna solutione humiliter proposuit; nimirum: Anno 1904 proxime venturo, die 7 Martii, occurrit festum S. Thomae de Aquino cum Com. Feriae II post Dominicam III Quadragesimae ac Ss. Mm. Perpetuae et Felicitatis. Quum vero *Postcommunio* Feriae et Ss. Martyrum sit eadem, et iuxta Rubricas *Postcommunio* earumdem Ss. Martyrum sit mutanda, quaeritur: Unde sumi debeat?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: Sumatur in casu *Postcommunio* de Missa plurimorum Martyrum *Salus autem.* Ubi autem in Festo duplici vel semiduplici Ss. Mm. Perpetuae et Felicitatis mutanda sit *Postcommunio* Feriae, sumatur *Postcommunio* Feriae proxime sequentis. Atque ita rescripsit.

Die 19 Februarii 1903.

L. ✠ S. S. Card. CRETONI, *Praef.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

V.

BRUGEN. — DECRETUM

Confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti servo Dei Idesbaldo, tertio Abbati Dunensi Ordinis Cisterciensis.

Idesbaldus christianis parentibus ortus in Flandria anno millesimo et centesimo, a primis aetatis annis praeclara de se portendere visus est, quum a mundi solatiis, quae tantopere iuvenes solent appetere, omnino abhorrens, iam tum humilitate excellens, Dei tantum amore inflammatus, mente in eo suaviter absorpta, Deum assidue cogitabat. Quare Deo coniungi illique unice inservire vehementer cupiens, ut primum per aetatem licuit, sacerdotio auctus est: ac statim peccatores gratiae restituere, lugentes consolari, consilio dubitantes iuvare, imo ad animas fratrum facilius lucrandas, corporalibus ipsorum indigentiis subvenire in deliciis fuit Idesbaldo: qui propterea divitias, quibus luculentissime fruebatur, profuse egenis largitus est, sibi tantum retinens, queis ad vivendum opus foret. Ad aulam Theoderici, Flandriae Comitis, advocatus, datusque moderator iuniori Principi, consiliis ac morum integritate, opere et sermone aulicis et famulis egregia praebuit exempla, quibus illi vitam coenobio potius dignam quam saeculo breviter agere visi sunt. Verum praepotenti solitudinis desiderio incensus Idesbaldus, mundum aulamque deserens, ad Ordinis Cisterciensis Dunense Monasterium se recepit: ubi constanti studio ad perfectionem incumbens, humilitate ac mitissima suavitate, omnium confratrum animos sibi devinxit. Ad cantoris munus electus, utpote qui canora praeditus erat voce, tanta sedulitate huiusmodi officio fungebatur, ut laudibus divinis unice vacans, illa etiam, quae ad vitam necessaria sunt, negligeret. Praeclari hominis virtutes sanctamque vitam Monachi ad-

mirati, unanimi voto Idesbaldum Abbatem Dunensis Monasterii elegerunt: quo in munere tanta prudentia atque omnigena virtute praestitit, ut ocius egregium monasticae vitae exemplar emicuerit, ac tamquam pater amantissimus a subditis merito coleretur. Postquam vero duodecim annos Abbatis munere functus esset, meritis ac sanctitate insignis, brevi impiicitus morbo, die decima octava Aprilis, anno millesimo centesimo sexagesimo septimo placidissime obdormivit in Domino.

Ad ecclesiam, ubi eius cadaver erat expositum, ingens civium ex omni ordine confluxit multitudo: quorum alii *Sanctum* Idesbaldum praedicabant, alii pia direptione vestium particulas resve ad defunctum pertinentes auferebant, plerique vero intercessorem apud Deum implorabant, ut facilius quae peterent, assequerentur. Eius fama sanctitatis, ex virtutibus exorta nunquam intercidit; ac tam penes vulgus quam penes doctissimos viros ita percrebuit, ut elapso tot saeculorum cursu, quotidie solidior et latius praevulgata in dies increverit. Hinc sacellum Deo in Beati Idesbaldi honorem erectum, et solemnitas in ecclesia, ubi sacrae eius exuviae asservantur, quotannis celebrata, adstante innumera gentis multitudine; hinc ad eius sepulcrum frequens populi concursus e finitimis etiam regionibus, atque a pretioso ipsius obitu usque in hodiernam diem cultus perseverans. Eapropter, instante Rev. P. Torquato Armellini, Societatis Iesu, causae Postulatore, processus super immemorabili cultu ecclesiastico eidem Idesbaldo praestito, a R.mo Episcopo Brugensi confectus fuit, ac favorabilis desuper sententia edita. Modo vero, quum, nomine praefati causae Postulatoris, nec non eiusdem R.mi Episcopi Brugensis, atque universae huius Dioeceseos, a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, causae Ponente, seu Relatore, in ordinariis Sacrae ipsius Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum coadunatis, sequens Dubium discutiendum propositum fuerit, nimirum: « *An sententia praedicti R.mi Episcopi Brugensis super Cultu ab immemorabili tempore praestito Servo Dei Idesbaldo, seu super casu excepto a Decretis f. r. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu, et ad effectum de quo agitur?* » E.mi et R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, et audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara, S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.* Die 10 Iulii 1894.

Facta postmodum de iis a meipso infrascripto Cardinali Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 23 iisdem mense et anno.

† CAIETANUS Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praef.*
L. ✠ S.

ALOISIUS TRIPEPI, *Secretarius.*

INFORMATIO

SUPER DUBIO

An sententia a Rmo D. Episcopo Brugensi lata super cultu publico Ecclesiastico ab immemorabili tempore praestito praedicto Servo Dei, seu de casu excepto a Decretis Sa. Me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur.

Eminentissime ac Reverendissime Domine.

1. Divinitus equidem constitutum arbitror quod dum perit impiorum memoria cum sonitu, iustorum nomen atque recordatio apud posteros in benedictione perdurant, magis magisque celebrantur in dies, laudesque eorum sermonibus hominum late diffusae vocibus famae undique propagantur. Id faciliter Dei Servo obtigisse cognoscere profecto licet ex facto quod modo in Sacro hoc foro discutiatur de confirmando cultu publico atque ecclesiastico Ei semper exhibito, qui ab octo iam fere saeculis ad caelites evolavit. Illico post mortem desiderium amissi viri recordationem virtutum vividiorem effecit atque laudes Eius ubique liberrime personarunt. Monachi Dunenses praesertim quorum Ipse, duodecim annos, pater fuerat amantissimus, patronum in coelis habere gestiebant Eumque Summa fuerunt devotione venerati. Nihilominus illud magis admiratione dignum existimo quod cultus adversus Dei Famulum a morte ipsius exortus, saeculis labentibus, etsi tot fuerint casus, tot tantaque rerum discrimina, labefactari vel elanguescere nunquam visus sit. Universus itaque populus Brugensis hoc habet in votis ut nunc iam dicti cultus adprobatio a Sede Apostolica obtineatur. Quam vero huiusmodi vota iusta atque laudabilia sint, hoc demonstrandum aggredimur, atque ut facilior disquisitio procedat, brevissimum Dei Servi vitae commentarium lucubrationi nostrae praemittimus.

2. Annus erat millesimus et centesimus a partu Virginis quum in Flandria puer Idesbaldus natus est. Ut in illis contingere solet quos Deus ad eximiam sanctitatem constituit, natus infans iam a primis aetatis annis de se praeclara portendere visus est. Itaque a mundi solatiis, quae tantopere iuvenes appetere consuescunt, sincere abhorruit, et divino tantum inflammatus amore, ita Deum suum assidue cogitabat ut in Illo suaviter mens eius absorta maneret. Iuvenis adhuc, sed maturae pietatis exemplar, sanctitatis fundamentum humilitatem existimans, ad instar Illius, qui mitis fuerat et humilis corde, simplex fuit Idesbaldus parentibusque subiectus.

3. Deiparam quam colere, honorare atque adamare summopere consueverunt quotquot praecellenti sanctitate floruere, ab aetate ineunte Dei Servus ardenti animi devotione fuit prosequutus. Ex hoc filiali obsequio erga Matrem Divinam illud profecto oriebatur quod ei abundantissimae dimanarent gratiae atque benedictiones.

4. Purissimam hanc animam, quae a primis vitae suae annis mundum despexerat, tam intime oportuit cum Deo coniungi ut nonnisi Illi voluerit inservire. Hinc cum primum Ei per aetatem licuit, sacerdotali fuit ordine insignitus. Hic autem dictis assequi complectique nequit quantum in bonum animarum Idesbaldus adlaboraverit. Ut lugentes consolaretur, ut peccatores gratiae restitueret, ut consilio dubitantes adiuvaret, ita incessanter incubuit, ut dici Ipse optime possit pietatis atque caritatis exemplum, et nomen patris orphanorum vel afflictorum consolatoris sit undique meritus.

5. Minor profecto non erat amantissima illa sollicitudo qua corporalibus omnium indigentiis subveniebat. Paucis omnia complectar dicens quod Ipse divitias omnes quibus luculentissime fruebatur profuse egenis largitus, sibi tantum retinuerit queis ad vivendum opus esset. Ita autem Idesbaldi caritatem omnes experti fuere, ut aedes Eius vere infirmorum atque miserorum hospitium potuissent nuncupari.

6. Progredientibus annis ad aulam Theoderici Flandriae Comitis advocatus, iunioris Principis moderator renuntiatus est. Per id temporis occasio Ei data est ut salubribus consiliis atque morum integritate famulis aulicisque egregia

Ipse praeberet exempla, quibus illi mirifice impulsi, vitam agerent religiosis hominibus dignam.

7. Virum autem insignem Deus ad maiora vocabat. Intellexit Idesbaldus voluntatem divinam atque solitudinis desiderio incensus mundum deseruit seque in Monasterium Dunense recepit. Monachus, constanti studio ad perfectionem incubuit et in humilitate illa qua, puer adhuc, tantopere excelluit, magis magisque in dies progressus est. Mitissima suavitate atque paterna semper benevolentia usus difficiliores sibi animos devinciebat, Eumque confratres singulari dilectione prosequebantur.

8. Canora praeditus voce ad cantoris munus Idesbaldus electus est. Tanta autem diligentia tantaque sedulitate Ipse munere suo perfunctus esse fertur, ut plerumque illis etiam neglectis quae ad vitam necessaria sunt, laudibus unice divinis vacare videretur.

9. At hominis praeclari virtutes sanctam vitam superiores et confratres admirati, unanimi desiderio Idesbaldum Monasterii Abbatem elegerunt. Munere hoc supremo insignitus, adeo virtute sua praestitit, ut quamcito exemplar egregium fuerit ab omnibus reputatus. Eum historiographus virum « *vitae sanctitate conspicuum* » declarat. Monachis erat iucundissimus atque tali semper simplicitate praeditus, ut quo virtute superior erat, eo se gereret submissius; quamobrem tamquam patrem amantissimum colebant quotquot Ei subditi fuere. Dei gloria ardenti desiderio inflammatus universum voluisset mundum ad Ipsum convertere Ipsique omnium animas lucrifacere.

10. Itaque duodecim annos Abbatis munere functus, meritis atque Sanctitate insignis, brevi implicitus morbo, quem patientissime tulit, Deo dilectus atque hominibus, vir magnanimus dulcissime obdormivit in Domino. Erat autem dies decima octava Aprilis, anni millesimi centesimi sexagesimi septimi.

11. Veneratio qua cives omnium ordinum Dei Servum coluerant, multitudinem excitavit ingentem quae frequentissima confluxit in Ecclesiam ubi Eius cadaver erat expositum. Contineri inspicientes nequibant, Eumque nomine Sancti praedicantes, pia direptione vestium particulas resve alias ad defunctum pertinentes auferebant ut eas possent studiose asservare (Summ. Num. XV. § I). P erique autem visitantium Dei Famulum apud Deum intercessorem implorabant, ut facilius quae petiissent impetrarent. (Summ. Num. VII. § 24).

12. Fama haec Sanctitatis non quidem vanis populi rumoribus sed e virtutibus heroicis Idesbaldi exorta (Summ. Num. X. §§ 2, 6, 17) a proximis ad remotiores transmissa, nunquam intercidit (Summ. ib. § 19); neque penes vulgus tantum eadem invaluit, sed penes nobilissimos ac doctissimos percrebuit; ita ut iam tot elapso saeculorum cursu ab eius initio, quotidie solidior et latius pervulgata, usque adhuc increverit (Summ. Num. X. §§ 5, 6, 7, 9, 16).

13. Ad huiusmodi famam augendam provehendamque non modicum miracula contulerunt, quae Dei Famulo intercedente, divinitus patrata sunt (Summ. Num. X. § 12). Itaque haec erga Ipsum adeo gentium devotionem excitarunt, ut ea nedum unquam interrupta, tot labentibus postea saeculis, per tot gravissima temporum discrimina ne imminuta quidem fuerit (Summ. Num. VII, § 26, Num. VIII, § 19), sed constanti veneratione semper omnes Idesbaldum *Beati* nomine nuncupaverint (Summ. Num. VIII, §§ 1, 2).

14. Singulare autem quoddam incrementum publicae devotionis erga Dei Servum cognoscere profecto licet ex solemnitate quae quotannis celebratur in Ecclesia ubi Idesbaldi exuviae pretiose asservantur ad communem fidelium venerationem (Summ. Num. XV. § 7. XVII. § 4, XIII. §§ 18, 37). In memoriam Ipsius tunc missa celebratur de SS. Trinitate (Summ. Num. XII. § 55) atque oratio panegyrica in Eius honorem habetur (Summ. Num. ibid. §§ 37, 38, 39). Innumera gentium multitudo solemnibus adsistit et cerei a fidelibus oblati ardentes conspiciuntur coram ossibus Beati (Summ. Num. XII. § 47 et XIV. § 17). Haec autem quae a fideli populo celebrantur die anniversaria pretiosi obitus Dei Servi in publicae venerationis testimonium, non modo ab ecclesiastica Auctoritate nunquam reprobata fuere, verum etiam omnes Episcopi Brugenses solemnitatem hanc confirmarunt suaque ipsa praesentia ei splendorem decusque addiderunt (Summ. Num. IX. §§ 8, 9, 10, 11, XII. §§ 5, 6, 7, 55, XV. § 2).

15. Neminem profecto latet aliud publici et ecclesiastici cultus argumentum desumi posse ex radiis vel aureolis quae Servorum Dei imaginibus imponantur, praesertim si coram ipsis et luminaria accendantur. At satis est Summarii folia pervolutare ut innumera inveniantur loca, innumerae testium depositiones ex quibus apparet, haec omnia abunde Idesbaldo contigisse. Quin immo insigne est Sacellum quod Beati Idesbaldi nomine appellatur Eique dicatum extat. (Summ. Num. XIII. § 69). Sed a moenibus civitatis Brugensis ad alias quoque gentes veneratio haec est propagata; nam in territorio etiam Furnensi Idesbaldum cultu publico honoratum fuisse apparet (Summ. Num. XV. § 4). Habetur illic in Ecclesia hospitii S. Antonii Gandae Illius statua cui subscriptum legitur « *Beate Idesbalde ora pro nobis* ». Atque in Sacristia eiusdem Ecclesiae depicta in fenestra conspicitur ipsius Dei Servi imago cum epigraphe « *Beatus Idesbaldus Van der Gracht* » (Summ. Num. XIII. §§ 2, 3). Plurimas, adiiciunt testes, a se visas Eius imagines, in quibus Ipse Angelis circumdatus veluti in gloria exprimitur. Quin imo discimus ab aliis Eiusdem imagines radiis exornatas etiam in libris precum praemitti consuevisse (Summ. Num. XIII § 48, XIV. § 8, XVIII. § 2), quod clarissimum sanctitatis famae argumentum absque dubio arbitramur.

16. Ingens accedit ad Eius sepulchrum populi concursus piasque instituunt fideles peregrinationes ut a circumstantibus regionibus in civitatem Brugensem corpus Idesbaldi veneraturi conveniant (Summ. Num. X. § 23). Visitantes itaque conspiciuntur in genua ante Eius exuvias provoluti, orantes, ut Ipso apud Deum intercessore adhibito, facilius quaecumque petunt, queant impetrare. Fiduciam exposcentibus addunt tabellae votivae, cerei aliaeque oblationes quae dictum sepulchrum exornant, aliaque iam accepta beneficia demonstrant (Summ. Num. X. § 14, Num. VII §§ 4, 10, Num. VIII. § 21).

17. Quamobrem gentis illius non immerito in votis est ut aequipollens Idesbaldi beatificatio a Sede Apostolica obtineatur atque cultus hic publicus et Ecclesiasticus eidem Dei Servo praestitus ab eius funere tandem aliquando confirmetur. Venit ideo ad Summum Pontificem, duobus abhinc saeculis, clarissimus atque Rmus Van Steenberghe ut ab Ipso Dei Servi beatificatio exposceretur (Summ. XVII. § 5). Caeterum haud dubia res est. Satis est Summarium perlegere. Omnes Eum perpetua et sincera animi compellatione Beatum vocarunt (Summ. Num. VIII. § 1). Effigies Eius vel sculptae, vel pictae, in Ecclesiis publicis honorantur Beati titulo insignitae (Summ. Num. VIII. § 2). In antiquis martyrologiis *Beatus* nuncupatur (Summ. Num. VIII. § 4). Aqua ab antiquissimo tempore sub invocatione Beati Idesbaldi benedicitur (Summ. Num. VII. § 30). Eumque auctores saeculi decimi quinti *Beatum* vocant (Summ. Num. XV. § 9).

18. His omnibus mirifice consonat Brugensium Episcoporum opinio. Nimis esset longum heic omnia de hoc documenta recensere. Placet tamen memorare quod novae semper solemnitates in Dei Servi honorem peragantur (Summ.

Num. VII § 14), quodque solemnitates istae praenuntientur scriptae ad valvas Ecclesiae (Summ. Num. XIII § 66). Quin immo ex historia discimus in antiquissimo archivio tabellam repertam esse solemnia in honorem Idesbaldi praedicentem (Summ. Num. XIII. § 67). Notandum praeterea quod publicae fidelium venerationi reliquiae Eius exponantur (Summ. Num. IX. § 5), et non solum Ordinarii ipsi ad Ecclesiam convenerint Idesbaldi corpus veneraturi (Summ. Num. IX §§ 8, 9, 10), sed et in Seminario Dei Servi reliquias voluerint honorari (Summ. Num. X. § 15), et plures iidem concesserint indulgentias ad populi devotionem magis magisque fovendam (Summ. Num. IX. §§ 2, 12). Neque reor praetereundum, Illmum ac Revmum D. Van Susteren anno 1724 relationem Summo Pontifici misisse de cultu Beati in qua ipse testatur in Ecclesia Abbatiali Dunensi die obitus Servi Dei missam de SS. Trinitate cantari in Eius memoriam (Summ. Num. XVII. § 4).

19. Neque Episcopi tantum Brugenses eorumque grex virum clarissimum devotione ista prosequuti fuere. Non enim virtutum Eius tantum, sed et miraculorum fama iam ad remotas fuerat nationes diffusa (Summ. Num. XV. § 4). Idcirco quamplurimi nobilitate generis, honoribus, dignitate insignes Ipsum sincera veneratione coluerunt: et ipsa Archiducissa Isabella una cum Cardinali La-Cueba, Principibus, Aulicis solemnique comitatu ad sepulchrum Idesbaldi convenit flexisque genibus Dei Servum venerata est (Summ. Num. XVII. § 8 et Num. XIII. § 17). Ardenti abrepti studio visitantes ipsi voluissent utique aliquot sacri corporis reliquias abripere atque in memoriam Idesbaldi secum deferre, verum cum corpus adhuc integrum esset atque intactum, sancto veluti certamine, alii rosariis, alii annulis, alii numismatibus vel aliis, quae super se ex devotione ferrent, corpus illud tangere studebant (Summ. Num. XIII. § 17).

20. Haec aliaque plura quae possent ex testibus proferri, satis superque mihi esse videntur ad cultum publicum atque ecclesiasticum Servo Dei Idesbaldo, tertio Abbati Dunensi, adiudicandum ad Eiusque famam sanctitatis universalem et constantem adstruendam. Verum quod praefatus cultus fuerit ab immemorabili tempore Eidem exhibitus ex indubiis demonstratur documentis. Discimus enim ex istis talis cultus initium non modo centenariam Urbanianam praecedere, verum etiam ferme quinque saeculis anteriorem illa fuisse, siquidem vel ab obitu Dei Servi quem saeculo decimo secundo contigisse diximus, idem cultus principium duxerit, quod paucis demonstrare aggredior.

21. Itaque vix Idesbaldus suum efflavit spiritum, cultus in Eum incepit. Ex historia scimus Ipsum in loculo plumbeo fuisse conditum « *ob Sanctitatis opinionem* » atque ad Eius exuvias venerandas undique locorum magnam confluxisse populi multitudinem (Summ. Num. XV. § 1). Ab antiquissimis chronicis docemur *annue* ab Idesbaldi decessu Ipsius memoriam *publice* in Ecclesia celebrari consuevisse. Non heic praetermittam opus *Adriani Butsii* cui titulus « *Chronicon Abbatum Dunensium* » ubi Auctor egregius hoc nobis testatur « *.... in cuius (Idesbaldi) honorem perpetuo anniversario ab omnibus eius successoribus memoria revolvitur* » (Summ. Num. XV. § 2). Scriptor alius nomine *Pybes* id confirmat his verbis in suo opere anno 1623 edito « *...annuam Eius commemorationem velut monasterii sui apud Deum singularis patroni et intercessoris multo post tempore continuant* » (Summ. ibidem). Et *Hermanville* in sua *Biographia* nos docet cultum hunc erga servum Dei Idesbaldum maximum habuisse incrementum ab anno 1239, quando scilicet, prima corporis Ipsius inventione peracta, integrum cadaver atque servatum maxima omnium admiratione conspicitur (Summ. Num. XV. § 3).

22. Neque alii desiderantur Testes. Etenim *Maurique* in opere *Cisterciensium Ecclesiasticorum .....annales a condito Cistercio*, Tom. 2 ita scribit: « *Non multo post crescente devotione atque ex ipsa miraculis per quae Servi Dei gloria cultusque celebri populorum concursu ad remotas usque nationes diffundebatur* ». Porro verba haec, ut in ipsis documentis asseritur, iam dictam epocham significant (Summ. Num. XV. § 3).

23. Quoad saeculum XV *Ioannem Brandonem* Monachum Dunensem invenimus iam laudati eiusdem Abbatiae *Chronici* Auctorem. Itaque hic munus Cantoris commemorans, quo tanto studio functus est Idesbaldus, pulcherrimum de Ipso habet elogium. Eum *beatum* vocat (Summ. Num. XIII. § 2). Eiusque sanctitatem demiratus, translationem corporis Eius refert, quae facta est e veteri monasterio ad novum. Sed opus Brandonis alius Chronographus Dunensis prosequutus est, cui nomen *Aegidius de Royd* qui eodem saeculo decimo quinto vixit. Iam vero auctor hic tradit Epitaphium quo religiosi Dunenses memoriam patris sui Idesbaldi celebrati fuere (Summ. Num. XIII. § 4). Illud autem referre placet:

« *Moestus Idesbalde grex et plebs anxia valde*
Tristatur, plangit, dum te mortis mola frangit.
Sed refovet rite melioris adeptio vitae
Qua patriae civis felici foedere vivis.
Id tibi concedi persuadent plurima credi.
Haud veneranda parum virtutum gesta tuarum
Nam sibi Doxa Patris te sumpsit ab ubere matris
Et tua verborum mens fonte refecta suorum
Ardenter coeptis instans, non haesit ineptis. »

24. Saeculi sequentis desiderantur utique auctores qui de Idesbaldo aliquam faciant mentionem. Verum quid ex hoc? Documenta non desunt quae clarissimas aperiunt rationes de hoc auctorum silentio. Itaque post iam laudati scriptoris Butsii mortem quae sub finem saeculi decimi quinti contigit, nullus reperitur amplius qui scriptis aliquid mandaverit usque ad saeculum decimum septimum anno scilicet 1618. Sed verba ipsa ex allatis deprompta documentis referamus oportet. Iam citatus Carolus De Visch haec habet: « *Ab anno 1487 quo Butsius scribere desiit usque ad regimen Reverendi Domini Adriani Cancellier qui abbatizare coepit anno 1610, neminem omnino reperi qui aliquid scripto mandaverit. Huius autem Abbatis tempore, circa annum 1618 D. Adrianus Mesdagh, Monasterii Subprior et S. Theol. Prof. ex variis m. ss. monumentis, breve compilavit Chronicon, in quo plura notatu digna continebantur; verum cum auctoritate Superioris, Chronicon hoc communicatum fuisset Domino Chrysostomo Henriquez (qui tunc Dunis nobis cohabitabat) et ille ex eodem descripsisset quae sibi pro Fasciculo Sanctorum et Deserto Dunensi accommoda iudicabat, postea suppressum ultra non comparuit.* » Non ergo mirum videri debet, quod per illud temporis intervallum desint qui de Idesbaldo scripserint, dum nullum fuit scriptum quod per id temporis in lucem prodiit, et suppressum est breve illud Chronicon Adriani Mesdagh quod nos aliquid de eodem saeculo decimosexto forte poterat edocuisse.

25. Innumeri ferme sunt saeculo XVII clari nominis Auctores qui mirabilia nobis de sanctitate miraculisque Dei Servi tradidere. Unum vel alterum in medium proferam. *Chrysostomus Henriquez, in Fasciculo Sanctorum Ord. Cist.* cui operi finem imposuit anno 1623, praeclarissimum habet elogium de servo Dei quem religione strenuum, humilitate egregium, miraculis gloriosum praedicat. Subiiciam heic auctoris ultima verba quae sic habent: *qui (Idesbaldus) sicut in vita virtutibus claruit, sic post mortem coruscavit miraculis* (Summ. Num. XIII. § 9). — Ex Actis Boll. ad diem

18 Aprilis Cap. III F. scimus anno 1624 Idesbaldi corpus visitatum fuisse ab Episcopo Yprensi loci ordinario, eiusque visitationis memoriam publico authenticoque instrumento fuisse consignatam, cuius in Summario legitur relatio (Summ. Num. XIII. §§ 15, 16). Eodem hoc saeculo contigit solemnis illa, superius memorata, visitatio Isabellae Hispaniarum Infantis cum nobilissimo Principum et aulicorum comitatu ad Beati sepulchrum venerandum (Summ. Num. XIII. § 17).

26. *Menardus* scriptor alius insignis saeculi eiusdem in suo *Martyrologio SS.* pietate atque miraculis clarum memorat Idesbaldum (Summ. Num. XIII. § 23). — Praeterea in *Martyrologio Gallicano* Parisiis edito anno 1637. *in Hagiologio Flandriae*, *in Annalibus Manrique* aliisque pluribus de Eius Sanctitate vitae atque miraculis elogia praestantissima inveniuntur (Summ. Num. XIII. §§ 28, 29, 30). Pulcherrima est descriptio, quae ex historia habetur, solemnitatis qua dies festus Beati Idesbaldi quotannis ab antiquo tempore celebratur (Summ. Num. XIII. § 37). Satis denique est Episcopatus Brugensis acta perlegere quae extant in Summario, ut cultus publicus et ecclesiasticus erga Dei Servum omnibus praeclare innotescat (Summ. Num. XIII a § 44 ad § 51).

27. Ad saeculum XVIII quod attinet, haud brevis profecto essem si martyrologia vel libros omnes referre vellem hoc eodem saeculo edita in quibus sanctitas vitae Idesbaldi eiusque cultus publicus memoratur (Summ. Num. XIII. § 52). Referunt Acta Episcopatus Brugensis de tertia canonica visitatione ac de solemni corporis translatione anno 1793 peractis (Summ. Num. XIII. §§ 60 ad 63). Illud non censeo praetermittendum, ad cultum publicum et Ecclesiasticum adstruendum etiam hoc saeculo erga Dei Servum exhibitum, quod in Archivio Nosocomii *Ter Potterye* tabella fuit inventa qua solemnitas populo praenuntiatur quae in memoriam Beati Idesbaldi solebat celebrari. Erat autem haec excusa Brugis apud Petrum de Stoovere qui artem suam circa annum 1750 exercuit (Summ. Num. XIII. § 66). In eodem autem Archivio multo antiquior alia reperta est tabella lacera et incompleta eamdem gentibus festivitatem praenuntians atque indulgentiam plenariam ad solemnia haec convenientibus concedens (Summ. Num. XIII. § 67). Denique in antiqua Bibliotheca Illmi Dni Bethune, Formula est inventa ad aquam in honorem Beati Idesbaldi benedicendam, charactere rubro nigroque exarata (Summ. Num. XIII. § 68).

28. Neque de praesenti saeculo XIX testimonia deficiunt. Asservatur enim in iam dicto Nosocomio « *Ter Potterye* » epistola a Dna Baronissa vidua *de Zinzerling* illuc missa. Gratulatur mulier nobilissima quod propter Beati reliquiam quatuor obtinuerit in liberis suis sanationes, cum artis salutaris remedia nullum amplius miseris levamen afferrent et medici de infirmorum salute desperarent omnino (Summ. Num. XIII. §§ 70, 71, 72).

29. Memoranda autem hoc saeculo translatio illa fuit corporis Idesbaldi ad Nosocomii Ecclesiam. Excipiendo pretioso huic thesauro Nosocomii moniales prope ianuas Ecclesiae occurrerunt. Ut vero sacrum illud in ingressu depositum est, prociderunt in genua moniales ad corpus adorandum et ignoto quodam instinctu excitatae, omnes rosariis, numismatibus aliisque huiusmodi quae secum ferrent, attingere studebant cadaver, quod iterum atque iterum inspicientes expleri non poterant, neque a lacrymis temperare. Dum vero Sacrum corpus ad statutum locum transfertur, Moniales cereis accensis, illud agmine longo prosequebantur. Supplicatio erat ac pompa admodum solemnis quae omnes permovebat. Reposito denique cadavere omnibusque peractis, Rmus Dnus Nicolaus de Rosver in genua provolutus sacras exuvias summa veneratione coluit (Summ. Num. XIII. §§ 73 ad 77).

30. Hanc, duobus post annis, alia sequuta est corporis Idesbaldi canonica recognitio de qua relatio habetur ab ipso Illmo Francisco Renato Boussen administratore futurae Dioecesis Brugensis redacta. In hac autem visitatione os brachii sinistri reverenter e sarcophago extractum ad Ecclesiam antiquae Abbatiae de Dunis, in Seminarium Episcopale convertendae, translatum est, ut in loco quem Dei Famulus praesentia sua vivens consecraverat, eiusdem reliquiae honorarentur (Summ. Num. XIII. § 78 ad 82).

31. Documentis hactenus adductis innumera accedunt et gravissima argumenta, quae ex Euchologiis piisque libris desumi possent ad rem nostram ulterius comprobandam. Verum ne longiores simus vestraque ne benignitate abutamur, PP. EE., haec in medium producere superfluum prorsus existimamus. Caeterum eadem in decimoquarto numero subiecti Summarii relata conspiciuntur.

32. Esset utique optandum quod tot inter casus exceptos a Decretis Urbani Papae VIII praesenti posset alter aequiparari. Sive enim epocham cultus istius publici et ecclesiastici quoad eius initium inspiciamus, sive ipsius non interruptam continuitatem consideremus, sive eiusdem naturam et characteres cogitemus, sive documentorum et copiam et auctoritatem perpendamus, vix quidpiam illustrius inveniemus. Nedum etenim centenariam urbanianam epocham cultum hunc praecessisse vidimus, sed mirari subit, quod idem cultus a Dei Servi obitu ad nostram usque aetatem non interruptum perseveraverit; non enim temporum difficultatibus, non bellorum periculis, non rerum publicarum eversionibus defecit, immo ex his incrementum hausit atque clarior evasit.

33. Neque ea desiderantur quae ad cultum publicum et ecclesiasticum Decreta urbaniana requirunt ut confirmari hic cultus legitime valeat. Non enim latet, a die ipsa qua Idesbaldus e vita decessit, fuisse ipsum *Beati* nomine palam vocatum, Missam quotannis in Eius honorem celebratam atque orationem panegyricam in Ipsius laudem publice recitatam, denique Eiusdem reliquias fidelium venerationi propositas. Sed quid plura? Ipsimet Episcopi Brugenses solemnitatem illam qua quotannis ab immemorabili tempore, novissima dies vitae Idesbaldi celebratur, cohonestare sua ipsa praesentia, atque celebriorem reddere non dubitarunt. Accedunt his tabellae votivae, innumera accensa luminaria ante sepulchrum Eius, imagines Dei Servi vel pictae, vel sculptae vel impressae radiis exornatae Beatique titulo insignitae.

34. Ex testium denique depositionibus nemo non videt fundamentum iam memorati cultus erga Dei Servum non ex vulgi rumoribus, non ex partium studio, non ex causa, quapiam mere humana fuisse exortum, sed unice ex pervulgata fama virtutum tanti viri quam miracula ab Eius obitu, Ipso intercedente, a Deo patrata comprobarunt. Itaque non immerito Episcopus Brugensis, his omnibus mature perpensis, affirmantem protulit sententiam de cultu publico et ecclesiastico Dei Servo Idesbaldo, tertio Abbati Dunensi, ab immemorabili tempore praestito (Summ. Num. XIX).

35. Quae cum ita sint, firmam animo spem concipimus, Eminentissimos Patres Sacris tuendis ritibus praepositos supradictam Episcopi Brugensis sententiam fore unanimi suffragio confirmaturos. Patet ex iis quae diximus allatisque documentis confirmavimus ea omnia quae ius nostrum exigit ad casum exceptum, splendide atque copiose ad scopum quem intendimus, collineare. Nihil eis dignius et praeclarius qui propitiam sententiam efflagitant; quorum omnium votis si sacer annuerit Ordo, maxime Dioecesis universa Brugensis aliique populi omnes ad quos Idesbaldi fama pervenit, nec non superstes adhuc ex nobilissima Servi Dei stirpe familia, gratulabuntur. Quare etc. ADULFUS GUIDI.

Revisa: GUSTAVUS adv. PERSIANI
S. R. C. Assessor et S. Fidei Subpromotor.

VI.

TOLENTIN. — DECRETUM

Confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti servo Dei Thomae a Tolentino, Ordinis Minorum Sancti Francisci, Martyri et Sancto nuncupato.

Thomas ex parentibus christiana religione non minus quam antiqua nobilitate conspicuis Tolentini ortus est saeculo decimo tertio mediante. Vix inita adolescentia, virtutis amore captus, mundo eiusque illecebris valedicens, Ordini Seraphici Patris nomen dedit. Studio divinae gloriae ac fidei propagandae exardescens, in Armeniam missus, et aliquot ibi annos cum sociis commoratus, plurimos Iesu Christo filios peperit, regique Aytoni adeo placuit, ut iste Legatum ad Romanum Pontificem regesque Galliae atque Angliae, auxilia adversus Saracenos, qui tum maxime Armenos bello premebant, Thomam imploraturum miserit. Hac legatione naviter et in exemplum functus, in Armeniam una cum duodecim aliis operariis reversus est, ut uberrimam illam messem excoleret. Deinde in Persiam contendit et Taurisio ad Clementem V in Galliam missus est a Fratribus de religionis progressu inter Tartaros relaturus. Summo quum Pontificis tum Patrum Cardinalium assensu in Consistorio auditus est, adeoque oratione valuit, ut Pontifex iis Missionibus hyerarchicam formam statim dederit. His rebus perfectis, in Orientem reversus, dum novam apud Indos parat Missionem et Colam cogitat, adverso vento Thamnam cum Sociis pervehitur, ubi Saracenorum insidiis circumventi, ad urbis Praesidem adducti sunt. De religione sciscitati, minis ac verberibus contemptis, Mahometem execrantes, Christum libera voce palam confessi sunt. Caeduntur flagellis, urentissimis solis caloribus exponuntur et ignem subeunt. At praeses ne populi iram, qui eos maxima veneratione prosequebatur, in se concitaret, liberos dimisit, eo tamen consilio, ut in itinere ipsos interciperet, et, inscio populo, morte afficeret. Quod subdola mente conceptum fuit, id iniquo opere expletum est. Nam Thomas, qui iamdiu vitae sanctitate in sui admirationem omnium animos converterat, beatorum lauream, capitis abscissione, martyrum palmam conseruit, anno millesimo trecentesimo vigesimo primo. Sacrum eius caput subinde Tolentinum delatum et in altari ipsius nomini dicato religiosissime reconditum, multis prodigiis enituisse traditum est. Quum tamen cultus ecclesiasticus eidem Martyri ab eius glorioso obitu indesinenter praestitus nondum ab Apostolica Sede authentico Decreto recognitus fuisset, Rmus hodiernus Episcopus Tolentinas Processum hac re desuper instituit, ac favorabilem sententiam protulit. Quapropter R. P. Candidus Mariotti Sacerdos Professus et Postulator Generalis Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, nomine etiam Rmi Patris Generalis totius ipsius Ordinis, nec non memorati Episcopi, Capituli et Cleri Dioeceseos Tolentinae, huius sententiae confirmationem humillime expetivit. Hinc, quum a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto Causae Ponente, in Ordinariis Sacrae eiusdem Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens Dubium discutiendum propositum fuerit: *An sententia lata a Rmo Episcopo Tolentinate super Cultu ab immemorabili tempore exhibito Servo Dei Thomae a Tolentino, seu super casu excepto a Decretis sa. me. Urbani VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurato examine perpensis et audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmative*, seu *sententiam esse confirmandam.* — Die 10 Iulii 1894.

Facta postmodum de iis per meipsum subscriptum Sacrae Rituum Congregationi Praefectum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit die 23 iisdem mense et anno.

CAIETANUS Card. ALOISI-MASELLA, *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

ALOISIUS TRIPEPI, *S. R. C. Secretarius.*

INFORMATIO

SUPER DUBIO

An constet de casu excepto a Decretis Sa. Me. Urbani VIII in casu et ad effectum de quo agitur.

Eme ac Rme Domine,

1. Virum e Franciscali familia rebus pro suo Ordine gestis insignem, fuso pro Christi fide sanguine illustrem, cultu publico ac testimoniis sanctorum auctum celebratumque Vobis EE. PP. hodiernis comitiis sistimus, ut illi delati a maioribus Beatorum honores Apostolicae Sedis auctoritate confirmentur. Rapiet profecto in sui admirationem animos viri sanctitas atque eximia virtus, qui Beatorum lauream martyrum palmae conseruit, adeoque invictis probationibus utrumque constitutum decus, ut doleant fortasse non dare leges ut de utroque uno iudicio decernatur. Contracta igitur ad cultus probationem disquisitione iuvat aliquid ante innuere de vita rebusque gestis B. Thomae

2. Quod dum facere aggredimur, intelligimus brevi nobis in eius rebus gestis vitaque enarrandis esse immorandum, cum scriptores Ordinis Minorum fuse atque accuratissime de iisdem memoriae prodiderint. B. Odoricus a Foro Iulii, Tossinianus, Gonzaga, Marcus Olisipponensis, Waddingus aliique ita res omnes distincte ac diligenter retulerunt, ut ad perfectam earumdem notitiam nihil reliqui fecisse videantur. Nonnullorum auctorum loca in Summario tantum innui visum est, cum supervacaneum foret integra describere nisi ea quae pressius de Sancti viri martyrio et cultu agerent.

3. Thomas Tolentini in Piceno ortus est anno 1261 ex nobili familia Capeccioni. Inita vix adolescentia mundo valedicens Franciscali Minorum familiae nomen dedit, cuius disciplinae tum re tum spiritu adeo tenax fuit, ut pro tuenda severissima paupertate de qua tum remissiores sententiae invalescere coeperant, fortissime certaverit.

4. Studio divinae gloriae ac propagandae Fidei exardescens, a Raimundo Gauffrido Generali Ordinis Ministro in Armeniam missus est, ad regem Aytonem qui missionarios pro suo regno postulaverat Minoritas. Aliquot ibi annos cum suis sociis moratus, plurimos ad Christi fidem adduxit, regique adeo placuit, ut eum legatum miserit ad Romanum Pontificem, regesque Galliae atque Angliae auxilia imploraturum adversus Saracenos qui tum maxime Armeniam bello premebant. Hac legatione functus, cum duodecim aliis operariis reversus est in Armeniam ut uberrimam eam messem excoleret. Exinde in Persiam venit, et Tauride ad Clementem V in Galliam missus est a fratribus, de religionis progressu

in Tartaris relaturus. Summo cum Pontificis tum Cardinalium assensu auditus est in consistorio, adeoque oratione valuit, ut Pontifex iis Missionibus hyerarchicam formam indere statuerit, et Ioannem de Monte Corvino Minoritam in illo agro adlaborantem, Archiepiscopum Cambalicensem creaverit, Legatum totius Orientis primum jusserit, eique septem addiderit Franciscales Episcopos Suffraganeos, qui nascentem eam ecclesiam regerent.

5. His rebus perfectis, in Orientem reversus, dum novam apud Indos parat Missionem, et Colam cogitat, adverso vento Tamnam cum sociis pervehitur, ubi Saracenorum insidiis circumventi, comprehensique sunt, et ad urbis Praesidem adducti. Tum vero de sua religione rogati, Christum invicte praedicarunt, Mahometem execrati sunt, nec minis nec verberibus territi. Caeduntur flagellis, urentissimis solis caloribus exponuntur, ignem subeunt innoxium; tum demum liberos eos Praeses dimisit, ne populi iram, qui eos sanctos alta voce praedicabat, in sese concitaret, at subdolo consilio ut in itinere interciperet, et inscio populo, morte necaret. Ita factum est, complevitque B. Thomas martyrium annos natus sexaginta capitis abscissione, anno millesimo trecentesimo vigesimo primo, quarto Nonas Aprilis. Signis de coelo editis, patratisque miraculis ostendit Deus martyris sui gloriam, scelestissimusque Praeses necis fratrum poenas haud multo post meritissimas luit. Namque, cum de eorum morte nuntium allatum esset Imperatori, hic ira exardescens iussit Praesidem ad sese vinctum adduci, quem vix conspexisset: canis crudelissime, ait, cum vidisti quod Dominus bis eos liberasset ab igne, quomodo ausus fuisti tales eis inferre cruciatus? iussitque eum cum sua familia medium scindi.

6. Quatuordecim diebus insepulta martyrum corpora iacuerunt, integra tamen, quod miraculo datum est; tum vero a Christianis sepulta sunt. « Tum ego (ita B. Odoricus in « sua narratione) Frater Odoricus de Foro Iulii audiens « felices Fratres ex hoc mundo per martyrium migrasse, « illuc veni et apertis sepulchris, suscepi ossa eorum humi- « liter et devote, et pulchris toaliis involuta, ipsa in priori « India ad unum locum Fratrum nostrorum cum uno Fratre « socio et famulo deportavi » *(Summ. pag. 32).*

7. Fama est, constanti traditione ac litteris comprobata, Ioannem Ugulini filium Pisanum mercatorem saeculo XV ineunte Tolentinum attulisse caput S. Thomae, ac vix in urbem intrasset, statim aera campana, nullo pulsante, sonitum dedisse, equosque qui vehiculum trahebant, ante S. Francisci aedem repente stetisse, flexisseque genua; tum populus miraculo motus sacram sui reliquiam in eodem S. Francisci templo, summa veneratione, collocavit, custodiendamque fratribus Ordinis Minorum concredidit.

8. Non est nobis consilium cum nonnullis ex auctoribus testibusque in remotam antiquitatem inquirere, ac disputationem inire de solemni martyris nostri canonizatione quam nonnulli perhibent a Benedicto XI peractam fuisse. Cum certa rei documenta non suppetant, simulque ex his quae prostant monumentis regia ad cultum asserendum sternatur via, muneris esse nostri dicimus, hisce insistendo quae a Tolentinate maxime civitate praebentur, ostendere Causam nostram Decretis Urbani VIII minime tangi, et venerationem exhibitam S. Thomae centenariam aeram longe excedentem, probante Ecclesiae auctoritate, ad nostram usque aetatem deductam, integram solemnemque vigere.

9. Itaque, vix Tolentina civitas insigni S. Thomae reliquia potita est, statim ad cappellam civis sui honori aedificandam animos et pecuniam contulit. Immo summus Pontifex Bonifacius IX qui Petri sedem tenuit ab anno 1389 ad 1404, indulgentiam largitus est iis qui vel collato aere, vel manu cappellae aedificationem promovissent *(Summ. pag. 13).* Haec Bulla reperta anno 1525 effecit ut rectores civitatis decernerent quoddam cerae pondus quotannis tribuendum die festo eiusdem S. Thomae *(Ibid., pag. 13-14).*

10. Etsi hisce temporibus ea Bulla reperiri non potuerit, nemo est qui non videat quantum publici cultus argumentum ex ea, tum ex rectorum Decreto exurgat. Iis enim conceptis verbis de eiusdem substantia in tabulis civitatis Tolentini anni 1525 relatum est, ut evidenter appareat neminem de eius auctoritate dubitasse, et Pontificem publicam venerationem solemniter S. Thomae indulsisse. Concedit enim indulgentiam « omnibus confessis poenitentibus et manus adiu- « trices porrigentibus Cappellae divi Thomae de Tolentino « in Ecclesia praedicta in festo S. Thomae de mense Iunii « perinde ac si visitarent Ecclesiam S. Mariae de Angelis « extra muros Assisii ».

11. At iam antea civitatis rectores proclivem animum erga S. Thomae cultum amplificandum ostenderant. In codice enim publici civitatis tabularii referente expensas factas a Camerario legitur: « Die XVIII Maji 1469 *Supplicatio* « *fratrum Conventus S. Francisci*: Fratres Conventus « S. Francisci petunt aliquam eleemosynam pro ornamento « Capellae S. Thomae. Cui quidem petitioni per dictum « Consilium Credentiae, nemine discrepante, fuit responsum, « quod de pecuniis nostri Communis Tolentini dentur duo « floreni monetae, videlicet libras octo denariorum pro grata « ferrea fienda in Cappella praedicta ». *(Summ. p. 12-13).*

12. Iam tum solemnis pompa per urbem circumferebatur, et diem festum S. Thomae certum est iam tum solemniter fuisse celebratum. Siquidem ad augendam diei festi solemnitatem tubicines etiam aliunde accersebantur, cum in eodem Codice anni 1469-1470 relatum sit: « Die quarta « Iunii Sonatoribus de Monte S. Martini qui sonaverunt « ante Processiones in Festo S. Thomae, Carlinos tres ». *(Summ. pag. 13).*

13. Paulo ante, scilicet sub annum 1450, uti documenta ac traditio comprobant *(Summ. pag. 18, 63, 81)*, S. Thomas Civitatis Tolentinae compatronus electus fuerat, et in eius honorem quater mense Iunio solemnes nundinae indictae, quae anno 1602 Apostolica auctoritate sancitae sunt *(Summ. pag. 14-15).* Eadem revera honori S. Thomae solemnitas die eius festo adhibebatur, qua celebrari solerent festa S. Catervi Patroni praecipui, et S. Nicolai compatroni civitatis *(Summ. pag. 61, 69).* Eo die, intendentibus se tenebris, tota urbs luminibus collucebat, augebantque solemnis pompae laetitiam ac decorem artificum sodalitates, quae anno 1526 coepere eidem cum cereis accedere *(Summ. pag. 41).*

14. Iam satis patet quibus fundamentis Causa fulciatur, quibus incrementis cultus S. Thomae praestitus floruerit, etiam antequam Urbani VIII centenaria volvi coepisset. Quidquid ad sui civis cultus splendorem conferre potuit, Tolentina Civitas in pietatis ac venerationis argumentum, auctis usque studiis, contulit; sacellum extruxit, ornavit, festum indixit quam maxime solemne, nundinas constituit, patronum elegit, nullam amoris ac publici cultus significationem reliquam fecit, cuius ita nobis, uti leges iubent, probandi, argumenta ineluctabilia suppeditavit.

15. Haec vero quae supra innuimus, cum aeram Urbanam longe antecedant, sintque ad nostra usque tempora perennia, prouti testes diserte edocent, iam Causa non dicta modo sed etiam acta videretur. Iuverit tamen breviter enucleare quae documenta posterior aetas profert de insignibus cultus manifestationibus quibus Tolentinates Thomam suum prosecuti sunt. Cum anno 1652 Franciscalibus Patribus in ecclesia S. Francisci Cathedralis Capitulum suffectum esset, canonici nihil potius habuere quam ut S. Thomae cultum foverent ac tuerentur. Sequuto enim anno 1653 cum novus musices Praefectus electus esset, jussus est solemnioribus festis, inter quae festum S. Thomae expresse indicatur, con-

centibus exquisitioribus divina officia prosequi *(Summ. pag. 18)*, et paucis elapsis annis (1661) decretum est a Capitulo « che si concedi al Sig. Coadiutore Parisani l'Altare « di S. Tommaso con il quadro da mettersi à nuova pit« tura e sue spese con l'immagine di S. Tommaso e due « altri Santi a suo beneplacito in ispecie S. Apollonia » *(Summ. pag. 18)*. Ut vero quae in festo S. Thomae agenda essent recte riteque procederent, Canonicus qui erat a Sacris, anno 1678 eadem in libro descripsit *(Summ. pag. 19)*, ex quibus haec praecipue notatione digna sunt: « Nelli bisogni « più urgenti suole dalla città supplicarsi il Rmo Capitolo « per l'esposizione della Testa di S. Tommaso, di S. Nicola « e di S. Catervo... Per detta esposizione la città è solita « dare N. 40 falcolotti ». Iis enim coelestibus patronis est civitatis tutela commissa. « Nell' anno 1703 che fu il terre« moto, quale cominciò il 14 Gennaio di detto anno, si fe« cero molte devote processioni per la città colle S. Braccie « di S. Nicola, la S. testa di S. Catervo e di S. Tommaso « Martire » *(Summ. pag. 20)*.

16. Quid plura? anno 1724 uterque civitatis Clerus decrevit a SS. Rituum Congregatione petere concessionem officii Missaeque in honorem S. Thomae; officii, inquam, proprii; ut pronum est arguere ex eo quod ex his, quae supersunt, kalendariis annorum 1793, 1801, 1804, 1807, 1809 (erat tum Tolentini Episcopus Ven. Strambi) officium recitabatur in honorem S. Thomae de communi un. Martyris *(Summarium pag. 53, 54)*. Oblatae necne fuerint eae preces SS. Rituum Congregationi, ex eiusdem regestis non constat. Extat tantum Rescriptum Pii VII datum die 15 Martii anno 1809 quo « benigne Ordinario Tolentino permisit arbitrium indul« gendi ut ex nonnullis officiis quae petebantur, recitari « possent quotannis haec quae sequuntur officia cum Missis. « I. Ab utroque clero praedictae Civitatis officium cum « Missa S. Thomae Mart. in prima die non impedita post « Dominicam I mensis Iunii, loco dictae Dominicae in qua « adhuc recitatum est, ritu iam concesso » *(Summ. pagina 66, 85)*.

17. De reliquiis, idest de capite S. Thomae, de eiusdem imaginibus publicae venerationi expositis, praeter ea quae superius allata documenta proferunt, alia etiam sunt in Summarium relata *(pag. 21, 22)* ex monumentis annorum 1725, 1729, 1736, 1748. Ex quibus praecipue animadverti debet insignis argentea theca seu herma aere Capituli et civitatis Tolentinatis facta ad caput S. Thomae custodiendum, quae superstes adhuc nostris temporibus in Cathedrali templo S. Catervo dicato visitur et colitur.

18. Ven. Strambius, quem supra innuimus, dum Tolentinatem ac Maceratensem Sedem tenuit, de cultu S. Thomae perquam sollicitum sese ostendit. Ipso enim curante, anno 1804 in altari maiori cathedralis Tolentinatis proposita fuit magna tabula in qua etiam S. Thomas repraesentatur, eius nomen atque imago in tintinnabulo eo anno conflato insculpta fuere, et eius honori nova capella in ecclesia S. Francisi erecta ornataque *(Summ. pag. 62, 65, 69, 72, 76, 83, 85, 90...)*.

19. Haec omnia solemnis argumenta cultus a saeculo usque XV ad nostram aetatem defecere nunquam, sed maioribus incrementis hodie vigent florentque. Disertissime testes docent S. Thomam urbis compatronum haberi et coli, eius festum quotannis insigni pompa celebrari cum officio atque missa, eius reliquiam veluti civitatis tutamen venerari populum, a S. Thoma fertilitatem agrorum implorari, nundinas quater mense Iunio eius honori agi..... quidnam restat ut cultus qui Sancto exhibetur, auctoritate ecclesiastica fovente ac probante, ab Urbani VIII Decretis exceptus declaretur?

20. Libuit hactenus cultum S. Thomae comprobare ex documentis factisque unius Tolentinatis civitatis, praeteritis parumper scriptoribus qui alterum invictum probationis genus, argumentumque etiam per se exhibent, egregie evincens Causam nostram a Decretis Urbani VIII exceptam esse declarandam. Id profecto allatis a nobis auctoribus referendum est, sive eorum declarata ab ecclesiae auctoritate Sanctitas, sive aevum quo opera sua exararunt, spectetur. Ne id a nobis imprudenter dictum EE. PP. existiment, animadvertant quaeso, primum in testimonia deprompta ex operibus B. Odorici a Foro Iulii, cuius cultum Pius VII confirmavit, et S. Antonini Archiepiscopi Florentini. Horum primus adeo uberrime S. Thomae virtutes, martyrium, miracula, venerationem qua penes Christianos atque ethnicos erat, enarrat, ut, aut satis probatus casus exceptus *ex scriptis Sanctorum virorum*, aut nunquam eumdem hoc argumento probari posse, dici debeat. Et Beato Odorico, qui omnium quae enarrat praecipuus actor atque testis fuit, nam ipse corpus Sancti Martyris abduxit et condidit et miraculis interfuit, S. Antoninus breviori sermone adstipulatur, et ipse Sancti Thomae martyrium et miracula memoriae tradens. Haec satis esse docet Benedictus XIV *(Lib. II, Cap. XIX, N. 10)*: « *Quod attinet ad dicta Sanctorum Patrum* (1), *oportet eos de hoc Servo Dei mentionem fecisse, ut de viro insignito speciali nota et gloria Sanctitatis, referendo heroicas Servi Dei virtutes, et quod potius est, decessum in pace, seu in gratia finalis perseverantiae* ».

21. Si vero ad aevum quo auctores scripserunt, respiciamus, Beatus Odoricus est Sancto Thomae coaevus, coaevus et eiusdem missionis operarius Fr. Iordanus Ordinis Praedicatorum *(Summ. pag. 34)*, coaeva relatio facta *cum magno fervore* a Summo Pontifice Ioanne XXII in consistorio de martyrio Sancti Thomae et sociorum eius, suppar est Fr. Bartholomaeus de Pisis, qui opus *de Conformitatibus* scripsit anno 1385, Urbani centenaria continentur, adeoque *authentica documenta* sunt Tossinianus, Gonzaga, Marcus Olisipponensis, atque alii quorum in Summario *(pag. 49, 52)* nomina tantum relata sunt; Bollandiani, Hughellius, Martyrologia ac Menologia Ordinis Minorum de Sanctorum Martyrum passione ac cultu disertum perhibent testimonium, eos Beatos, eos Sanctos, eos Martyres Christi praedicant. Sancti Thomae « cranium, inquit Bollandus, « postmodum ex India in Italiam delatum est, et magna « cum veneratione asservatur Tolentini, coliturque eius dies « festus, in quo publicas aperiunt nundinas Tolentinates ». « B. Thomas - subdit Hughellius Ordinis Minorum, - qui « pro Christi nomine in Perside vitam amisit; cuius caput « in patria relatum, in argentea theca reclusum apud Fratres « suos venerantur fideles ».... *(Summ. pag. 47)*.

22. Quod intendebamus, assequuti videmur. Cultum S. Thomae praestitum ostendimus duplici ex capite confirmandum, ex immemoriali tempore, ex scriptis Sanctorum virorum. Nihil restat nisi ut Ordinis Minorum eiusque sollertissimi Postulatoris P. Candidi a Camerino petitionem Religioni Sapientiaeque Vestrae enixe commendemus, eique propitium responsum flagitemus.

Et de gratia etc.

Aloisius Toeschi, adv.
Angelus Mariani

Revisa:
Gustavus adv. Persiani,
S. R. C. Assessor et S. Fidei Subpromotor.

(1) Hoc nomen « laxe esse accipiendum ita ut adhibitum dici « debeat ad significandos omnes indiscriminatim Sanctos viros qui « laudabile de iis Dei Servis testimonium perhibuerunt, de quorum « casu excepto disputandum occurrat » docet idem Bened. XIV et exemplis late confirmat Lib. II, Cap. XIX.

ANALECTA VETERA

Nonnulla documenta inedita S. Congr. Episc. et Reg. (An. 1677-1690).

258. Romana. — Praetensae novae electionis.

Ven. Fundator Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum mature perpendens pluribus ministeriis, praesertim pro Adolescentibus in catholica pietate et liberis disciplinis erudiendis, huiusmodi Institutum indigere, divinoque, ut par est credere, ductus Spiritu, eam in Religione Politiam sibi statuit, quae proposito fini certius, et utilius assequendo, magis consona visa fuit; ac proinde in suis Constitutionibus a fel. mem. Gregorio XV, die 31 Ianuarii 1621, in forma speciali approbatis, advertens plenissimam potestatem in Patre Generali requiri ad hoc, ut suos Religiosos minus distractos iuxta domorum et Provinciarum indigentiam, et scholarnm qualitatem possit apte et celeriter distribuere, eumdem Generalem perpetuum instituit, et soli eius fidei, et prudentiae totius Congregationis Summam credendam esse decrevit. Summar. num. 1.

Eidem Generali omnium inferiorum superiorum electionem tribuit, privative quoad omnes, et independenter a quocumque. Summar. num. 2.

Superiores locales, quos ministros vocat, ad triennium creat, et citra, vel ultra, eiusdem Generalis arbitrio. Summar. num. 3.

Quatuor Assistentes a Capitulo Generali nominandos deputat, qui ne Pater Generalis multitudine negotiorum obruatur filiali prudentia, et charitate ei assistant, et ipse eorum consilio in rebus dubiis discernendis utatur, nulla ullibi facta mentione, quod in superioribus eligendis, eorum consilium requirat, immo ipsi Generali potestatem facit, eosdem Assistentes deponendi, et alios sufficiendi si in re gravi defecerint, vel e vita discesserint. Summar. num. 4.

His ita statutis, et reliquis Constitutionibus veluti lineis ad hoc centrum directis, quidam Religiosi procurarunt a sac. mem. Alexandri VII, litteras apostolicas in forma Brevis expeditas die 28 Aprilis 1660 in quo, dum per varias vicissitudines Religio ab eodem Pontifice redacta erat ad Statum Congregationis votorum simplicium, conceditur praefatis quatuor Assistentibus votum decisivum in electionibus, deputationibus, ac mutationibus quorumcumque Superiorum. Summar. num. 5.

Superioribus cum hoc voto decisivo Assistentium a Generali electis, expediuntur ab ipso Generali de more litterae patentes, nomine ipsius Generalis ad suum beneplacitum duraturae, ut ex earumdem litterarum formula ab omnibus Generalibus semper usitata, et ipsis Assistentibus nunquam reclamantibus iamdiu notissima. Summar. num. 6.

Contingit modo ut aliqui ex praedictis Assistentibus non contenti votum decisivum in vim praefati Brevis Alexandrini de novo acquisiti quum ne Consultivum quidem in hoc per Constitutiones haberent in forma eiusdem Brevis limites continere, in electionibus nempe novorum Superiorum pro domibus ob mortem, vel ob aliam caussam vacantibus, praetendunt illud extendere ad omnium Superiorum depositionem aliorumque novorum electionem in quibuscumque domibus etiam non vacantibus, in quibus ultra biennium, vel triennium sint immorati, non obstante quod Patri Generali ad bonum commune id expediens non videatur, immo potius eos continuare debere ad suum beneplacitum iuxta formam praelaudatae Constitutionis, dicto Summ. num. 3 ac litterarum patentium dicto Summ. num. 6.

Et quidem quoad novam domorum vacantium provisionem humiliter et plenissime obtemperatum est Litteris Apostolicis; diebus enim elapsis ad illam cum decisivo Assistentium voto deventum fuit et expeditae electis litterae patentes, cum praelibata, antiqua, et solita formula, dicto Summar. num. 6.

Superest difficultas respectu domorum non vacantium. Unde hodie contingit dubitari:

An cum expediens videatur Generali aliquem ex huiusmodi Superioribus iam de voto Assistentium electis, et ad solum beneplacitum ipsius Generalis duraturis, diutius vel citius removere, et respective suum beneplacitum protrahere, necne, possint, Assistentes cogere Generalem, ut ad novam electiônem conveniat, et suum beneplacitum omnino revocet?

Et negative, non esse scilicet ad novam electionem deveniendum quousque suum beneplacitum Generalis non explicaverit, respondendum putamus, prout humillime supplicamus, cum agatur de summa Generalitiae auctoritatis, et omnimoda Religionis quiete.

Quoniam praedictus Generalis habet suam intentionem fundatam tam in iure quam in facto. In iure per Religionis Constitutiones, dicto Summ. num. 2 et 3. In facto per litteras patentes Superioribus expeditas, dicto Summ. n. 6, et utrobique litteraliter legitur praedictos Superiores ad eiusdem Generalis beneplacitum durare debere.

Neque obstat praecitatum Breve Alexandri VII, in quo ex Adverso fit totum fundamentum, quia tamquam lex posterior facultate Patri Generali a Constitutionibus amplissime tributa, et veluti privilegium Assistentibus concessum contra Ius commune Constitutionum et contra Ius Tertii, nempe ipsius Generalis, est stricte contra ipsum interpretandum, cum omnis recessus a iure sit odiosus, et Ius proximi in dubio non sit laedendum, Cap. Cum dilectus de consuetud. nec in dubio praesumitur Principem concedere aliquid cum alterius gravi dispendio, Si quoties de precibus Imp. offer. et L. 2. §. merito ff. ne quid in loco publico; Rot. par. 16, decis. 165, n. 9, et seqq. - Unde infert Azor. Instit. moral. t. 1°, l. 5, c. 23, quaeres 2, quod licet Romanus Pontifex alicui privilegium concedat, non tamen vult, ut eo utatur cum alicui Iuris iactura, et damno. Cap. Ex tuarum de auct., et usu pallii c. Licet de off. ordinarii; Abbas in Cap. Olim de Verb. signif. praesertim in rebus ambitionem sapientibus, vel quae iudicum, et magistratuum potestatem restringunt, ut in casu nostro.

Idem docet Barbosa de Clausulis, Claus. 127, n. 12, quod privilegium posterius in notabile praeiudicium tertii, etiam motu proprio concessum, non tollat praecedens Ius tertii, sine speciali derogatione de non tollendo iure quaesito, ex adductis per Marc. claus. 139, n. 20; Gonsalez glos. 36, n. 54, et aliis.

Quae omnia fundant Regulas iuris communis, quod in Privilegiis tantum censeatur concessum quantum expressum,

nec ultra id quod exprimitur, aut de uno ad aliud extendi debeant, aut possint. Rot. par. 8, recent. decis. 8, n. 7; et par. 18, t. 1°, decis. 287, n. 23; et par. 14, decis. 238, n. 11; Passerinus, de elect., Cap. 36, n. 57, fol. 767, quare exemplificant Azor, ibid., et Sanchez, de matrimonio, Lib. 3, disp. 1, pluribus citatis, quod si illegitimo indulgeatur promoveri ad ordines, ad ordines minores tantum censeatur indultum, et si ad beneficia, de beneficiis dumtaxat simplicibus non autem de Curatis, et de dignitatibus intelligatur, ut quantum possibile est vitetur iuris communis correctio, Cap. Cum dilectis, de consuetudine, Cap. Cum expediat, de elect. in 6, et maxime circa formam servandam, quae cum sit vere, et realiter alicuius actus substantia, nullatenus potest abrogari, nisi in specie abrogetur, Suarez de leg. l. 8, c. 14, n. 8; Rota, par. 16, rec. decis. 165, n. 9.

Cum igitur qualiscumque, et universa superiorum provisio per ius commune Constitutionum ad solum Generalem spectet, et in praefatis litteris Apostolicis non concedatur votum Assistentibus nisi in electionibus, deputationibus, ac mutationibus eorumdem superiorum, non videtur ullo pacto comprehendendus casus, de quo agitur, cum non versemur circa electionem, deputationem, aut mutationem superiorum, de quibus loquitur dictum Breve, sed est toto coelo diversus, cum neque loci, neque personae fiat mutatio, sed sit tantum continuatio, et protractio electionis iam factae, et consummatae, cui continuationi ad beneplacitum Generalis iam Assistentes ad formam Constitutionum assenserunt in vim primae voluntatis, quod ad electionem cum huiusmodi beneplacito ipsius Generalis concurrerunt, atque, adeo tandiu durat, quandiu Generalis suum beneplacitum revocaverit, vel declaraverit respective. Ipsique Assistentes statim ac est facta, et consummata electio, functi sunt suo officio, eorumque expiravit iurisdictio, quae quousque casus evenerit novae electionis, deputationis, ac mutationis superiorum, de quibus loquitur dictum Breve, non reviviscit, ut patet ad sensum.

Quare satis est nobis, pro victoria reportanda, asserere, quod dictum Breve, in quo uno fundata tota horum Assistentium praetensio, de casu nostro non loquitur, iureque merito illum non comprehendit, quia praevidit piissimus Pontifex, quod actum esset de Generalis auctoritate, si Assistentium arbitrio durationem superiorum remitteret, posset nam saepe contingere, ut tres Assistentes spe futuri Generalatus allecti, vel alio affectu commoti contra Generalem conspirent, et concordes ad discordiam quotidie, praesertim circa finem sexennii, ut modo accidit, pro aliis mutandis, pro aliis confirmandis, eorum libito instent, quod sane quid aliud est quam maiorem Assistentibus, quam ipsi Generali auctoritatem tribuere, Generalis vero potestatem radicitus prosternere, Constitutiones destruere, et factionibus, partibusque, ambitiosis, et inquietis aditum cum perpetua Religionis perturbatione aperire? Quod impium esset de piissima Summi Pontificis mente, et paterno zelo concipere.

Tam oculate praecavit Religio perniciosam huiusmodi Assistentium potentiam, veluti tam monstruosam quinque cendralium chymeram aliquando degeneraturam, tamque constanti suae primaevae Institutionis spiritu studuit retinere summam regiminis unitatem penes solum Generalem, ut in Cap.° Generali an. 1637 prope suae nativitatis cunabula portentum illud voluerit praefocare, expresse vetans ne Provinciales et Provinciae ab Assistentibus ullo pacto dependeant, sed ab ipso solo Generali, quod idem confirmavit subsequentibus Comitiis itidem Generalibus an. 1641 Summar. n. 7. Tantum abest ut in Superioribus creandis, unde totalis omnium dependentia, votum decisivum ipsis Assistentibus crediderint opportunum.

Quod vero huiusmodi beneplacitum sit solius Generalis, et non Generalis cum Assistentibus, luce clarius emicat ex contextu ipsarum litterarum patentium, dicto Summar. n. 6., in quibus refertur ad Generalem, qui semper suo nomine loquitur, et ipsas concedit, solo de Assistentium voto, cum quo habita est electio, facta mentione.

Unicum aequivocum primo aspectu non debile, solet obiici quod confirmatio, sit nova electio; at statim evanescit consideranti id procedere in iis Confirmationibus, quae ultra tempus praefinitum accedunt, et novum positivum actum confirmationis, quae aequivalet electioni, requirunt, ut v. g. reducto Generalatu perpetuo eiusdem Religionis ad sexennium, utique si ultra sexennium Generalis esset confirmandus, novus electionis actus requireretur, non vero si esset ad beneplacitum, duraret enim quousque potestas eius, cuius beneplacito foret reservatus, ad aliam electionem non deveniret, vel positive remotionis voluntatem exprimeret, et ita practice videmus in litteris patentibus confessionum, quae si ad tempus limitatum conceduntur, ultra tempus concessum cessat facultas illas audiendi, si vero ad beneplacitum, durant quousque revocentur.

Et in hoc largo sensu usam esse Constitutionem verbo confirmare, cum dixit poterunt diutius confirmari, dicto Summar. n. 3. evidenter patet ex ipsis verbis, non enim ait de novo confirmari, sed diutius, quod longiorem eiusdem temporis durationem importat, non autem novam confirmationem, scilicet electionem.

Haec omnia militant pariter in remotionibus infra triennium, duo enim hic intercedunt, et moderni rectoris remotio quae beneplacito solius Generalis videtur remissa, et novi electio, ad quam non negatur votum Assistentium requiri.

Quod si inquiratur consuetudo optima legis interpres, an scilicet Generalis in huiusmodi Superioribus confirmandis Assistentium vota requisierit, reperietur promiscua, quandoque enim sunt per urbanitatem meritam requisita, quandoque, contempta, atque, adeo tanquam actum facultativum huc usque existimatum fuisse.

Propterea litterae patentes ad Generalis beneplacitum semper sunt expeditae relative, et cohaerenter Constitutionibus quarum tenorem, et regiminis formam utpote tali instituto commodius, et in viridiori disciplina perfectius regendo unice aptiorem conata est Religio quantum licuit, semper retinere, ac proinde in earundem Constitutionum observantiam ipsius Generalis arbitrio semper temporis duratio absolute est reservata, et quousque hoc beneplacitum perseveravit, semper durarunt.

Et de facto semper durant, quod firmat possessorium pro Generali. Plures enim reperiuntur sub diversis Generalibus superiores, qui toto sexennio absque alia declaratione domos rexerunt, et passim occurrit ut regimen prosequantur expleto triennio; constans quippe in hac lectione tenor est quod clausula ad beneplacitum, sicuti nullam tribuit ius superiori, si infra triennium quacumque de caussa, aut intrinseca, vel extrinseca removeatur, ut pluries removeri contingit, ita neque, subditis elapso triennio superiori obedientiam denegandi, sed tandiu durant, quousque non removeantur successoribus institutis.

Cum igitur Generalis de suorum Assistentium voto, iuxta novam formam Apostolicam Superiores elegerit, et iidem Assistentes ex vi litterarum Patentium Patris Generalis beneplacito eorumdem Superiorum durationem ad formam Constitutionum remiserit, videtur indubitatum Breve Alexandri VII. non afficere, cum simus extra casum, atque adeo in eorumdem Constitutionum observantiam posse solum ipsum Generalem, tempus, seu ut magis proprie loquar, suum beneplacitum cum sibi expediens videbitur diutius protrahere, vel citius revocare, neque licere Assistentibus

ex vi praetensi voti illum ad novam electionem cogere, seu ab illa prohibere, quod cum utrique juri, et antiquis Religionis Constitutionibus, et necessariae Generalis auctoritati, et publicae tranquillitati magis favere liqueat a summa EE. VV. aequitate et prudentia fidelissime sperare juvat.

Carolus Jo. a Jesu *Praepositus Generalis.*

S. Cong. respondet die 31 Julii 1682: *Patres Assistentes in casu habere tantum Votum consultivum.*

Nota Emi Casanata: — *Serventur Constitutiones Religionis.*

259. Congregazione di S. Mauro de' Benedettini in Francia.

Ottenne la Congregazione di S. Mauro de' Benedettini di Francia un indulto da Clemente X. s. m. in data del 19 di settembre 1672 precedendo Decreto di questa Sacra Congregazione che a niun monaco professo fosse lecito trasferirsi a qualunque altra Religione, o Monastero anco de' Certosini senza espressa licenza del Superiore generale di detta Congregazione di S. Mauro, sotto pena di scomunica latae sententiae riservata alla Sede Apostolica contra recipientes, et receptos, aggiuntovi anco il decreto irritante con clausola derogatoria in amplissima forma.

Onde essendosi trasferito a gl' Eremiti Camaldolesi Alessio Gendrier monaco professo di detta Congregazione di S. Mauro, supplica il Procurator Generale che detto Alessio sia costretto per censure a tornare alla sua Congregazione di S. Mauro, e generalmente si dichiarino comprese in detta proibizione di Clemente X° tutte le Religioni più strette anco d'Eremiti Camaldolesi, de' Minimi di S. Francesco di Paola, di Certosini, et altri.

La regola del Cap. Licet de Regular. è che per passare a Religioni più strette basta che la licenza si domandi ancorchè non si ottenga, come notano il Fagnano et il Gonzalez a detto Cap. Licet. Ma questa Regola non ha luogo quando vi è particolar proibizione, come soggiunge l'istesso Fagnano al n. 22. pag. 85.

Emi Patres rescripserunt: *Audiantur partes ut dignoscatur an aliqua licentia fuerit obtenta.*

260. Congregazione di S. Mauro de' Benedettini in Francia.

Piacque all'Em.ze Vostre nella Congregazione passata delli 9 del corrente, rescrivere: Servetur constitutio Clementis X, con la qual costituzione vien proibito a' Monaci Benedettini di Francia il passare ad altra Religione, ancorchè de' Certosini senza licenza espressa dell' Abbate Generale di detta Congregazione di Francia.

Supplica hoggi il Procuratore Generale della Medesima che l'Eminenze Vostre si degnino dichiarar comprese in detta Costituzione anco gl' Eremiti Camaldolesi, li frati Minimi di S. Francesco di Paola, et ogni altra Religione degna di special menzione, attesa la prohibizione generale di detto indulto di Clemente X° con la specificazione de' Certosini, et anco atteso che detto Indulto fu dato col voto di questa Sacra Congregazione, et ancora che il P. Alessio Gendrier deba ritornare alla sua Religione di S. Benedetto di Francia, etiam per mezzo delle censure, come dispone la Costituzione di Clemente X° s. m.

Fuit rescriptum, die 30 Julii 1683: *Servandam Constitutionem S. M. Clementis X etiam quoad Eremitas Camaldulenses, fratres Minimos S.ti Francisci de Paula, et alios quoscumque Ordines specialiori nota dignos: et Alexius Gendrier compellatur etiam per censuras ad redeundum ad Congregationem S. Mauri.*

261. Romana. — Expulsionis sive incorrigibilitatis.

Em.° e Rev. Signore. Il Generale de' Cappuccini humilissimo servo delle E. V. havendo supplicato la Sacra Congregazione sopra li Vescovi e Regolari per la licenza di espellere alcuni Religiosi dell'Ordine suo affatto incorriggibili, senza l'obbligo di osservare la Bolla di Urbano VIII per le difficoltà che nella prattica della medesima si trovano, ha ordinato la S. C. che notifichi li nomi, e li demeriti de' frati, che vorrebbe licenziare, al che havendo ubbidito con altro suo memoriale che si leggerà in S. C., supplica la somma benignità dell'E. V. a degnarsi di patrocinare questa sua riverente istanza, mentre li religiosi che nomina, si per gli loro diffetti, come perchè perduta la riputazione, e l'amore alla Religione, sono alla medesima di grave danno, e di continuo scandalo, nè si possono governare da' Superiori. Che della grazia etc.; quare Deus etc.

Rescriptum fuit: *Nihil.*

262. Romana. — Funerum.

Mors ipsa, quae omnium controversiarum finis est, nunquam sine controversia, ut pulchre dixit Tertull. (cap. 50. de anima).

Ad evitandum igitur, quae occasione funerum saepius a Confraternitatibus laicorum excitantur, humillime Urbis Parochi supplicant huic Sacrae Congregationi declarare:

1.° An Confraternitas Mortis, atque adeo quaecumque aliae Confraternitates saeculares Urbis possint in funeribus erigere suam Crucem, quando defuncti a propriis illorum Parochis tumulandi efferuntur ad ipsarum Ecclesias, in quibus sepulturam elegerunt?

2.° An eaedem Confraternitates, possint suam Crucem erigere tam per viam, quam in Ecclesia parochiali, quando cadaver non effertur a proprio illius Parocho ad ipsarum Ecclesias sepeliendum, sed ad ipsam Ecclesiam parochialem?

3.° An Rectores, sive Sacristae, aliive Cappellani eorundem Confraternitatum, quando non incedunt cum suis Confraternitatibus, sed seorsim ab illis, possint in funeribus ducendis stolam deferre?

4.° An iidem Rectores, sive Sacristae, qui cum suis Confraternitatibus ad funus evocatis incedunt, post absolutum a Parocho officium funeris in sua Ecclesia parochiali, in qua cadaver delatum sepeliendum est, possint super dicto cadavere iterum funebre officium peragere?

5°. An Parochi possint super cadavere, praesertim sui parochiani, qui in Ecclesia, sive Oratorio Confraternitatum intra fines suae Parochiae positis, sepulturam elegit, officium funeris peragere?

Eminentissime Domine. Quoad primum quaesitum, an Confraternitates saeculares possint in funeribus erigere propriam Crucem, quando defunctus est in ipsarum Ecclesiis sepeliendus, videtur negative respondendum. Etenim Confraternitates non possunt accedere ad funeralia mortuorum, nisi specialiter, et expresse vocentur per haeredes defuncti. Barbos. de Paroch. cap. 26. num. 61. et in Summ. decision. apostolicarum collect. 207, num. 22. Tondut. resolut. beneficial. 43. num. 10 et seqq.; Franc. de Ecclesiis Cathedral. cap. 25. num. 356. Et quando accedunt nullo modo possunt erigere propriam Crucem, Ricciul. Elucubrat. Ecclesiasticarum lib. 4. cap. 14. num. 3.; Lezan. quaest. Regular. tom. 1. par. 2. cap. 15. num. 27.; Barbos. de Paroch. dict. cap. 26. num. 61. in fine, et dict. collect. 207. num. 28.; Samuel de Sepultur. tract. I. disput. 5 controv. 10. conclus. 5.; Murgas eodem tractat. tom. I. tractat. 8. disquisit. 2. sect. 2. dub. 25. num. 7.; Donat in prax. Regular. tom. 2. tract. 8.

quaest. 3. sub n. 1.; Franc. de Ecclesiis Cathedralibus d. cap. 25. n. 357. et disponitur in Statutis Cleri Romani cap. 7. § 4.

In funeralibus enim unica tantum Crux deferri debet, ut in eodem Statuto Cleri Romani d. § 4. videlicet vel illa Capituli Cathedralis, quando illud intervenit, vel Parochi, ut tradit Ioannes Baptista Parolett. in Palestra Clericali par. 3. cap. 5. littera D. prout refert Diana Oper. moral. tom. 7. tract. I. resolut. 239. vers. Tum quia Crux unica iuxta impress. coordinat. vel illius Ecclesiae, ad quam corpus defuncti defertur, Lezan. in Summ. verbo Crux num. 2. vers, tertio quod in funeralibus; Moron. respons. 51. num. 21.; Barbos. de Iur. Ecclesiastico univers. lib. 3. cap. 10. num. 78. et de Paroch. dict. cap. 26. num. 7. et in Summ. decision. Apostolicarum collect. 234. num. 3.; Passarin. de statu homin. tom. 2. quaest. 287. artic. 4. n. 186. vers. Merito vero. Nec obstat, quod Confraternitates habeant ius ex privilegio erigendi propriam Crucem, et ex praedictis in funeralibus, seu funerum processionibus erigi debet Crux illius Ecclesiae, ad quam cadaver defertur, quia licet omnes Confraternitates, et signanter illa Mortis habeant, et deferant propriam Crucem, nihilominus illam in funeralibus erigere non possunt, ut indistincte disponit dictum Statutum Cleri Romani, d. cap. 7. § 4. et tradunt DD. supra allegati, qui referunt plures declarationes Sacrae Congregationis. Proinde ius erigendi, et deferendi crucem, quod habent dictae Confraternitates, intelligitur in aliis actibus, et processionibus, praeterquam in funeribus ducendis ad ipsarum Ecclesias, seu Oratoria ex electione sepulturae facta per defunctos, quia funus debet duci a Parocho, et omnia officia in eodem Oratorio perfici, cum Oratorium dicatur esse intra fines Parochiae, et de ipsa Parochia, Lavor. variarum elucubration. tit. 2. cap. 11. num. 107.; Murgas de Sepultur. tom. 1. d. tract. 18. disp. 2. dubit. 25. num. 5 et seqq.

Nec obstat bulla Pii IV, et Breve Urbani VIII. quatenus concedunt Confraternitati Mortis facultatem erigendi Crucem, tam in Oratorio quam in Processionibus per Urbem, quia non procedit in funeralibus in quibus intervenit Parochus, et unica tantum Crux esse debet ex supra allegatis, et ea etiam ratio adduci potest, quia Crucem deferre est signum Iurisdictionis, Bonaccin. de contractibus disput. 3. quaest. 21. punct. 5. sub. num. 2. vers. ratio est, quia delatio, et funus totaliter spectat ad ipsum Parochum ratione suae Jurisdictionis, et Parochiae intra fines illius, Passarin. d. quaest. 18. art. 4. num. 191. Confraternitas autem nullam habet iurisdictionem in concernentibus curam animarum, et funeralia; unde etiam Regulares non possunt ingredi Parochiam, invito Rectore, ad levandum et portandum cadaver, quod apud eos debet sepeliri, iuxta sententiam, quam tenet Oldrad. Cons. 82. per tot.; Lavor. variarum elucubration. tit. 2. cap. 3. num. 206.; Bonaccin. de contract. disp. 3. d. quaest. 21. punct. 5. sub num. 2. vers. Dixi dum Parochus; Barbos. de Iur. Eccles. univers. lib. 2. d. cap. 10. n. 67. et 82.; Pignatel. consult. 47. sub n. 41. vers. Quemadmodum tom. 3. Praetensa observantia, et consuetudo dicitur ex adverso non probari ex Testibus.

Quoad secundum facilius respondendum est negative, dum cadaver non defertur ad Oratoria, seu Ecclesias Confraternitatum, sed ad ipsam ecclesiam Parochialem, cum certum sit ex praedictis in funeralibus unica tantum esse debere crucem, et illam, vel Parochi, vel Capituli Cathedralis, aut illius Ecclesiae, ad quam cadaver tumulandum defertur.

Quoad tertium pariter negative respondendum, quia Stolam, et Pluviale defert Parochus in signum propriae Iurisdictionis, et Officii, non autem alii, Barbos. de Iur. Ecclesiastico univers. lib. 2. d. cap. 10. num. 76. et seqq. et de Canonic. cap. 18. n. 59.; Passarin. de Statu homin. d. quaest. 187. art. 4. n. 190.

Praesertim quando non incedunt collegialiter cum suis Confraternitatibus, sed seorsim ab illis; tali enim casu non decet illos praeferri, vel aequari Parocho in officio suo, et habitu sacerdotali existenti, et tantum in actione funerali pro ministris, ac servis Ecclesiae reputari debent in fortioribus terminis, Iacob. Pignatell. consult. 50, num. I. et duob. seqq. tom. 3.

Quoad quartum, quis debeat celebrare officium super cadavere in Ecclesiis, seu Oratoriis Confraternitatum sepeliendo, respondendum, officium pertinere ad Parochos, quia celebrare officia super cadavera spectat ad Parochum intra cuius fines est Ecclesia, in qua sepelitur, non ad Clericos illius, Barbos. de Paroch. d. cap. 26. num. 80 et de Canonic. et dignitat. d. cap. 18. num. 62. et in summar. decis. Apostolicarum verbo officium defuncti num. 1. cum seqq.; Passarin. de Statu Hominum d. quaest. 187. art. 4. sub num. 194. Ideoque in specie ubi defunctus sepeliendus est in Ecclesia, seu Oratorio Confraternitatis, officium pertinere ad ipsum Parochum, non autem ad Cappellanum, seu Sacristam ipsius Confraternitatis, Lavor. variarum elucubration. tit. 2. cap. 9. num. 120. et d. cap. II. num. 109.; Passarin. d. quaest. 187. d. art. 4. sub num. 194. in fine vers. Et ideo; Donat in prax. Regularium tom. 3. tract. 8. quaest. 38, ubi de Confratre sepeliendo; Sperell. decis. 87. in fine.

Hinc etiam resultat, responsio negativa ad aliud quaesitum, an Rectores sive Sacristae Confraternitatum cum ipsis Confraternitatibus possint, post absolutum a Parocho officium in eadem Ecclesia Parochiali officium celebrare; nullum enim habent ius, nec possunt se intromittere in Ecclesia Parochiali in recitandis Officiis, psalmis, Responsoriis, ut de ipso Parocho in Ecclesia Regulari exempta tradunt Cesped. de Exemption. Regular. dubitat. 219. num. 25.; Barbos. de Iure Ecclesiastico univers. lib. 2. d. cap. 10. num. 80, et de Paroch. cap. 26. num. 82.; Moron. d. respons. 51. n. 27. et seqq.; Pasqualig. ad Franc. de controvers. inter Episcopum et Regular. part. 1. num. 1593; Donat. in prax. Regularium tract. 9. quaest. 37. tom. 3. et multas declarationes Sacrae Congregationis refert. Pignatel. d. consult. 47. num. 3. et seqq. tom. 3. Quare etc.

Io. Baptista Arrigus, Advocatus.

Rescriptum fuit die 27 Ianuarii 1680: *Ad Primum, Negative. — Ad Secundum, Negative. — Ad Tertium, Negative. — Ad Quartum, posse sine cruce et stola. — Ad Quintum, Dilata.*

Nota Emi Casanata. — In hac causa non pervenerunt scripta pro Confraternitatibus, contra quas respondendum, quatenus non habeant ius sepeliendi cum exemptione a iuribus Parochi seu Cleri ut plene hic deductis probatur, quatenus vero Confraternitates habeant ius sepeliendi cum exemptione prout habent Regulares, tunc non poterit Parochus erigere crucem ad ducenda cadavera in Ecclesias Confraternitatum exemptas, sed debet sub illarum Cruce incedere, ut incedit etiam Ecclesia Collegiata sub Cruce Regularium exemptorum. Et cum hac distinctione apta est responsio ad quinque quaesita.

Visa informatione Confraternitatum videtur respondendum pro Parochis et Clero, quibus Confraternitates subduntur ut in hac informatione § Ad 5m; nec obstat, immo retorquetur decisio Coccini 2089 § 4° admittens subiectionem Confraternitatum erga Clerum.

263. Minimorum. — Incorrigibilitatis et praetensi transitus ex statu regulari ad saecularem.

Fra Giuseppe da Belvedere, Sacerdote professo de' Minimi, sotto pretesto d'inhabilità naturale a soffrir li rigori della

Religione, lasciò l'habito regolare, e venne a Roma da Prete secolare nel principio dell'anno 1676.

Successivamente, per ordine di questa Sacra Congregatione, e con citazione eseguita contro di lui personalmente a 13 di marzo 1676 fu richiamato da suoi Superiori alla Religione, ma non volle obedire, onde il P. Generale a 28 di marzo per sentenza diffinitiva lo condannò come vagabondo, et egli a 25 di maggio del medesimo anno spedì dalla Penitenziaria secreta un Breve di trasferirsi ad Laxiorem, tacendo la dimissione dell'habito con la sua contumacia, et anco la sentenza del P. Generale.

Passati 6 mesi prescritti da detto Breve sotto pretesto di non haver trovati benevoli Ricettori, spedì a 18 di gennaro 1677 un altro Breve con espressione d'haver dimesso l'habito regolare, con termine d'altri sei mesi, e con facoltà d'essere assoluto di chi lo riceverebbe in altra Religione di tutte le pene incorse per la dimissione dell'habito Regolare.

Ma perchè detto Breve conteneva la solita limitazione, e condizione risolutiva: « Quatenus infra sex menses ad aliam Religionem non se transtulerit nihil ei ulterius praesentes litterae suffragentur », egli sotto pretesto di cattivi officii fattigli da suoi Superiori, e che perciò non trovasse benevoli Ricettori, supplicò a mia relazione, l'Emi.ze VV. che costringessero detti Superiori ad esibire, e giustificare tutto quello, che havessero contro di Lui, e non curando la Religione opponerli altro che la demissione dell'habito l'Eminenze VV. a 14 di maggio 1677 ordinorono: « Reassumpto habitu recipiatur in Monasterio Urbis, ibique charitative tractetur, et suspensa exequutione sententiae, Superiores exhibeant omnia quae habent contra oratorem ».

Tornò il Frate a ripigliar l'habito, ma non è stato mai quieto, perchè pretende esser dichiarato innocente, et all'incontro il Procurator Generale fa istanza che detto Frate sia dichiarato incorso nelle pene de' Vagabondi, particolarmente nella privazione della voce attiva e passiva.

Trattandosi dunque precisamente di detta privazione (anco posta da parte la sentenza del Padre Generale), è publico e notorio, che il Frate habbia lasciato l'habito regolare, con prenderlo de secolare, e che sia stato contumace agl'ordini di questa Sacra Congregazione, personalmente intimatigli sotto li 13 di marzo 1676 ad istanza de' suoi Superiori regolari. Anzi l'istessa mutazione d'abito con le pene incorse si prova pienamente dalla narrativa, e da tutto il contenuto nel 2° Breve della Penitenziaria, quale contra obtinentem plene probat.

E quantunque detta mutazione d'habito non basti per l'apostasia, non costando dell'animo effettivo di vivere da secolare, come nota il Pasqualigo ad controversias Laureti de Franchis, p.ᵉ p.ª, n.° 1040 fin al 1045, del qual'animo il Frate si scusa deducendo detti due Brevi da trasferirsi in altra Religione, niente di meno per esser privato della voce attiva e passiva è bastante la dimissione dell'habito, e la vagazione per molto tempo, ancorchè fosse andato vagabondo coll'habito, come dispone la Regola di S. Francesco di Paola nella particola copiata.

Non nega il Procurator Generale che avendo il Frate ripigliato l'habito regolare sia trattato benignamente, ma solo fa istanza che non sia reintegrato alla voce attiva e passiva, nisi ad formam statutorum Religionis per essempio degl'altri, come in termini di simili Statuti avverte il Pasqualigo ad controversias Laureti de Franchis, p.ᵉ p.ª, n.° 1099 col seguente.

Direi etc.: « Constare de dimissione habitus, et reum non esse reintegrandum ad vocem activam, et passivam, nisi servata forma statutorum Religionis ».

Perchè detti Statuti non solamente sono legitimi e specialmente approvati dalla Sede Apostolica, ma ancora sono conformi alla disposizione del Sacro Concilio Tridentino, sess. 25, de Regular., cap. 4 vers.: « Nec liceat Regularibus recedere a suis Conventibus etiam praetextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab iisdem missi, aut vocati fuerint: qui vero sine praedicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis Locorum tamquam desertor Instituti puniatur ».

Rescriptum fuit die 14 Januarii 1678: « *Fratrem Iosephum a Belvederio incidisse in poena Constitutionis et post tres menses idem remittatur, impositis poenitentiis salutaribus, et mittatur ad suam Provinciam* ».

ANALECTA VARIA

Elenchus Indulgentiarum Tertiariis saecularibus S. Francisci concessarum (1).

NOTAE PRAEVIAE.

Desiderio multorum Confratrum satisfacientes communicamus hic alterum elenchum, qui cunctas Indulgentias Tertio Ordini S. P. N. Francisci saeculari concessas ordinatissime et accuratissime recenset, et qui ab ipsa S. Indulg. Congregatione per Decretum approbationis citatorum operum de die 24 Ianuarii approbatus existit. Pro usu huius elenchi sequentia fideliter observanda sunt:

a) Elenchus sequens cunctas recenset Indulgentias tam eas, quae Tertio Ordini saeculari *immediate* concessae sunt, quam illas, quae Ecclesiis Franciscalibus primi Ordinis concessae ab om-

(1) Elenchus sequens, quam practicissime compositus, verbotenus ex idiomate germanico in latinum translatus et cum licentia auctoris ab opere iam citato et ab alio opere eiusdem auctoris cui titulus « *Lehr- und Gebetbuch für die Mitglieder des dritten Ordens des hl. Franciscus, von* P. Cassian Thaler, Exprovincial der nordtirolischen Kapuziner Ordensprovinz; sechste von der hl. Ablass-Congregation approbierte Auflage. Bregenz, I. N. Teutsch », excerptus, editus fuit in *Anal. Ord. Min. Cap*, Vol. XVIII, p. 116. Illum libentissime in Tertiariorum Fr. utilitatem et nos referre curamus. *N. D.*

nibus quidem Christifidelibus, a Tertiariis autem saecularibus cum privilegio lucrari possunt.

b) Indulgentiae, quae hoc signo * denotantur, omnibus Ecclesiis Franciscalibus primi Ordinis concessae sunt et ab omnibus Christifidelibus, a Tertiariis autem saecularibus cum privilegio lucrari possunt; alterae vero Indulgentiae, quae isto signo carent, Tertiariis saecularibus a Leone XIII immediate concessae et in *Indice Indulgentiarum, Privilegiorum ac Indultorum III Ordinis, a S. Indulgentiarum Congregatione* sub die 11 Septembris 1901 promulgato, recensitae sunt (1).

c) Observa, Tertiariis saecularibus a Leone XIII sub die 31 Ian. 1893 (2) privilegium concessum esse, ut lucrari faciant Indulgentias, quae Tertii Ordinis saecularis sunt propriae, ei ergo immediate concessae sunt, ea conditione, ut Ecclesiam parochialem visitent in omnibus illis locis, ubi Oratoria publica tertii Ordinis saecularis aut alia Ecclesia, in qua canonice erecta sit Congregatio tertii Ordinis saecularis, non existunt.

d) Sub eadem die Leo XIII Tertiariis saecularibus privilegium concessit, ut lucrari faciant indulgentias, omnibus fidelibus Ecclesias Franciscales visitantibus concessas (quas in praecedenti elencho accurate recensuimus (3) et quas in sequenti elencho, ut iam dictum est, hoc signo * denotamus) ea conditione, ut Ecclesiam parochialem visitent in omnibus illis locis, ubi Ecclesiae Franciscales primi Ordinis (scil. aut Fratrum Minorum aut Conventualium aut Capuccinorum) non existunt. Nota tamen, hoc privilegio non comprehendi eas Indulgentias, ad quas lucrandas praescriptum est, ut aliquis expositioni SSmi Sacramenti in respectiva Ecclesia Franciscali intersit; pro hoc casu quippe dictum privilegium valere nequit, quia conditio ad lucrandam Indulgentiam etiam haec est, ut aliquis intersit Expositioni SSmi Sacramenti in respectiva Ecclesia Franciscali. Porro cum Ecclesiae trium Familiarum Franciscalium, scil. Fratrum Minorum, Conventualium et Capuccinorum, non prorsus easdem habeant Indulgentias, in quibusdam casibus dubium exurgere potest, quaenam Ecclesia a Tertiariis saecularibus visitari debeat. Observa itaque, si Tertiarii saeculares habitant in locis, ubi Ecclesia quidem Fratrum Minorum, sed non Capuccinorum existit, in hoc casu ipsi ad lucrandas Indulgentias, quae Ecclesiis Capuccinorum, sed non Fratrum Minorum concessae sunt, Ecclesiam parochialem visitare debent. Et similiter vice versa.

e) Adverte pariter Indulgentiam, quae ratione alicuius festi concessa est, *semel tantum* acquiri posse, prouti iam in notis praeviis praecedentis elenchi adnotavimus. Si ergo Sodales Tertii Ordinis saecularis Indulgentiam alicuius festi vario modo, nempe visitando Ecclesiam proprii Sodalitii vel Ecclesiam Fratrum Minorum sive Conventualium sive Capuccinorum, aut diverso die acquirere possunt, tunc ad libitum modum aut diem eligere possunt, sed Indulgentia festi semel tantum acquiri potest. Haec limitatio tamen non concernit Indulgentias Stationum nec Indulgentiam quae adnexa est Absolutioni seu Benedictioni, quam Tertiarii novies per annum recipere possunt, nec Indulgentiam quae adnexa est Benedictioni papali, quae Tertiariis ad id coadunatis bis per annum impertienda est. Dictae Indulgentiae namque ultra Indulgentias festorum a Sodalibus Tertii Ordinis saecularis lucrari possunt.

f) In sequenti elencho reperies aliqua festa quae in nonnullis regnis diverso celebrantur die, v. g. festum SS. Angelorum Custodum. Item in aliquibus regnis externa festivitas solemnis quorumdam festorum translata est ad Dominicam proxime sequentem, v. g. quoad festum S. Ioseph Sponsi B. M. V., S. Ioannis Baptistae, SS. Apostolorum Petri et Pauli etc. Iam igitur Indulgentia certis festis adnexa lucrari debet die, ad quam fixa est celebratio festi, aut die, pro quo definitive fixa est solemnis celebratio festi externa (Cf. S. C. Indulg. 9 Aug. 1852: *Decreta Auth.* n. 360).

g) In alterutra tabula sequentis elenchi opera ad lucrandas Indulgentias praescripta sub parenthesi accurate assignantur. Quoad tempus visitandae Ecclesiae adverte ad ea, quae in notis praeviis praecedentis elenchi adnotavimus.

h) Cunctae Indulgentiae subsequentis quoque elenchi, excepta Indulgentia *pro articulo mortis* concessa, animabus fidelium defunctorum in purgatorio detentis applicari possunt.

i) Brevitatis causa in alterutra tabula sequentis elenchi abbreviaturae adhibitae sunt. Denotatur ergo litteris:

I. P. — Indulgentia Plenaria.

I. S. — Indulgentia Stationum Urbis plenaria.

I. B. — Indulgentia Benedictionis (Absolutionis) plenaria.

V. E. M. — Visitatio Ecclesiae Fratrum Minorum cum recitatione piarum precum ad mentem Summi Pontificis.

V. E. C. — Visitatio Ecclesiae Conventualium cum recitatione etc.

V. E. K. — Visitatio Ecclesiae Kapuccinorum cum recitatione etc.

V. E. S. — Visitatio Ecclesiae Sodalitii tertii Ordinis cum recitatione etc.

V. E. M. - C. - K. — Visitatio Ecclesiae tum Minorum cum Conventualium, aut Kapuccinorum cum recitatione etc.

I. Tabula Indulgentiarum plenariarum, quarum dies solummodo in genere determinati sunt.

Die ingressus in III Ordinem (Confessio sacramentalis et Communio).

(1) Cfr. Anal. Eccl. Vol. IX, p. 401.
(2) Cfr. Anal. Eccl. Vol. I, p. 131.
(3) Cfr. Anal. Eccl. in praesenti volumine, p. 93.

Die professionis III Ordinis (Conf. et Com.).

In festo Sancti Titularis Ecclesiae, in qua sedes Sodalitii est constituta (Conf. et Com., V. E. S. ibique recitatio piarum precum).

* *In festo Sancti Titularis singularum Ecclesiarum Capuccinorum* (Conf. et Com. et V. E. K.).

* *Qualibet feria III per integrum annum* omnibus Ecclesiis Fratrum Minorum universi mundi, necnon Ecclesiis Capuccinorum in Belgio et Germania I. P. (Conf. et Com. item, ut sodales intersint in respectiva Ecclesia expositioni SSmi Sacramenti et devote ad mentem Summi Pontificis orent).

Bis in anno Benedictionem nomine Summi Pontificis accepturis (Conf. Com. et piae preces ad mentem Summi Pontificis). Sodalibus, qui in locis habitant, ubi nulla sedes tertii Ordinis est constituta, quique legitime impediti sunt, quominus coetum tertii Ordinis vicinum adeant ad Benedictionem nomine Summi Pontificis accipiendam, fas est, ut in Confessionali sibi bis in anno a Confessario Absolutionem seu Benedictionem cum Indulgentia plenaria impertiri petant (S. C. Indulg. 31 Ian. 1893).

Quo die ad concionem menstruam, seu Conferentiam conveniunt (Conf. et Com. Visitatio alicuius Ecclesiae vel publici Sacelli, et piae preces).

Semel singulis mensibus, quo die cuique placuerit (Ut in praecedenti parenthesi).

Toties quoties Indulgentiae Stationum Urbis, Portiunculae, Hierosolymitanorum locorum, aedis S. Iacobi Ap. Compostellanae (Recitando *Pater, Ave* et *Credo* quinquies pro incolumitate rei christianae et semel ad mentem Summi Pontificis ; nulla alia conditio). Observa, quod terminus « Toties quoties » intelligendum secus Decr. S. Indulg. Congr. de die 7 Mart. 1678, § *Indulgentias vero* (1). Citatum hoc decretum ita accipiendum est, ut dictae Indulgentiae Stationum *plenariae*, si quae forte in diem incidunt, *semel tantum in die*, Indulgentiae vero partiales *toties in die* lucrari possint, *quoties* preces supra indicatae recitantur.

Recitantibus coronam Franciscanam, scil. septem gaudiorum B. M. V., quae constat 72 *Ave Maria* et 7 *Pater noster; addito uno Pater pro Summo Pontifice* (nulla alia conditio).

Quoties potioris vitae studio per octo dies continuos spiritualibus exercitiis vacaverint (Conf. et Com.).

Morituris (si vere poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti, vel saltem contriti, SSmum Iesu nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint).

II. Tabula Indulgentiarum plenariarum iuxta ordinem Calendarii.

Nota. Pro omnibus diebus in sequenti tabula recensitis I. P. est concessa, ad quam lucrandam sine exceptione Confessio sacramentalis ac S. Communio praescriptae sunt. Aliae conditiones adhuc adimplendae sub parenthesi indicantur. Aliunde bene observa Notas praevias supra scriptas.

IANUARIUS.

1. *Circumcisio D. N. I. C.* (V. E. S.).
6. *Epiphania Domini* (V. E. S.).
* —. Dom. II. post Epiph.: *SSmi Nominis Iesu* (V. E. C.-K.).
14. *B. Odorici*, Conf. 1 Ord. (V. E. S.).

(1) Cf. Beringer, *Die Ablässe*, § 405, 12 Aufl.

* 14. *B. Odorici...* (V. E. C.).
* 14. *B. Bernardi a Corleone*, Conf. O. N. Cap. (V. E. K.).
16. *SS. Berardi, Petri et Soc. Protomartyrum Ord. Seraphici* (V. E. S.).
* 16. *SS. Berardi, Petri et Soc. ...* (V. E. M. - C. - K.).
30. *S. Hyacinthae de Mariscottis*, Virg. 3 Ord. (V. E. S.).
* 30. *S. Hyacinthae de Mariscottis....* (V. E. M. - C.).
* 31. *B. Ludovicae de Albertonia*, Vid. 3 Ord. (V. E. M.).

FEBRUARIUS.

1. *B. Andreae de Comit.* Conf. 1 Ord. (V. E. S.).
* 1. *B. Andreae de Comit. ...* (V. E. C. - K.).
2. *Purificatio B. M. V.* (V. E. S.).
* 3. *B. Viridianae*, Virg. 3 Ord. (V. E. C.).
* 4. *S. Ioseph a Leonissa*, Conf. O. N. Cap. (V. E. C. - K.).
5. *SS. Petri Bapt et Soc.*, Mm. Iapon. (V. E. S.).
* 5. *SS. Petri Bapt. et Soc., ...* (V. E. M. - C. K.),
* 18. *B. Ludovicae de Albertonia*, Vid. 3 Ord. (V. E. C.).
19. *S. Conradi a Placentia*, Conf. 3 Ord. (V. E. S.).
* 19. *S. Conradi a Placentia, ...* (V. E. C.).
21. *S. Angelae Mericiae*, Virg. 3. Ord. (V. E. S.).
22 vel 23. *S. Margaritae de Cortona*, Poenit. 3 Ord. (V. E. S.).
* 22. *S. Margaritae Corton., ...* (V. E. M. - C.).
* 23. *S. Margaritae Cort., ...* (V. E. K.).

MARTIUS.

* 5. *S. Ioannis Iosephi a Cruce*, Conf. 1. Ord. (V. E. M. - C. - K.).
6. *S. Coletae*, Virg. 2 Ord. (V. E. S.).
* 6. *S. Coletae, ...* (V. E. M. - C.).
9. *S. Catharinae de Bononia*, Virg. 2 Ord. (V. E. S.).
* 9. *S. Catharinae de Bonon., ...* (V. E. M. - C. - K.).
19. *S. Ioseph Sponsi B. M. V.*: I B (Receptio Absolutionis generalis seu Benedictionis et recitatio piarum precum).
* 19. *S. Ioseph Sponsi B. M. V.* (V. E. C.).
* 22. *S. Benvenuti* Episc. Conf. 1 Ord. (V. E. C.).
* 24. *B. Didaci a Gadibus*, Conf. O. N. Cap.: I P, ad septennium, i. e. usque ad 2 Dec. 1908, concessa (V. E. K.).
25. *Annuntiatio B. M. V.* (V. E. S.).
* 30. *B. Angelae de Fulgineo*, Vid. 3 Ord. (V. E. C. - K.).
* —. *In una feria sexta Quadragesimae ad libitum*: I P (V. E. C.).

APRILIS.

—. *In Coena Domini Hebdomadis maioris*: I S. (V. E. S.).
—. *Dominica Paschae:*
a. I S. (V. E. S.).
b. I B. (receptio Absol. gener. seu Benedictionis et recitatio piarum precum).
* *c.* I P. (V. E. M. - C. - K. et recitatio trium *Pater, Ave* et *Gloria Patri* in honorem SSmae Trinitatis).
* 3. *S. Benedicti a S. Philadelpho*, Conf. 1 Ord. (V. E. M.).
15. vel 28. *S. Luchesii*, ex Tertiariis primi, qui ab ipso S. Institutore habitu tertii Ordinis indutus fuit (V. E. S.).
* 15. *S. Luchesii seu Lucii*, Conf. 3 Ord. (V. E. C.).
16. *Die Anniversario professionis S. P. Francisci*, vel, si legitime impediti fuerint, Dominica immediate sequenti (Renovatio professionis tertii Ordinis).
* 20. *B. Aegidii Assisiensis*, Conf. 1 Ord. (V. E. C.).

24. *S. Fidelis a Sigmaringa,* Mart. O. N. Cap. Protomart. Propagandae Fidei (V. E. S.).
* 24. *S. Fidelis a Sigmaringa,...* (V. E. C. - K.).
28. *S. Luchesii* (Vide 15 April.).
* 28. *S. Pauli a Cruce* Conf. (V. E. K.).
* —. Dom. III post Pascha: *Patrocinii S. Ioseph Sponsi B. M. V.* (V. E. C.).

MAIUS.

—. *Ascensio D. N. I. Chr.*:
a. I S. (V. E. S.).
b. I P. (Denuo V. E. S.).
—. *Dominica Pentecostes*:
a. I B. (receptio Absol. gener. seu Benedictionis et recitatio etc.).
* *b.* I P. (V. E. M. - C. - K. et recitatio trium *Pater* et *Ave* in honorem SS. Trinitatis).
* 11. *B. Benedicti ab Urbino,* Conf. O. N. Cap.: I. P., ad septennium, i. e. usque ad 2 Dec. 1908, concessa (V. E. K.).
* 13. *S. Petri Regalati,* Conf. 1 Ord. (V. E. M. - C. - K.).
17. *S. Paschalis Baylon, ...* Conf. 1 Ord. (V. E. S.).
* 17. *S. Paschalis Baylon, ...* Conf. 1 Ord. (V. E. M. - C. - K.).
* 18. *S. Felicis a Cantalicio,* Conf. O. N. Cap. (V. E. C. - K.).
19. *S. Ivonis,* Conf. 3 Ord. (V. E. S.).
* 19. *S. Ivonis, ...* (V. E. C.).
20. *S. Bernardini Senensis,* Conf. 1 Ord. (V. E. S.).
* 20. *S. Bernardini Senensis, ...* (V. E. M. - C. - K).
* 22. *B. Humilianae,* Vid. 3 Ord. (V. E. C.)
* 23. *B. Crispini a Viterbo,* Conf. O. N. Cap. (V. E. K.).
30. *S. Ferdinandi Regis,* Conf. 3 Ord. (V. E. S.).
* 31. *B. Felicis a Nicosia,* Conf. O. N. Cap.: I P., ad septennium, i. e. usque ad 2 Dec. 1908, concessa (V. E. K.).

IUNIUS.

—. *Dominica SSmae Trinitatis*:
a. I P. (V. E. S.).
* *b.* I P. (V. E. M. - C. - K.). et recitatio trium *Pater, Ave* et *Gloria Patri* in honorem SSmae Trinitatis).
—. Fer. VI. post Octav. SS. Corporis Chr. *Sacratissimi Cordis Iesu* (alibi celebratur Dominica sequenti): I B. (Receptio Absol. gener. seu Benedictionis et recitatio etc.).
* 3. *B. Andreae de Hyspello,* Conf. 1 Ord. (V. E. C.).
* —. *In uno ex novem diebus ante festum S. Antonii Patavini semel ad libitum*: I P. pro iis, qui in illo intersunt expositioni SSmi Sacramenti in aliqua Ecclesia Conventualium; in reliquis diebus Indulgentia 100 dierum.
13. *S. Antonii Patavini,* Conf. 1 Ord. (V. E. S.).
* 13. *S. Antonii Patavini...* (V. E. M. - C. - K.).
* 19. *B. Michaelinae a Pisauro,* Vid. 3 Ord. (V. E. M. - C.).
* 20. *Dies Octava S. Antonii Patavini* (V. E. C.).
24. *Nativitas S. Ioannis Baptistae* (V. E. S.).
29. *SS. Petri et Pauli Apostolorum* (V. E. S.).

IULIUS.

7. *S. Laurentii a Brundusio,* Conf. O. N. Cap. (V. E. S.).
* 7. *S. Laurentii a Brundusio,...* (V. E. K.).
8. *S. Elisabeth Reg. Portug.,* 3 Ord. (V. E. S.).
* 8. *S. Elisabeth Reg. Portug...* (V. E. C.).
9. (vel 13 Sept.). *S. Veronicae de Iulianis,* Virg. O. N. Cap. (V. E. S.).
* 9. *S. Veronicae de Iulianis* (V. E. C. - K.).
* 9. *SS. Nicolai et Soc.* Mm. Gorgomiens. 1 Ord. (V. E. M.).
* 11. *SS. Nicolai et Soc...* (V. E. C. - K.).
14. *S. Bonaventurae,* Eccl. Doctoris 1 Ord. (V. E. S.).
* 14. *S. Bonaventurae,...* (V. E. M. - C. - K.).
* 15. *B. Angelinae,* Vid. 3 Ord. (V. E. C.).
* 24. *S. Francisci Solani,* Conf. 1 Ord. (V. E. M. - C. - K.).
* 27. *B. Mariae Magdalenae Martinengo,* Virg. O. N. Cap.: I P., ad septennium, i. e. usque ad 2 Dec. 1908 concessa (V. E. K.).

AUGUSTUS.

2. *Dedicatio S. Mariae Angelorum: Indulgentia Portiunculae* toties, quoties Sodales tertii Ordinis saecularis ex primis vesperis usque ad occasum solis diei 2 Augusti ecclesiam vel etiam sacellum, ubi est sedes Sodalitii, visitaverint.

* 2. *Dedicatio S. Mariae Angelorum*: Toties quoties Indulgentia Portiunculae (V. E. M. - C. - K.). Observa ea, quae in priori elencho ad hunc diem adnotavimus.

NOTA PRO TERTIARIIS: Sodales tertii Ordinis saecularis ergo Indulgentiam Portiunculae die 2 Augusti in Ecclesia (sacello), ubi est sedes Sodalitii, lucrari possunt, item sicut ceteri fideles in quavis Ecclesia sive Fratrum Minorum sive Conventualium sive Capuccinorum, idque absolute in omni casu sive pro eorum Ecclesia parochiali privilegium Indulgentiae Portiunculae obtentum fuerit sive non. Illi Tertiarii, qui in locis habitant, ubi nec Ecclesia Fratrum Minorum vel Conventualium vel Capuccinorum existit nec Sedes Sodalitii tertii Ordinis constituta est, Indulgentiam Portiunculae die 2 Augusti lucrari possunt visitando Ecclesiam parochialem, idque etiam in casu, quod Ecclesia parochialis non habeat Privilegium Indulgentiae Portiunculae. Quodsi Tertiarii impediti fuerint, quominus ad lucrandam Indulgentiam Portiunculae die 2 Augusti respectivam Ecclesiam visitent, poterunt, sicut ceteri fideles, hanc Indulgentiam lucrari Dominica diem 2 Augusti immediate aut praecedenti aut subsequenti visitando Ecclesiam parochialem, sed id solummodo tunc, quando pro hac Ecclesia Privilegium Indulgentiae Portiunculae a Sede Apostolica revera obtentum fuerit.

* 4. *S. Dominici,* Conf. (V. E. C.).
12. *S. Clarae,* Virg. legiferae 2 Ord. (V. E. S.).
* 12. *S. Clarae,...* (V. E. M. - C. - K.).
15. *Assumptio B. M. V.* (V. E. S.).
16. *S. Rochi,* Conf. 3 Ord. (V. E. S.).
* 16. *S. Rochi,* (V. E. C. - K.).
19. *S. Ludovici,* Episc. Tolosani 1 Ord. (V. E. S.).
* 19. *S. Ludovici, ...* (V. E. M. - C. - K.).
25. (Vel Tertiariis eo die impeditis Dominica aut festo infra octiduum immediate sequens). *S. Ludovici Regis Galliarum,* Patroni coelestis salutaris 3 Ord.: I B. (Receptio Absol. gener. seu Benedictionis et recitatio piarum precum, quae tamen fieri debent die 25 Augusti ex eo, quod visitatio alicuius Ecclesiae non est praescripta, ergo ad recitandas praescriptas pias preces impedimentum non obstat, quominus preces ipsae die 25 Aug. fiant.).
* 25. *S. Ludovici Regis,* Conf. 3 Ord. (V. E. M. - C. - K.).

SEPTEMBER.

* 3. *B. Isabellae,* Virg. 3 Ord. (V. E. C.).
4. *S. Rosae de Viterbo,* Virg. 3 Ord. (V. E. S.).
* 4. *S. Rosae de Viterbo, ...* (V. E. M. - C. - K.).

8. *Nativitas B. M. V.* (V. E. S.).

* —. *In uno ex novem diebus ante festum S. Iosephi a Cupertino ad libitum:* I P. pro iis, qui in illo die expositioni SSmi Sacramenti in aliqua Ecclesia Conventualium intersunt; in reliquis diebus Indulgentia 100 dierum.

* 11. *B. Bernardi ab Ophyda,* Conf. O. N. Cap. (V. E. K.).

13. *S. Veronicae de Iulianis* Virg. O. N. Cap. (vid. 9 Iul.).

17. *Solemnis Commemoratio Sacrorum Stigmatum S. P. N. Francisci* (vel Tertiariis eo die impeditis Dominica aut festo infra octiduum immediate sequens): I B. (Receptio Absol. gener. seu Benedictionis et recitatio piarum precum, de quibus confer dicta ad diem 25 Aug.).

* 17. *Solemnis Commemoratio Sacrorum Stigmatum S. P. N. Francisci* (V. E. M. - C. - K.).

18. *S. Iosephi a Cupertino.* Conf. 1 Ord. (V. E. S.).

* 18. *S. Iosephi a Cupertino,...* (V. E. C. - K.).

* 24. *S. Pacifici a S. Severino,* Conf. 1 Ord. (V. E. M.).

* 25. *S. Pacifici a S. Severino,...* (V. E. C. - K.).

27. *S. Elzearii,* Comitis Ariani, Conf. 3 Ord. (V. E. S.).

* 27. *S. Elzearii ab Ariano,...* (V. E. C.).

29. *S. Michaelis Archangeli* (V. E. S.).

* —. *In uno ex novem diebus ante festum S. P. N. Francisci ad libitum:* I P. pro iis, qui in illo die expositioni SSmi Sacramenti in aliqua Ecclesia Conventualium intersunt; in reliquis diebus Indulgentia 100 dierum.

OCTOBER.

2. *SS. Angelorum Custodum* (V. E. S.). Nota, quod hoc festum in aliquibus regnis definitive alio die celebratur, v. g. Dom. I Septembris.

4. *Solemnitas Seraphici S. P. N. Francisci* (V. E. S.).

* 4. *Solemnitas Seraphici S. P. N. Francisci* (V. E. M. - C. - K.).

* 5. *Commemoratio omnium defunctorum Ord. N. Capuc.* vel *ea die iuxta Rubricas impedita* alia die *infra octiduum S. P. N. Francisci* (V. E. K.).

6. *S. Mariae Franciscae a Vulneribus D. N. I. Ch.* Virg. 3. Ord. (V. E. S.)

* 6. *S. Mariae Franciscae a Vulneribus ...* (V. E. M.).

* 7. *S. Mariae Franciscae a Vulneribus ...* (V. E. K.).

* 11. *Dies Octava S. P. N. Francisci* (V. E. C.).

* 12. *S. Seraphini,* Conf. O. N. Cap. (V. E. C. - K.).

13. *SS. Danielis et Soc.,* Mm. 1 Ord. (V. E. S.).

* 13. *SS. Danielis et Soc.,* (V. E. M. - C. - K.).

19. *S. Petri de Alcantara,* Conf. 1 Ord. (V. E. S.).

* 19. *S. Petri de Alcantara. ...* (V. E. M. - C. - K.).

* 23. *S. Ioannis a Capistrano,* Conf. 1 Ord. (V. E. M. - C. - K.).

* 26. *B. Bonaventurae a Potentia,* Conf. 1 Ord. (V. E. M.).

* 30. *B. Angeli ab Acrio,* Conf. O. N. Cap.: I. P., ad septennium, i. e. usque ad 2 Dec. 1908, concessa (V. E. K.).

* 31. *B. Thomae a Florentia,* Conf. 1. Ord. (V. E. C.).

NOVEMBER.

* 12. *S. Didaci ab Alcala,* Conf. 1 Ord. (V. E. M. - K.).

* 13. *S. Didaci ab Alcala, ...* (V. E. C.).

* 16. *S. Agnetis Assisiensis,* Virg. 2 Ord. (V. E. M. - C.).

19. *S. Elisabeth Hungaricae,* Vid. et 3 Ordinis Patronae (Tertiariis eo die impeditis Dominica aut festo infra octiduum immediate sequens): I B. (Receptio Absol. gener. seu Benedictionis et recitatio piarum precum, de quibus dconfer cta ad diem 2 Augusti).

* 19. *S. Elisabeth Hungaricae, ...* (V. E. M. - C. - K.).

* 26. *S. Leonardi a Portu Mauritio,* Conf. 1 Ord. (V. E. M. - K.)

27. *B. Delphinae,* Virg. 3 Ord. (V. E. S.).

* 28. *S. Iacobi Piceni,* Conf. 1 Ord. (V. E. M. - C. - K.).

29. *Omnium Sanctorum trium Ordinum S. P. N. Francisci* (V. E. S.).

* 29. *Omnium Sanctorum Universi Seraphici Ordinis* (V. E. M. - C. - K.).

* —. *In uno ex novem diebus ante festum Immaculatae Conceptionis B. M. V. ad libitum:* I P. pro iis, qui in illo die expositioni SSmi Sacramenti in aliqua Ecclesia Conventualium intersunt.

DECEMBER.

* 5. *B. Delphinae,* Virg. 3 Ord. (V. E. C.).

8. *Immaculata Conceptio B. M. V.,* Principalis O. N. Patrona: I B. (Receptio Absol. gener. seu Benedictionis et recitatio piarum precum).

* 8. *Immaculata Conceptio B. M. V.* (V. E. M. - C. - K.).

* 12. *Inventio Corporis Seraph. P. N. Francisci* (V. E. C.).

* 14. *S. Iosaphat,* Episc. et Mart. (V. E. K.).

* 15. *Dies Octava Immacul. Concept. B. M. V.* (V. E. C.).

* —. *Die prima vel ultima ex novem diebus ante festum Nativitatis D. N. I. Chr.:* I P. pro iis, qui in illo die expositioni SSmi Sacramenti in aliqua Ecclesia Conventualium intersunt.

25. *Nativitas D. N. I. Chr.:*

a. I B. (Receptio Absol. gener. seu Benedictionis et recitatio piarum precum).

b. I S. (V. E. S.).

III. Indulgentiae partiales, Tertiariis saecularibus concessae.

Sodales tertii Ordinis etiam sat multas Indulgentias partiales lucrifacere possunt, et quidem:

A. — *Indulgentias partiales, quas recenset Summarium Indulgentiarum, Privilegiorum ac Indultorum, a S. Congreg. Indulg. die 11 Sept. 1901 promulgatum.* Sunt vero sequentes:

I. *Septem annorum totidemque quadragenarum* omnibus ex utroque sexu Tertiariis, qui Ecclesiam, in qua est sedes Sodalitii constituta, devote visitaverint et ad mentem Summi Pontificis oraverint:

1. Die impressionis SS. Stigmatum (17 Sept.);
2. in festo S. Ludovici Regis (25 Aug.);
3. in festo S. Elisabeth Hungaricae (19 Nov.);
4. in festo S. Margaritae Cortonensis (22 Febr.);
5. in festo S. Elisabeth Reginae Lusitaniae (8 Iul.);
6. in aliis duodecim diebus ad libitum eligendis, cum approbatione tamen praefecti Ordinis;
7. in festo Desponsationis B. M. V. (18 Ian.);
8. in festo Visitationis B. M. V. (2 Iul.);
9. in festo Praesentationis B. M. V. (21 Nov.);
10. in festo Inventionis S. Crucis (3 Maii);
11. in festo Exaltationis S. Crucis (14 Sept.).

II. *Tercentorum dierum:* Sodalibus Tertiariis quoties Missae aliisque divinis officiis vel Sodalitatis conventibus publicis vel privatis interfuerint; — inopes hospitio receperint; — dissidia composuerint vel componenda curaverint; —

processionibus interfuerint; — SS. Sacramentum, cum circumfertur comitati fuerint, vel si hoc facere nequiverint, ad pulsum campanae Orationem Dominicam cum Angelica Salutatione semel recitaverint; — quinquies *Pater* et *Ave* recitaverint rei christianae vel animabus Sodalium defunctorum Deo commendandis; — defunctos ad sepulturam comitaverint; — devium quemquam ad officium reduxerint; — Dei praeceptis ceterisque ad salutem necessariis quempiam erudierint; — aut tandem quodcumque pium opus pietatis vel charitatis exercuerint.

Nota, quod praedictae Indulgentiae Sodalibus Tertiariis immediate seu directe concessae sunt.

B. — *Indulgentias partiales Stationum Urbis.* Conditiones: status gratiae, visitatio Ecclesiae Sodalitii 3 Ordinis et piae preces ad mentem Summi Pontificis. Ad Indulgentias Stationum Urbis praeter quatuor plenarias, quas iam in elencho praecedenti retulimus, secus Rescrip. S. C. Indulg. de die 9 Iul. 1777 haec partiales pertinent:

In Quadragesima: In feria IV Cinerum, et Dom. IV indulg. 15 annorum totidemque quadragenarum. — Dominica Palmarum 25 annorum totidemque quadragenarum. — Fer. VI in Parasceve et Sabbato Sancto 30 annorum totidemque quadragenarum. — In reliquis tam Dominicis, quam feriis 10 annorum totidemque quadragenarum.

In Paschate Resurrectionis D. N. I. Chr.: A feria II per totam octavam usque ad Dominicam in Albis inclusive quotidie 30 annorum totidemque quadragenarum.

In Pentecoste: In Sabbato ante Dominicam 10 annorum totidemque quadragenarum. — In Dominica et aliis infra octavam diebus usque ad sabbatum inclusive quotidie 30 annorum totidemque quadragenarum.

In Dominicis Adventus: In Dominica I, II et IV, 10 annorum totidemque quadragenarum. — In Dominica III, 15 annorum totidemque quadragenarum.

In Nativitate D. N. I. Chr.: In Vigilia, Nocte, ac Missa Aurorae 15 annorum totidemque quadragenarum. — In subsequentibus tribus diebus festis, et in Circumcisione ac Epiphania Domini, necnon in Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae 30 annorum totidemque quadragenarum. — In tribus feriis Quatuor Temporum 10 annorum totidemque quadragenarum. — In festo S. Marci Evangelistae ac tribus feriis Rogationum 30 annorum totidemque quadragenarum.

Nota, quod praedictae quoque Indulgentiae Tertiariis immediate seu directe concessae sunt.

C. — *Indulgentias partiales Stationum Urbis. Portiunculae, Hierosolymitanorum locorum, aedis S. Jacobi Compostellanae.* Has Indulgentias, nempe partiales, Sodales Tertiarii toties in die acquirere possunt, quoties *Pater, Ave* et *Credo* quinquies pro incolumitate rei christianae et semel ad mentem Summi Pontificis recitaverint (Nulla alia conditio). Indulgentias ipsas per partes recensere impossibile est. Dictae Indulgentiae Tertiariis immediate seu directe concessae sunt.

D. — *Indulgentias partiales Ecclesiis Franciscalibus concessas.* Praeter Indulgentias plenarias, quae ab omnibus fidelibus Ecclesias Franciscales visitantibus et a Sodalibus Tertiariis cum privilegio acquiri possunt, prouti iam vidimus, concessae sunt pariter permultae Indulgentiae partiales, quae quidem ab omnibus fidelibus Ecclesias Franciscales visitantibus, a Sodalibus autem Tertiariis cum pari privilegio, quod valet in respectu Indulgentiarum plenariarum, acquiri possunt. Privilegium vero in eo consistit, ut Sodales Tertiarii dictas Indulgentias lucrari faciant ea conditione, ut Ecclesiam parochialem visitent in omnibus illis locis, ubi Ecclesiae Franciscales primi Ordinis, scilicet aut Fr. Minorum aut Conventualium aut Capuccinorum, non existunt.

IV.

Indulgentiae lucrandae in Ecclesiis Ordinis S. Francisci et omnium Ordinum Mendicantium.

A.) — PLENARIA: 1°. — *In die Paschatis* pro illis, qui a primis Vesperis, i. e. a Sabbato Sancto, usque ad occasum solis sequentis diei Paschae, contriti, confessi aut cum proposito confitendi visitabunt aliquam ex Ecclesiis Ordinis Mendicantium dicendo tria *Pater, Ave* et *Gloria* in honorem SS. Trinitatis. (Leo X. — *Rescript. authent.*, pag. 389.)

2°. *In Festo Pentecostes*, ut in die Paschatis, praeterquam quod tria *Gloria Patri* omittantur. (*Ibidem*)

3°. *In Festo SS. Trinitatis*, ut in die Pentecostes. (*Ibidem*)

B.) PARTIALIS: — 1° — *Omnibus anni diebus*, qui visitabit unam ex Ecclesiis Franciscanis aut Mendicantium, dicendo tria *Pater, Ave* et *Gloria* in honorem SS. Trinitatis, lucratur *singulis vicibus* Indulgentiam 300 dierum et 207 quadragenarum; *singulis autem Dominicis et Sabbatis* omnium mensium anni pro singulis vicibus conceditur indulgentia 198 annorum et 198 quadragenarum; et *feriis sextis* totius anni singulis vicibus indulgentia 100 dierum. (*Rescript. authent.*, pag. 387.)

2°. *In Quadragesima*: pro quovis die Quadragesimae visitanti ut supra, conceditur ex variis Ss. Pontificum concessionibus indulgentia 252 annorum, 132 quadragenarum et 576 dierum. — Insuper pro unaquaque feria II^a. IV^a. et VI^a. totius quadragesimae ultra supradictas conceditur a Benedicto XI indulgentia 88 annorum et 80 quadragenarum (V. *Rescript. authent.* pag. 388.)

3°. *In Circumcisione Domini*, qui visitabit aliquam ex Ecclesiis Franciscanis aut Mendicantium, lucrabitur indulgentiam 50 annorum et 50 quadragenarum ex concessione Martini V, 2 annorum et 2 quadragenarum ex concessione Innocentii III, 100 annorum ex concessione Clementis IV, et 200 annorum et 53 quadragenarum ex Nicolai V. (V. *Rescript. authent.*, p. 390.)

4°. *In Festo Epiphaniae Domini*, qui visitabit aliquam ex supradictis Ecclesiis, ipsi conceduntur ab Innocentio III, 2 anni et 2 quadragenae; Urbanus IV duplicavit hanc indulgentiam et concessit insuper unum annum et unam quadragenam; Clemens IV concessit 100 annos et 100 quadragenas; et Nicolaus V duplicavit hanc indulgentiam. Innocentius IV deinde concessit 50 annos et 50 quadragenas. (*Rescript. authent.*, p. 390.)

5°. *In Festo Purificationis B. M. V.*, qui visitabit illo die unam ex Ecclesiis praedictis, ipsi conceduntur, ultra indulgentias concessas in aliis festivitatibus B. M. V., a Martino V indulgentiae 50 annorum et 12 quadragenarum; a Clemente IV 100 annorum et 30 quadragenarum; ab Honorio III 40 annorum et 40 quadragenarum, et totidem a Ioanne XXII; item a Sixto IV 30 annorum et 30 quadragenarum. (*Rescript. authent.*, p. 391.)

6°. *In Festo Annuntiationis B. M. V.*, qui visitabit illo die unam ex dictis Ecclesiis, lucrabitur ex concessione Martini V 50 annos et 12 quadragenas; ex concessione Clementis IV 10 annos et 40 dies; ex concessione Gregorii IX 20 annos et 40 dies; ex concessione Nicolai IV 100 annos et 180 dies; ex concessione Leonis IV 7 annos et 70 quadragenas; ex concessione Ioannis XXII 40 annos et 40 quadragenas; et ex concessione Urbani V 7 annos e 7 quadragenas. (V. *Rescript. authent.*, p. 391.)

7°. *In die Paschatis*, praeter illas concessas in Quadragesima et in qualibet Dominica, conceditur a Martino V indulgentia 50 annorum et 18 quadragenarum; a Leone IV 7 anni et 7 quadragenae; a Clemente IV 100 anni et 100 quadragenae; et a Nicolao IV 7 anni et 7 quadragenae. (V. *Rescript. authent.*, p. 388.)

8°. *In die Ascensionis Domini*, quicumque visitabit aliquam ex supradictis Ecclesiis, lucrabitur ex concessione Ioannis XXII 2 annos et 2 quadragenas; et ex concessione Clementis IV 100 annos et 100 quadragenas. (V. *Rescript. authent.*, p. 389.)

9°. *In Festo Pentecostes*, qui visitabit ut supra, ex concessione Martini V lucrabitur 40 annos et 12 quadragenas; ex concessione Leonis IV 7 annos et 7 quadragenas; ex concessione Urbani IV, Clementis III et Gregorii IX unum annum et unam quadragenam; et ex concessione Clementis IV 100 annos et 100 quadragenas. (V. *Rescript. authent.*, p. 389.)

10°. *In Festo SS. Trinitatis*, qui visitabit ut supra, ipsi conceduntur omnes indulgentiae, quae habentur in omnibus Dominicis et Festis per annum, quae sunt 219 annorum et 219 quadragenarum. (V. *Rescript. authent.*, p. 389.)

11°. *In Festo Corporis Christi*, visitando illo die unam ex supradictis Ecclesiis lucratur indulgentiam 8 annorum et 8 quadragenarum, ex variis concessionibus Ss. Pontificum; unius anni et unius quadragenae ex concessione Urbani IV; 100 annorum et 100 quadragenarum ex concessione Clementis V; unius anni et unius quadragenae ex concessione Alexandri IV; et 100 annorum et 100 quadragenarum ex concessione Gregorii IX et Nicolai V. (*Rescript authent.*, p. 390.)

12°. *In Festis Titularibus supradictarum Ecclesiarum*, visitanti conceditur indulgentia 7 annorum et 7 quadragenarum ex concessione Leonis IV; Urbanus IV duplicavit istam indulgentiam; Clemens IV concessit 100 dies, et Honorius IV 40 annos et 40 quadragenas; Benedictus X duplicavit hanc indulgentiam; Nicolaus V dictis indulgentiis addidit 7 annos et 7 quadragenas, et Sixtus IV 7 annos et 30 quadragenas. (V. *Rescript. authent.*, p. 391.)

13°. *In omnibus Festis Sanctorum praedictorum Ordinum:* in quocumque Festo cuiusque Sancti aut Sanctae dictorum Ordinum, visitanti aliquam ex eorum Ecclesiis conceduntur 40 anni ab Innocentio IV; 46 anni a Clemente IV; 40 anni a Nicolao III; alii 40 anni a Nicolao IV; 40 anni ab Urbano V; et 50 anni et 50 quadragenae a Sixto IV. (V. *Rescript. authent.*, p. 391.)

14°. *In solemitate Corporis Christi et per totam Octavam:* Clerus et populus, qui Officio divino et Missae interit, lucratur sequentes Indulgentias: *in Festo* pro Missa 400 dies, et 400 pro Matutino, et alios 400 pro Vesperis, et pro singulis Horis 160 dies; — *diebus infra Octavam*, tam pro Matutino quam pro Missa et Vesperis 200 dies, pro aliis Horis 80 dies. — Ad hunc finem anticipatur Matutinum. (Eugenius IV, *Excellentissimum*, 26 Maii 1433 — V. *Bull. Cap.* tom. X, p. 99.)

Sixtus IV concessit easdem indulgentias ut supra recitanti aut assistenti *in Festo et per Octavam Immaculatae Conceptionis.* — Idem concessit Clemens VIII in *Festo SS. Nominis Iesu.* — Et Bonifacius IX in *Festo Visitationis B. M. V.* — Et Callixtus III in *Festo Transfigurationis D. N. I. C.* (V. *Rescript. authent.*, p. 394.) — Item Leo XIII concessit in *Festo SS. Cordis Iesu* easdem indulgentias, quas Ss. Pontifices elargiti sunt per Octiduum Corporis Christi. *Brevis* d. 28 Iunii 1889.)

V.

Indulgentiae plenariae concessae Moderatoribus, Alumnis ac Benefactoribus Scholarum Seraphicarum Ordinis nostri Capuccinorum.

1°. Die primo, quo memoratarum Scholarum Catalogo adscribentur, si poenitentes et confessi SS. Sacramentum sumpserint.

2°. In eorum mortis articulo, si poenitentes et Sacramentis refecti, vel quatenus id facere nequiverint saltem contriti nomen *Iesu* ore si potuerint, sin minus corde invocaverint.

3°. In Festis Immaculatae Conceptionis B. M. V., Patrocinii S. Ioseph, S. Francisci Assisiensis, et Ss. Apostolorum Petri et Pauli, si poenitentes et Sacramentis refecti quamlibet Ecclesiam vel Oratorium publicum devote visitaverint, ibique ad mentem S. Pontificis oraverint. — Hae ultimae indulgentiae animabus purgatorii pariter sunt applicabiles. (Leo XIII, *Cum sicut*, 22 Iunii 1886.)

VI.

Indulgentiae Religiosorum Mendicantium Benefactoribus aliisque concessae.

1°. Illi, qui per testamentum relinquunt aliquid Ecclesiis supradictorum Ordinum, lucrantur indulgentiam partialem, ex concessione Hadriani III, Sergii IV, Ioannis X et XI, aliorumque Summorum Pontificum. — Similem indulgentiam lucrantur illi, qui donant calices, tobaleas, aliave utensilia ad usum dictarum Ecclesiarum. (V. *Rescript. authent.*, p. 398.)

2° *Advocati* Ecclesiarum, Conventuum et monasteriorum dictorum Ordinum, ex concessione Martini IV lucrantur indulgentiam 100 annorum. (V. *Rescript. authent.*, p. 399.)

3° *Procuratores*, qui adiuvant et defendunt monasteria et loca praefata, ex concessione Martini IV lucrantur indulgentiam 100 annorum: insuper Innocentius VIII concedit, ut dicti Procuratores, et eorum substituti, filii, patres, matres, uxores, sorores et fratres, diebus Stationum Urbis Romae dicendo in Ecclesia praefatorum Ordinum 5 *Pater noster* et 5 *Ave Maria*, Deum orando pro felici statu S. Ecclesiae, lucrentur easdem indulgentias, ac si visitarent ecclesias Urbis Romae, in quibus habentur dictae Stationes. (V. *Rescript. authent.*, pag. 399.)

4° *Medici* Conventuum dictorum Ordinum, cum eorum filiis, filiabus, uxoribus, fratribus, patribus et matribus, lucrantur singuli eorum ex concessione Alexandri VI indulgentiam 100 annorum et insuper omnes indulgentias et Stationes, quas lucrantur Religiosi Minores et Moniales, dicendo tamen 5 *Pater noster* et 5 *Ave Maria* pro felici statu S. Ecclesiae, et lucrantur dictas indulgentias vi particularis privilegii Innocentii VIII concessi Procuratoribus, et applicati dictis Medicis per supradictum Alexandrum VI. (V. *Rescript. authent.*, pag. 399.)

Tandem illi et illae, qui facient orationem mentalem quotidie per mediam horam, aut saltem quartam horae partem, confessi ac S. Communione refecti, orantes iuxta intentionem S. Pontificis, lucrantur indulgentiam *plenariam* semel in mense, etiam applicabilem animabus purgatorii, et lucrantur etiam indulgentias Viae Crucis. (V. *Rescript. authent.*, p. 399.)

5° *Patres* et *matres* Fratrum Minorum et Monialium eiusdem Ordinis lucrantur idem Iubilaeum in articulo mortis, et post mortem eadem suffragia ac Fratres Minores; et vi Bullae Callixti III possunt in articulo mortis sibi eligere Confessarium approbatum, qui impertiatur ipsis absolutionem generalem a culpa et poena in forma amplissimi Iubilaei. (V. *Rescript. authent.*, n. 54 et 57, pag. 398 et 399.)

6° Illi, qui Sacerdotibus (*Mendicantibus*) reverentiam exhibebit, a Ioanne XXII conceditur indulgentia 50 dierum; 40 dierum illi, qui recitat *Salve Regina*, aut Missam audit; et similiter 40 dierum Praedicatoribus *(Mendicantibus)*, quotiescumque praedicabunt, sicut et illis, qui auscultant. (V. *Rescript. authent.*, pag. 398.)

Notandum quod, quando Romani Pontifices concedunt illis, qui visitabunt aliquam Ecclesiam aut aliquod Altare, etiam *indulgentiam plenariam*, si in concessione non sint expressae preces aut opera pia, quae ad eas indulgentias lucrandas fieri debent, orando ad consuetam Ecclesiae intentionem 5 *Pater* et *Ave* et unum *Pater* et *Ave* pro S. Pontifice, acquiruntur dictae Indulgentiae. (Eusebius, Amort, et alii. — V. *Rescript. authent.*, p. 399.)

ROMANAE INSTITUTIONES

I.

Casus Conscientiae propositus et solutus Romae, ad S. Apollinarem.

V.

De Impedimento consanguinitatis. (1)

Die 9 Februarii 1903 hora 16 (4 pom.).

Titius in barbara quadam infideli regione natus cum Caia sorore sua pariter infideli matrimonium init et consummat. Paulo post a missionario catholicam fidem edoctus baptismate abluitur. Qua re a sorore cognita, et ipsa sacrum lavacrum petit. Antequam missionarius eidem morem gerat, secum cogitat, utrum huiusmodi coniuges separandi sint, eisdemque ad alias ineundas nuptias sit facultas. Incertus quid consilii capiat, Caiam in domo pro cathecumenis designata collocat; et interim ad quemdam amicum theologiae lectorem de re scribit, rogans ut suam sententiam aperiat. Hic suis auditoribus casum proponit. Ex discipulis alii coniuges esse separandos, alii e converso in coniugio esse retinendos contendunt. Quidam vero inter eos ita rem componit: Romanus Pontifex tale coniugium dissolvat. Nam si ille rata fidelium matrimonia potest dissolvere, multo magis dissolvere poterit matrimonia in infidelitate consummata, quae minus firmum prae primis vinculum habent.

Controversia tanta animorum contentione peragitur, ut magistro opportunum videatur discipulis silentium imponere et casus solutionem ad sequentem diem differre.

Interim ipse secum quaerit:

1.° *Quo iure et ad quem usque gradum sive in linea recta, sive in linea transversali consanguinitas matrimonium dirimat?*

2.° *An Romanus Pontifex vinculum matrimonii in infidelitate contracti et consummati dissolvere possit?*

3.° *Quid Missionario respondendum?*

Resp. ad 1um. Calixtus Primus, a. D. 222. primus prohibuit matrimonia inter consanguineos. Hos vero consanguineos appellat, quos divinae atque Imperatorum et Romanorum atque Graecorum leges consanguineos appellant, et in haereditatem suscipiunt, nec repellere possunt. Talium enim conjunctiones nec legitimae sunt, nec manere possunt, sed sunt repellendae. Et si quae ausu temerario attentatae sint, auctoritate apostolica rescindendae veniunt. – Summa Concilior. per Fr. Barthol. Carranzam Miranden. Venet. 1659., pag. 9., C. *Coniunctiones* 2. q. 2. cau. 35.

Iam vero consanguinitas matrimonium dirimit, *in linea recta, et in quolibet gradu.* Id constat ex Resp. Nicolai I. ad Bulgaros C. 39., et ex Instit. l. 1. tit. 10. *de Nuptiis*, ubi dicitur: « Non omnes nobis uxores ducere licet: nam quarundam nuptiis abstinendum est. Inter eas enim personas, quae parentum liberorumque locum obtinent nuptiae contrahi non possunt... *usque ad infinitum* ».

In linea transversali consanguinitas matrimonium dirimit *usque ad quartum gradum*, ex praesenti Iure. Nam antiquiore Iure ulterius protendebatur matrimonii impedimentum, ut videre est in Gratiani Decreto, tota Causa 35; sed ab Innocentio III. restrictum fuit ad quartum gradum. Rationem assignat Summus Pontifex, C. *Non debet* 8. *de Consanguinitate et Affinitate;* « quia in ulterioribus gradibus iam non poterat absque gravi dispendio huiusmodi prohibitio generaliter observari ». Ac Gregorius IX. C. *Vir.* 9. eod. tit. declaravit distantem quarto gradu a stipite posse contrahere cum distante quinto vel remotiore gradu.

Verum pro Indis Novi Orbis neophytis Paulus III. hos limites adhuc magis coarctavit, usque ad secundum gradum. Ac Leo XIII. C. *Trans Oceanum* 13. Apr. 1897. statuit, ut « Indi et Nigritae (in America Latina) intra tertium et quartum tam consanguinitatis quam affinitatis gradum matrimonia contrahere possint ».

Porro, utrum *iure naturae*, an *iure positivo*, consanguinitas *in linea recta* dirimat in infinitum matrimonium, tres sunt probabiles sententiae. Prima tenet gradus omnes ipso iure naturae matrimonium prohibere et impedire. Secunda sententia tenet ius naturae certis quibusdam finibus contineri, et ius naturae extendit nonnisi ad aliquot gradus, varios secundum varios auctores, quos refert Schmalzgr. l. 4. tit. 14. n. 30. Tertia sententia tenet omnes gradus matrimonium dirimere iure ecclesiastico, excepto primo gradu, qui matrimonium dirimit iure naturae. Ratio harum senten-

(1) Casus praecedens in sequenti fasciculo proponetur. *N. D.*

tiarum et controversiae est, reverentia habenda a filiis propriis genitoribus propriisque ascendentibus, quae adversatur aequalitati, quoad debitum reddendum, inter virum et uxorem, et quae strictioris iuris et maior est quoad proprios parentes, minus stricti iuris et minor quoad alios ascendentes. «Manifestum est, ait S. Th. 2. 2. q. 154. a. 9. c. quod in actibus venereis maxime consistit quaedam turpitudo honorificentiae contraria, unde de his homines verecundantur ». Tertiam sententiam S. Alph. l. 6. n. 1029. *satis probabilem* esse affirmat, eamque eodem l. 6. n. 470. S. Doctor aliis praeferre videtur. Hanc eamdem sententiam sequitur S. Thomas 2. 2. q. 154. a. 9. ad 3., aliique tenent plures et docti theologi.

Utrum item *iure naturae*, an *iure* tantum *positivo* consanguinitas matrimonium dirimat *in linea transversali*, res minus controversa est. Omnes enim conveniunt matrimonium ultra primum gradum non dirimi, nisi solo iure ecclesiastico. Quaestio tantum est de primo gradu. Alii affirmant, alii negant, et neganti sententiae adhaerent etiam S. Thomas et S. Alph. ll. cc. Ratio est, quia reverentia, quae fratribus et sororibus debetur, ratione communionis sanguinis, cum inter ipsos aequalitas quaedam sit, non directe opponitur coniugali aequalitati. Insuper humanum genus ita coeptum est propagari, matrimonio fratrum et sororum. Signum ergo est quod id directe iuri naturae non opponatur. Et confirmatur auctoritate S. Augustini apud S. Th. et S. Alph. ll. cc.: « Commixtio, ait S. D., sororum et fratrum quanto fuit antiquior compellente necessitate, tanto postea facta est damnabilior, religione (id est Ecclesia) prohibente ».

Alii autem dicunt Ecclesiam in hoc primo gradu numquam dispensasse, alii dicunt aliquando dispensasse, Schmalzgr. l. 4. tit. 14. n. 45. 47, D'Annib. Summ. P. 3. n. 433. nota 16. ed. 4.ª Verum in Instr. S. O. 4. Dec. 1847, Collect. S. C. de P. F. n. 1242. primus consanguinitatis gradus inter impedimenta recensetur, *in quibus Apostolica Sedes dispensare non solet*. Ac reapse cum recentioribus temporibus dispensatio quaedam peteretur ab affinitatis impedimento, quamvis gravissima adesset dispensationis concedendae causa, dispensatio tamen fuit ab Apostolica Dataria denegata, quia fundata aderat suspicio, quod oratores frater essent et soror.

Bened. XIV. C. *Aestas anni* 11. Oct. 1757. § 13. inquit: « Non convenit inter Theologos, an matrimonium inter fratrem et sororem iure naturali, divino, vel humano prohibeatur. Certo S. Thomas, Gonzalez, Pontius, Parisius et Aversa solum iuris positivi prohibitionem agnoscunt; *neque tamen ullo probato testimonio evincitur a quopiam Pontifice admissas fuisse preces fratris et sororis matrimonii vinculo invicem ligari petentium*: quae enim a S. Sedis hostibus proferuntur exempla *falsa sunt* ». Cf. etiam Riganti in Reg. 49. Cancellariae num. 13–17.

Resp. ad 2um. Affirmative. Id probatur 1.° ex plurium et gravium theologorum auctoritate, qui conferri possunt in Disputatione Apostolicae Sedi exhibita a Patribus Soc. Iesu, qua Romano Pontifici vindicatur potestas solvendi matrimonium consummatum infidelium tum auctoritatibus, tum rationibus gravissimis. Ea habetur apud Zitelli de Dispensationibus Matrimonialibus, Appendice XI. Prob. 2.° ratione; nam, cum ex Innocentio III. C. *Inter corporalia* 2. *de Translatione Episcopi* spirituale vinculum fortius sit quam carnale, sequitur quod matrimonium ratum fidelium magis indissolubile sit quam matrimonium etiam consummatum infidelium. Et directe confirmatur ex eodem Innocentio III. C. *Quanto* 7. *de Divortiis*: « Nam etsi, inquit, matrimonium verum inter infideles existat, inter fideles autem verum et ratum existit, *quia sacramentum fidei, quod semel est admissum numquam amittitur: immo ratum efficit coniugii sacramentum, ut ipsum in coniugibus illo durante perduret* ». Ideo igitur matrimonium infidelium est dissolubile, quia non est *ratum;* adeoque dissolubilitas magis repugnat *rato*, quam non rato etiam cum copula. Enimvero copula naturali contractui non addit novum vinculum, sed usum et exercitium vinculi, initi in contractu, per matrimonii consummationem. At *ratum* inter fideles novum superaddit vinculum ex vi sacramenti. Atqui Summus Pontifex potest dispensare in matrimonio *rato*, ut ex ipso facto constat, et omnibus in comperto est. Ergo multo magis potest dispensare in matrimonio tantum vero, licet consummato, infidelium.

Haec autem dispensatio multipliciter potest explicari: 1.° ut vera dispensatio, seu iuris relaxatio. Nam in praeceptis legis naturae, quaedam sunt prima seu primaria, et in iis solus Deus dispensare potest. Quaedam vero sunt secundaria, et in iis ratio dispensationis non est solum in Deo, sed quandoque etiam in creaturis et inferioribus. Inseparabilitas matrimonii, ut est in officium naturae, non pertinet ad prima, sed ad secunda praecepta legis. Quare ratio dispensandi in ea esse potest in inferiore potestate, eamque vero constat maxime convenire Vicario Dei.

2.° Explicari potest large et improprie, non ut est iuris relaxatio, sed ut iuris interpretatio. Etenim ad Vicarium Principis pertinet interpretari Principis voluntatem; quam si credit in aliquo casu esse, ut lex non servetur, quia praeiudicat maiori bono, utiliter gerit sui Principis negotium, si non tam verba legis respicit, quam mentem maioremque honorem Principis. Porro maius matrimonio bonum, est bonum fidei, et maior Dei honor ex fide quam ex matrimonio est. Hinc Apostolus I. ad Cor. 7, 13. seqq., sumit regulam matrimonii ex fide, non fidei ex matrimonio. Nam, si fidei expedit habitare cum infideli uxore, matrimonium illud conservandum esse monet; sin fidei utilius est non cohabitare, concedit discessum a priore matrimonio et transitum ad aliud; et hoc, quia bonum fidei cum praeponderet matrimonio et contractui, illam huius solvendi conservandique normam et regulam esse oportet, non contra. Unde S. Ambrosius, hunc pertractans Apostoli locum, maior, inquit, causa Dei est, quam matrimonii.

3.° Explicari potest per subtractionem materiae divini iuris. Quando enim Summus Pontifex dispensat e. g. in voto, non concedit, ut non servetur divinum ius in reddendo voto, dum manet votum; sed determinat non esse materiam congruam voti. Et sic, subtracta materia, cessat votum, et consequenter locum amplius non habet ius divinum de reddendo voto. Similiter in huiusmodi infidelium matrimoniis, in quibus infideles mutuo sibi corpora tradunt, Summus Pontifex determinat in aliquo peculiari casu, ut est certe Casus expositus matrimonii sororis et fratris, talia corpora non esse congruam materiam coniugalis traditionis, qua subtracta materia, cessat consequenter ius divinum de ea traditione servanda.

Resp. ad 3um. Licet aliquando permissum sit coniugibus, « ut, quas tanquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores », C. *Consultationi 4. de Frig. et Malefic.*, id tamen, *in casu*, permittendum non videtur, primo propter incontinentiae periculum, deinde propter publicam servandam honestatem, tertio quia nunquam id hactenus permissum est. Cum autem ambo iam sint coniugio ligati, patet eos voluntatem habere in coniugio perseverandi. Quare, cum non possint in coniugio iam inito perdurare, dispensatio a Summo Pontifice peti posset, qua tale coniugium Summus Pontifex dissolvat, et facultatem concedat ambobus convolandi ad alias nuptias.

Neque vero res quaedam nova est. Nam Summus Ponti-

fex hac facultate iam usus est, et utitur in duplici casu. Primus est, quando coniux infidelis non possit suam voluntatem declarare alteri coniugi, qui convertitur ad fidem, permanendi in coniugio, et prior ille coniux et ipse iam sit conversus ad fidem. Gregorius XIII. Litt. 25. Ian. 1585. Alter est, quando coniux infidelis convertitur ad fidem, qui post primam uxorem repudiatam aliam habet, quae simul cum ipso ad fidem convertitur, et cum qua permanere exoptat; quamvis prima illa legitima uxor nullam suppeditet causam, cur dimittatur. S. Pius. V. C. *Romani Pontificis* 2. Aug. 1571. In utroque enim casu, ut patet non agitur *de Privilegio Paulino.* Nam primus casus prae se fert *matrimonium ratum*, alter casus prae se fert coniugem infidelem *non discedentem.* Agitur ergo in utroque casu de vera dispensatione matrimonii consummati infidelium, data a Summo Pontifice. Cf. Enchir. Moral. ed. 3.ª pag. 410.

IANUARIUS BUCCERONI S. I.
Epitomator ex officio.

II.

Casus Liturgicus propositus et solutus Romae, in Academia Liturgica.

V.

De quibusdam abusibus in expositione SS.mi Sacramenti.

Die 4 Februarii 1903, hora 3 ³/₄ a meridie.

In quadam dioecesi sequens aliquibus abhinc annis consuetudo viget, quae ex Episcopali dispositione initium habuit. Cum Expositio solemnis SS.mi Sacramenti locum habet, nulla in altaribus Missa dicitur, praeterquam in altari Expositionis. Item dicta Expositio incipit primis horis matutinis usque ad horam nonam, qua recluditur in tabernaculo. Inde hora quinta vel sexta vespertina, iuxta temporum rationem, Expositio resumitur ad usque primam noctem. Pariter nulla fieri unquam potest in aliis altaribus functio aut benedictio cum sacris quibuscumque Reliquiis, utpote vetita. Quae omnia cum cuidam extero Sacerdoti, illam ingredienti Ecclesiam, admirationem pariant, eorum causam exquirens, accipit praefata auctoritatem ecclesiasticam statuisse: 1. Quia Sacramentum ullo sine velo ideo solemniter exponitur ex intentione Ecclesiae, ut a frequentiori populo adoretur. 2. Quia horis proximis, seu praecedentibus seu subsequentibus meridiei, adoratores desunt et Ecclesia prorsus est deserta. 3. Quia, quando missae aliaeve functiones peraguntur in aliis altaribus, ad haec se conferunt fideles ut illis assistant, et Sacramentum relinquunt. 4. Denique, quia non comprehenditur, quomodo Missae ad altare Expositionis fidelium mentes a Sacramenti adoratione avertant. *Quaeritur:*

1. An detur, et quodnam sit, discrimen inter Expositionem XL horarum, et alias Expositiones, quae pro aliis causis fieri solent?

2. Num vetitum, quod legitur in Instructione Clementina pro Expositione XL horarum, ne ad altare Expositionis Missae legantur, vim habeat, sive pro aliis Expositionibus, sive pro ipsa XL horarum Expositione, quae extra Urbem fit?

3. Momenta in casu ab ecclesiastica auctoritate locali allata cuiusnam roboris censenda sunt?

SOLUTIO

In conventu Academiae habito die 4 Februarii 1903, super casu proposito disseruit R. D. Samuel Miccoli, Pont. Sem. Vaticani alumnus; atque Epitomen egit R. P. D. Joannes Baptista Can. Menghini, Apost. Caerem. Magister.

Ad 1um. Academia Liturgica Romana recognoscit tres species Expositionum SS. Sacramenti. I. Expositio XL horarum; II. Expositio quae durat aliquot horis in die; III. Expositio quae fit ut populus cum SS. Sacramento benedicatur. Discrimen inter huiusmodi Expositiones multiplex est; nam quod ad Expositionem XL horarum attinet, lex habetur in Instructione a Clemente XII edita, pro alma Urbe; quae tamen pluribus in locis accepta ab Episcopis fuit.

Haec Expositio, sive quoad tempus quo protrahitur ad tres dies, sive quoad ritum quo perficitur, omnium est solemnissima, et in ipsa id tantum licitum est quod in praedicta Instructione praescribitur.

Expositio secundi generis, aliquot horis perdurat; ad summum a mane usque ad vesperam; et minori solemnitate, ut plurimum, peragitur. Pro hac Expositione lex explicita et particularis non habetur; sed Episcopi, qui iuxta Tridentinum *(Sess. 22 de observ. in celebr. Mis.)* cultum Eucharisticum curare debent, a pluribus S. R. C. decretis 588, 703, 988, 1388, 3104 et aliis potestatem habent Expositionem SS. Sacramenti huiusmodi moderandi. Benedictus XIV in Epistola sua ad Episc. Varmiensem aperte declarat: Ordinarium, *omnem operam studiumque impendere debere, ut populus cultu quo decet divinam Eucharistiam prosequatur.*

Et quamquam pro hac Expositione breviori et minus solemni, ritus aliquo modo adhibeatur in Instructione Clementina descriptus, nihilominus non est in omnibus sequendus, et nonnulla fieri possunt, probantibus Episcopis, quae in Expositione XL horarum fieri nequirent.

Expositio tandem tertii generis illa est quae fit, quando populus cum SS. Sacramento benedicitur; quod licet revera palam in ostensorio exponatur, nihilominus proprie *Expositio* non vocatur, sed *Benedictio*, gallice *Salut.* Alicubi paucis ab hinc annis usu venit, quod exponatur SS. Sacramentum, in throno minori, et persolutis ante illud precibus aliquibus vel ad B. Mariam vel ad Sanctos directas, in fine populus benedicitur.

Alicubi vero, iuxta antiquum morem, prius precibus praedictis ad Virginem vel ad Sanctos recitatis, SS. Sacramentum e tabernaculo extractum, in ostensorio exponitur, et cantato *Tantum ergo*, cum sua oratione populus benedicitur. Hic secundus modus ab Academia, utpote antiquitati conformior, et SS. Sacramento honorificentior, praefertur et commendatur; incongruum enim reputatur solvere preces ad Sanctos, coram SS. Sacramento exposito.

Ad 2um. Cum in citata Instructione aperte prohibeatur missae privatae celebratio ad Altare Expositionis, videretur prohibitionem huiusmodi ubique urgendam esse; nihilominus, extra Urbem saltem, aliter esse dicendum Academia censet.

Equidem S. R. C. decreto suo 3124 ubi viget consuetudo, non reprobavit missam privatam coram SS. exposito. Quando autem non agitur de Expositione XL horarum, tunc occurrente *gravi causa*, ut notat eadem Congregatio decr. 3448, Episcopus bene potest permittere ut missa ad altare Expositionis celebretur, maxime cum fideles, ad altare secundarium conversi, irreverentiam in SS. Sacramentum irrogarent.

Hoc autem eo magis sentiendum est, quia Cavalerius et Gardellinius, in commentariis ad Clementinam Instructionem, legitimam causam putant, pro celebranda missa privata coram SS. Sacramento, ut satisfiat devotioni et votis fidelium. Hu-

iusmodi ob causas Academia in suo conventu diei 22 Februarii 1893, iam aperte declaravit: *Magnam tolerantiam, hoc super negotio consulendam esse,* nempe de celebratione Missae ad altare Expositionis; *notatum nihilominus volumus id intelligendum esse quum praedictis Expositionibus caetera omnia de iure comitentur; uti Ordinarii placitum, decor ac religiosa quaedam pompa nec non aequa illa atque in omnibus necessaria discretio.*

Ad 3um. Academia ex S. R. C. decretis citatis recognoscit in Episcopo totam facultatem Expositiones SS. Sacramenti moderandi; ideoque, quando ipse nihil praescribat quod contradicat Rubricis et decretis, aut aliquid quod novitatis in sacris ritibus sapiat, iure suo utitur.

Si ergo in sua dioecesi, ad bonum animarum, et ad maiorem Dei gloriam dispositiones in casu proposito recensitas circa Expositiones SS. Sacramenti promulgare censuit, non est interloquendum.

Hinc 1a ratio nullimode damnanda est, teste enim Cardinali Trevisanato *(Concil. Venet., 1865)*: *Praecipua cultus solemnitas sita est in frequentiori adoratorum numero; ideo enim exponitur SS. Eucharistia ut adoretur.* Itaque si sancta mater Ecclesia primaevum rigorem suum moderata est, oculis fidelium, absque velo, inspiciendam SS. Eucharistiam permisit, quod ante saeculum XIV numquam factum fuerat, hoc procul dubio indulgendum censuit, ut ardor fidelium in adoratione succresceret.

Hac de causa Cardinalis Albergati, a Benedicto XIV *(Notif. XXX)* citatus in suo decreto visitationis anni 1613, ingemiscens declaravit: *Multo melius est ut non ita frequenter exponatur SS. Sacramentum, et tunc cum debita reverentia, quam ut frequentius et sine debito obsequio et reverentiae significatione id fiat, ut cum nostra animi commotione multis in locis exponi vidimus et invenimus.* Similiter omnes dioecesanae Synodus, a Concilio Tridentino usque ad nos celebratae, concordes omnino sunt in praecipienda fidelium frequentia in adoratione SS. Sacramenti expositi, uti conditio sine qua non pro expositione facienda.

Hinc 2a quoque ratio ad rem facit, et in ecclesiis ruralibus ab hora nona usque ad decimam septimam, impossibile prope est inveniri tot fideles, qui negotia et rem familiarem relinquant ut vacent adorationi, quot sunt necessarii ut expositio fieri possit.

Plures ergo Episcopi, ad tramitem praescriptionis S. Caroli, *(Acta Eccl. Mediol.,* p. 145), qui edixit: *quod si (noctu) orantes deerunt, SS. Sacramentum in tabernaculo reponatur;* simile praeceptum ediderunt, pro horis meridiei proximis, in quibus ut plurimum adorantes desunt. Videsis Synodus Genuensem 1603, Taurinensem 1873, Lauretanam 1874, Cremonensem 1880 et Placentinam 1899.

De 3a ratione, quia scilicet fideles cum in aliis altaribus functiones peraguntur, SS. Sacramentum derelinquunt, iam diximus superius. Scitu dignum est, quod edixit E.mus Riboldi, in Synodo Papiensi 1880: Cum agendae sint supplicationes in triduis vel novendialibus ad B. Mariam vel ad Sanctos, hae perfici debent ad altare illis dicatum ante eorum imaginem. Quibus precibus finitis, parochus ad altare SS. Sacramenti pergat, ibique cantato: *Tantum ergo,* benedictionem impertiatur. Certo certius in locis ubi ob nimiam consuetudinem, cultus erga divinam Eucharistiam aliquatenus frigescit, in praxi deducenda est aurea sententia S. Alphonsi de Ligorio *(Theol. mor., l. P. n. 424): Spectandum est an in illis locis, in quibus fit Expositio, devotio cultus Sacramenti magis augeatur vel minuatur, et iuxta hanc regulam Expositio est facienda vel omittenda.*

Quoad autem 4a rationem: quia non comprehenditur quomodo Missae ad altare Expositionis fidelium mentes a Sacramenti adoratione avertant, dicendum est quod Ecclesia numquam hoc inconveniens putavit aut timuit. Sacrum enim Sacrificium Missae, maxima et omnium religiosissima semper credita est actio cultus Christiani, ideoque ex sese nullam potest fidelibus occasionem dare distractionis in adoratione. Quod si Missae celebratio coram SS. Sacramento exposito in Instructione Clementina prohibetur, hoc est, quia saeculis praeteritis fideles ad ecclesiam pergebant ad hoc solummodo, ut adorationi vacarent; hodie vero, ut videtur in praxi, ad ecclesiam conveniunt, et pro audienda missa, et saepe saepius pro accipienda sacra communione, cuius usus, favente Deo, frequentior et diffusior hisce nostris temporibus evasit, quam antea numquam fuit. Ideoque cum Missae celebratio, divagationem mentium ferre nequeat, et cum hodie devotio fidelium id exigat, ut cum adoratione SS. Sacramenti missa quoque audiatur, haec prohiberi non convenit, ne fideles, ut missam audiant ad altare secundarium, altare Expositionis relinquant inane.

Doct. PETRUS PIACENZA.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ NE PEREANT

AVRIL 1903.

2 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: M. le Comte Goês; – et M. le Comte Adolphe du Chastel.

3 Vendredi.

Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Dominique Ferrata est nommé Protecteur de la Congrégation des Religieuses de la Sainte Famille de Villefranche du Rouergue; du Collège Polonais à Rome; et des Missionnaires du Sacré-Cœur d'Issoudun.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Cardinal François-de-Paule Cassetta est nommé membre de la S. C. de la Prop. pour les affaires des Rites Orientaux.

— Sermon de Carême au Vatican, *coram Ssmo.*

— S. Exc. M. Armand Nisard, Ambassadeur de France près le St-Siège, est reçu en audience par le St-Père, Auquel il présente son épouse.

4 Samedi.

S. Exc. Mgr Octave Cagiano de Azevedo, Majordome des S. Palais Apostoliques, offre au St-Père la palme traditionnelle au nom de la famille Brescia de S. Remo.

— Une Députation de l'Association de S. Augustin pour la presse catholique d'Allemagne offre au St-Père une adresse d'hommages et de félicitations à l'occasion du Jubilé Pontifical.

5 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audience le Rme P. M. André Früwirth, Maître général des Frères Prêcheurs, accompagné par les collaborateurs des Œuvres de S. Thomas d'Aquin.

— S. G. Mgr Denys Steyaert, Arch. de Damas, est reçu en audience.

6 Lundi.

Le St-Père reçoit en audience une nombreuse Députation de l'importante Association des Maîtresses d'écoles catholiques allemandes, ainsi qu'un groupe nombreux de Maîtres d'école catholiques de Berlin.

7 Mardi.

Sermon de la Passion au Vatican, *coram Ssmo.*

— Le St-Père reçoit en audience le Rme P. Mathias

Rauss, Recteur Majeur de la Congr. des Prêtres du Très-Saint Rédempteur.

8 Mercredi.

S. G. Mgr Azevedo y Castro, Ev. de Macao, est reçu en audience.

12 Dimanche.

Le St-Père reçoit dans la Salle du Trône 250 pèlerins hongrois.

13 Lundi.

500 pélerins du Wurtemberg sont reçus en audience dans la Salle du Trône.

14 Mardi.

Le St-Père reçoit en audience S. A. le Duc Paul de Mecklembourg-Schwérin, ainsi que ses enfants le Prince Paul et la Princesse Marie-Antoinette.

— Le St-Père reçoit plusieurs groupes de pélerins autrichiens.

16 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Etienne Reville, Ev. de Sandhurst, en Australie; – et Mgr Richard Preston, Ev. tit. de Phocée, Auxiliaire d'Exham et New-Castle.

17 Vendredi.

Le St-Père reçoit dans la Salle du Trône un grand nombre de familles de marque.

18 Samedi.

Le St-Père reçoit en audience M. Raphaël Merry del Val, ex-Ambassadeur d'Espagne près le St-Siège.

19 Dimanche.

Le St-Père reçoit dans la Salle Ducale un pèlerinage Français de Beauvais.

21 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Isaac Hagian, Arch. de Sébaste; – et M. le Baron von Berlepsch.

— Séance Ordinaire de la S. Cong. des Rites, tenue au Vatican, pour y examiner les questions suivantes:

1° Reprise de la cause de canonisation de la Bienheureuse Marie-Anne de Jésus de Paredes.

2° Introduction de la cause de béatification et de canonisation du serviteur de Dieu, Pierre-Joseph Formet, ermite, du diocèse de Saint-Dié en France.

3° *Idem* du serviteur de Dieu, frère Bénilde de la Congrégation des Frères des Écoles chrétiennes.

4° Révision des écrits du serviteur de Dieu, Joseph Cafasso, prêtre séculier du diocèse de Turin.

5° *Idem* des écrits de la servante de Dieu Pauline Frassinetti, fondatrice de l'Institut des Sœurs de Ste-Dorothée.

6° *Idem* des écrits de la servante de Dieu, Marie-Madeleine de Bengy, vicomtesse de Bonnault d'Houet, fondatrice de la Société des Fidèles Compagnes de Jésus.

7° Concession et approbation des Litanies en l'honneur de Saint Joseph, époux de la Très-Sainte Vierge Marie, pour l'Eglise universelle.

8° *Idem* de l'office et de la messe propre de la fête de tous les saints de la Compagnie de Jésus, à l'usage de ladite Compagnie.

9° Confirmation et approbation de l'élection de la Très Sainte Vierge sous l'invocation *delle grazie*, comme patronne principale de Carpenzano, localité du diocèse de Cosenza, dans l'ancien royaume de Naples.

10° *Idem* de l'élection de la Très Sainte Vierge, sous l'invocation *della Providenza* comme patronne principale de Turrillia et Lachio, localités du diocèse de Tortosa, et approbation et concession de l'office et de la messe en l'honneur de la Vierge, y invoquée sous ce titre.

11° *Idem* de l'élection de la Très-Sainte Vierge, Notre-Dame de Begogna, dite de la *Maternité*, vénérée à Bilbao comme patronne principale de la province de Biscaye.

12° *Idem* de l'élection de Saint-Martin de l'Ascension comme patron principal du territoire de Beasaïn, dans le diocèse de Vitoria en Espagne.

13° *Idem* de l'office et de la messe des deux fêtes de Sainte Wiwine, vierge, propre au clergé de l'église paroissiale de Notre-Dame du Sablon à Bruxelles, dans le diocèse de Malines.

22 Mercredi.

S. G. Mgr Constantin Marie Douais, Ev. de Beauvais, est reçu en audience.

23 Jeudi.

S. G. Mgr Edouard Likowski, Ev. Tit. d'Auréliopolis, Suffragant à Posen, est reçu en audience.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Joseph Di Bisogno est nommé Clerc de la Chambre Apost.

24 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Janvier Castagliola, Arch. de Chieti; – et Mgr Coloman Belopotoczki, Ev. Tit. de Tricala, Vicaire de l'armée Autrichienne.

— Le St-Père reçoit en audience une Députation officielle des Etudiants des Universités Catholiques de l'Allemagne.

— S. Em. le Card. Cassetta présente au St-Père 200 membres du Congrès Anti-esclavagiste.

— Un groupe de pèlerins Hongrois, et plusieurs autres pèlerins sont admis à baiser la main à Sa Sainteté.

26 Dimanche.

Le St-Père reçoit dans la Salle du Trône de nombreux pèlerins Polonais des Diocèses de Gnesen et Posen.

27 Lundi.

Le Comité de la Presse Catholique belge est reçu par le St-Père.

— Le St-Père reçoit dans la Salle du Trône de nombreux pèlerins belges, et plusieurs pèlerins Grecs-Ruthènes.

28 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Jacques Augustin Smith, Arch. de St-André et Edimbourg; – Mgr Jacques Maguire, Arch. de Glascow; – Mgr Enée Chisholm, Ev. d'Aberdeen; – et Mgr Enée Mac Farlane, Ev. de Dunkeld. Le St-Père reçoit ensuite un groupe de pèlerins Écossais.

— Un groupe de pèlerins du Tyrol est reçu en audience.

— Congr. Préparatoire des S. Rites, tenue au Vatican pour l'examen des deux miracles proposés pour la Canonisation du Bienheureux Jean-Gabriel Perboyre, prêtre de la Mission.

29 Mercredi.

Le St-Père reçoit à 4 h. 1|2, avec les honneurs réservés aux Souverains, Sa Majesté Edouard VII, Roi d'Angleterre et Empereur des Indes.

30 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Thomas Nörber, Arch. de Fribourg en Brisgau; – Mgr Adalbert Enders, Ev. de Fulda; – Mgr Dominique Martin Charles Willi, Ev. de Limbourg; – Mgr Paul Keppler, Ev. de Rottenbourg; – et Mgr Henri Brück, Ev. de Mayence.

— Le St-Père reçoit en audience dans la Salle du Trône, 400 Tertiaires Franciscains de Cologne.

F. C.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi C. S. P. Ap. Magister.
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Arch. Myren. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente*.

Roma, 1903. — Tip. Editr. Romana, via della Frezza, 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS UNDECIMUS

FASCICULUS QUINTUS - MAJUS 1903

SUMMARIUM

Analecta Nova.

Analecta Vetera.

Analecta Varia.

ANALECTA NOVA

EX ACTIS LEONIS XIII ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Sanctuarium Genestanum Deiparae Virginis a Bono Consilio, erigitur in Basilicam Minorem.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sacris aedibus Deo in honorem Deiparae Virginis dicatis, quae sanctuaria appellantur, quibus amantissimum Divinae Providentiae consilium Italiae regiones ditatas esse voluit, merito accensenda est quae Genestani in Latio intra fines Praenestinae Dioecesis ab ipsa Dei Genitrice Maria Boni Consilii Matre nuncupatur. Quartodecimo enim saeculo templum illud erectum et insequentibus temporibus ampliori forma novisque operibus instauratum Coenobitis, qui Sancto Augustino Patri legifero obsequuntur creditum fuit; adaucto in dies cultu et pietate erga Virginem Matrem, Cuius Imago speciosa eodem nomine Boni Consilii, mirum in modum, ut perhibent, illuc a Scodra adiecta, ibi religiosissime ac munifice colitur, non modo ab oppidanis et finitimis populis, verum etiam, piae peregrinationis causa, ex dissitis regionibus turmatim illuc confluentibus cuiusque ordinis et nationis Christifidelibus, Caelestis Matris opem imploraturis, vel ob accepta beneficia gratias acturis. Sacra porro haec aedes, molis pulchritudine praeclarisque artis operibus excellens, praedivite supellectile referta, a Decessoribus Nostris, nominatim a fel. rec. Pio IX et a Nobis ipsis singularibus beneficiis locupletata est. Nos profecto Matris Boni Consilii cultores novo officio festum apparitionis eiusdem Deiparae Imaginis ab Ordine Eremitarum S. Augustini plurimisque Ecclesiis recolendum voluimus, atque anno superiore sacerdotum advenarum commoditati affluentibus peregrinis sacra administrantium Coenobii, quod templo continens est, diaetas impensa Nostra ampliandas curavimus. Haec omnia secum reputans dilectus filius Thomas Rodriguez Coenobiticae Familiae S. Augustini Moderator Generalis, humiles ad Nos

preces admovit, ut Mariale templum Genestanum ad Basilicae Minoris dignitatem evehere velimus. Supplicibus hisce precibus suas quoque adiecit Venerabilis Frater Noster Vincentius S. R. E. Cardinalis Vannutelli ex dispensatione Apostolica Episcopus Praenestinus, qui pro suo erga Virginem Boni Consilii Matrem, a primaeva aetate devotionis studio, quippe qui Genestani suum ortum duxerit, pro memorata sacra Æde, quae una ex quatuor est illius oppidi Parochialibus Ecclesiis, Minoris Basilicae titulum honoremque a Nobis expetivit. Quare Nos, rogata etiam sententia Cardinalis sacrorum Rituum Congregationis Praefecti, Apostolica Auctoritate Nostra, vi praesentium, templum Genestanum, quod una ex quatuor aedibus est Parochialibus illius oppidi, sacrum B. Mariae Virginis titulo Matris Boni Consilii, nomine et dignitate Basilicae Minoris cohonestamus, et inter eas eadem auctoritate numeramus, cum omnibus privilegiis et honoribus, qui minoribus Almae Urbis Basilicis sunt attributi vel de iure et consuetudine competunt, nulla tamen facta immutatione hierarchici gradus et iuris trium aliarum Parochialium Ecclesiarum. Decernentes praesentes Litteras firmas validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die XVII Martii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri anno vigesimosexto.

L. † S.

ALOIS. Card. MACCHI.

II.

Ecclesia parochialis titulo S. Barth. Apost. et Michaelis Archang. de Civitate Valentina, in Conlegiatam erigitur.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes templa Dei vetustis spectata memoriis singularibus augere perhonorificis titulis satagimus. Horum probe novimus iure ac merito accensendum esse templum parochiale titulo SS. Bartholomaei Apostoli et Michaelis Archangeli quod Valentiae extat. Vetustissimum enim S. Sepulchri Domini Nostri Iesu Christi templum iamdiu a Constantino Magno Imperatore inchoatum et recepta a Maurorum servitute Valentia a Iacobo I Aragoniae Rege anno MCCXXXVIII Militari ordini S. Sepulchri commissum et pluribus in posterum ab hac Sancta Apostolica Sede privilegiis atque ipso Basilicae titulo auctum eodem in loco erat et nunc unum atque illa Curialis Ecclesia templum constituit. Hoc a principio Canonici Regularis Ordinis Militaris S. Sepulchri habuere, postea sub titulo Curialis Ecclesiae S. Bartholomaei labentibus annis in saecularis cleri iurisdictionem concessit.

Nunc autem cum dilectus filius Raymundus Leonart y Olmos eques professus Sacri Ordinis Militaris ac Pontificii Sancti Sepulchri Hierosolymae nomine universi Capituli Civitatis ac Provinciae Valentinae enixas Nobis preces humiliter adhibuerit gravissimo suffultas Valentini Antistitis suffragio, ut cum nuper ipsi sint Paroeciae ipsius Clero rite aggregati Ecclesiam illam tot tantisque nominibus clarissimam ad Conlegiatae gradum evehere de Nostra benignitate velimus, Nos animo repetentes veteres perinsignis illius templi memorias votis hisce piis annuendum lubenti quidem animo existimavimus. Quae cum ita sint, omnes ac singulos quibus hae litterae nostrae favent a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, ut simul et divini cultus splendor et Militaris Ordinis illius dignitas amplificetur, Ecclesiam parochialem titulo SS. Bartholomaei Apostoli et Michaelis Archangeli Civitatis Valentinae, hisce litteris Apostolica Nostra auctoritate ad Conlegiatae honorariae dignitatem evehimus. Hoc vero concedimus ea lege nimirum ut parochialia iura sarta tecta sint et libera permaneat in eadem Ecclesia parochialis ministerii exercitatio. Decernentes praesentes litteras firmas validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere illisque ad quos spectat et in futurum spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari ac definiri debere ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis necnon illius Ecclesiae etiam iuramento confirmatione Apostolica aut alia quavis ratione roboratis, statutis ceterisque omnibus etiam speciali ac individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die VI Maii MCMIII, Pontificatus Nostri anno vigesimosexto.

L. † S.

ALOISIUS Card. MACCHI.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 16 Maii 1903, in Palatio Apostolico Vaticano fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta Dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda.

A. — Per Summaria precum.

I. Comen. — Restitutionis Archidiaconatus. — R. *Pro gratia iuxta petita, arbitrio et conscientiae Episcopi* (Reservata).

II. TARVISINA. — Collationis beneficiorum. — R. *Quoad collationem alternativam beneficiorum inter Episcopum et Capitulum et extensionem vacationum ad tres menses, pro gratia iuxta petita; quo vero ad institutionem auctorizabilem, nihil esse innovandum.*

B. — In Folio.

I. PARISIEN. — Nullitatis Matrimonii. — R. *Sententiam esse infirmandam.*

II. MONTISPESULANI. — Dispensationis Matrimonii. — R. *Affirmative.*

III. NEAPOLITANA. — Dispensationis Matrimonii. — R. *Affirmative* (sub secreto).

IV. LINGIEN. — Dispensationis Matrimonii. — R. *Praevia sanatione actorum, affirmative ad cautelam.*

V. BERGOMEN. — Collationis Beneficiorum. — R. *Placere de concordia, et ad mentem.*

VI. CINGULANA. — Electionis. — R. *Mansionariam conferendam esse Sacerdoti Matalicani.*

VII. VARSAVIEN. SEU LUBLINEN. — Separationis tori et cohabitationis. — R. *Sententiam Curiae Varsavien. esse confirmandam.*

2146/2 **A. — Per Summaria precum.**

II.

Tarvisina. — Collationis beneficiorum.

Conceditur ex gratia quod collatio beneficiorum alternative fieri possit ab Episcopo et a Capitulo, et quod vacationes ad tres menses extendi possint; quo vero ad institutionem auctorizabilem, nihil esse innovandum.

Capitulum Cathedrale Ecclesiae Tarvisinae prouti eius constitutiones capitulares, (*ab H. S. C. approbatae mense Iunio 1860*) fatentur, *tit. I*, § *4*, « CANONICORUM ELECTIONES IMMEMORABILI CONSUETUDINE EXERCUIT ». Sed post eversionem rerum publicarum in Gallia, uti latius explicatur in *folio* causae *Bergomen.*, (1) omnimode status capituli immutatus est. Anno 1855 inita est lex concordiae inter Austriae Imperatorem et Pium IX; de qua in paragrapho citata Const. capitularium ita fit mentio in sequentibus verbis: « *Novissimis dumtaxat legibus atque laudata conventione Austriaca factum est ut electio a Supremo Imperante absolveretur, canonica tamen institutio electis semper a capitulo conceditur atque in posterum semper erit concedenda quemadmodum Sacra Concilii Congregatio sancivit in decreto diei 27 Novemb. 1856* ».

Praeterea Capitulum Tarvisinum ius habet *ex Const. cap. tit. VII* nedum praesentandi et instituendi canonicum Vicarium pro cura animarum in Ecclesia Cathedrali sed in plures Ecclesias parochiales iure pollet, *ex tit. III. Const.* « *tum eligendi atque instituendi rectores sine cura animarum tum eligendi parochos praevio examine idoneitatis atque iis non modo institutionem* TITULI COLLATIVAM, *ut aiunt, sed etiam* (*perpetua facultate ab Apostolica sede demandata*) AUCTORIZABILEM *sive delegationem ad curam animarum, conferendi* ». Porro H. S. C. decreto *diei 15 Iunii 1858* concessit capitulo « *institutionem auctorizabilem, vicario nomine Episcopi, facta in singulis casibus mentione huiusmodi concessionis* ».

(1) Vide infra p. 197.

Postquam *sub a. 1866* ditio imperialis austriaca hisce provinciis se abdicavit, leges latae a gubernio italico, quamvis iuri Ecclesiae infensae tamen beneficiorum collationes restituerunt ordinariis collatoribus. Sed antiquum ius, vigens ante rerum direptionem vel visum est non amplius vigere vel saltem dubitatum et quaesitum est an adhuc vigeret. Hodie capitulares quaerunt praeter solutionem alicuius dubii ab H. S. O. ut facultas concedatur *collationis alternativae* vi cuius, *alternis vicibus* beneficia capitularia conferant Episcopus et Capitulum. Hoc expetunt in libello supplici quem modo referam quemque *plenissime et in omnibus commendat* Episcopus.

In suis precibus capitulum expetit quoque ut vacationes, a servitio chori concessae a Constitutionibus cap. *ad duos* MENSES dumtaxat, amplientur AD TRES MENSES.

Libellus supplex est sequentis tenoris:

« Nei nuovi Statuti Capitolari di questa Chiesa Cattedrale di Treviso, approvati dalla S. Sede con decreto di codesta ven. s. Congregazione del Concilio, in data 9 e 10 giugno 1860, è da notarsi:

1° « Che nel Titolo I, § 2, è detto:

« La elezione del Decano, prima dignità, *etiam ex Conventione S. Sedis cum Supremo Austriae Imperatore*, appartenere al Sommo Pontefice.

2° « Che nel medesimo Tit. I. § 4, è affermato:

« Essere stata fatta, in passato, la elezione dei canonici *immemorabili consuetudine* dal Capitolo: *novissimis dumtaxat legibus atque laudata conventione austriaca, factum esse ut electio a Supremo Imperante* (Austriae) *absolveretur.*

3° « Che nel Tit. VII è posto:

« Essere il Capitolo quello che propone al Vescovo il nome di un sacerdote, o una terna di sacerdoti, per l'esame d'idoneità alla cura delle anime della parrocchia della Cattedrale, col titolo di Vicario inamovibile, e col diritto alla prebenda canonicale designata a tale officio, *salvo ex novissima praxi Supremi Imperantis* (Austriae) *iure, cuius erit post idoneitatis examen parochum eligere;*

4° « Che per le condizioni politico-religiose d'allora, nel Decreto della S. Congregazione del Concilio, in data 15 giugno 1858, sta scritto:

« *In proponendis ad canonicatus Ecclesiae cathedralis* (all'Imperatore d'Austria) *Episcopum non teneri votum Capituli ne consultive quidem exquirere.*

« Premesso tutto ciò, e ricordata la facoltà che il Tit. IX degli stessi Statuti Capitolari dà al Vescovo e al Capitolo, accordati e consenzienti, di proporre alla S. Sede quelle maturazioni e modificazioni che sono necessarie, convenienti, opportune, si presentano le seguenti note e proposte.

« Si fa osservare prima di tutto che la praxi avuta dopo che l'Imperatore d'Austria cessò dal dominio di questi paesi veneti, cioè fin dal 1866, fu questa: il vescovo Federico Maria Zinelli di f. m. proponeva sempre i nomi dei sacerdoti da eleggersi a canonici al S. Padre del quale naturalmente era anche la elezione; in questo modo, tendeva a evitare ogni questione che potesse insorgere.

« I vescovi successori o tennero in generale il metodo del vescovo sullodato, o, secondo le circostanze, si misero d'accordo col capitolo sui nomi da proporsi e da eleggersi, o ne domandarono il consenso.

« Ora per avere negli Statuti una norma, in proposito, più definita e più sicura, Vescovo e Capitolo di pieno accordo e unanime consenso fra loro, innalzano istanza al Beatissimo Padre Leone XIII, per mezzo di codesta ven. s. Congregazione del Concilio, affinchè si degni di togliere ogni dubbio e di stabilire che eccettuato il Decano che è di elezione sempre papale, gli altri canonici e il vicario inamo-

vibile o parroco sieno eletti quind'innanzi con *voce alterna*, uno cioè dal vescovo e l'altro dal Capitolo, e così via di seguito alternativamente.

« Innalzano inoltre istanze, perchè le vacanze limitate nel Tit. II cap. 2, *ad duos menses dumtaxat*, sieno portate a tre mesi secondo il diritto comune.

« Questa istanza si fa concordemente perchè a differenza del tempo passato, tanto pei bisogni crescenti della città e diocesi, quanto per la scarsezza sempre maggiore di sacerdoti, fu necessario dare incarico di tener lezioni nel Seminario a parecchi canonici: e questi, com'è facile a intendersi, hanno bisogno di studio e di riposo alquanto lungo. Si eccettuerebbe il vicario inamovibile o parroco, che per diritto comune nun può essere assente che per soli due mesi.

« Si domanderebbe da ultimo uno schiarimento.

« Nel Tit. III § 4, riguardo ai parrochi sui quali il Capitolo ha diritto di elezione, sta scritto:

« Absoluta electione, Decanus vicario nomine Episcopi institutionem *auctorizabilem*, ex Apostolico indulto, electo conferat, facta in singulis vicibus mentione huiusmodi concessionis.

« Ora può avvenire che si tratti della *elezione* di un parroco, della *collazione* del beneficio al medesimo, e della *istituzione autorizzabile* (distinta già della collazione) *vicario nomine Episcopi*, in mesi non papali pel Capitolo, e invece papali pel vescovo, che ottenne p. e. per sè l'alternativa, in tal caso, può il Capitolo, avuta dal vescovo la facoltà, (vicario nomine Episcopi) usar del suo diritto e conferirla? Oppure, deve aspettare che il vescovo ottenga per sè tale facoltà dall'Apostolica Sede? »

Modo ex meo munere haec advertam. Ad *primum* caput precum quod attinet, nempe quoad *gratiam alternativae*, res tota pendet a benignitate EE. PP. quum canonici non ad *ius* appellent sed ad *gratiam*, quamobrem EE. Patres, pro sua prudentia deliberabunt, an expetitam gratiam concedere expediat. Procul dubio, fundamentum huius petitionis et *gratiae* habetur in assertione, quae videtur satis probata, nempe ante eversionem rerum publicarum omnium beneficiorum cathedralium collationem ad capitulum spectasse.

Item *secundum* caput se refert ad gratiam ampliandi vacationes ad tres menses et res non minus posita est in arbitrio EE. PP.; nihilo secius praetermittenda modo non est praescriptio iuris Tridentini quod *in sess. 24, cap. 13, De ref.* statuit: « *Praeterea obtinentibus in iisdem cathedralibus aut collegiatis, dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse,* SALVIS NIHILOMINUS EARUM ECCLESIARUM CONSTITUTIONIBUS QUAE LONGIUS SERVITII TEMPUS EXQUIRANT ». Et H. S. C., iam a suo initio, noluisse concedere prorogationem ad *tres menses* iis canonicis qui ad longius servitium vel ad servitium totius anni, vi constitutionum, obligabantur, testatur Fagnanus – *Comment. cap. ad audientiam n. 8* – asserens « *canonicis maiori servitio Ecclesiae quam novem mensium, adstrictis, postulantibus ex gratia vacationem trium mensium, S. Congr. meo tempore semper abnuit* ». Nihilo secius postea hanc severitatem temperatam esse adnotat Benedictus XIV. *Quaest. can. 293.* Porro pro adiunctorum causarumque varietate maius vel minus vacationum spatium concedere H. S. C. non abnuit. Ita in *Illerden. 3 martii 1792;* in *Signina Serv. choral. 17 Feb. 1838;* et in *Valven. Serv. choral. 24 nov. 1838,* cum trium mensium vacatio expostulata fuisset, sacer Ordo gratiam elargitus est ad duos menses. – Aliquando etiam diurnum chorale servitium ad *tertiariam* quam vocant reduxit, ut videlicet quilibet abesse possit servitium chorale absolvens tertia quaque hebdomada, – ut in *Bisuntina 25 Sept. 1770;* in *Eugubina Serv. choral. 13 Ian. 1795.* Nonnunquam vero *mediariam* seu *alternativam* idem H. S. O. impertitus est, scilicet ut quis una hebdomada chorum adeat, alia vero non; veluti in *Lucerina Res. Serv. choral. 22 Decemb. 1838;* et *Cathacen. 5 Sept. 1699.* Anteactis temporibus causae quae H. S. O. movere solebant, erant potissimum aeris intemperies, tenuitas redituum, magnus numerus psallentium, distantia ab Ecclesia Cath. vel Coll. et asperitas viarum –; hodie vero novae causae a canonicis adductae, sane non videntur minus dignae quae benigno rescripto donentur.

Postremum caput precum quaestionem continet *iuris.* – Quaerunt enim canonici quomodo ipsi exercere valeant *privilegium Apostolicum dandi* VICARIO NOMINE EPISCOPI *institutionem auctorizabilem*, (quod privilegium diximus ab H. S. C. concessum) quotiescumque electio facienda sit in mensibus *papalibus* in quibus nempe Episcopus beneficia defert conferenda S. Sedi; dubitant enim an *tunc Vicario nomine Episcopi* dari queat *institutio auctorizabilis* antequam Episcopus sibi hanc facultatem obtineat a S. Sede. – Iamvero solutioni praemittendum est, beneficia *electiva* non videri reservata. Haec habet Reiffenstuel *tit. De praeb. n. 403 docens:* « In reservationibus factis sub ista formula: *Reservamus beneficia ad cuiusque collationem, provisionem, praesentationem, seu dispositionem spectantia* non comprehenduntur beneficia *electiva* ». Item docet Gonzalez *ad Reg. 8 Cancell. gloss. 19, n. 6, 7, et 8,* Gomez *ad Reg. Cancell. de ann. poss. quaest. 11,* n. 2 in fin.; at contradicit Riganti *ad Reg. 4 Cancell. n. 19* – Quocirca in dubio, quippe versamur *in odiosis*, non officere videtur reservatio mensium papalium.

Sed ulterius considerare praestat, reservationem afficere institutionem *collativam* beneficiorum, non institutionem *auctorizabilem.* Sane institutio auctorizabilis est (ait Reiffenst. *tit. De inst. n. 7*) *approbatio ad exercendam curam animarum, seu commissio curae animarum*, et hanc institutionem impertit Episcopus etiam quoad beneficia reservata S. Sedi, quum ipse per examen approbat clericum in beneficio parochiali a S. Sede instituendum, prouti adnotat Schmalzgrueber *tit. De inst. n. 46.* Re sane vera institutionem *tituli collativam* penitus distinctam esse *ab auctorizabili* Canonistae omnes et res ipsa monet. Porro iis quibus ius competit instituendi in beneficiis *ex immemorabili consuetudine*, conceditur institutio *tituli collativa* sed denegaretur institutio *auctorizabilis:* « Eo casu (docet Schmalz. *tit. De inst. n. 41*) concurrent institutiones diversae et *collativa tituli* quidem fiet a Praelato; *auctorizabilis* autem ab Episcopo ». Et H. S. C. in *Lunen.* et *Sarzanen. Erectionis Collegiatae, 7 maii 1718* (uti refert Bened. XIV *in quaest. 26*) ad dubium « *An et quomodo relaxanda sint decreta* etc., rescripsit: *Affirmative, cum omnibus conditionibus expressis in folio Capituli et dummodo* INSTITUTIO AUCTORIZABILIS *et approbatio personae praesentandae ad canonicatum pertineat ad episcopum et sola expeditio literarum collationis spectet ad Capitulum Cathedralis* ». Quocirca, reservata beneficii *collatione* sive S. Sedi, sive inferiori collatori, tamen ad curam animarum quod attinet *institutio auctorizabilis* competit Episcopo.

Quare etc.

Emi Patres rescribere dignati sunt: *quoad Collationem alternativam beneficiorum inter Episcopum et Capitulum et extensionem vacationum ad tres menses, pro gratia iuxta petita; quo vero ad institutionem auctorizabilem, nihil esse innovandum.*

B. — In Folio.

4267
V.
1

Bergomen. — Collationis beneficiorum.

Capitulum Bergomen. praetendebat sibi ius spectare nominandi Canonicos Eccl. Cath. etc. S. C. noluit rem iuridice dirimere, sed rescripsit: placere de concordia. Quum tamen quaestio sub aspectu tum historico tum iuridico sit magni momenti, folium, solito de more, integrum proponimus.

Quum sub anno 1798 e provinciis Galliae in Italiam irrueret dira tempestas, quae divina et humana turbavit et miscuit omnia, capitulum Bergomen. locupleti et felici statu fruebatur, quippe praeter tres dignitates, Archidiaconum, Praepositum et Archipresbyterum, unus et quadraginta canonici numerabantur queis, in sacris solemniis explendis et in cultu Ecclesiae, operam dabant cappellani numero plures et alii officiis manualibus addicti.

Per varias rerum vices ad hanc faustam conditionem pervenit idem capitulum; quod initium habuit in pervetusti templo S. Alexandro Martyri dicato et extructo ab saeculo *quarto* incipiente, uti fertur. Labente saeculo *nono*, Adalbertus de Carimalis Episcopus Bergomen. templum S. Agneti Martyri antea dicatum, ipse consecravit in honorem S. Vincentii Martyris, idemque *concathedrale* appellavit, huc e templo S. Alexandri translatis Archipresbytero, et quatuor et viginti canonicis. Quamobrem unum idemque capitulum in duas veluti congregationes divisum est, at non sine continuarum fomite discordiarum.

Interea a. 1561, ex iussu Venetae Reipublicae, solo aequatum fuit vetustissimum templum a S. Alexandro, situm in superiore Bergomi Urbis parte, vulgo *Borgo Canale*, ut locus fieret validioribus bellicis munimentis. Inde occasio habita est ut universi canonici iterum coadunarentur sub eodem tecto, minime vero in unum collatis iuribus, neque in unum confusis bonis patrimonialibus. Verum haec divisio erat pacis inimica; quocirca *a. 1688* auctore Innocentio XI S. Pontifice quacumque e medio sublata divisionis ratione, unum constitutum est capitulum Bergomen. ita vigens, uti diximus, usque ad 1798.

Tunc enim temporis omnia penitus bona capituli direpta sunt, idemque capitulum ad internecionem redactum esse visum est; at a. 1805 veluti ab interitu, partim revocatum est, siquidem Napoleo Imperator ex conventione inita *a. 1803* cum Pontifice Pio VII bona quaedam et reditus sub titulo - *fundi Religionis* - exhibuit Capitulo unde restitutus est Archipresbyter, una dignitas, atque Theologus et Poenitentiarius et alii *decem* canonicatus restituti sunt; in summa, *tredecim* canonici, adiectis *novem* capellanis choralibus.

Aliam mutationem se passum esse, refert Capitulum et hanc vehementissime dolet, nimirum tunc ab Imperatore Napoleone spoliatum fuisse iure perpetuo constantissimeque possesso conferendi omnes dignitates, canonicatus et praebendas inferiores; quum hoc ius sibi *privative* attribuere non dubitaverit idem Imperator. Hunc imitatus est deinceps Austriae Imperator qui, antea, decreto diei 15 Iulii 1815 ius sibi arrogavit eligendi canonicos et capellanos, postea vero *decreto diei 10 Aprilis 1816* sibi retinuit ius nominandi canonicos, iubens capellanias ab Episcopo conferri.

Res ita se habuerunt usque ad a. 1855 quo inita est concordia Imperatorem inter et Pium IX; et in art. XXII cautum est: « *In omnibus Metropolitanis seu Archiepiscopalibus suffraganeisque Ecclesiis, Sanctitas S. primam dignitatem conferet, nisi patronatus laicalis privati sit, quo casu, secunda substituetur. Ad caeteras dignitates et praebendas canonicales Maiestas Sua nominare perget, exceptis permanentibus iis, quae liberae collationis episcopalis sunt, vel iuri patronatus legitime acquisito subiacent* ».

Ast non diu viguit haec lex, quum sub a. 1859 Austriae Imperator dominatione harum provinciarum se abdicavit, quas occupavit gubernium italicum. Hoc etiam suas edidit leges rerum ecclesiasticarum eversivas, et canonicatus ad *duodecim*, capellanos autem ad *sex* reduxit; collationes vero beneficiorum non sibi attribuere visum est. Quapropter referunt capitulares, se iam ab a. 1866 in iudicium apud H. S. O. rapuisse Episcopum, ut sibi conferendi canonicatus et praebendas ius vindicarent, iampridem a suo exercitio prohibitum ob spoliationes civilis potestatis.

Eiusmodi intentio capituli visa est ab omni difficultate expedita in sua executione, quum sub a. 1871 edita est lex cui titulus - *delle guarentigie* - statuens, omnia beneficia quae proprie non essent subiecta *regio patronatui*, relinqui collationi ordinariorum collatorum. Nihilo secius Episcopus resistebat petitioni canonicorum contendens, capitulum suis iuribus cecidisse, eaque in Episcopum fuisse translata. Haec quaestio inter alias agitata est in plenariis comitiis H. S. C. *die 20 Iulii 1878*, et rescriptum prodiit quo exquirebantur *potiores probationes*; at revera lis siluit usque ad praesens tempus, quum interim Capitulares sincero animo et pacis amantissimi rationem sollicite exquisierint qua possent cum suo Episcopo rem pacifice componere. - At votum non successit; quandoquidem revera *subest quaestio iuris* in contrariam partem distrahens capitulum et Episcopum. Hic in dubio nollet suis et successorum iuribus praeiudicare; item capitulum suis iuribus praeiudicium inferre non audet. In propositum, partium procuratores has dubitandi formulas contestati sunt.

1. *An ad Capitulum Eccl. Cathedr. Bergomen. ius spectet nominandi canonicos eiusdem Eccl. Cathedr., exceptis Theologo ac Poenitentiario, aliisque canonicatibus de quibus aliter cautum est in tabulis fundationis in casu?* 2. *An ad idem Capitulum spectet instituere omnes Canonicos, non exceptis Theol. ac Poenit. in casu?* 3. *An ad idem Capitulum spectet tum nominatio tum canonica institutio Archipresbyteri Capitularis, cui est adnexa cura animarum, salva approbatione Ordinarii, praevio examine, in casu?* 4. *An ad idem Capitulum spectet ius nominandi Capellanos Chorales, Chori et Coeremoniarum Magistros qui in eadem Eccl. Cathedr. existant, in casu?*

Quaestio igitur versatur, circa illa Beneficia quae ann. 1805 constituta fuerunt ex Fundo Religionis, et quae adhuc existunt, nempe circa collationem Praepositurae in casu non optionis, Archipresbyteralis, Theologalis, Poenitentiariae, ac septem simplicium Canonicatuum, itemque circa collationem sex Capellaniarum Choralium.

Suam intentionem vero Capitulum, quoad nempe ius *privative* sibi competens in collatione vel institutione quorumdam beneficiorum, tuetur per adlectum patronum, cuius animadversionum summam modo subtexam. - Iste ponit regulam esse iuris communis certam et fundamentalem, nempe collationem beneficiorum cathedralium una simul spectare ad Episcopum et ad capitulum. Docet Barbosa (*de canonicis et dignitatibus, cap. XIV, n. 2*): « Communis doctorum sententia tenet, ad episcopum et capitulum simul spectare, et dici solere provisionem praebendarum in cathedralibus esse simultaneam episcopi et capituli, quia episcopus, uti caput, et canonici, uti membra, constituunt in ecclesia unum corpus, *cap. novit. de iis quae fiunt a praelat.* ».

Cardinalis De Luca hanc sententiam tuetur, affirmat: « Ista opinio non recipit amplius controversiam ». *(De beneficiis disc. 1, n. 25)*. Nec secus Rigantius *(in Reg. 2. Cancell.*

§ 3, *n. 324)* scribit. Item firmatur apud Scarfantonium *(tom. II, in appendice pag. 213, edit. lucana 1723).*

Cuius disciplinae rationem ita reddit S. Rota Romana in *dec. 585, n. 40, part. V, rec.:* « Sacri canones, praesupponentes beneficia existentia in aliqua ecclesia, et praesertim cathedrali, censeri fundata de communibus reditibus ipsius ecclesiae, tribuunt pariter in consequentiam capitulo, non minus quam episcopo, ius illa conferendi, eodem modo, quo communis fuisset administratio sive dominium eorumdem redituum ». Item docent canonistae.

Idem ius, quod in reliquis praebendis, obtinet etiam in conferendis capitularibus dignitatibus. Scribit enim Leurenius (Forum beneficiale pars II, sect. 3, c. 2, qu. 670): « Idem dicendum de dignitatibus; quantum est de iure communi, spectant ad collationem simultaneam episcopi et capituli (Garcia, p. 5, c. 4, n. 20, iuxta decisionem Rotae in *Tarraconensi* 9 Iunii 1600, et Abbatem Panorminatum in c. *Cum Ecclesia Vulterrana de electione)* ». Nec aliter Barbosa *(de canonicis et dignitatibus,* cap. XIV. n. 5).

Quod si ius commune hoc est, pergit advocatus, huic iuri ita dari potest contraria consuetudo, ut ad unum episcopum, vel ad unum capitulum ius collationis pertineat. Manifesto id conficitur ex celebri decretali Innocentii III ad episcopum florentinum (lib. I, tit. VI, cap. XXXI).

Cuius exceptionis *praescriptivae* vim admittunt omnes canonistae. Ferraris autem ad verbum *Capitulum* ait art. 1, n. 13: « Capitulo potest competere ius conferendi beneficia, etiam *privative* ad episcopum, ut colligitur clare ex cap. *Nulla* 2, de concessione praeb.; alias enim non fieret devolutio de capitulo ad episcopum, ut disponitur in cit. cap. *Nulla*, verb. *Quod si ad capitulum pertinuerit*, et notat Bernard. ibi in princ.; Abb. num. 5; Fagnan. num. 40 ».

Atque ita constanter Rota Romana iudicavit, ut in dec. 121, part. XIX rec.

Quam doctrinam applicans advocatus in themate, ait Capitulum cathedralis ecclesiae bergomensis in hac optima conditione versari, quod ius conferendi praebendas, non praescriptione contra episcopum adeptus sit, sed ipsum ab initio possederit, ita ut nequeat episcopus probare, decessores suos, quovis vel remotissimo tempore, huius iuris, vel solos, vel simul cum capitulo, fuisse compotes. Etenim, non modo Bergomi, sed fere in universa ea regione, inde a vetustissimo aevo, viguit usus, ut singularum ecclesiarum cleri conferrent vacantes praebendas: idque non in cathedralibus ecclesiis tantum, sed in aliis quoque. – Teste Ioseph Ronchetti in volumine quinto, edito anno 1817, pagg. 116, 117, operis, quod inscripsit: *Memorie istoriche della Città e Chiesa di Bergamo, dal principio del V secolo sino all'anno 1428.*

Equidem, instat patronus, huiusmodi usus perseveranter Bergomi quovis tempore servatus est, ut omnes ecclesiae cathedralis praebendas capitulum conferret, nullas episcopus, ut ex ipsis capituli actis manifestum fit, quae tamen decimoquinto saeculo anteriora proferre fas non esse, ait advocatus, eo quod nulla amplius supersunt. At saeculo decimoquinto statim deprehendimus capitulum canonicos eligens, velut exempli causa annis 1466, 1469, 1490, 1493.

Ex his documentis efficitur, advertit orator, post inductas in ecclesia cathedrali bergomensi reservationes apostolicas, collationes canonicatuum, quatuor mensibus non reservatis, actas semper fuisse a capitulo. Ipsum autem, etiam reservatis mensibus contulisse, si sedes apostolica tunc vacasset.

Quod si aliquando canonicatus conferens occurrit episcopus, considerat orator, id ipse agit, non potestate ordinaria, sed ex Pontificis indulto, mensibus huic reservatis. Ita ex actis Capituli demonstratur.

Cum vero, propter aliquam reservationem, collatione abstinendum esset capitulo, non tamen ipsum praetermittebat, ius suum ordinarii collatoris adfirmare.

Quia vero Episcopus contendit saltem controversum ius conferendi canonicatus et praebendas ex parte capituli, fuisse extinctum postquam antiquum capitulum interiisse constat, et deinde aliud capitulum suffectum fuisse; hoc tamen abscisse negat patronus, aiens *iniuriam* spoliationis non posse haberi ac factum *iuridicum* suppressionis.

Imo nec ipsos usurpatores animum habuisse perimendi penitus haec collegia, desumit advocatus, ex verbis *legis concordatae:* « Servabuntur Capitula Ecclesiarum Metropolitanarum et Cathedralium, itemque Collegiatarum saltem insignium, eaque convenienti bonorum dótatione fruentur » *(Conventio Pii VII cum Nap. Bonap. Reip. Ital. Praeside, anni 1803).*

Verum hoc capitulum, ita urgent adversarii, ius eligendi canonicos amisit, ex quo coepit eos eligere civilis potestas, praesertim postquam huic eligendi venia ab apostolica Sede, per conventionem anni 1855 cum imperatore austriaco initam, permissa fuit. At hoc advocatus negat, hac nimirum ratione, capitulum ita iure suo decidere potuisse, ut, ipsa rerum necessitate ea conventione iam aboleta, illud non sit in pristinum ius redintegratum. Conventione quidem anni 1803 de canonicorum nominatione nihil cautum fuerat. Nihilominus imperator gallicus hanc nominationem sibi attribuit. Eum austriacus imperator imitatus est.

Quod vero imperator austriacus iniuria occupaverat, id, post annum 1855, legitime coepit possidere vi conventionis cum Sede apostolica tunc initae. Namque in eius conventionis articulo 22 haec sancita sunt: « In omnibus Metropolitanis seu Archiepiscopalibus Suffraganeisque Ecclesiis Sanctitas Sua primam Dignitatem conferet, nisi patronatus laicalis privati sit, quo casu secunda substituetur. Ad caeteras Dignitates et Praebendas Canonicales Maiestas sua nominare perget, exceptis permanentibus iis, quae liberae collationis episcopalis sunt, vel iuri patronatus legitime subiacent ».

Nec tamen arbitratur orator, per hanc conventionem ius capituli ita sublatum eversumque fuisse, ut conventione soluta, ad pristinum dominum, integrum intactumque redire nequiret. Non enim eo consilio Pius IX conventionem inibat, ut capitulo ius suum adimeret: ipse nec capitulis, nec episcopis optabat afferre detrimentum: sed hoc unum habebat in animo, ut austriaco imperatori, de christiana republica optime merito, gratum faceret.

Postquam vero, pergit patronus, Austriae imperator longobardarum provinciarum ditionem amisit, in iis propterea conventio anni 1855 quavis vi destituta est. Itaque ex eo die capitulum bergomense in ius pristinum conferendi praebendas ecclesiae cathedralis, quodam iure postliminii, redintegratum est.

Tendunt enim res ad pristinam indolem, statum naturamque recuperandam, constanterque ad dominum clamant, ad eumque reverti totis viribus conantur.

Ita ius quoque capituli bergomensis quievit, donec conventio anni 1855 viguit: ea vero anno 1859, sublata, statim exsuscitatum est capituli ius, ac redditum pristinae et consuetae vitae.

Hanc autem fuisse Pontificis mentem exinde quoque, confirmat orator, quod id tantum ex capituli iure diminuerit, quod necesse erat conferre in imperatorem: reliquum autem ius nec imperatori, nec episcopo tribuit, sed apud capitulum reliquit. Scilicet, cum ius collationis duobus iuribus constet, iure scilicet *nominationis* et *institutionis;* ius nominationis ad imperatorem delatum, non potuit post conventionem a capitulo exerceri: ius vero instituendi nominatum ab im-

peratore, etiam post conventionem, penes capitulum permansit.

Sed *dato* etiam at non *concesso*, instat patronus, quod anno 1855, capituli ius omnino extinctum deletumque fuerit: anni 1855 conventione sublata, nihil iam reliquum esset, quam ius commune applicare. Quomodo igitur bergomensis episcopus sibi soli vindicat ius eligendi canonicos ecclesiae cathedralis? Si enim caeterarum praebendarum episcopus est collator ordinarius; praebendas tamen ecclesiae cathedralis, ex iure communi, non solus episcopus, sed episcopus una cum capitulo conferunt.

Episcopus vero, iuxta patronum, prudentius egisset, si episcopum Veronensem esset imitatus. Nam etiam capitulum Veronense iure potiebatur conferendi canonicatus ecclesiae cathedralis. Veronae quoque ius nominandi canonicos, conventione anni 1855, translatum est in imperatorem austriacum. Sublata vero conventione, ius illud eligendi canonicos ad capitulum, legitimum dominum, reversum est. Nec refragatus est episcopus veronensis: atque ita « collatore ordinario delle prebende canonicali di questo capitolo cattedrale è tuttora il capitolo stesso ».

Gradum faciens advocatus ad II dubium: « *An ad idem Capitulum spectet instituere omnes canonicos, non exceptis theologo et poenitentiario in casu?* », iterum recolit bergomense capitulum esse collatorem ordinarium praebendarum illius cathedralis ecclesiae; hinc sequi ad illud spectare quoque *electos* canonicos instituere. Sane capitulum bergomense perrexit electos canonicos instituere, etiam postquam ipsum impeditum est quominus eos eligeret, et electio coepit fieri a civili potestate. Id ex actis capituli perspicuum est: ab anno 1833 usque ad a. 1854.

Etiam post conventionem anni 1855, continuavit capitulum instituere canonicos ab imperatore nominatos.

Iure autem bergomense capitulum ita se gessisse, instat orator, S. V. O. iudicavit in causa *Veronen. iurium*. Cum enim, vigente conventione anni 1855, lis inter episcopum capitulumque veronense esset orta, dubio: « An et quae iura competant capitulo veronensi, in collationem canonicatuum, post editam conventionem inter Summum Pontificem et Caesaream Maiestatem » responsum fuit, die 30 Ianuarii 1858: « Servetur consuetudo vigens ante conventionem »; et die 9 Aprilis anni 1859, proposito dubio: « An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis », S. C. stetit in decisis, et dari iussit instructionem, in qua instructione, inter caetera, legimus: « Facta ab imperatore electione, institutio canonica detur a capitulo ».

Idem ius, contendit advocatus, applicari ad canonicos theologum et poenitentiarium. Scribit enim Scarfantonius *(tom. I, pag. 12, edit. lucan., an. 1723)*: « Sextus effectus (iuris electionis simultaneae) est, quod licet sacrum concilium tridentinum *(sess. 24, cap. 8, de ref.)* statuerit, electionem ad canonicatum poenitentiariae ad solum episcopum spectare, attamen, si... facta fuerit erectio canonicatus poenitentiarii de praebenda, quae ad collationem episcopi coniunctim cum capitulo pertinebat, praescindendo a dicta electione, actus collationis spectans ad capitulum praeservatus censetur; ita ut possit idem praebendam conferre personae ab episcopo praeelectae, ut declaravit etiam sacra Congregatio Concilii ».

Porro in libro, qui inscribitur — *Elenchus Partium Capituli, pag. 49 terg.* — legitur: « Anno 1582 Collatio praebendae facta Theologo electo, qui fuit Angelicus Mappellus », etc.

Quinimo ipsi episcopo curae erat electum theologum vel poenitentiarium ad capitulum remittere, quo illi canonicam institutionem reciperent. Exempla quaedam prostant in summario.

Ad III dubium: « *An ad idem Capitulum spectet tum nominatio, tum canonica institutio Archipresbyteri capitularis, cui est adnexa cura animarum, salva approbatione Ordinarii, praevio examine, in casu?* »

Praemissis nonnullis quae historiam spectant, infert orator amplioris huiusce paroeciae capitulum est parochus habitualis, archipresbyter parochus actualis: nimirum archipresbyter, in hac cura animarum exercenda, est capituli vicarius. In huiusmodi conditione rerum, ait advocatus, observanda est S. Pii V Constitutio edita die 15 novembris 1567, « *Ad exequendum* », § 4.

Quia vero prosequitur patronus huiusmodi electiones reapse per concursum factae fuerunt, id iuri capituli, cui parochialis ecclesia unita est, nocere nequit.

Nec capitulo ius tantum nominandi archipresbyterum competit, sed etiam illum instituendi asserit patronus. Nam capitulum bergomense ius semper exercuit, omnes canonicos tum eligendi, tum instituendi; idque ius etiam quoad archipresbyterum, cui cura animarum semper commissa fuit, perpetuo possedit. Quod si ad episcopum spectet electum archipresbyterum approbare, ille confert archipresbytero institutionem auctorizabilem, non eam collativam institutionem, quam capitulo vindicat orator. « Concurrunt siquidem in hoc casu – ut Lotterius scribit – duae diversae et ad diversa institutiones, videlicet collatoria tituli, cuius subiectum est beneficium ipsum, et quae manat non ab episcopo, sed a Superiori regulari; et altera, quae, ad differentiam huius, dicitur institutio auctorizabilis, cuius subiectum est simplex cura, nec procedit a superiore regulari, sed ab ipso episcopo tantum, in quo radicatur ipsa cura » *(De re beneficiaria, lib. I, q. 33, num. 99)*.

Primum igitur anno 1900 episcopus bergomensis in iura capituli aperte invasit, conqueritur advocatus, cum nulla obtenta S. C. venia, suaque ordinaria potestate, archipresbytero Cossali e vita discesso, suffecit Angelum Giorgi, eumque instituit. Haec capitularis iuris occupatio, causam huic iudicio praebuit, quo capitulum petit, ut decernatur ad illud spectare, non caeterorum canonicorum modo, sed etiam archipresbyteri capitularis, electionem et canonicam institutionem.

Ad Dub. IV, nempe: *An ad Capitulum spectet ius nominandi Capellanos chorales, chori et caeremoniarum Magistros, qui in Ecclesia Bergomensi extant in casu,* narrat orator, hanc electionem capellanorum ad capitulum perpetuo spectasse, pluraque alia affert.

Ex adverso advocatus qui Episcopo patrocinatur, ad primam quaestionem spectantem ius capituli conferendi canonicatus et praebendas cathedrales, recolit omnes DD. unanimiter tradere omnium beneficiorum collationem Episcopis competere, adeo ut, haec sit probata regula, quod « ex iuris communis dispositione primaevoque Ecclesiae usu attento, omnia beneficia ad Episcopi seu Ordinarii collationem spectent ». (Van-Espen, *Ius Can. Un., p. II, sect. III, tit. 4, cap. 1, n. 2)*. Ita docent quam plurimi canones: – ex *Concilio Antiocheno ann. 431* « quaecumque res ecclesiae sunt, convenit...... gubernari et dispensari cum iudicio et potestate Episcopi, cui totius plebis animae videntur esse commissae »: – ex *Concilio Toletano III ann. 59.* « Omnia secundum constitutionem antiquam ad Episcopi ordinationem et potestatem pertineant »: – ex *Concilio Lateranensi, I, ann. 1123* « secundum apostolorum canones omnium negotiorum ecclesiasticorum curam Episcopus habeat; nullus omnino archidiaconus aut Archipresbyter aut praepositus vel decanus animarum curam vel praebendas Ecclesiae sine iudicio vel consensu Episcopi alicui tribuat: immo sicut sacris canonibus constitutum est, animarum cura et rerum ecclesiasticarum dispensatio in Episcopi iudicio et potestate perma-

neat »: – et *Alexander III* Cantuariensi Archiepiscopo rescripsit, extirpandam radicitus fore pravam consuetudinem « quod Clerici ecclesiastica beneficia sine consensu Episcopi dioecesis vel officialium suorum, qui hoc de iure possunt, recipiant: minus quam deceat cogitantes, quomodo id a sanctorum patrum est institutionibus alienum » – et alii passim canones per successiva saecula idem confirmarunt (Gagliardi, *De Benef., cap. VIII, n. 1).*

Haec disciplina ita solet significare, ut Episcopus habeat *intentionem in iure fundatam* ad omnia beneficia conferenda; quocirca quamvis alii, praeter Episcopos, extraordinarii collatores successu temporis fuerint in iure recogniti, v. gr. patroni, in iisdem tamen Episcopis illud mansit semper ius originarium et in habitu, eo etiam in casu quo ad alium pertineret alicuius beneficii collatio; adeo ut, deficiente in inferiore sui iuris exercitio v. gr. ob negligentiam, ad eumdem Episcopum redeat collatio, ac detur locus devolutioni, uti perbelle disputat Card. De Luca, *in disc. 1, De Benef.*

Attamen opponitur, notat orator, quod in iure relata doctrina sustineri quidem possit quoad caetera dioecesis beneficia, non vero quoad Canonicatus Ecclesiae Cath.; uti videri potest apud Fagnan. in Cap. *Cum Ecclesia Vulterrana;* et ad summum communior sententia est quod collatio canonicatuum spectet simultanee Capitulo et Episcopo. Verum respondet advocatus, Capitulo Bergomen. id non iuvare, cum sibi vindicare intendat ius conferendi privatum, Episcopo omnino excluso.

Quam assertionem ut refutet advocatus, notat quod in antiqua disciplina solum penes Episcopum fuerit collatio quorumcumque beneficiorum, quum nempe collatio et titulus beneficiorum non distinguebantur a titulo sacrae ordinationis.

Tantum penes clericos erat ius, aut consensum aut consilium episcopo praestandi, quia collegium clericorum veluti senatus Ecclesiae iuxta priscorum patrum formulas habebatur. Tractu temporis, quum in iuribus antiqui Cleri merito successissent Capitula Cath., obtinuit Episcopus quamplura negotia agere, irrequisito prorsus Capitulo, inter quae etiam beneficia conferre; non autem illa in eadem Cathedrali erecta, nam maxime intererat Capitulo, ne Canonici et Fratres, eo inconsulto, illi aggregarentur.

Verum a consilio vel consensu praestando facilis fuit gressus ad Episcopum prorsus excludendum, attenta praesertim Capituli auctoritate, quae variis ex causis aucta erat, in diesque maior evadebat.

Ad eam autem sententiam *simultaneae collationis* quod spectat, quae pro iure communi apud Doctores invaluit, *loc. cit.* Berardi adnotat: « quam inania argumenta sint illa, quibus usi sunt nonnulli interpretes, qui putarunt, deduci posse ex nonnullis Rescriptis aut Canonibus incertis inter Decretales Gregorii IX, *simultaneam collationem* beneficiorum et episcopo et Capitulo competere iure communi. Huc afferunt ipsi cap. 31, de elect., cap. ult. de suppl. neglig. Prael., cap. 2, et 15 de concess. praebend., et cap. 11 de appellat. in 6°. Ego sane observo, haec monumenta edita fuisse illis temporibus, quibus iam post diuturnas concertationes superius memoratas, variae consuetudines inductae, transactiones etiam initae erant adversus iuris communis disciplinam; immo et eadem monumenta quae magna in parte rescripta sunt singularia ad consuetudines ipsas referuntur. Etsi enim ea rescripta in corpus iuris communis redacta sint, non tamen ius commune constituunt; propterea quod sunt certis quarumdam ecclesiarum consuetudinibus accommodata ».

Quibus perpensis sententiis, advocatus opinatur ius *simultaneae collationis* recte deduci ex illo principio sac. canonum, quo collatio beneficiorum ad eos pertinet, de quorum bonis beneficia fundata aut dotata fuerunt, i. e. ad episcopum si ex mensa episcopi, ad capitulum si ex mensa capituli, ad utrumque si ex redditibus episcopi et capituli communibus essent constituta. Cum autem notum sit, quod primitus ordinario communes erant redditus episcopi et capituli, vitam in communi agentium, inde communis etiam collatio merito stabilienda erat. « Ex hac autem primordiali communione redituum profluxit, quod collatio Canonicatuum et Praebendarum ecclesiae cath., ab episcopo et capitulo simultanee explenda esset... Secundum item praemittendum est quod quotiescumque ob superius insinuatam praesumptionem, quod praebendae cath. fuerint ex communi mensa capituli et episcopi conflatae, ideoque simultanea illarum collatio ad utrumque spectet, etc. » (Scarfant., *Lib. 1, tit. II, n. 16 et 28).* « Ius enim *simultaneae* non provenit a iurisdictione, sed a praesumpta dotatione facta ab Episcopo et Capitulo de bonis utrique communibus; et in hoc radicatur ius et ratio *simultaneae* » (Riganti, *in Reg. 2 Cancell., § 3, n. 53).*

Atqui, instat patronus, asserere possemus quod Episcopi usque a primordiis, maxima pro parte, Ecclesiam Cath. dotarunt.

Patet insuper, ait patronus, quod Capitulum circa dotationem novarum praebendarum nullam habuerit partem, sed eadem repeti debeat omnino ex bonis a Summo Pontifice per Napoleonem Imperatorem elargitis, adeo ut nullo iure, iuxta oratorem, Capitulum Bergomen. praetendere poterit simultaneam saltem collationem cum Episcopo.

Exinde advocatus examinans argumenta a Capitulo deducta in probationem assertae consuetudinis contra ius commune, in primis perpendit monumenta, quae adhuc existunt, constitutiones capitulares referentia, et considerat statuta capitularia an. 1309, et alia an. 1357; Synodos Dioecesanas ab an. 1564 ad an. 1724; item Sacras Visitationes ad Limina Apostolorum ab an. 1660 ad an. 1861: vel etiam easdem Episcoporum S. Visitationes in eccl. cath. peractas ab an. 1593 ad an. 1778; aut demum Acta solemnia circa Unionem capitulorum S. Alexandri et S. Vincentii an. 1688 (*Summ. pag. 1 et seqq.); et adnotat, in his omnia describi singula iura ac privilegia canonicorum, eorumdemque officia, atque omnia etiam minima referri; at ne verbum quidem inveniri circa potestatem eligendi novos canonicos. Sermo utique fit de singulis praebendis; eaedem diligenter numerantur, ac reditus indicantur; passim nominantur Patroni quibus huius vel illius Beneficiati praesentatio spectet, vel etiam determinatur Praebenda canonicalis cui adnexum sit ius nominandi vel eligendi sive capellanum sive etiam canonicum; nunquam vero sermo fit de iure quod capitulo competat, omnes eligendi cath. Ecclesiae canonicos vel capellanos. Immo in casu, quo revera Capitulum, utpote tale, iure potiebatur eligendi vel nominandi, in praedictis documentis sedulo declaratur, ac regulae traduntur, ut recte electionis actus expleri posset.

Verum notat patronus, de electione ac confirmatione novorum canonicorum a Capitulo perficienda, nihil dici, nulla dari normam. Datur quidem norma circa modum immittendi in possessionem novos canonicos vel capellanos, eosdemque recipiendi et mandatur quod in manibus Archidiaconi emittant iuramentum: sed haec est institutio corporalis, quae longe distat a canonica institutione, seu ab institutione collativa tituli, uti patet ex communi recepta distinctione. Quaestio e contra vertitur circa ius electionis quod implicat hanc institutionem collativam tituli, de qua in dictis documentis nulla prorsus invenitur mentio; institutionem autem corporalem seu immissionem in possessionem competere posse primae Dignitati Capituli etiam iure proprio, et in casu hoc

invaluisse apud Capitulum Bergomen., admittere advocatus non ambigit.

Porro, quod in animo semper habuit Capitulum Bergomen., beneficia propriae ecclesiae per se et independenter conferendi, hoc non negat orator, sed quod revera pacifice ac continuo, Episcopis non contradicentibus, eadem beneficia contulerit; hoc non evinci putat neque ex documentis, neque ex factorum successione.

Ad haec, circa Capituli collationes quae producuntur, animadvertit orator sedulo esse distinguendae collationes in vim asserti iuris Capitularis expletae, ab illis quae ob specialem titulum, sive iuspatronatus ecclesiastici sive aliter, a Canonico vel Dignitate expleri potuerunt. Nam Praebendae tali iure gaudentes, non deficiebant in Cath. Eccl. Bergomen. uti in specie eruitur ex Statutis Capitularibus an. 1357, sub n. 33. Dein notat, esse notorium quod systematice Capitulo Bergomen. etiam ad brachium saeculare recurrere solebat ut scopum suum obtineret. Ad rem refert, quod Card. Barbarigus occasione Visitationis ad S. Limina, Sacrae Congregationi Conc. an. 1660 denunciat.

Veniens advocatus ad epocham rerum publicarum perturbationis an. 1798, animadvertit quod per Concordatum an. 1803 ad novam vitam fuit revocatum, Capitulum, prout declaratur in Decreto Episcopi 26 Octobris 1805: « Col presente nostro Decreto abbiamo richiamato e richiamiamo a nuova formale esistenza nelle qualificazioni e condizioni che vengono in seguito, l'illustre antico Capitolo della Cattedrale di Bergamo ». Quapropter agitur, instat orator, de nova lege relate ad novos canonicatus qua, loco suppositi electionis iuris, quod in Capitulo Bergomen. viguisse fertur, ius ordinariae collationis suffectum est. Aliqua immutatio effecta fuit, pergit orator, in Concordato Austriaco an. 1855; sed non ita, ut Capitulo aliquid in re concessum fuerit, solum vero ut Episcopus *ternam* Imperatori praesentare deberet. Quo in Concordato, natura explicatur ac ratio novorum canonicatuum Capituli Bergomen., cum in eo diversimode disponatur iuxta diversam beneficiorum naturam. Sane, ad differentiam *art. 22*, ubi conceditur Austriaco Imperatori libera canonicatuum nominatio, absque ulla ex parte Episcopi praesentatione; in *art. 25* illi canonicatus excipiuntur « qui iuripatronatus ex Fundo Religionis seu studiorum derivanti subsunt », quorum Summus Pontifex Pius IX nominationem quidem concedit Imperatori, sed a praesentatione Episcopi limitatam; cuius praecise *art. 25* dispositio applicata fuit Canonicatibus Cathedralis Berg.

In hoc speciale ius *concordatarium* perpendit advocatus quod, cum ob Summi Pontificis concessionem, Regi datum fuerit privilegium solius nominationis, consequens est dicamus ad Episcopum spectare canonicam institutionem conferre nominato a Rege. Eo vel magis quod tritum sit in iure, canonicam institutionem esse actum proprium Superioris, eiusdemque potestati iurisdictionali adhaerere. Sed non ita sentit Capitulum Bergomen.; conqueritur orator, quod in nova etiam rerum ordinatione sibi vindicavit ius canonicam institutionem conferendi. Unde capta occasione de facta a Rege nominatione novi canonici an. 1824, restitit Episcopo, hoc ius sibi arrogans. Episcopus Capitulo non restitit ne peiora mala evenirent. Verumtamen Gubernium Austriacum deinceps, toties quoties Episcopo novum nominatum notificans, rescribere solebat.

Disserens advocatus *de Praebendae Archipresbyteralis collatione cui est adnexa cura animarum*, asserit iam dicta a fortiori applicari collationi huius praebendae pro communi DD. sententia: « Excipe dignitates Ecclesiarum Cath. quae de iure communi non sunt electivae, adeoque earum collatio ad solum Episcopum spectat ». (Pirhing, *Ius Can. Un. Lib. III, tit. V, n. 85*). Quia vero contenditur, animarum curam esse penes Capitulum, Archipresbyterum vero nonnisi Vicarium Curatum existere, respondet advocatus per antiqua statuta duo exhiberi, nempe Archipresbyterum vices Episcopi gerere, et Ecclesiam Cath. utpote universalem parochiam fuisse consideratam; adeo ut omnes fideles, qui ad eam convenissent, sacramenta per Archipresbyterum recipere potuissent. Sed numquam ex his documentis erui potest, ait orator, Ecclesiam Cath. fuisse parochiam peculiarem cum proprio distincto territorio, ita ut penes Capitulum resederit cura animarum, et eam Archipresbyter exercuerit, utpote eiusdem Capituli Vicarius Curatus. Hoc explicite declaratur a S. Carolo Borromaeo in eius S. Visitat. an. 1575.

Demum habetur, concludit, patronus praxis continua ab anno erectionis 1806, nempe per decretum Episcopi Dolfinii usque hodie, ita ut semper iuxta formam canonicam Archipresbyter ab Episcopo electus fuerit per concursum.

Postremo loco agit patronus de *collatione capellaniarum choralium*, advertens de iure communi nullam esse inter Doctores controversiam quod et praefatum nominandi ius ad Episcopum spectet. « Fallit sexto in beneficiis inferioribus Ecclesiae Cath.; haec enim potest Episcopus conferre solus sine consensu vel consilio Capituli » (Fagn. in Cap. *Cum Ecclesia Vulterrana*, n. 36). Sed opponit Capitulum, Capellanias chorales non esse in casu beneficia, sed officia tantummodo antiquis custodibus ac sacristis suffecta. Quod negat advocatus, examinans illorum et istorum naturam. Ad custodes et sacristas quae spectant, describuntur in Statutis Capitularibus an. 1357, in Synodo Dioecesana an. 1564, et in Episcopali Decreto 1600 (Summ., pag. 8, litt. L; pag. 10, litt. G; pag. 16 et seqq.).

Verum quia Capitulum, etiam antiquos Custodes vel Sacristas, tamquam veros beneficiatos retinendos esse contendit, ideoque ut illos ita hodiernos capellanos ab ipso eligi debere; respondet orator, quod forsan aliqua Custodum vel Sacristarum officia successu temporis in vera beneficia conversa fuerunt, et hac de causa Episcopi solliciti fuerunt in sibi vindicando isto iure collationis. Et revera S. Carolus Borromaeus ann. 1575 adnotat etiam Custodum collationes, ob quas maxime oriebantur controversiae, et ab an. 1551 ad an. 1626 inveniuntur quaedam ipsius Episcopi collationes.

Demum quum Capitulum contendat officia saltem Magistri Chori et Coeremoniarum neque modo esse beneficia; respondet patronus hanc intentionem laborare falso supposito, quia haec officia non constituunt aliquid a capellaniis distinctum, sed inhaerent inseparabiliter eisdem.

Quod ne in dubium quidem revocari posset, ait orator, quia res iampridem decisa est ab H. S. C. ipso capitulo instante in causa *Bergomen. Resignationis et Missae Conventualis*, die 8 Aug. 1863, in qua duo sunt decisa: *a)* Capellanias Chorales esse vera Beneficia, *b)* Officia Magistri Chori et Caeremoniarum determinatis Capellaniis inseparabiliter adhaerere. Quare mirum non est, pergit advocatus, si Episcopus semper dictas Capellanias libere contulit, et ita cum adnexis officiis Chori ac Caeremoniarum, ut novus Capellanus ad aliam Capellaniam transiens resignare pariter debuerit adnexum officium. In omnibus collationum actibus vocantur expresse: « Cappellanie corali di libera collazione vescovile »; et in sueta Bulla collationis ita exprimitur: « Te ad dictam Capellaniam beneficialem admisimus et admittimus, nominamus et instituimus ». Capitulum vero explicite ius Episcopi recognovit. Archipresbyter enim, occasione cuiusdam vacantis Capellaniae, modo unum modo alterum Sacerdotem coram Episcopo commendare consuevit.

Interea dignabuntur EE. PP. pro sueta iuris prudentia, infrascripta diluere

DUBIA

I. *An ad Capitulum Eccl. Cathedr. Bergomen. ius spectet nominandi canonicos eiusdem Eccl. Cathedr., exceptis Theologo ac Poenitentiario, aliisque canonicatibus de quibus aliter cautum est in tabulis fundationis in casu?*

II. *An ad idem Capitulum spectet instituere omnes Canonicos, non exceptis Theol. ac Poenit. in casu?*

III. *An ad idem Capitulum spectet tum nominatio tum canonica institutio Archipresbyteri Capitularis, cui est adnexa cura animarum, salva approbatione Ordinarii, praevio examine, in casu?*

IV. *An ad idem Capitulum spectet ius nominandi Capellanos Chorales, Chori et Caeremoniarum Magistros qui in eadem Eccl. Cathedr. existant, in casu?*

Emi Patres rescripserunt: *Placere de concordia et ad mentem.*

3255/2

VI.

Cingulana. — Electionis.

Oppugnabatur electio ad mansionariam in casu, tum ex defectu iuris patronatus, tum ex vitiis electionem comitantibus, tum ex labe simoniae. Hisce tamen non obstantibus, validitas electionis fuit recognita in favorem sacerdotis N.

In urbe Cingulo quum Carolus Valentini, in Ecclesia Cathedrali *mansionarius*, praebendam *canonicalem* in eadem Ecclesia obtinuerit *die 15 Maii 1902*, praebenda *mansionaria* vacavit in quam ius patronatus sibi vindicat Sodalitas *a S. Maria del Gonfalone*. - Inde Sodalitatis moderator conventum indixit omnium confratrum *die 15 Iunii eiusdem anni* habendum ut mansionarii fieret electio. - *Octo* et *quadraginta* confratres convenerunt quibus praeerat Vicarius Generalis fruens iure duorum suffragiorum quae, in summa, *quinquaginta* suffragia conflant.

Ex *quatuor* candidatis maiora suffragia retulerunt Sacerdos Franciscus Matalicani, qui favorabilia *34*, contraria tulit *16;* et Sacerdos Gulielmus Malazampa qui favorabilia *31* et contraria habuit *19*. Inde electus renunciatus fuit Sacerdos Matalicani. Acceptis litteris electionis Sacerdos Matalicani bullam institutionis expetivit a S. Dataria (cui hac vice ex manuum appositione affecta erat praebenda) sed adversarium expertus est Sacerdotem Malazampa, qui ad acta Datariae apposuit - *Nihil transeat* - contendens electionem, praeter alios defectus, esse infectam *vitio simoniae* quia Matalicani, ad sibi electorum animos conciliandos, onera sibi assumpserat mansionariae, ex sua fundatione, non inhaerentia. De hisce oneribus autem in ipso conventu, quo Matelicani electus fuit, actum est et haec dicta est lex, nempe ut si electus mansionarius promissis oneribus non satisfaceret, in *singulas vices* mulctam dimidiae libellae *(50 cent.)* solveret.

Praeterea alii defectus incusantur, videlicet defectus libertatis in confratribus electoribus, quos singulos alloquebatur sacrista in manibus gerens urnam in quam suffragia deponenda erant, ostendens, non sine invitatione, ubi vota collocarentur *favorabilia*, ubi *contraria*. Item narrat, ab ipso conventu electionis quemdam confratrem Chiatti Antonium fuisse expulsum. Ad haec, in dubium revocat ipsum ius patronatus quod sibi vindicat sodalitas. - Haec deducit Malazampa in Sacerdotem Matalicani; hic, ex adverso, suum adversarium reconveniens arguit, simoniae vitium, absque dubio, inficere electionem Sacerdotis Malazampa, cuius mater pecuniam spopondit se soluturam et solvit aliquibus confratribus qui suo filio favorabile suffragium dederunt.

Hae sunt hodiernae controversiae rationes quas per adlectum procuratorem quisque contendens evolvit super hac rogandi formula « *An mansionaria Ecc'es. Cath. sit conferenda Sac. Matalicani seu potius Sacerdoti Malazampa in casu?* ».

Advocatus qui Sacerdoti Malazampa patrocinatur antea disserens de extincto *iure patronatus* advertit Cingulanam S. M. de Gonfalone Sodalitatem, per Napoleonicas leges suppressam, penitus fuisse extinctam. Proinde cum anno 1810 simplex ecclesiasticum beneficium sub invocatione SS. Pauli et Iuliani vacasset, cuius erant confraternitatis Priores compatroni una cum Episcopis Recineten. et Maceraten. ac descendentibus familiae Moccioni-Matteucci, ad nominationem novi titularis deventum sit sine Priorum interventu; et sodalitas declaratur suppressa, eiusque iurispatronatus pars, iure accrescendi, consolidata recognoscitur in caeteris compatronis.

Post triginta annos a die quo e vita penitus cessit sodalitas cum universis iuribus et privilegiis quibus fruebatur, ab Episcopo petitur ut dignetur sodalitatem restituere, confratribus concedens « *gli stessi onori* (non iura) *che hanno goduto prima della di lei soppressione* ». Duobus ab his precibus elapsis annis (8 Aug. 1825 - 30 Sept. 1827) « *fu fatto conoscere* (confratribus qui denuo declaraverant nomen dare sodalitati) *essere piaciuto all'Illmo e Revmo Mons. Ascensi... dopo avere conosciuto tutto ciò che era di relazione alla... confraternita di dichiarare la sua ripristinazione, al quale effetto ne sarebbe dal medesimo emanato l'opportuno decreto rescritto di ripristinazione, e che intanto di sua piena voce nominò per rettore...* ». At huiusmodi decretum numquam latum fuit, asserit advocatus.

Extant enim preces quibus repristinatio invocata est: acta non desunt quae referunt gesta et ab Ordinario et ab Oratoribus in ordinem ad repristinationem; litterae Ordinarii asservatae sunt, quibus ipse novum confici confratrum album iubet « *per prendere in seguito le opportune deliberazioni* » igitur extare deberet decretum Episcopale repristinationis, si revera editum fuisset.

Verum etsi daretur, Episcopum denuo restituisse sodalitatem, tamen *iuspatronatus*, iuxta advocatum, iterum concedere non potuisset *ex privilegio* quia haec privilegia abrogata censentur a SS. Tridentina Synodo *c. 9, sess. 22 de Ref.* ita ut concors sit DD. sententia « *relate ad privilegium, non sufficere concessionem Episcopi* ». Santi, *Praelect. Iur. Can. L. III, t. XXXIII, de Iurep.*

Nec fundamentum huiusce concessionis, ait orator, esse poterat quod iuspatronatus, in casu, inerat sodalitati ante suppressionem. Etenim hodierna sodalitas, instat, est *nova* sodalitas, veteri penitus extincta adeo ut applicari non possit lex *postliminii*.

Demum advertit neque eam consuetudinem seu praesentationum *frequentiam* posse invocari vi cuius iuxta textum *citatum* Trid. per *praescriptionem* acquiri valet ius patronatus.

Dein gradum facit advocatus ad secundam *orationis* partem qua contendit, electionem Sac. Matalicani labe infici simoniaca. Sane in *cap. 13 De sim.* regula firmatur ut in rebus spiritualibus, vel spiritualibus adnexis dandis vel accipiendis, omnis pactio absit, omnis conventio cesset. Huiusmodi vi regulae, quae hodie, D'Annibale teste *(III, n. 111)*, solum quoad beneficia obtinet: *in beneficiis quidvis pacisci simonia est.* « *Et fit maxime tribus modis,* 1.° *quoties aliquod beneficium... confertur impure* » (D'Annib. *l. c. n. 112*)

aliquo scilicet adiecto pacto *(c. 8 de pac.)* vel conventione « *quae onus seu obligationem imponunt quae non inest iure, aut fundationum tabulis* (Fag. *l. c.;* Suar. *XXXIX, 9, 16*)... *vel alias iure canonico reprobata* ».

Iamvero urget orator, Sac. Matalicani, in supplici libello quem sodalitati obtulit ad nonnulla se obligavit, de quibus infra.

Nihil deesse, notat patronus, ad pactum vere simoniacum, urget orator, quia Matalicani declarat se velle ligari « *sotto il vincolo di stretta obbligazione* »: et sodalitas hanc obligationem acceptat, statuens quod « *mancando egli ad uno dei detti obblighi sia egli tassabile di una multa di centesimi 50 per ciascuna volta* ».

Quod pactum eo magis est reprobandum, nempe initum inter Matalicani et sodalitatem de Gonfalone, quia obligationem imponit quae non inest neque iure neque vi fundationis. Etenim lex est, *ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur (Decr. III. c. 12; Conc. Trid. c. 5, sess. 25 de ref.)*; ita ut nec Episcopus nec alius inferior collator possit nova onera imponere beneficio vacanti et futuro eius successori: *(c. 8, de consuet; c. 7, de cens.* Fagn. *ad c. XI de praeb. n. 3;* Santi, *L. III, tit. XII, n. 2, 2)* et pro diminutione beneficii vel ipsa determinatio diei et horae habeatur quibus missa celebrari debeat, ubi huiusmodi onus, in fundatione statutum non sit *(S. H. C. in una Pisaur. 2 April. 1647; Pisaur. 17 Maii 1633; Floren. 18 April. 1683, 1865 et alias).*

De caetero autem, Cinguli personae complures, narrat advocatus, electionem Matalicani simoniacam fuisse diiudicarunt; ita ut de simonia diffamatio publica evaserit.

Verum Matalicani eiusque fautores, ex adverso simoniae crimine Rev. Malazampa incusant, dicentes matrem Reverendi Malazampa confratri Aloisio Scalpelli decem promisisse libellas, si votum ille edidisset pro filio, eamdemque se sociam iunxisse mandatario Valentino Bagliani, invitationes deferendi ad coetum plenarium sodalitatis singulis confratribus ut suo filio patrocinarentur. – Advocatus ait hanc accusationem invicte respuisse ipse Malazampa qui voluit coram Vicario Generali sua sponte cum iuramento deponere, se nil nec per se, nec per matrem, confratribus unquam promisisse. Cui concinit mater, coram Vicario Gen. et Episcopali cancellario, et ipsa cum iuramento.

Huiusmodi attestationes esse vero conformes, asserit orator, ex variis considerationibus.

De caeteris vitiis nullitatis quae electionem Rev. Matalicani dicuntur comitata esse, notat orator, haec esse requisita electionis: « Ac prae primis, omnes qui ius suffragandi habent vocandi sunt, *cap. 18, 35 et 42 de election.;* ita ut si unus vel alter sit spretus, hic agere possit ad irritandam electionem peractam. (Glos. *in cap. 8 de elec. in VI;* Fagn. *in c. 42 eius tit.;* Reiffen. *in c. 42 de elec. n. 115).* Quaecumque itidem electio libera omnino debet esse, ita ut aliter facta, sit ipso iure nulla *(c. 14, de elec.; c. 3 eius t. in VI, §. caeterum, ibi):* cessat electio, dum libertas adimitur eligendi. Huiusmodi vero libertas deesse censetur etiam in casu subornationis, quae fit importunis precibus, comminationibus, vituperationibus, donis, promissis, aliisque mediis, artibus et modis illicitis sufficientibus ad commovendum, seu moraliter cogendum ad dandum suffragium uni determinato ».

Iamvero, advertit advocatus, non omnes qui ius suffragandi habebant, ad suffragium edendum, admissi sunt die 15 Iunii 1902, in casu: Carolus Francioni et Antonius Chiatti fuerunt expulsi.

Et revera, ait patronus, hi duo non tantum sodalitati adscripti sunt, sed inter antiquiores confratres adnumerantur. Dein addit quod suffragium complures dedere qui nullo, ex sodalitatis statutis, iure pollent suffragium edendi quippe quia non uni sodalitati adscripti sunt.

Libertatem electionis omnino exulasse, deducit patronus quia electio simoniaca fuit: ergo non libera.

Imo in ipso electionis actu et libertas defuit, ait orator.

Ex adverso advocatus Sacerdotis Matalicani ait, *iuspatronatus* in dubium vocari non posse. Patet enim ex Bulla Card. Episc. Auximani et Cingulani, qui anno 1736 a Sacra Congr. Conc. habita facultate, Ven. Confraternitati S. Mariae « del Gonfalone » ius tribuit nominandi ad tres Mansionarias, intuitu et ex causa annuae praestationis, favore earumdem Massae, solvendae. Hic autem titulus validus est sufficiens ad iuspatronatus acquirendum. Et revera duos agnovit Conc. Trid. praecipuos titulos in acquirendo patronatu, *fundationis* nempe et *dotationis.*

Alium insuper titulum ad invictissime probandum dictum iuspatronatus derivat patronis a *consuetudine.* Nam ab anno concessionis 1736 usque hodie, Ven. Confraternitas semper atque continuo, sine ulla interruptione, ad tres pacifice nominavit Mansionarias; ita ut titulum acquisiverit quem Doctores affirmant meliorem de mundo, praxim scilicet centenariam vel immemorabilem; dum in casu nostro quasi bis centenaria est praxis, qua dicta Confraternitas Mansionarios nominat in singulis vacationibus.

Disserens deinde patronus de vitiis quae opponuntur electioni, asserit, nihili valere obiectionem circa duorum confratrum exclusionem. Cum enim plures confratres demortui essent vel eorumdem ambigua nomina extarent, validitatem actuum Ven. Confraternitatis in posterum tutandi causa, novus confratrum catalogus in dicto conventu *diei 8 Iunii 1902* disceptatus fuit atque adprobatus, adeo ut ab illa die collegium Confraternitatis a confratribus tantum eo in catalogo relatis censeri deberet efformatum et non aliter. Iamvero nec Francioni Carolus nec Antonius Chiatti in hoc novo catalogo inscripti inveniuntur; nullum exinde habere poterant ius interessendi in subsequenti conventu pro nominatione Mansionarii ac votum ferendi; ipsi enim membra Ven. Confraternitatis amplius reputari non poterant.

Caeterum, etiam dato sed non concesso, quod praedicti duo confratres iniuria a conventu fuerint exclusi, instat orator, electionem tamen Sac. Matalicani semper validam fuisse certum est in iure. « Quamvis autem aliquis a suffragio dando immerito prohibitus fuerit, idcirco tamen actus capitularis vitio nullitatis non laborat: indubitati enim iuris est, cum aliquis capitularis exclusionem passus est, seu ut vulgo dicitur, contemptus fuit, actum capitularem per se non nullum sed validum esse » (De Herdt, *Praxis Capitularis, cap. XXXII, §. 20, n. II*). Nec officit doctrina Louvrex ab eodem De Herdt in *l. c.* relata, contra Fagnanum, quod nempe, « contempti computari debent in numero eorum qui faciunt Capitulum, non tantum in actu electionis, sed in omnibus actibus collegialiter explicandis »; nam in casu nostro, duobus illis confratribus etiam inclusis, electio Sac. Matalicani semper sustineretur, cum etiam hac in hypothesi votorum maioritas eius favore verificetur.

Secunda oppositio respicit factum Sacristae seu Mandatarii, qui cum urna circumivit in excipiendo singulorum confratrum voto. Sed hic peragendi votationem modus, refert orator, in Ven. Confraternitate « del Gonfalone » iam oritur ex vetustissima praxi et adhuc est in viridi observantia pro omnibus negotiis, nec umquam interrupta; ipsumque vero Municipium hanc utpote magis congruentem repristinavit praxim, ita ut etiam in rei publicae votationibus suffragia continuo recipiantur a familio ambiente cum urna. Quare ex huius moris ignorantia actualis Vicarius Gen. prima vice uti Praeses in similibus deliberationibus adsistens, urnam supra scannum manendam esse putavit, adeo ut confratres,

unus post alium, ad eam convenire deberent ad votum deponendum; ipse enim Vicarius Gen. cum probe novisset consuetudinem quae circa rem vigebat, libenter assensit ac iuxta solitum procedi posse decrevit.

Addit insuper quod ipse Vicarius Gen. Dioeceseos uti Praeses sedebat in conventu, ut omnia rite fierent. Verumtamen in facto, ipse nihil invenit observandum, et omnia regulariter processissé, coetu stante, declaravit, ita ut propria voce electum Sac. Matalicani proclamare non dubitaverit.

Notat demum conventum uti in libris relatus fuit, haberi uti plane *legitimum* quia nemo tempore utili protestatus est.

Quia, praeterea opponitur regula: *Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur,* reponit orator Sacerdotem Matalicani novum onus non suscepisse. Nam tria enumerantur in dicto libello: *a)* onus celebrandi 25 Missas; *b)* onus inserviendi Ecclesiae etiam infra hebdomadam quatenus utile vel necessarium iudicetur; *c)* onus recitandi Rosarium ac Litanias singulis in Sabatis.

Quod spectat ad Missarum celebrationem et ad onus inserviendi Ecclesiae V. Confr. hoc plane fuit susceptum cohaerenter ad Bullam erectionis.

Relate denique ad Rosarii recitationem, quamvis revera huiusmodi onus in Bulla erectionis nullo modo nominetur, fatetur orator, pluribus tamen abhinc annis haec devotio a Mansionariis libenter fuit exercita. Occasione enim translationis alicuius imaginis B. M. Virginis de Misericordia a publica via ad Ecclesiam Ven. Confraternitatis, Mansionarii illius temporis, fidelium desiderio adhaerentes, singulis in Sabatis Rosarium ac Litanias coram dicta B. Mariae Virgin. imagine recitare usi fuerunt. Et quamvis interdum haec praxis interrupta fuerit, denuo restituta fuit per eosdem Mansionarios, et hodie laudabilis viget mos.

Quibus declaratis, dictum libellum difficultatem non facere, putat advocatus. Siquidem Sac. Matalicani duplici modo sese obligat ad omnia onera Mansionariae adimplenda, primo in genere, deinde in specie. Dicit enim: « *dichiara alla Confraternita di adempiere scrupolosamente tutti gli obblighi inerenti alla Mansionaria* », et postea ad singula onera procedens: « *dichiara pure di obbligarsi, etc.* », illa tria enumerat, de quibus supra.

Praeterea, advocatus advertit, ad omnes penitus dissipandas dubietates, sedulo esse animadvertendum quod in dicto conventu diei 15 Iunii 1902 *duae* peractae fuerunt distinctae votationes. In *prima* actum est de electione Mansionarii, absque ulla onerum speciali mentione, ita ut Sac. Matalicani nominatus fuerit absolute ad Mansionariam; confratres enim eligentes minime sese appellarunt ad illa onera quae Sac. Matalicani in suo libello petitionis enumeraverat. E contra vero certum est, quod non supplices libelli sed documenta tantum concurrentium, ad normam Edicti concursus, in pretio habita fuerunt: « *Quindi l'adunanza, a secondo l'avviso di concorso, viene alla nomina del nuovo Mansionario in surrogazione del Sac. D. Carlo Valentini, nominato canonico della Cattedrale, dopo che si è dato lettura de' singoli documenti de' concorrenti. Si legge altresì l'atto del Consiglio Direttivo in data d'oggi, col quale esaminati i requisiti de' concorrenti, li dichiara ammessi...* ». Solum autem his absolutis, Ven. Confraternitas, ad petitionem confratris mulctam proponentis, *aliam* aggressa est votationem. De hac autem *altera* votatione haec notat orator: aut mulcta cent 50. respicit tantummodo illa onera in beneficii erectione imposita, et hoc sensu suo iure usa est Confraternitas aut eadem mulcta extendi vult etiam ad alia maiora supposita onera, et tunc vel nullius valoris dicta votatio declaranda est, vel tantum valet respective ad onera quae legitima sint.

Caeterum, hac *altera* votatione nonnisi proprio muneri Ven. Confraternitatem satisfecisse censet advocatus. Nam ipsa Bulla erectionis cavet: « Si quis autem ex dictis Mansionariis negligens fuerit in adimplendo praedicto officio Capellani utriusque Societatis, subeat qualibet vice poenam duorum obulorum applicandorum ad commodum eiusdem societatis respective ». Qua de re iam in alia Mansionarii nominatione an. 1858 statutum fuit: « *Che in mancanza si multassero di baiocchi 10 i suddetti Mansionarii per ognuna delle tralasciate e trascurate cose* ».

Postremo loco de accusatione *simoniae* disserens procurator advertit, accusationem forsan fundari in facto quod Matalicani susceperit *nova onera.* Sed haec *nova onera* negat orator, et praeterea notat quod in materia beneficiaria plane recognoscitur simonia a temporali utilitate (sive sit munus a *manu,* sive munus ab *obsequio,* sive munus a *lingua*) quam lucratur collator beneficii in eligendo. Ad rem docet Card. De Luca, *De Canonicis, disc. 29, n. 6:* « Tunc infectio simoniaca intraret quando utilitas redundaret ad commodum singulorum eligentium, secus autem ubi respicitur aliquod bonum Ecclesiae in universum ». Sed nulla utilitas habetur temporalis in confratribus eligentibus, arguit patronus, cum promissiones Sac. Matalicani omnino versentur in re spirituali. Quare confratres quasi unanimiter sub iuramenti sanctitate testantur, se libere ac sponte votum dedisse, et neminem sua usum fuisse auctoritate vel industria vel pactionibus ut eos adstringeret ad suffragium dandum uni potius quam alteri.

Modo dignentur EE. PP. infrascriptum diluere

DUBIUM:

An mansionaria Cathedralis sit conferenda sacerdoti Matalicani vel potius sac. Malazampa in casu?

Responsum fuit: *Mansionariam conferendam esse sacerdoti Matalicani.*

$\frac{1896}{2}$ VII.

Varsavien. seu Lublinen. — Separationis tori et cohabitationis.

Confirmatur sententia Curiae permittens oratrici perpetuum divortium quoad torum et cohabitationem, ob viri saevitias. Illae enim, attenta praesertim mulieris nobilitate, atrociores fuerunt; nec spes affulget sincerae emendationis ex parte viri, et hinc duraturae reconciliationis.

H. et I. Varsaviae, *die 26 Nov. 1892* coram parocho ad S. Iosephi, legitimum inierunt matrimonium.

Ex conversatione coniugali quae auspicata videbatur coniuges filium susceperunt, at pax coniugalis haud diu perduravit, imo adeo perturbata est ut uxor mense Decembri *a. 1895* Curiam Varsavien. adierit expetens *perpetuam separationem a toro et cohabitatione.* Discordiarum causas mulier omnimode uni viro attribuebat qui asperrime eam pertractabat et minacibus verbis eam insectabatur, quique dicitur animum potissime avertisse a sua uxore quippe ab eius patre non fundos dotales receperat sed annuum foenus. Hoc, revera, aliis 100 rubellis annuis adauctum est a patre H. quum filius natus est, sed vir non exinde acquievit.

Ceterum vir non conqueri poterat, H. patrem non stare promissis, siquidem refert H.: « *Pater meus non tradidit viro sortem, solummodo* PROMISIT ANNUARIUM FOENUS 400 RUBELLORUM ».

Curia Varsavien. antea experta est concordiam inter coniuges inire sed infelici exitu; exinde vero non *perpetuam separationem* sed ad *quinquennium* tantum concessit, sententia *diei 30 Maii 1896* ita concepta: « Attento, quod ex iuratis depositionibus testium ab actrice inductorum eruitur plenum argumentum durae tractationis actricis per reum conventum, qui ne verbis contumeliosis adversus eius parentes quidem pepercerit, id quod actrici, spectata eius conditione sociali, cohabitationem reddebat molestam;

« Attento, quod in ius vocatus per inquisitionem reprobatoriam minime debilitavit recriminationes sibi ab actrice factas; testes enim per eum inducti minime confirmarunt facta ab ipso determinata;

« Attento denique quod probata iudicialiter in ius vocati delicta, non sunt adeo gravia, ut possint effectuare decretum separationis indefinitae, bene vero sufficiunt ad pronuntiandam separationem temporalem;

« Ideo atque ad mentem *p. 2. art. 62 Cod. de Matrimonio ex anno 1836*, Iudicium Archiepiscopale Varsaviense separationem I. et H. coniugum, a mensa, toro et cohabitatione ex culpa in ius vocati mariti ad quinquennium decernit vigore huius definitivae in prima Instantia latae sententiae ».

Utraque pars appellationis recursum fecit apud Curiam Lublinen. quae *die 28 Oct. 1896* appellatam sententiam confirmavit.

Verum mulier persuasa, sibi non fas esse etiam elapso quinquennio, coniugalem vitam instaurare et animo in dies magis alienata a marito iterum recurrit ad Curiam Varsavien. expetens *perpetuam* decerni *separationem* et hanc obtinuit, per sententiam Curiae *die 15 Decembr. 1900* sequentis tenoris:

« Attentis, 1. quod iudicia tam Archiepiscopale Varsavien. quam Delegatum Apostolicum Lublinen. sententiis suis de die 30 Maii et 28 Octobris 1896 decreverint separationem coniugum H. et I. ex titulo durae tractationis uxoris per maritum ad quinquennium dumtaxat eo fine, ut temporalis separatio cogeret nocentem ad resipiscendum, ad temperandam violentiam indolis et ad convincendam uxorem de ipsius emendatione, sicque eadem marito omnium anteactarum iniuriarum veniam daret, eique pacifice, prout lex praecipit divina, in charitate cohabitaret;

« 2. Quod, quum iam ex priore processu de separandis coniugibus evidens fuerit Iudicio, matrem in ius vocati, causam praebuisse dissidiis coniugum, obligatio incumbebat marito, si serio voluisset restitutionem convictus cum uxore post expirationem termini separationis, matris auctoritatem et insectantiam declinare. Interim vero ex depositione testium non modo ab actrice citatorum, verum etiam illius, quam in ius vocatus induxit, palam fit, maritum conventum secutum fuisse in omnibus arbitrium et instinctus matris, quam testes sub iuramento aiunt, saepe extimulasse filium adversus uxorem ac declamitasse, se, quamdiu vixerit, nunquam admissuram, ut filius cum uxore in gratiam redeat;

« 3. Quod denegatio alimentorum uxori, id quod in ius vocatus confessus est, probat, eum nihil curare uxorem, quodque, si serio ad restituendam vitam coniugalem contenderet, aut omnia id in cura uxoris exprimeretur;

« 4. Quod depositionibus testium demonstrata et probata sunt ex vita in ius vocati, facta et relationes erga patrem, ipsi tanquam culpa imputanda, quae actrici sufficiunt ad concipiendam persuasionem, impetuosum ingenium mariti, non solum non cessasse, sed etiam invaluisse, ita ut nullus omnino sit locus coniugali reconciliationi;

« 5. Quod depositionibus supranominatorum testium demonstrata sunt facta, quae in actrice iustum erga maritum eiusque proximos excitare possunt odium;

« 6. Quod ex Iure Canonico eiusque Commentatoribus odium invincibile, si certis fundetur factis, sufficit ad pronuntiandam separationem (Cosci, *De Separ. Lib. 2, cap. 10, nn. 17-20, 54, 61 et 64, cap. 11, nn. 1, 30 et seq. item n. 100)*;

« 7. Quod in expositione huius causae hodie, procurator rei conventi ipsius nomine declaravit: " mandantem suum, uti bona et pacifica indoles ac voluntas ipsius manifestetur, assentiri ad aliquot annorum separationem decernendam ex mutuo coniugum consensu, sed non ad tempus indefinitum "; id quod Iudicio praesumptionem affert et concludere cogit, in ius vocatum respicere dumtaxat commodum suum materiale, nimirum, nolle admittere ius ad bona uxoris, quod necessario sequetur in casu separationis ad tempus indefinitum;

« 8. Quod cum haec ita sint, rationes ab actrice in petitione de separandis ad tempus indefinitum coniugibus citatae, tam iuridice, quam moraliter fundatae censeri debent.

« Ideo Iudicium Archiepiscopale Varsavien. separationem a mensa, toro et mutua cohabitatione I. et H. ad tempus indefinitum, ex culpa in ius vocati mariti decernit, *vigore huius definitivae in prima instantia latae sententiae* ».

Vir appellationem instituit apud Curiam Lublinen. et haec rescidit infirmavitque *die 20 Iun. 1900* sententiam Varsavien. - Quare H. ad H. S. C. appellationis instantiam detulit ut Curiae Lublinen. sententia rescinderetur, et eiusmodi instantia hac mane apud EE. PP. agitatur.

Advocatus, qui H. patrocinium praebet recolit in primis, quaenam sit sententia DD. quoad casus decernendae perpetuae separationis.

Reiffenstuel, *lib. 4, tit. 19 de Divort. n. 17* proposita quaestione: « Quomodo fieri possit divortium ob saevitiam viri? »: Respondet: « Potest fieri divortium ob viri saevitiam, si tanta est, ut uxor absque periculo vitae, vel gravis damni corporalis viro cohabitare non valeat. Unanimis ac certa, claris iuribus *Cap. Ex transmissa 8*, et *Cap. Litteras 13 de Restit. Spoliat.* Ratio est, quia ius naturale ac divinum cuivis concedit facultatem adversus vim iniustam, ex qua imminet periculum vitae aut gravis damni corporalis, *argum. leg. Ut vim, 3 ff. de Inst. et jure* ».

Imo, iuxta eumdem doctorem, sufficit etiam timor atrocis tractationis ad separationem concedendam. Sane *n. 41, loc. cit.* ait: « Propter probabilem timorem et periculum gravis verberationis, aut crudelis vel atrocis tractationis futurae, etiam excluso vitae periculo, valide et licite potest fieri divortium quoad torum et cohabitationem, Sanchez, *lib. 10, disp. 18, n. 16*, Engel, *h. l. n. 23*, Layman, *hoc. tit. n. 10*, et *Novella 22, Cap. 15*, - ibi - Ratio est, tum quia gravis aut atrox verberatio vel crudelis tractatio causant metum cadentem in virum constantem, tum quia coniuges cum tanto periculo non censentur se obligasse ad cohabitationem ».

Demum *n. 42* addit, sufficientem divortii causam adesse etiam « si ex viri genio, passione, colera, nimia ira, aut aliis circumstantiis, probabile periculum gravis verberationis aut crudelis vel atrocis tractationis appareat ».

Cosci, *de Separ. tori, lib. 2, cap. 7, n. 9* disserens de separationis causis ait: « Eiectio uxoris a maritali lecto, facta ab irato marito, ne illa secum dormiat, quae non solum saevitia dicitur, sed etiam dementia, Farinacc. *quaest. 143, n. 152*, et generaliter expulsio ipsius uxoris sine causa ». Porro in nostro casu, instat orator, vir nedum e maritali lecto, sed ab ipsa domo uxorem, absque ulla rationabili causa, expulit.

Idem auctor *lib. et cap. cit., n. 48*, addit ad aestimandam gravitatem saevitiarum habendam prae oculis semper

esse conditionem personae, quae illas patitur. Hinc saevitiae leviores in foeminam honestissimam et summo loco natam evadunt « graviores, quae in humilioribus essent leviores », Reiffenstuel *in Ius Can. lib. 4, tit. 19, n. 44, Rot. cor. Coccin. decis. 2011, n. 29 etc.*

Ad rem animadvertit orator, actricem pietate ac moribus integris praefungi uti constat ex testimonio tum parochi tum Archiepiscopi, hinc, prae viro, omni fide dignissimam esse.

Porro narrat actrix, paullo post nuptias virum coepisse eam male habere. Initio maximam diffidentiam erga eamdem ostendit, cum, ut ipsa ait, « fere omnia coram me occultabat. Ita ex gr. iussit mutari claustrum in sua arca vestiaria, ne ibi possem aliquid vel quaerere vel videre ».

Cum enim vir speraret, pergit orator, pinguissimam uxoris dotem se accepturum esse, cumque sua spe frustratus foret, quia parentes annuum tantum foenus solvebant, eos ut hostes habebat, et insuper, asserit actrix, « coepit ferociter, insolenter, et immaniter me tractare, humiliando coram omnibus, fere in quovis passu. Deprimebat meam ambitionem continuis conviciis et querelis, quibus voluit monstrare, se summopere dolere de contracto mecum vinculo matrimoniali... accumbendo in lecto, ulterius suas infensissimas querelas extendebat ita ut, si vellem tandem quiete dormire, debuerim aures digitis occludere... Hoc modo adduxit me ad summam desperationem.

« Querelae praefatae in apertas mutabantur insolentissimas lites propter minimas causas...

« Insolenter mecum conversando et cruciatibus moralibus afficiendo, ex altera parte minime cogitabat de meâ valetudine et nullam unquam vel minimam mihi parabat voluptatem. – Habui in marito, loco amici, pessimum hostem, ita ut permitteret suae matri me offendere, nullumque pro mea defensione interponebat verbum, dum videbat matrem suam omnino iniuste mecum agere. – Praeterea summa erat praeditus avaritia, omnibus maxime necessariis rebus faciebat me destitutam, sed dum parentes in tantum in quantum mihi succurrebant, hinc, etiamsi difficulter, attamen acquiescebam.

« Crudelissimam hanc cohabitationem, ducta amore infantis, sustinebam, et cum non haberem in charactere aliquid odii, hinc primo momento, quando vir factus est melior, conata sum oblivisci omnium. Sed spem emendationis viri omnino perdidi. Ultimis nostrae mutuae cohabitationis momentis, res ad extremum erant adductae, ita ut immanitas, crudelitas, inurbanitas et furor mariti cum tota vi me opprimerent.

« Die 21 Decembris 1895 maritus inexpectatam omnino litem instituit; conabatur me percutere ita, ut plurimas effunderem lacrimas ». – Refert autem, quod cum dicta die noluerit egredi ac obviam ire socrui redeunti, « quia relationes cum illa erant ruptae », vir « coepit mihi pugnis minari et clamare: videbis pessima, ego tibi monstrabo, quomodo te gerere debeas. Deinde... asserebat, se crudelissimo morali veneno mihi infecturum adveniens festum Nativitatis D. N. I. C. tum se esse paratum, me de domo sua eiicere et omnia adhibiturum ad hoc necessaria remedia. Altera die similiter loquebatur de suo animo eiiciendi me de domo sua et coram cognatis, ex. gr., coram Gagatnicki, haec minime negabat ».

Et in supplici libello SSmo exhibito, haec habet: « Sunt adhuc maioris momenti, facta nimirum characteris moralis, quae me summo horrore afficiunt, odium invincibile excitant, nec de restituenda vita coniugali cogitare sinunt. Nimirum certior facta sum, maritum meum, esse filium degenerem, patrem suum, aetate provectum, dure et inepte tractare. Quo igitur pacto fidere potuerim indoli hominis, qui patrat scelus irreverentiae et contumeliae erga proprium patrem, adeo ut pater ipse filium eum degenerem vocat? »

His demum addit actrix quod « mater viri, vitam indecentissimam gerere assueta, in adulterii crimine mergitur, illudque minime occultat, adeo ut ratione scandalosissimi eius cum amasio versandi modo, ad Praetorium vocabatur, ubi effrenatissimae eius ad eundem amasium epistolae perlegebantur; quas praefatus amasius, mulierem hanc depressurus, patri meo remisit ».

Mulieris attestationibus, ait orator, concinunt testes. Mater conqueritur de miserrima conditione suae filiae, et haec, praeter alia, genero scribit: « Solemnissime spopondisti bonam imo optimam uxoris tractationem. Quanto hoc nos afficiat dolore, fere impossibile est verbis exprimere... Filia nostra amat te vehementer, ardentissime; fere impossibile est credere, quod tandem post aliquod tempus ad completam ruptionem inter vos deveniri possit, quae disiunctio fere morti pro H. aequaretur ».

Dein orator recolit, quod si reapse vir reconciliationem cum uxore sincere optasset, debuisset alimenta, in prima sententia statuta, uxori accurate exhibere. At hic, qui captandi gratia uxoris bona coniugale consortium instaurari semper enixus fuit, nedum alimenta denegavit, sed etiam non erubuit factis ostendere, se soceri obitum vehementer optare, ut dein plena facultas ipsi foret de uxoris bonis disponendi. Sane actrix coram Iudice, praeter alia, conqueritur, quod ille « non obstantibus iuris canonici et civilis praescriptis, declarata legitima separatione, nulla mihi solvit alimenta ». – Narrat etiam quod vir « adibat nostros famulos eosque interrogabat de cursu morbi. Certissime non faciebat hoc sollicitudine et amore ductus, sed intentione meam haereditatem cum foenoribus post mortem patris sumendi ». – Queritur etiam actrix, viri matrem immoralem vitam agere, ac illum sub huius influxu vivere.

Unde conqueritur advocatus quod Lublinen. Curia, sententiam Varsavien. infirmavit, quin rationabiles causas adduceret. Porro ad quatuor reducuntur reprehensionis causae, a Lublinen. Curia allatae. – Asseritur nempe, quod actrix, in temporali separatione vivens, nec tempus nec occasionem habuit cognoscendi an vir, sufficienter emendatus, ad pacificam cohabitationem capax evaserat; quae a testibus, in hac nova actione auditis, narrantur nihil ponderis instantiae actricis addunt; quod denegatio alimentorum nequit marito culpae verti, quia uxor interventu Iudicis civilis eadem non exposcebat; quod dura tractatio patris per filium, item facta degenerationis moralis matris parum ad rem pertinere censenda sunt.

At haec argumenta ait orator, refutari tum ab actrice tum ab Archiepiscopo. – Ait actrix in supplici libello ad SSmum dato: « Verum equidem est me nunc separatam ad quinquennium a mutua cum marito habitatione et penes parentes meos degentem, nil ab eodem saevitiarum passam esse: at facta dirae tractationis, irreverentiae et contumeliarum mariti mei erga proprium patrem, iuratis depositionibus testium probata, nonne demonstrant aperte, ut in quarto motivo Iudicium Archiepiscopale, ait impetuosum ingenium eius non modo non cessare, verum etiam invaluisse? – Quid sperare possum, tot opprobriis et conviciis tempore triennalis cohabitationis a marito affecta, qui proprio patri suo adeo nefas et degener filius extitit? »

« Denegatio, seu potius non suppeditatio alimentorum in meam ac filii nostri sustentationem, lege etiam civili in separatione cauta, nonne est documentum, maritum nullo teneriore affectu me prosequi? – Quidne igitur, culpa mihi imputanda est, quia ope brachii iudiciorum civilium non extorquebam id, quod, ut recte iudicium Archiepiscopale in tertio

motivo notat: – maritus ante omnia curare debuisset, si serio ad vitam coniugalem restituendam contenderet? »

Dein H. innuit, separationem ad tempus indeterminatum necessariam omnino esse tum, praeter alia, ad consulendum christianae educationi unici filii, tum ad impediendum ne vir omnibus suis bonis potiatur, eamque absque ullis mediis relinquat et subdit: « In hac tristissima sorte unica solatio, unicusque finis meus est religiosa, proba et honesta educatio filii. Iamvero, nec cogitare valeo, quod si mihi separatio indefinita denegetur, filius impuber noster in tam sordida peste morali, in qua maritus cum matre sua versatur, educandus est ».

Archiepiscopus vero in suis litteris advertit: « Motiva, quibus H. ducebatur in innovanda instantia, quaeque iudicium meum iusta agnovit haec sunt: defectus amoris et honestatis erga uxorem ex parte rei conventi, qui nec opprobriorum et conviciorum, quibus triennalem vitam communem uxori molestissimam reddidit, veniam petiit. – Nec ipse vel per amicos et notos, sibi haec condonari, convictumque maritale restitui serio curavit. Imo in defensione enuntiata, dum instantia secundo proponebatur, declaravit, se paratum esse assentiri, ut separatio ad aliquot annos protraheretur ex mutuo consensu, non ex culpa ipsius; id vero effatus est, non ut placabiliorem sibi reddat uxorem, sed quia iuxta leges civiles separatio ad tempus determinatum, etsi longissimum, decreta, omnia iura marito reservat quum ad bona etiam uxoris propria, administranda, tum ad prolem educandam, quod posterius H. nullatenus admittere potest, ut nempe, impuber filius suus in tam sordida peste morali, in qua maritus cum matre sua versatur, educandus sit, ut ipsa etiam ope brachii saecularis, marito postulante, in domum ipsius adducatur, nihilque sine arbitrio eius agere valeat, destituta omnibus, in vindictam processus, quem instituere ausa est ».

« Unum adhuc meo iudicio addere necessarium puto. Si separatio ad correctionem rei conventi aliquid conferre valeat, hoc perficere potest solummodo separatio ad tempus indefinitum; liberando enim partem innocentem ab auctoritate coniugis culpabilis, hunc posteriorem cogit quodammodo ad resipiscentiam, morumque correctionem ac emendationem; quo fit, ut pars innocens ipsa postulet sententiae separationis extinctionem vitaeque communis, ut christianos coniuges decet, restitutionem ».

« E contra vero separatio ad tempus determinatum mulieris innocentis conditionem peiorem reddit; praeter enim quod separatim a viro agit vitam, et pensionem alimentorum saepissime difficulter percipit, auctoritati eius in omnibus subiecta manet, nihilque, quod personam eius, bona ipsius et educationem prolis spectat, per se sola aggredi valeat, adeo ut litteras commeationis, in casu urgentissimae etiam necessitatis, e. g. recuperandae sanitatis in quodam sanatorio aut balneis gratia, absque licentia mariti obtinere non possit, ut facile colligere est ex citatis in supplici libello oratricis articulis Legis Civilis in Provincia hac nostra obligantis ».

« Insuper, quod non raro evenit, maritus tempore decretae separationis semet occultat; terminata vero separatione, cum uxor in domum ipsius revertitur, duplicat in illam molestias et tractationes duras, in vindictam peracti processus; cautius solummodo procedendo, ne testes iniquae ipsius actionis adsint. – His dictis, oratricem clementissimae benignitati commendo ».

Ex adverso, ex meo officio, nonnulla advertam. – Equidem lacrymabilis est mulieris conditio quam atris coloribus pingit in citatis litt. Archiepiscopus; nihilo secius non minus est habenda ratio conditionis viri, et sedulo perpendendum est an ipse revera sit tantorum malorum auctor, vel horum potius ratio et non minima pars sit attribuenda ipsi mulieri, quae vel exaggeravit mariti vitia vel non satis recordata est matris munerum in coniugali consortio. – Siquidem quocumque in negotio *unicuique suum*.

Curia Varsavien. ad mulieris instantiam *duplicem* edidit sententiam sed dubito secundam sententiam, hodie in controversiam deductam, nullam habere *vim iuridicam*. Etenim in prima instantia H. expetebat a tribunali Ecclesiastico concedi *perpetuam separationem a viro;* et iudex, sententia *30 Maii 1896*, separationem « *ex culpa mariti ad quinquennium decernit vigore* HUIUS DEFINITIVAE *in 1ª instantia latae sententiae* ». Curia Lublinen. hanc sententiam ratam habuit. – At mulier temporanea separatione non contenta *iterum* petiit a Curia Varsavien. *perpetuam separationem*, quam instantiam benigno vultu excepit Curia Varsavien. eamdemque sententiam *diei 15 Decemb. 1900* ratam habuit edicens separationem concedi « *ad tempus indefinitum ex culpa in ius vocati mariti...* VIGORE HUIUS DEFINITIVAE *in 1ª instantia latae sententiae*. – Atqui in conspectu huius *duplicis sententiae definitivae* super eadem instantia in oculos insilit substantialis defectus, quippe de eadem instantia iudicii non fas est nisi *semel* ius dicere, edita *sententia sive bene sive male iudex functus est munere suo*. Bouix *De iud. II., pag. 336* tradit « *sententiam* DEFINITIVAM *a se latam nequit iudex revocare aut corrigere*. QUAE REGULA GENERALIS OMNINO CERTA EST, ET AB OMNIBUS ADMISSA ». Sane Schmalzgrueber tit. *De sent. et re iud.* n. 87 ad quaestionem « *quem effectum sententia producat ex parte iudicis* » respondet « *facit ut iudex officio suo censeatur functus, sic, ut sententiam a se latam revocare aut corrigere nequeat nisi* VEL INTERLOCUTORIA SIMPLEX *vel omnino fuerit* NULLA ». Ita Pirhing *h. t. n. 85*.

Ex ipso autem tenore sententiae clare patet, quomodo in errorem lapsa sit Curia. – Cavet enim sententia, Curiam Varsavien. et Lublinen. decrevisse « *separationem coniugum..... ad quinquennium dumtaxat eo fine ut temporalis separatio cogeret nocentem ad resipiscendum* ». Iamvero si haec fuit iudicis mens nempe adhibere *temporaneum remedium et temperamentum*, sententia non dicenda erat *definitiva* sed tantum *interlocutoria* seu *provisoria* ut tunc facultas iudicis non perimebatur quoad *meritum* causae *definiendum*.

Secunda vero *definitiva* sententia non solum contradicit primae quoad *formam iudicialem* sed contradicit quoque in *substantia*. Nam in prima edictum fuerat: argumenta actricis *non esse adeo gravia ut possent secumferre separationis definitivae decretum*. – Sed in secunda instantia novae probationes *quoad substantiam* deductae non sunt.

Quem defectum *substantialem secundae* sententiae visus est vir persentiisse quum ab acceptatione instantiae mulieris apud Curiam Varsavien. appellaverit ad Curiam Lublinen., at appellationem non admisit Curia Varsavien. rescribens *die 2 Aprilis 1900* « *Iudicium Archiepiscopale Varsavien. appellationi per reum conventum interpositae... non defert* ».

Curia autem Varsavien. quae iterato, libenter indulsit instantiae H., videtur faciles quoque aures praebuisse omnibus attestationibus ab eadem productis, nihili pene faciens adversa viri argumenta.

Porro attestationes exceptae in *secunda* inquisitione et ipsa iudicialis sententia et litterae inde datae ab Archiepiscopo maxime inculcant et repetunt, virum pene indignum esse, qui vel audiretur in iudicio, quippe qui saevitiis et contemptu afficiebat suum senem patrem eumdemque graviter infirmum. Eritne amans, sollicitus uxoris et filiorum qui suum patrem senem, infirmum despicit, pessumdat, saevitiis insectatur? – Revera alia fieri non potest gravior ac-

cusatio: attamen vir ad repellendam a se tantam infamiam produxit patris attestationem datam *die 5 Iunii 1900.*

Accusationes autem uxoris editae in virum sive in supplici libello seu in responsionibus ad vindicem, conatur refutare vir in scriptis responsionibus iudici datis:

Utrum vero pacis et concordiae coniugalis inimicum animum magis gerat ipsa uxor quam vir, non dubie definiri videtur ex attestatione Adami, testis ab actrice propositi, qui refert: « *Ex mea parte faciebam paternas admonitiones, quibus motus* (vir) *accessit ad uxorem,* OSCULAVIT EIUS MANUM ET PETEBAT UTI ILLI PARCAT OMNIA QUAECUMQUE CONTRA ILLAM HABET », (uxor) respondit: « *Se plus aequo a marito esse offensam, humiliatam et afflictam; praeterea aiebat,* SE OMNINO NULLAM DARE FIDEM EIUS PROMISSIS DE EMENDATIONE IN POSTERUM FACIENDA: QUAPROPTER NON SUSCIPERE EIUS PETITIONEM VENIAE ». Sed osculum *ad manum* a viro datum uxori coram pacis arbitrio, viro gravissimo; humilis veniae petitio suntne tam levia argumenta in viro, animi emendati et devoti adversus uxorem ut sperni debeant et nihili, saltem *ad experimentum,* fieri debeant?

Eo magis quod si H. alte conqueritur de viro cuius improbitatem dicit se expertam esse post separationem, quum iste nihil rependerit sibi et filio ratione alimentorum, attamen respondet vir, uxorem neque *iudicialiter* neque *extraiudicialiter* haec expetiisse, imo inchoatam petitionem sponte sua deseruisse. – Unde non immerito vir arbitrari potuit, alimenta uxorem nolle repetere; quia si alimenta petiisset pro filio, vir reconvenisset uxorem ut sibi filium traderet ad praescriptum legis. – Codex enim *civilis polonus* ad art. 217 iubet: « *La tutela dei figli durante la causa di separazione* A MENSA ET TORO *spetta* AL MARITO SENZA *aver riguardo a chi ha iniziato la causa* ». Atqui si vir esset improbi ingenii, nedum alimenta non exhibuisset sed uxorem saevissime vexasset expetens in iudicio filii tutelam.

Modo prudentia et sapientia EE. PP. deliberare dignetur, quonam responso dimittendum sit

DUBIUM

An confirmanda sit sententia Archiepiscopalis Curiae Varsavien. die 15 Decembris 1900 vel potius illa Episcopalis Curiae Lublinen. 20 Iunii 1901 in casu?

Emi Patres rescripserunt: *Sententiam Curiae Varsavien. esse confirmandam.*

E SACRA CONGREGATIONE
EPISCOPORUM ET REGULARIUM

Dubium circa admissionem ad vota sollemnia, triennio nondum expleto.

Nomine plurium Superiorum regularium S. Congregationi proponitur dubium circa admissionem ad vota sollemnia, triennio nondum expleto. Cum de jure communi superior ante admissionem candidati ad vota sollemnia expleto triennio debeat exquirere votum Capituli mere consultativum, nequaquam decisivum (quod Capitulo convenit solum quoad admissionem ad vota simplicia), quaeritur circa triennium nondum expletum, sed Apostolica dispensatione abbreviatum:

1° Utrum ob temporis abbreviationem per dispensationem Apostolicam votum consultivum Capituli transmutetur in decisivum?

2° Utrum Superior debeat exquirere votum Capituli (sive consultivum sive decisivum) antequam supplicatur pro gratia vel ipsa obtenta?

3° Utrum standum sit praxi communiori, iuxta quam superior ante expostulationem dispensationis exquirit votum Capituli mere consultivum, adnotando tamen in ipsa supplicatione quale fuerit iudicium Capituli circa personam candidati, quin postea, obtenta S. Sedis dispensatione, alterum votum expostulet?

Sacra Congregatio Eminentissimorum et Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnibus mature perpensis, ad proposita dubia respondit:

Ad 1um et 2um, providebitur in 3°.

Ad 3um, *Affirmative.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 26 Januarii 1903.

D. Card. FERRATA, *Praef.*
Ph. GIUSTINI, *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE
RITUUM

I.

PATRIARCHALIS BASILICAE LIBERIANAE.

Plura solvuntur dubia a Capitulo Basilicae Liberianae proposita.

Rev.mus D.nus Franciscus Riggi, Praefectus caeremoniis pontificiis et Canonicus patriarchalis Basilicae Liberianae, uti delegatus a R.mo Capitulo eiusdem Basilicae, sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur, pro opportuna declaratione, humiliter exposuit; nimirum:

R.mum Capitulum Liberianum constat sexdecim canonicis iuxta ordinem hierarchicum distinctis, nempe: octo presbyteris, quatuor diaconis et quatuor subdiaconis. Canonici autem episcopali dignitate insigniti, si in ingressu inter diaconos vel subdiaconos relati sint, postea ad primum canonicatum presbyteralem vacantem ascendunt.

Exinde nonnulla dubia circa officia in choro vel in Capitulo gerenda a Canonico digniori vel seniori orta sunt; videlicet:

I. *Canonicus dignior est idem ac Canonicus senior?*

II. *Ad quem spectat preces ante et post Capitulum recitare, quum in Constitutionibus Capitularibus, cap. XVII, §. 4, legatur: « Incipiant ab oratione quam Vicarius vel, ipso absente, dignior Canonicus recitabit »?*

III. *Item ad quem Canonicum spectat praebere celebranti candelam benedictam die Festo Purificationis B. M. V. et palmam benedictam dominica palmarum, eidemque imponere sacros cineres Feria IV cinerum?*

IV. *Ad Canonicos digniores aut ad Canonicos seniores pertinet associare Cardinalem Archipresbyterum?*

V. *Canonici iuniores obviam ire solent Cardinali Poenitentiario Maiori ad Patriarchalem Basilicam Liberianam, Feria IV Maioris Hebdomadae, accedenti cum suo tribunali ad audiendas sacramentales confessiones. Servari-ne potest haec consuetudo?*

VI. *Item continuari-ne potest similis usus cum Legatus Maior Regni Hispanici ipsam Basilicam adit pro audienda Missa de S. Ferdinando III, Reg. Conf.?*

VII. *In Constitutionibus Capitularibus, cap. IV, §. 3, legitur: « Quotiescunque Missa solemnis in Pontificalibus celebratur, munus assistentis Decanus Capituli vel, eo impedito, antiquior in presbyteratus ordine Canonicus gerere debet ». Quaeritur: Si Decanus Capituli non sit ex ordine presbyterali, poterit-ne hoc munere fungi?*

VIII. *Ad quem Canonicum spectat obsequentem sermonem habere ad novum Cardinalem Archipresbyterum; et officium exequiale peragere cum corpus Cardinalis Archipresbyteri defuncti ad Basilicam deducitur?*

IX. *Constitutiones Capitulares, cap. III, §. 5, statuunt: « Non prius beneficiatus hebdomadarius intonare incipiat:* Domine labia mea, *vel* Deus in adiutorium *quam Vicarius, vel, ipso absente,* dignior et antiquior *Canonicus assurgat, detque ei signum id faciendi ». Quaeritur: Hic Canonicus debet esse* dignior *aut* antiquior*?*

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque maturo examine perpensis atque discussis rescribendum censuit:

Ad Ium. *Negative.*

Ad IIum. *Absente E.mo Archipresbytero, eiusque Vicario, spectare ad digniorem ut ex decreto, n. 1299,* Asculana, *30 Augusti 1664.*

Ad IIIum. *Absente Vicario, ad digniorem.*

Ad IVum. *Si E.mus Archipresbyter pergit in choro ut pontificaliter celebret, consocietur a Diacono et Subdiacono Canonicis, qui illi in Missa assistunt: secus a duobus Canonicis, ex praesentibus, dignioribus, non Episcopis.*

Ad Vum. *Affirmative.*

Ad VIum. *Affirmative.*

Ad VIIum. *Negative.*

Ad VIIIum. *Quoad primam partem, ad Canonicum digniorem, vel Secretarium, iuxta consuetudinem; quoad secundam, ad seniorem ex ordine presbyterali.*

Ad IXum. *Ad digniorem, iuxta decretum n. 1976,* Montis Politiani, *13 Iunii 1697.*

Atque ita rescripsit. Die 8 Maii 1903.

L. ✠ S. S. Card. CRETONI, *S. R. C. Praef.*

† D. Panici, Arch. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

II.

De benedictione domorum in Sabbato Sancto.

Ab hodierno Parocho loci N., dioeceseos N., nuper sequentia postulata huic S. Congregationi subiecta sunt, nempe:

1°. An ob extensionem paroeciae benedictio domorum in Sabbato Sancto fieri valeat horis vespertinis Feriae VI in Parasceve?

2° Et quatenus negative, an in casu obtineri possit indultum?

3° An benedictio domorum in Sabbato Sancto sit de iuribus parochialibus?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

Negative ad I et ad II iuxta Decretum 3645 *« Isclama »* 20 novembris 1885, ad II; et in casu benedictio domorum poterit fieri durante hebdomada octavae Paschatis.

Ad III. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, die 7 martii 1903.

S. Card. CRETONI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Sec.rius.*

III.

STABIAN. seu CASTRI MARIS.

In associandis cadaveribus, societates catholicae in habitu laicali cum vexillis benedictis, sequi debent feretrum.

Hodiernus Praepositus Clero Iesu et Mariae Civitatis et Dioecesis Stabian. seu Castri Maris, de consensu sui R.mi Episcopi, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expetivit; nimirum: An in associationibus cadaverum societates catholicae in habitu laicali cum vexillis benedictis possint praecedere Clerum cum Cruce, an debeant sequi feretrum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.* Atque ita rescripsit.

Die 14 Martii 1903.

L. ✠ S. S. Card. CRETONI, *Praef.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

IV.

DUBIUM

Cappella principalis Seminariorum solemniter benedicta cum speciali titulo aequiparatur ecclesiis quoad iura S. Titularis.

Proposito dubio: *Utrum Cappella principalis Seminariorum solemniter benedicta cum speciali titulo, gaudeat privilegiis, quae competunt Sanctis vel Mysteriis titularibus cuiusvis Ecclesiae, sive Oratorii publici solemniter benedicti, nempe, ut in Oratione* A cunctis, *et in Suffragiis Sanctorum* ad Laudes et ad Vesperas *Titularis nominetur?*

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit: *Affirmative* iuxta Decreta n. **4025**, diei 5 Iunii 1899, ad V, et n. **4043**, diei 27 Iunii 1899, ad I et ad VIII.

Atque ita rescripsit.

Die 14 Martii 1903.

L. ✠ S. S. Card. CRETONI, *Praef.*

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

V.

CONSTANTIEN. ET ABRINCEN. — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Magdalenae Postel, Institutricis Sororum scholarum christianarum a Misericordia.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et Proximum; itemque de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumqne adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?

Multis dudum tentantibus catholicae religionis fundamenta divellere, atque hominum genus, obiecta specie sive honestatis sive sapientiae transversum agere, providentissimus Deus opposuit identidem verae doctrinae ac sanctitatis exempla, confirmans utramque illam sententiam « *qui nititur mendaciis hic pascit ventos* » (Prov. x, 4); contra vero: « *labia iusti erudiunt plurimos* » (Prov. x, 21). Quod cum saepe aliis in locis tum maxime in Gallia contigit quo tempore ab iis qui se philosophos iactabant per simulationem intelligentiae, incredibilis malitia inducta est atque perversitas. Horum fraude circumventa praesertim iuvenilis aetas institutoribus eguit quorum disciplinae summa esset: « *initium sapientiae timor Domini* ». Iam ut puerorum institutioni divinitus consultum est per scholarum Christianarum patrem S. Ioannem Baptistam de la Salle, ita puellis mater et magistra data est Ven. Dei Famula MARIA MAGDALENA POSTEL, institutrix et ipsa novae Familiae cui titulus: « *Sorores Scholarum Christianarum a misericordia* ».

Barflorei in Gallia quod oppidum est Constantiensis Dioecesis IV Cal. Decembres anno MDCCLVI, honestis ac pientissimis parentibus edita in lucem est Ven. Dei Serva, inditis nominibus Iulia, Francisca Catharina, quibus post nuncupata vota religionis illa suffecit « Maria Magdalena » innocentiae ac poenitentiae connubium conciliante caritate. A vitae primordiis divina gratia praeveniente talis extitit ut maturae fastigia sanctitatis attigerit. Nondum enim septimum annum aetatis egressae aptari poterant Apostoli verba, « *conversatio nostra in caelis est* ». Iam tum sui affiictandi sollicita poterat regii vatis usurpare verba: « *castigatio mea in matutinis* ». A peccato fugiens « *tamquam a facie colubri* », caelo tonante, gaudio gestiebat, spem fovens eo terrore perculsos errantes ad meliorem frugem redituros. Eadem duellum, arrepta cruce, cum orantium puerorum manipulo deprecata est. Quasi uni sibi dictum putans: « *frange esurienti panem tuum... cum videris nudum operi eum* » ad id caritatis processit, ut et saepe suas exuerit vestes et omni pene cibo abstinuerit. Apud virgines Benedictinas Valloniis degentes collocata ut institueretur, tam sancte se gessit ut *Filia Dei* passim appellaretur. His virtutibus, in primisque sedulo studio edocendorum rudium, mature significavit cui potissime ministerio esset a divina Providentia destinata.

Anno vitae suae ferme XVIII ad paternum oppidum reversa puellis ludum aperuit, praesertim egenis, eas enutriens et « *quasi aquila provocans ad volandum pullos suos* ». Inter haec, Europa vasto illo flagrare coepit incendio, quo subversis humanae societatis ordinibus, legibus, regnis, direpta templa sunt, expilatae aedes, foedata omnia rapinis, ludibrio, sanguine. Mediae procellae impavida virgo se obiecit; sacerdotes in excidium quaesitos, extorres, hospitio recepit; victum iisdem et locum sacris peragendis cum sui capitis periculo suppeditavit; naviculae ipsis eripiendis ut praesto essent, effecit. Urgente vero metu, ne sancta mysteria violarentur, eius puris manibus credita pyxis est Eucharistiae asservandae, et caetera sacrorum suppellex. Sic fere per decennium quo caecus ille perstitit furor, mulier ista fortis « *de longe portans panem suum* » Apostolico plane munere functa est, iure gratulata quod par sibi, quae Deiparae, fortuna contigisset, gestandi Iesum in ulnis.

Quum tempestas illa resedit, Caesaroburgum se contulit, ibique pauperum filiarum a misericordia fundamenta iecit, cui instituto propositum esset adolescentiam optimis moribus imbuere, utilissimis erudire disciplinis, ut inde piae matresfamilias prodirent atque ita christiana posset restaurari societas. Ac fuit ille quidem initio « *vere pusillus grex* » coalescens sororibus tribus, duce Ven. MARIA MAGDALENA; nec ante annum a sui ortu tricesimum per sexcentas aerumnas, per famem, per rerum omnium inopiam, mutatis crebre domiciliis, quasi deturbatum apiarium, nulla suppetente mundi fiducia, tandem aliquando succrevit; ex eoque tempore sic est progressus ut per Ven. Dei Servam non modo Dominicus ager auctus fuerit nova Sororum Familia in primis numero et virtute florente, sed arti quoque ac religionis decori consultum per instauratum ingens illud aedificium quod olim Abbatia SS. Salvatoris le Vicomte appellabatur.

Virtutibus omne genus ditatae virgini, quae, per diuturnum vitae cursum a summa animi puritate ne transversum quidem unguem discedens ad perfectionis fastigium divinitus excitata omnibus visa est, eidemque de Ecclesia ac de civili societate tam benemeritae per integri ferme saeculi spatium, nihil iam reliquum erat nisi ut requiesceret tandem a laboribus suis exciperetque vocem invitantis ad caelum « *Veni sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus praeparavit* ». Itaque die XVI mensis Iulii, anno MDCCCXLVI, quem diem postremum vitae suae fore praenuntiaverat existentibus Sororibus ad numerum CLIX, qua hora Christus emisit spiritum, et ipsa candidae instar columbae efflavit animam placidissime.

Eius fama sanctitatis post obitum personante adhuc et succrescente quotidie, eademque pluribus confirmata signis, penes Constantiensem Curiam testimonia collecta sunt et Processus ordinaria auctoritate institutus, caeterisque iure confectis SSmus D. N. LEO XIII Commissionem introductionis causae Ven. Servae Dei sua manu signavit: initi mox Apostolici fuere processus quorum validitate comprobata de heroico virtutum gradu disceptari coeptum est penes SS. RR. Congregationem; primum in antepraeparatorio Conventu in Ædibus cl. m. Cardinalis Caietani Aloisi-Masella Causae Relatoris quinto cal. Martias anno MDCCCCII; deinde in praeparatoriis Comitiis ad Vaticanum habitis decimotertio cal. Februarias volventis anni; ac denique in generalibus coram SSmo D. N. LEONE PAPA XIII in Ædibus Vaticanis quarto idus Maias eiusdem anni coactis, in quibus cum a Rmo Cardinali Dominico Ferrata Causae Relatore dubium fuisset propositum: « *An constet de Virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et Proximum; nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis* Ven. Servae Dei MARIAE

MAGDALENAE POSTEL *in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?* » Rmi PP. Cardinales SS. tuendis Ritibus praepositi et Patres Consultores suam ordine sententiam aperuere. Quibus perpensis Beatissimus Pater quamvis supersedendum censuit, adstantes hortatus ut caeleste lumen ad rite iudicandum efflagitarent, his tamen verbis Conventum dimisit: « *Altricem heroum Galliam quae hanc Ven. Dei Famulam* MARIAM MAGDALENAM POSTEL *feliciter edidit terris, felicius eduxit caelo, hodie commemorare licuit. Conventus enim hodiernus amplissimum Consultoribus Vobisque campum aperuit ad testandam virtutum eius insignem excellentiam. Vestris sententiis decretorii Nostri iudicii confirmationem accessuram, Dei numine adspirante, quantocius confidimus. Id unum optandum sperandumque restat ut Galliam suam* Ven. MARIA MAGDALENA *benigne respiciat: et cui vivens per calamitosa tempora largam misericordiae opem attulit, eidem eheu! asperrimae in religionem procellae fluctibus exagitatae valida apud Deum deprecatione succurrat* ».

Hodierna vero die, qua sollemnia recoluntur ob adventum Spiritus Sancti, idem SSmus Dominus sacris litatis in privato Sacello, nobiliorem hanc aulam Vaticanae Ædis ingressus est, et pontificio Solio assidens Rmos Cardinales arcessivit Seraphinum Cretoni SS. Rituum Congregationi Praefectum, et Dominicum Ferrata Causae Relatorem, itemque R. P. Alexandrum Verde S. Fidei Promotorem et me infrascriptum Secretarium, iisque adstantibus solemniter pronuntiavit: « *Ita constare de Virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate in Deum et proximum; itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis* Ven. Servae Dei MARIAE MAGDALENAE POSTEL *in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur, ut procedi possit ad ulteriora, idest ad quatuor miraculorum discussionem* ».

Hoc autem Decretum publici iuris fieri, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri iussit, pridie Cal. Iunias anno MDCCCCIII.

SERAPHINUS Card. CRETONI, *S. R. C., Praefectus.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secr.rius.*

VI.

LIMANA — DECRETUM

Reassumptionis Causae Canonizationis B. Mariae Annae a Iesu de Paredes.

Quiti in lucem edita et *Quitense lilium* merito appellata B. Maria Anna a Iesu de Paredes, non minus virginitate et innocentia quam poenitentia et interiori spiritu floruit. Pestilentia in sua urbe natali invalescente, pluribusque civium millibus succumbentibus, ipsa ad Deum placandum preces, ieiunia et vitam ultro ac libenter obtulit. Placita erat Deo anima illius Virginis, quae quum esset in aetate vigintiseptem annorum, e corporeis vinculis soluta ad coelum evolavit, morbo contagioso in civitate Quitensi extemplo cessante. Post obitum, eius sanctitatis fama praesertim in Americae regionibus diffusa, in dies ita increvit, ut penes Sacrorum Rituum Congregationem Causa beatificationis et canonizationis introducta fuerit. Deinceps virtutibus portentisque rite probatis, Summus Pontifex Pius IX solemni ritu Ven. Dei Servam ad Beatorum Caelitum honores, cum ingenti Quitensium gaudio, evexit. Quum vero post indultam eidem Beatae venerationem, divina Clementia novis ac frequentibus signis ac prodigiis eius sanctitatem confirmasse feratur, instante R.mo P. Camillo Beccari Societatis Iesu et huius Causae Postulatore, attentisque litteris postulatoriis aliquorum E.morum S. R. E. Cardinalium, R.morum Sacrorum Antistitum necnon R.mi P. Praepositi Generalis Societatis Iesu, Rectorum Collegii Pii Latini Americani et Collegii Hiberni in Urbe, et plurium Quitensium civium, E.mus et R.mus D.nus Cardinalis Dominicus Ferrata, eiusdem Causae Relator in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, subsignata die, ad Vaticanum habitis sequens dubium discutiendum proposuit: « *An sit signanda Commissio Reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* » E.mi et R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, et audito R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore rescribendum censuerunt: « *Affirmative seu signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit* ». Die 21 Aprilis 1903.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Reassumptionis Causae praefatae Beatae Mariae Annae a Iesu de Paredes, die 22, eisdem mense et anno.

SERAPHINUS Card. CRETONI, *S. R. C. Praefectus.*

L. † S.

† DIOMEDES PANICI Archiep. Laodicen., *S. R. C. Sec.rius.*

SUPPLEX LIBELLUS

SUPER SIGNATURA COMMISSIONIS REASSUMPTIONIS CAUSAE.

Eme ac Rme Domine,

1. Per Orbem peregrinantibus nobis, tot malorum, tot dedecorum colluvie exterritis, tot tantisque insidiis ac cupiditatibus quassis, misericors saepe Deus praestantissimorum Virorum ac Mulierum exemplar imitandum exhibuit, qui omnium virtutum plenitudine insignes animum deficientem nostrum erigerent ac Beatorum Sedem assequendam ostenderent. Alios vero charitate aestuantes intuemur dirissima supplicia excelsi animi magnitudine perferentes, sanguinem vitamque pro Christi fide effundere; alios singulari vitae austeritate, ieiuniis, afflictationibus cuiusque generis, contra daemonum insidias, ac humanae naturae voluptates strenue certare; alios demum ad angelicam quasi naturam accedentes, innocentissimae vitae spectaculum exhibere: qui omnes fide, spe, charitate insignes, omnium virtutum fastigio praestantes, animos nobis exemplo augent, cruciatuum terminum ostendunt, caelum miro virtutum fulgore detegunt.

Inter hos vitae innocentia ac singulari coercitionis studio mirifice effulsit B. V. Maria Anna a Iesu de Paredes, quam heroicae virtutes ac extraordinaria portenta dignam effecere cui ab Apostolica Sede Beatorum deferrentur honores.

2. Quiti in Peruano Regno, nobili genere piisque parentibus orta est Maria anno millesimo sexcentesimo decimo octavo pridie Kalendas Novembres ac eius ortum vitaeque

initia singularia quaedam signa, quasi futurae sanctitatis auspicia, mirifice illustrarunt.

Transactis primoribus pueritiae annis singulare statim infantis ingenium ad caelestia tantum proclive apparuit ac prima sanctitatis specimina exhibuit. Pia, obediens, suavis, studiosissima in addiscendis fidei mysteriis et proprii sexus exercitiis, puerilia spernebat, solitudinem sedulo quaeritabat, precibus continuo vacabat, Deiparam Virginem filiali ac tenerrimo affectu prosequebatur, puellas consocias ad pietatis exercitia trahebat, ac praecipue dirissimis afflictationibus, praeter quam cuiquam credibile est, corpus suum macerabat. Sexennis enim tribus in hebdomada diebus solo pane et aqua reficiebatur; dum ruri infans degebat, virgis spinosis interdum in solitudine vicini nemoris carnem suam cruentabat; aliquando per tres dies in suo cubiculo ieiuno ore manebat, aliisque mortificationis industriis sese crudelissime premebat.

Tam eminentem gradum pietatis ac divini amoris in infantia attigit ut, septem annorum aetate, virginitatis votum ediderit; octo annorum ad sacram Dapem accesserit, ac decennis iterum virginitatis votum una cum aliis paupertatis et obedientiae votis nuncupaverit.

3. Ubi autem ad aetatis florem pervenit, cum in puella divini amoris aestus in dies cresceret, ut Deo magis adhaereret ac lilium virginitatis facilius servaret, sese statuit in aliquo Sacrarum Virginum Coenobio includere; sed hic potius Beatae virtus enituit, cum eam enim conscientiae moderator docuisset divinam voluntatem esse ut domi maneret, ibique Deo famularetur, libentissime Divinae Voluntati confessariique consilio paruit, ac in domo sua quasi in solitudine esset, omnino ab humano consortio, etiam consanguineorum, segregata, in exercitio omnium virtutum vitam transegit.

4. Vero si tantam in infantia pietatem, si animum ad virtutes omnes exercendas tam bene comparatum ostendit, in solitudine suae domus, adultior facta, sanctitatis fastigium attigit. In mortificationis exercitiis, in lectione vitarum Sanctorum, in coelestium ac Religionis Nostrae mysteriorum commentatione, in manualibus operibus, ac praesertim in oratione totum fere diei ac noctis tempus insumebat.

Domo non egrediebatur nisi ut iret ad Ecclesiam Patrum Societatis Iesu, ubi ab ineunte aetate pietatis tyrocinium inceperat, ibique conscientiae moderatores consulebat; ad sacramentum poenitentiae accedebat; Sacra Dape quotidie miro charitatis ardore reficiebatur: ab aurora ad meridiem, inflexo genu coram Sanctissimo, singulari modestia, Divinis Officiis adsistens, precibus vacabat.

Licet domi una cum consanguineis ac familiaribus vitam degeret, nunquam ab iis videbatur nisi rarissimis festis diebus et hora prandii cuiuslibet diei, qua hora ad eos accedebat ut illis tantum in mensa ministraret, et propria cibi portione pauperes puellas aut mulieres reficeret.

Si aliquando cum suis propinquis ac familiaribus conversabatur, de rebus divinis tantummodo erat sermo, eosque vel ad citharae sonitum spirituales canens cantiunculas, vel ardentissima verba accenso vultu proferens, ad Dei amorem ac virtutum exercitium excitabat.

5. Firmissima fide illustrata, non modo pietatis exercitiis continuo vacavit, sed mysteria religionis nostrae nulla unquam haesitatione credidit, quin immo ab infantia ea coetaneas puellas ac familiares docuit. Tanto autem fidei propagationis ac sanguinis pro Christo fundendi exarsit desiderio, ut interdum una cum sua nepte attentaverit inter noctis tenebras ad terras Maurorum infidelium abire; quod propositum ne ad effectum adduceret a Deo prodigiose impedita, nunquam satiabatur pro infidelium ac peccatorum conversione ad Deum preces effundere.

Singulari spe erecta nullum dubium unquam admisit quin meritis Christi Domini supernaturalem finem seu Beatorum gloriam assequeretur, ac humana omnia tanquam vilissima spernens, suis omnibus, insolita liberalitate, consanguineos donavit, ab ipsis tantum ad vitae necessarium excipiens.

Divina charitate aestuans solum ut Deo grata esset curabat, praesertim omni studio peccata vel minima evitans, divinas laudes singulari affectu effundens, gratias Deo sine remissione reddens pro caelestibus favoribus sibi collatis ac pro innumeris, quas sibi praebuerat, occasionibus pro divino amore patiendi: continuo autem cupiebat dissolvi ac cum Deo in Beatorum Sede coniungi.

Quanto amore proximos suos diligeret indubiis quoque signis demonstravit, misericordiae opera tum spiritualia quum corporalia singulari ardore exercens. Consanguineos enim ac familiares ad exercitia pietatis, ad virtutum amorem, uti innuimus, ad sacramentorum frequentiam ardentissimis verbis continuo excitavit; eorum defectus summo zelo correxit; consilio in dubiis rebus eos adiuvit; in infirmitatibus eos invisebat eisque humillime inserviebat. Licet autem vitae genus, quod elegerat, eam impediret quominus cum extraneis conversaretur, pauperibus tamen ac aegrotis per eleemosynas succurrebat, ac ut illos aleret a consanguineis suis subsidia in illorum solamen humillime efflagitabat, aut manualibus operibus lucrum faciebat.

6. Nec in virtutum Cardinalium exercitio imparem se praebuit. Prudentissima, media omnia studiosissime adhibuit ut finem supernaturalem assequeretur ad eumque finem opera omnia assidue direxit.

Iustitiam summa diligentia coluit, debitum Deo semper tribuens honorem; parentes singulari observantia prosequens; conscientiae moderatoribus mira humilitate obediens, etiam, dum ad illius virtutem exercendam, ipsi eam Missae Sacrificio aut Sacra Dape interdicerent: omnia demum, quae ad iustitiae virtutem referuntur, modo quodam extraordinario exercens. – Singulari praedita animi robore, nec afflictationes, quibus in corpus suum continuo saeviebat, nec solitaria, quam agebat vita, mundanis omnibus oblectamentis etiam innocentissimis destituta, illius cruciatuum sitim explebant: quin immo a Deo petebat ne eam caelestibus favoribus recrearet, sed tantum ei concederet tribulationibus ac infirmitatibus exerceri. Infirmitates autem consuetas, acerbissima morbi supplicia, quibus saepe cruciata fuit, afflictiones suas ac consanguinearum, et praecipue spiritus desolationes et ariditates, ac foedissimas daemonum insidias, impavido semper animo toleravit, in omnibus Divinae obtemperans Voluntati.

7. Quod si in omnibus Cardinalibus virtutibus nobilissima fuit, fastigium tamen in temperantia attigit ac praesertim in mortificationis exercitiis: flagris ex manipulis urticarum ac virgis spinosis compactis, ex cordulis intortis et nodosis, ex ferreis catenis, quae ferreis aculeis armatae erant, se pluries die noctuque ad sanguinis effusionem caedebat; asperrimis ac diversi generis ciliciis se quotidie cingebat; corona aculeis armata et alia spinis intexta caput suum redimibat; integros dies ieiuna prorsus manebat, aliaque mortificationis genera adhibuit (ut corpus suum ad servitutem redigeret) tam dira, tam innumera, tam varia, tam continua ut miraculo eius vita tribueretur ac perfectam in se imaginem reddiderit Sanctae Rosae Limanae, cuius exemplum imitandum elegerat.

8. Tali modo his aliisque rebus gestis, in exercitio omnium virtutum heroicarum, nulla mora adhibita, ad obitum usque perseveravit; quanti autem eam faceret Deus caelestibus favoribus, extasibus nempe, visionibus, raptibus ac miris portentis luculentissime demonstravit: quibus virtutibus quibusque extraordinariis signis singularis illa exorta est fama, qua ab omnibus, ac praecipue ab iis, qui huius Virginis conversationem fuerunt experti, uti sancta praedicaretur.

9. Sed si tam sublimis vita fuit, non dissimilis mors: eademque morte mirificum heroicae charitatis praebuit argumentum. Cum vero civitati suae Quito deplorabile infortunium immineret, singulari concivium suorum commiseratione percita ac flagrantissimo charitatis ardore incensa, vitam Deo in Ecclesia Patrum Societatis Iesu pro eorum salute obtulit. Domum reversa ac lethali morbo correpta, virtutes omnes, quas integro vitae cursu exercuerat, eminentiori gradu coluit, donec caelestibus favoribus saepe saepius recreata, aetate viginti septem annorum leniter animam efflavit.

10. Post mortem haud facile referri potest quam mirum incrementum illius sanctitatis fama attigerit, uti ad funus extraordinarius populi concursus, ad sepulcrum peregrinationes, in eius intercessione firmissima spes, plane demonstrant. Innumera autem portenta, divina virtute ac eius intercessione patrata, sanctitatis iam adeptum nomen mirifice roborarunt, inter quae illud recensendum, quod sanguis ex venis Beatae pluries extractus et fovea quadam humo conditus, non solum vivus et incorruptus iugiter permansit quoad usque ipsa vixit supernaturalem exhalans fragrantiam, sed paucos post dies ab illius obitu, in eodem loco et ex eodem sanguine lilium mirae pulchritudinis germinavit, quo prodigio, omnium consensu, lilium Quitense Virgo illa sanctissima nominari meruit.

Cum vero temporis progressu et sanctitatis et miraculorum fama continuo cresceret, Beatificationis ac Canonizationis Causa introducta, virtutibus portentisque rite perpensis atque adprobatis, Summus Pontifex Pius Papa IX solemni ritu Dei Servam ad Beatarum Caelitum honores, indicibili omnium gaudio, provehere dignatus est.

11. Et nunc quis dubitare poterit quin post Solemnem Beatificationem fidelium fervor in Beatae cultum mirum in modum in dies creverit? Quin Australis Americae fines attigerit ac superaverit? Quin mirabiles ac frequentes sanationes illius sanctitatem divino confirmaverint testimonio? Luculentissima enim epistolarum monumenta Eminentissimorum quorumdam Ecclesiae Principum, Thebani Episcopi, Praepositi Generalis Societatis Iesu, Rectoris Collegii Pii Latini Americani in urbe, Rectoris Collegii Hiberici, et demum ingentis Quiti civium cohortis, haec mirifice testantur, et a suprema Pontificis auctoritate pro Beata Maria Anna a Iesu supremos canonizationis honores humillime efflagitant.

12. Quae cum ita sint, cumque gravissima, quae memoravimus, epistolarum monumenta sane probent nil in Beata Nostra deficere, cur causa resumatur iuxta ea, quae a Benedicto XIV rite sancita sunt (De Canoniz. Lib. 2, Cap. 38, Num. 3), Amplissimum hunc Coetum enixis precibus rogamus, ut pro Signatura Commissionis Reassumptionis Causae benigne respondeat, merito confisi fore ut, novis prodigiis processu exornato, eisdemque rite perpensis atque probatis, cito ad maximos Canonizationis honores Beata Nostra provehatur, quod cum Eminentissimis Ecclesiae Principibus, cumque aliis amplissimis viris, quos supra commendavimus, ac tum denique cum solertissimo Causae Postulatore P. Camillo Beccari S. I. enixe flagitamus.

Quare, etc.

Die 24 Novembris 1902.

Achilles Adv. Martini.
Petrus Mencacci.

Revisa
Angelus Adv. Mariani
S. R. C. Assessor et S. Fidei Subpromotor.

VII.

ANICIEN. — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Fratris Benildis e Congregatione Fratrum Scholarum Christianarum.

In oppido *Thuret*, Claramonten, dioeceseos ex honestis piisque parentibus Ioanne Romançon et Anna Chanty, ortum habuit die 14 Iunii anno 1805 Servus Dei Fr. Benildes e Congregatione Fratrum scholarum christianarum, qui in sacro fonte Petrus appellatus est. Puerulus ad virtutem succrescens, matris praesertim cura, scholas privatas, Ioanne Delair praeceptore, frequentavit, ob singularem diligentiam et ingenii acumen inter aequales mirifice praestans. Ad nutum parentum gregis custodiae aliquando addictus tranquillas ducebat horas atque naturae contemplatione ascensiones ad Deum in corde suo disponebat. In civitate claramontana intuens Fratres a scholis christianis singulari modestia per viam Rosarium B. M. V. recitantes, statim ad eorum Institutum se intime vocari fassus est. Decennis Rigodunum prope *Thuret*, ad ipsorum Fratrum scholas instituendus mittitur. Anno aetatis sextodecimo, patria relicta, domum praedicti Instituti in civitate claramontana ingreditur, S. Amatoris opem et patrocinium ibidem expertus. Tyrocinio cum laude expleto, votisque nuncupatis, variis in locis praesertim *Aurillac*, *Limoges*, *Moulins*, *Clermont*, *Montferrand*, *Billom* et *Saugues* se totum pueris excolendis erudiendisque devovit, universo civium ordine plaudente. Quum Deus esset in conspectu eius omni tempore, hanc divinam praesentiam identidem in classe ad mentem puerorum revocabat, satagens litterarum studium cum pietatis amore coniungere. Hinc eos piis exercitiis atque christianae doctrinae institutione ad sacra mysteria suscipienda pro viribus praeparabat. Quod etiam praestitit in schola vespertina ubi adulti et nupti quoque homines conveniebant, eius fortitudinis et iustitiae simul ac mansuetudinis et patientiae testes. Dei et Ecclesiae praecepta atque sui status obligationes fideliter observans hic bonus agricola bonum semen seminavit in agro suo: quod semen tempore opportuno multum attulit fructum etiam per vocationes tum religiosas tum ecclesiasticas quas ipse divinae gloriae et animarum saluti provehendae iugiter intentus impense fovit et promovit. Tandem Fr. Benildes annum agens quinquagesimum septimum et magno labore et diuturna aegritudine afflictus, omnibus Ecclesiae sacramentis prout ipse petierat, munitus spiritum piissime exhalavit in pago *Saugues*, die 13 Augusti anno 1862. In Ecclesia eiusdem pagi depositus magnam populi multitudinem ad funus et ad tumulum attraxit. Certatim quisque studebat aliquas sibi eripere eius vestium particulas, egregiasque virtutes publica testificatione notare. Haec sanctimoniae fama ante et post obitum Servi Dei in dies perseverans adeo inclaruit, ut super ea Processus Ordinarius Informativus in ecclesiastica Curia Anicien. adornatus et in hanc Urbem delatus Sacrorum Rituum Congregationi exhibitus sit. Postea quum ex decretis eiusdem Sacrae Congregationis 13 Maii 1901 et 13 Decembris 1902 nihil obstaret quominus de causa introducenda ageretur, instante R. Fr. Robustiano Congregationis Fratrum a scholis christianis Procuratore et Postulatore Generali, atque attentis

Litteris postulatoriis plurium Emorum S. R. E. Cardinalium, R.morum Sacrorum Antistitum, aliorumque virorum dignitate sive ecclesiastica sive civili praestantium, E.mus et R.mus D.nus Cardinalis Dominicus Ferrata, huius Causae Relator in ordinariis comitiis S. R. C. subsignata die, ad Vaticanum habitis sequens dubium discutiendum proposuit; nimirum: « *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* ». Porro E.mi et R.mi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem E.mi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde sanctae Fidei Promotore, omnibusque accurate perpensis rescribendum censuerunt: « *Affirmative seu signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit* » Die 21 Aprilis 1903.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit, propriaque manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praefati Ven. Servi Dei Fratris Benildis e Congregatione Fratrum scholarum christianarum, die 22 eisdem mense et anno.

SERAPHINUS Card. CRETONI *S. R. C. Praefectus.*

L. ✝ S.

DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen. *S. R. C. Sec.rius.*

INFORMATIO

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?

E.me ac R.me Domine,

1. Amplissimam profecto laudem praecipuumque praemium illi merentur qui nedum ad christianam perfectionem sedulo intendunt, sed alios etiam, et iuventutem praesertim, in sanctam iustitiae viam adducere omni industria conantur. Gloriosissimam et cumulatissimam istis paratam in coelis mercedem legimus in Scripturis Divinis, iis verbis: « *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt tamquam stellae in perpetuas aeternitates* » (Daniel. XII. 3).

2. Fuit ex his enimvero non postremus Frater Benildes e Scholis Christianis, qui vitam innocentia mirabilem, virtutum exercitatione ac caelestibus donis insignem tradidit totam in bonum adolescentium, eorumque profectum adeo curavit ut quamplurimi, eo auctore, meliorem eligentes partem, Domino in Sacerdotio aut regulari quovis Instituto inservire statuerint. Vir de re catholica optime meritus ac religionis zelo admodum conspicuus tali apud omnes floruit vivens adhuc, et maxime post obitum, sanctitatis aestimatione, ut vix eo demortuo, de caelitum honoribus ipsi comparandis, Beatificationis causa ad Apostolicam Sedem delata, fuerit a suis cogitatum.

3. Instituta itaque ac rite absoluta super eius sanctimonia vitae virtutibus et miraculis Episcopali auctoritate Inquisitione, nos concreditum defensionis munus, nunc nostrarum pro virium tenuitate, Deoque in primis adiuvante, obire libenter aggredimur, a Servi Dei texenda vitae historia initio ducto, ut viri perspecta imagine tenuibus quasi lineamentis circumscripta, facile deinceps sit eximia virtutum ornamenta plenius intelligere ac pro meritis aestimare.

CAPUT I.

SYNOPSIS VITAE SERVI DEI.

4. Humili in oppido Claromontensis Dioeceseos, cui nomen Thuret « *dans le Puy-de-Dôme* », ortus est Servus Dei anno 1805, die decimaquarta Iunii, eique sacro baptismate abluto, Petri nomen impositum. Erat pater eius Ioannes Romançon, mater Anna Chauty. Isti haud multis in opibus versabantur, sed religione in Deum adeo praestitisse feruntur ut nec horrida seditionis tempora eos avertere vel terrere a sancta fide valerent. Mulier pientissima conabatur omni studio informare puerulum ad pietatem eumque saepe adducebat secum in Dei templum ut sacrarum rerum ei amorem infunderet: neque incassum, siquidem huic sollicitudini matris respondit apprime Benildes, qui docilis, pius, obsequens et ad virtutem pronus crescebat.

5. Aetate illa puerili frequentavit scholas quas habebat vir quidam, Ioannis Delair nomine: cum autem ob familiaria negotia ad illas, aliqua prae aliis discipulis tarditate, inciperet ventitare, cum eisque, ut contingere solet, nullam iniret societatem, multas, in principio, contradictiones ex parte eorumdem perpessus est. Benildes tamen omnia patientissime tulit adeoque incubuit in studio, ut quamcito inter aequales mirifice praestiterit. « Il n'arriva pas en « même temps que les enfants de son âge, parce que « ses parents peu riches en avaient besoin à la maison « Quand il vint, il fut l'objet des tracasseries de ses cama« rades, parce qu'il ne les fréquentait pas. Mais il n'en faisai« pas de cas, il s'appliquait beaucoup au travail et bientô « il eut dépassé tous ses camarades ».

6. Erat in ipso singulare ingenii acumen atque intelligentiae munus. « Pour son intelligence, on disait à Thure « qu'il était rare de voir des enfants apprendre comme i « avait appris chez l'instituteur ». Per idem tempus, cum parentes agrariis intenderent operibus, custodiendum aliquando gregem concredebant filio, qui sanctos interea libros lectitans, procul a rumoribus mundi, in amoena agrorum tranquillitate et infinita aëris amplitudine animum ad Deum quadam suavitate perfusus attollebat. Per eadem circiter tempora contigit quod cum Dei Servus adiret una cum parentibus civitatem Claromontis ibique per vias animadverteret Fratres a Scholis Christianis, qui Virginis Deiparae Rosarium singulari modestia recitabant, tali in eos admiratione correptus est, ut rediens in domum suam declaraverit patr se desiderio flagrare Congregationem eamdem ingredi ac profiteri.

7. Ita decimo suae aetatis anno mittitur a parentibus Rigodunum, in viciniis patriae suae, ad scholas praefatorum Fratrum ubi egregia omnibus tradidit virtutum exempla « Il avait toujours été le modèle de ses camarades ». At tamen Dei Famulus « avait toujours eu l'idée d'entrer chez « les Frères », quamvis desideriis animi obstaret pusilla corporis statura. « On faisait difficulté pour l'admettre au No« viciat à cause de sa petite taille ». Nihilominus caelest adiutus ope quam ferventer imploraverat, illud tandem assequi potuit, quod vehementer optabat, suique cordis vota haud diutius remorata sunt. « Il grandit assez pour être « autorisé à entrer; mais il resta toujours de petite taille « et tout contrefait ».

8. Itaque sexto et decimo suae aetatis anno patriam suosque reliquit ut Congregationem Fratrum ingrederetur in urbe Claromontensi, ubi Magister tironum vaticinatus est iuvenem illum futurum aliquando gloriam Instituti. « *Ce « petit bonhomme* (praedixit) *fera la gloire de notre Ins« titut* ». Demortua genitrice rediit, habita moderatorum licentia, in familiam, et quamcito ex ea rursus ad religiosam domum reversus est. Fertur de eodem quod per id tempus

cum ipse esset addictus extinguendis lampadibus in Sacello collucentibus, olim, expleto officio, in preces effusus in S. Amatorem, cuius corpus inibi asservatum quiescebat, voluerit in fine, uti assolebat, terram deosculari: at incidit vehementer in obicem unde dentes eius misere conquassati sunt. Tunc ipse, ne incommodo esset Communitati, ob debitam sibi curationem, conversus ad eum Sanctum, clamavit: « *Grand Saint, c'est pour vous que je viens d'avoir* « *ce mal; guérissez-moi, je vous en conjure* ». Nec perperam, postridie enim omne mali eventus vestigium prodigiose evanuerat.

9. Tirocinio summa cum laude absoluto, varia in loca Dei Famulus missus est. « Il avait été (in actis legimus) à « Aurillac, Limoges, Moulins, Clermont, Montferrand et « Billom ». Aureliaci concredita ei fuit classis puerorum ibique per totum vitae cursum ipse manere desiderasset: at vero « on le nomma Frère de la première ». In domo hac adeo felices exegit dies, ut post annos plurimos, eos cum quadam animi voluptate memoraret adhuc ostendens sodalibus ea scripturae specimina quae temporibus iis confecerat. Deinde vero « *il a été envoyé à Saugues en qualité* « *de Directeur et de Fondateur, en 1841* ».

10. Heic, veluti ad triumphum exiret, maximo cum honore exceptus est. Meminit Testis XXX ingressionem illam relatu dignam: « Je me souviens très bien (ipse enarrat) de « l'arrivée du frère Bénilde. On le promena dans toute la « ville de Saugues, tambours en tête, avec le maire et les « conseillers municipaux ». Nihilominus plurimas vel ab initio pertulit contradictiones ex parte praesertim Parochi loci illius qui Fratrum Scholas ibi penitus noluisset; sed autem tales exinde fructus promanarunt alumnis, ut iidem inimici ad saniora consilia reversi, iis Fratribus quam maxime faverent iisdemque Clerus religiosam infantium institutionem omnino libenterque concrederet.

11. Hinc factum est ut Dei Famulus se totum pueris excolendis erudiendisque devoveret. « Il semble qu'il s'ap« pliquait d'une façon très spéciale à l'instruction religieuse ». Quae autem et quanta Dei Servus pro gloria divina et animarum salute sit operatus, haud facile dictis consequi complectique potest et aliorum certe peritia opus esset ad eius labores ac sollicitudines quotidianas aptis imaginibus describendas. Inculcabat assidue discipulis praesentiam divinam, quam ut memorarent semper, volebat quod ipsi identidem in classe, omnes insimul elata voce clamarent: « *souvenons*« *nous que nous sommes en la présence de Dieu* »; ipsos quotidie ad sacram aedem adducere solebat ut divinis litandis adstarent, ipsos edocebat preces piasque iisdem exercitationes insinuabat. Singularis autem in Dei Famulo sollicitudo prodiit iis qui ad Angelorum Convivium primo accedere debuissent; illos enim ad sanctum hoc mysterium digne celebrandum pro viribus instituebat, sermone hortabatur, enarrationibus incendebat, suo ipso fervore omnique industria excitabat ut conscientiae puritatem et cordis caritatem ad sacram mensam afferre studuissent. Maxima similiter ei erat cura ut alumnorum cordibus pietatem ac dilectionem in Deiparam Virginem infunderet, Eamque precibus, hymnis, cantibus honorari ex corde sategit.

12. Peculiaris certe ei inerat ars catechesim explicandi, talisque erat verborum vis, ut audientium animos ad se mirifice traheret omniumque oculi in ipsum docentem firmiter intenti manerent. « *Il faisait le catéchisme d'une* « *manière si intéressante, que tout le monde avait l'œil* « *sur lui* ». Hinc laetabantur omnes cum Dei Servus cathedram edocturus conscenderet. Refert alter e discipulis eius: « Quand nous le voyions venir en classe, prendre la « place du professeur, c'était un très grand contentement « parmi nous. Il nous expliquait le catéchisme avec une très « grande simplicité et netteté, de telle sorte que nous pou« vions presque répéter ses paroles même à la maison ». Non igitur miramur si multiplicaretur in dies discipulorum numerus, et vespere convenirent ad scholam adulti et nupti quoque homines, ita ut tot alumnos classes amplius continere non possent. Ob opportunam eius severitatem et iustitiae laudem omnes ipsum timebant ac reverebantur, ob affabilitatem et patientiam pueri confluebant ad eum eumque blanditiis afficiebant, ob rationem instituendi omnes ipsum sincero dilectionis affectu prosequebantur et maximo habebant in pretio: et nedum Clerus et Ecclesiasticae Dignitates, sed ipsi Praesides municipales, quamvis religionis minime studiosi et aliquando perversi suae aestimationis in eum indicia certissima significarunt, eius petitionibus faverunt, solemnem praemiorum distributionem praesentia sua honestarunt et sacrae quoque caeremoniae, quae tunc habebatur, libentissime adstabant. Immo testatum in actis legimus quod quum solemnitas haec primum celebrata est, Rector ipse municipalis una simul cum alumnis pagum circumire voluerit. Praeibat omnibus Frater Benildes, qui denique illud agmen ad templum adduxit. Neque semel iterumque id factum est, namque: « J'ai vu cela (narrat Testis XXVIII) se « faire encore de mon temps, et je crois que la chose s'est « continuée après ».

13. Eo regente et operante Institutum summopere floruit; et quoniam « son but principal était de former des chré« tiens », talis erat zelus eius pro spirituali omnium ac praesertim succrescentis sobolis bono et profectu, ac tantum erat exemplum quod cunctis tum verbis tum operibus praebuit ut multas excitaverit et foverit vocationes religiosas et ecclesiasticas, quae felices fructus suo tempore protulerunt. « *L'édification qu'il donnait était constante* ». Et revera omnes ipsum diligebant, ad ipsum omnes arcana quadam vi trahebantur, ipsum reverebantur singuli et sanctum undique praedicabant omnes.

14. Huiusmodi vitam plenam meritis et sanctimoniae lumine insignem egit ad annum suae aetatis quinquagesimum et septimum: tunc enim laboribus pressus et diuturna absumptus infirmitate, quam patientissime tulit, « *avec une* « *patience angélique* », omnibus Ecclesiae Sacramentis quae ipse efflagitavit, refectus, spiritum Deo placidissime reddidit, die decimatertia Augusti anno 1862. « Il mourut vers les 7 « heures du matin... Il expira sans effort, sans agonie, joi« gnant les mains et fixant une image de piété ».

CAPUT II.

De Virtutibus in genere.

15. Locupletissimorum, quos habemus, testium suffragium nos dubitare non sinit, quin Dei Famulus virtutes omnes theologicas, cardinales, aliasque illis adnexas per totum vitae curriculum adeo coluerit, ut ipse eos inter viros, qui ob egregiam morum integritatem optimi ab omnibus appellantur, merito prior accenseatur. Dei et Ecclesiae praecepta accuratissime custodivit, a quovis, etsi minimo, defectu sedulo abhorrens: neque contradictiones, obstacula, difficultates, labores assidui valuerunt ut vir iste magnanimus ab inita christianae perfectionis semita deflecteret vel suscepta munia parumper aliquando intermitteret: adeo ut de virtute in virtutem quotidie magis proficiens, ad finem usque in sancta exercitatione perseveravit, omnibus egregia specimina tradens. « Je déclare (ait alter ex Testibus) qu'il a observé « scrupuleusement les commandements de Dieu et de l'E« glise ». Affirmat alius: « il pratiquait la vertu à un degré « supérieur aux autres hommes ». Alius denique, ne multus sim, candide fatetur: « Quand je fais ma méditation, quel« quefois en pensant au Frère Bénilde, je me dis: Tu veux

« arriver au Ciel, comment feras-tu? tu es bien loin des « vertus de ton premier Directeur ». Verum haec quae modo indicavimus, lucentiora fient ex singularum virtutum recensione et examine, quod incunctanter aggredimur.

CAPUT III.

De Virtutibus Theologalibus et primum de Fide heroica.

16. Fieri sane non potest, ut quis christianae perfectionis fastigium attingat, quin fidei virtute excelleat, quae est « *origo iustitiae, sanctitatis caput, devotionis principium, religionis fundamentum* » *(S. Ioann. Chrysost. in serm. de Fide)*. Quare mirabitur nemo si « *le Frère Bénilde avait une grande foi* ». Et apparebat enimvero egregia Servi Dei fides ex eius incessu, ex modestia admirabili, ex pietate qua omnes religionis actus idem perficeret. « *Sa foi se manifestait dans sa conduite extérieure* ». Ipse enim praesentem sibi semper Deum adesse considerabat, eumque per solitarias vias deambulantem si vidisses, eius oculos saepe in caelum deprehendisses elatos et in ferventes invocationes eumdem erumpere quampluries audivisses. Quin immo ut omnes Deum praesentem continenter haberent, alterum e Fratribus deputaverat qui, cum discipuli irent ambulatum aut inter se conversarentur, Dominum ipsis identidem revocaret in mentem.

17. Cum autem fides, auctore Divo Augustino, sit « *Virtus qua creduntur quae non videntur* » (*Tract. 48 in Ioann.*), apprime sequitur orandi studium praeclarum dictae virtutis indicium constituere: quo noster enim animus per invisibilem contemplationem se ferventius ad Dominum erigit, eo magis viva eius fides apparet hominibus. Quomodo autem hac in re se Dei Servus gesserit, testes omnes una ferme voce commemorant: aliique ex iis enarrant quod assiduis precibus sanctificaret itinera; referunt alii quod in laboribus orationes eius frequenter in caelum ascenderent; dicunt alii quod si forte per vias gradiens sanctae Crucis effigiem conspiceret, consistens illic in genua provolutus prece fundebat. Non exagerasse igitur liquet Testes qui dixerunt: « Il avait « une grande foi, qui se manifestait *par son grand esprit « de prière* ».

18. At singularis veneratio singularisque pietas in Sanctissimam Eucharistiam, iuxta verba S. Doctoris nuper adducta, argumentum *a fortiori* inquirentibus exhibet, ut arguant in Dei Servo virtutis, de qua loquimur, praestantiam; siquidem: « *Fidei mysterium est hoc Sacramentum* » *(Cornel. a Lapide in 1. ad Timoth. 39, pag. 725, col. I)*. Quale hoc obsequium in Dei Famulo fuerit, haud facile certe potest nunc dictis expleri. Gestiebat gaudio quoties templum vidisset ac totus laetitia perfusus clamabat: « *Loué et adoré « soit Jésus au S. Sacrement de l'autel* »; omnes experiebatur industrias ut plures in die ab augustissimo Sacramento benedictiones excipere sibi datum esset; vix aliquantulum e quadam sua infirmitate convaluit, subito exiit ac perrexit ad adorandum Iesum in tabernaculo delitescentem. Non igitur demiramur si Testes laudibus amplissimis memorent pietatem vere admirabilem qua Benildes in domo divina consistebat. Tunc vultus eius Angelorum speciem assumere videbatur et coram altaris Sacramento penitus in Domino absorptus, raptus in aecstasim apparebat. « En présence du St Sacrement, il avait une attitude absolument « édifiante, l'attitude d'un saint. Il était absorbé en Dieu, « comme en extase ». Item alius testis edocet: « Devant « le Saint Sacrement il ressemblait à un séraphin ». Et alius confirmat: « A l'église, il était d'une piété angélique ». Ex quo iure dixisses eum orantem Deum ipsum aspicere: « on « aurait dit qu'il voyait Dieu ». Tali excitatus instinctu fidei, quampluries in hebdomada ad Convivium caeleste accedere consuevit ac tanto ardore, eo temporis momento, incendebatur, ut unus e caeli Seraphim ab inspicientibus aestimaretur. Sanctus eius fervor, quin verbis sese proderet, exterius erumpebat et copiosos salutaresque generabat fructus; veniebant enim gentes studio videndi Benildem sacram suscepturum Dapem, ut eius exemplo excitarentur. Neque id perraro contigisse putes, nam, uti alter ex testibus refert, eius aspectus ad sacram mensam accedentis infidelem ac incredulum ad fidem perducere et convertere valuisset. « *Rien « qu'à le voir aller à la Table Sainte, un incrédule aurait « pu acquérir la foi* ».

19. Non heic dicimus de viro apostolico qui ardua itinera aggressus est et longinquas regiones peragravit ut ethnicis annuntiaret catholicam fidem; hoc enim Benildis vitae status ferre non sivisset, bene vero ei quantum per conditionem licuit, divinam procurare gloriam non destitit. « Il avait à « cœur, autant qu'on peut l'avoir, la gloire de Dieu; il est « rare de trouver des hommes qui l'aient à ce degré; il ne « rêvait que cela ». Et enimvero Domino procuravit gloriam satagens alumnis utilitatem quam maximam afferre tum operibus, tum praesertim exemplo; Domino procuravit gloriam innumeras excitans ac fovens vocationes religiosas; Domino procuravit gloriam animis religionis studium infundens, cuius elementa tali methodo discipulos edocuit ac tanta perspicuitate fidei mysteria explicavit, ut audientes gestirent gaudio vix eum conscendere cathedram vidissent. Ceterum ipsemet fatebatur hanc esse unam sollicitudinem suam, animas efficere Christo devotas. « Il avait à cœur la gloire de Dieu, « et, comme il le disait, n'avait qu'une préoccupation: faire « de bons chrétiens ».

20. Oriebatur ex fide maximum illud venerationis obsequium, quo Servus Dei Sacras Litteras prosequebatur. Novum Testamentum flexis genibus quotidie perlegebat, illud identidem osculabatur, illud secum continenter habebat. Similiter proficiscebatur ex fide eius singularis observantia in omnes Dei administros, quos admirabili quadam humilitate alloqui semper et adire solebat.

21. Sicuti egregii omnes viri qui floruerunt sanctitate, Virginem Dei Matrem peculiari pietatis affectu prosecuti sunt, ita deesse hoc in munere nequibat Frater Benildes, de quo in actis legimus, quod assidue Ipsam discipulis memoraret, quod eosdem excitaret ad canendas laudes in Eius honorem per mensem Ipsi dicatum, quod Eius rosarii recitationem summopere in deliciis haberet, quod omnium animis devotionem in Eam insinuare curaverit. « Il nous disait « fréquemment que ceux qui aiment la Sainte Vierge et la « prennent pour leur protectrice, ne peuvent pas périr ». Eodem ductus instinctu fidei revocabat saepe alumnis dolentem Christi passionem eamque illis enarrans se a lacrymis temperare non poterat. Et singulari quoque pietate prosequebatur S. Iosephum, S. Petrum Apostolorum Principem, Angelos aliosque Sanctos Caelites. Porro hoc ad fidem pertinere norunt omnes: « *Deo quippe credit qui Sanctis suis credit in quibus loquitur Deus* » *(S. Laurentius Iustiniani in ligno vitae tit. de fide, cap. 4)*.

22. Indubium aliud, et quidem ceteris splendidius argumentum fidei consistit in prodigiorum operatione, quemadmodum S. Thomas nos edocet *(2. 2. quaest. 178, art. 2)*, et confirmat quoque Suarez *(Tract. de fide, disp. 8, sect. 1)*. Iamvero legimus in actis: « Il avait une grande confiance « en la prière et une foi très vive. La Providence a fait « pour lui de véritables prodiges. Il a demandé des gué« risons et il en a obtenu. Il a prié pour la santé de ses « Frères et il a réussi ». Haec autem omnia, quae fusius suo loco exponemus, talia sunt profecto quae virtutem heroicam valeant in homine comprobare, ipso dicente Christo:

« Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti » (Marc., IX). *« Signa autem eos qui crediderint haec sequentur » (Marc., XVI)*.

23. Huc quoque revocanda est singularis innocentia vitae singularisque ea morum integritas qua tantopere Dei Servus enituit, etenim *« Qui credit Deo, attendit mandatis » (Ecclesiast., 52, 28)*; huc revocanda est etiam perfecta illa observantia consiliorum Christi, ad quam pro viribus Benildes intendit, quaeque eam constituit mundi victoriam, de qua clamat Apostolus: *« haec est victoria quae vicit mundum, Fides nostra » (Ioann., Epist. I, cap. IX)*. Ex quo tum Benedictus XIV eximius iuris nostri praeceptor, tum Sacrae Romanae Rotae Auditores Dei mandatorum observantiam et consiliis evangelicis obedientiam, praecipua inter indicia fidei, in causis nostris primitus accensere non dubitarunt.

CAPUT IV.

De heroica Spe.

24. Veluti nautis in aequoris amplitudine demersuris cogitatio portus arridet, similiter christianorum animi assiduis vitae fluctibus agitati a suavissima hac virtute vim hauriunt per eamque ad patientiam excitati, in adiunctis difficilioribus interdum inde gaudium ac solamen quodammodo accipiunt. Itaque Spes adeo coniungitur cum fide, ut alterutra ex iis absque alia penitus consistere nequeat. « *Quo « maior est fides* (ait Cornelius a Lapide) *eo maiorem « gignit spem* » (In Epistola Iacobi); et Divus Bernardus scribit: *« Quantum quisque credit, tantum sperat » (De pass. Dom., cap. 43)*; tum etiam: *« germana sunt fidei « speique cognatio, ut quod illa futurum credit, haec « sibi incipiat sperare futurum » (Serm. 10, in Ps. 90)*. Atqui iam in superiori capite nos vidimus quanta esset in Dei Famulo fides, qui « *ne vivait que de foi* »; spe igitur ipsum quoque excelluisse censendum est. Et revera passim in actis legimus: « Il avait une grande espérance »; « Il « avait la vertu d'espérance »; quin imo « Toute sa con« duite témoignait de sa grande vertu d'espérance ».

25. Etenim loquebatur assidue de gloria caelesti et in eloquio clare apparebat desiderium eius flagrantissimum vitae aeternae assequendae. Aliosque identidem excitabat ut nunquam in hoc mundo quiescerent et ad custodiendam a saeculi sordibus animam continenter intenderent, quo postea praemium et beatam patriam promereri valerent. « *Travaillons sur la terre* (inculcabat suis) *tant que nous « y sommes; nous nous reposerons pendant l'éternité* ». Ex his animi sensibus facile consequebatur assiduus ille mundi contemptus, quem ipse iam a primis vitae annis manifestavit quum aetate sua iucunda mundi illecebris et omnibus vitae commodis valedicere statuit, ut ingrederetur Congregationem seque totum traderet iuventutis institutioni. Hinc autem spretus de rebus omnibus mundanis praesertim si iungatur cum caelestium desiderio, spei virtutem apprime demonstrat, tradente S. Bernardo: *« Spes perfecta facit « nos concupiscere non terrena quae videmus, sed cae« lestia quae speramus » (In parab. de fid., spe et carit., tom. 2, col. 2)*. Iamvero: « *Autant il cherchait les biens « du Ciel, autant il méprisait les biens de la terre* » « *Certainement* (ait alius testis) *il pensait plus au Ciel « qu'à la terre* ».

26. Iuxta sapientissimi Praeceptoris nostri doctrinam alterum virtutis huius indicium praeclarissimum exhibet fiducia, qua quis vitam aeternam per merita Christi Iesu se assequutum iri confidit. Haec autem firmissima fiducia luculenter arguitur ex mirabili Servi Dei vitae innocentia cunctisque bonis operibus, queis ipse ad obitum usque vacavit assidue. Ad quid enim a quavis macula immune custodiisset ipse cor suum, ad quid tot labores aggressus esset, ad quid peiora discrimina atque adiuncta difficiliora nunquam deiectus animo sustinuisset, nisi spe erectus certissima beatam excipiendi mercedem? « Il ne se laissait pas décourager « par les difficultés ». « Il ne se plaignait jamais (refert « alius testis) et je ne l'ai jamais vu dans l'abattement ». Quam ipse experiebatur spem, eamdem aliorum cordibus ingerere et inculcare conabatur. « Il nous répétait souvent « (tradidit alter ex testibus) que nous étions sur la terre « pour sauver notre âme, et obtenir la vie éternelle ». Hanc ipsam spem, qua eius animus incendebatur, paraenesibus ac familiaribus quoque sermonibus consueverat suis alumnis declarare, seque totum in Deo et Sanctis fidere fatebatur libenter. Dicebat enim quod « mettait toujours sa confiance « en Dieu et en Saint Joseph ». « Il manifestait souvent « son espérance, et la fondait sur la protection de la Sainte « Vierge et de Saint Joseph ».

27. Insigne aliud argumentum spei praebet assiduum orationis studium, quo Dei Famulus adeo praefulsit, ut passim testes in actis rogati affirmare non dubitaverint quod ipse ad preces continenter animum intenderet: « *Il était toujours « en prière* »; quod in re quavis difficili ex precibus hauriret invictum animi robur: « *Dans les difficultés... il allait « se jeter aux pieds de Notre-Seigneur* et se redressait « fort comme un lion »; quod omnem fiduciam suam penitus in precibus poneret: « Il avait une grande confiance « *en la prière* ». Haec autem vividae spei totidem esse praeclarissima argumenta, quisque facile intelligit: quemadmodum enim dominus « *non nos hortaretur ut peteremus nisi dare vellet* », veluti edocet Divus Augustinus *(De Verb. Dom., serm. 5)*, sic neque homines peterent, nisi spem foverent sibi quod efflagitant aliquando concessum iri.

CAPUT V.

De heroica Caritate in Deum.

28. Praeclarissima inter virtutes omnes profecto caritas est, quippe quae Deum immediate respiciat, et ad Illum nos suaviter ac fortiter trahat. Hinc merito a theologiae doctoribus caeterarum virtutum forma, anima ac vita, omniumque meritorum nostrorum fons et principium vocatur. Dicitur virtutum forma quoniam earumdem perfectio est, quandoquidem sine caritate nullius pretii sunt coram Deo. Illarum quoque est anima et vita, ubi enim desit caritas, caeterae virtutes mortuae sunt. Appellatur denique meritorum principium, quia omnia bona opera summum pretium nanciscuntur cum fiunt per caritatem. Quapropter ut cuncta quaecumque facimus Deo accepta sint, in spiritu caritatis agenda sunt, iuxta illud Apostoli: *« Omnia vestra in caritate fiant » (1. Cor. XVI)*.

29. Quantopere in huius virtutis exercitio Dei Famulus excelluerit, facile ex iis quae testes tradidere colligitur. « *Haec est charitas Dei*, docebat Ioannes Apostolus, *ut mandata eius custodiamus » (1. Ioan., V, 3)*: quae sententia apprime congruit cum verbis Christi Domini: *« Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me » (Ioann., XIV, 21)*. Hinc potissimum caritatis indicium ex observantia mandatorum, idest ex vitae innocentia haurire oportet. Atqui de Benilde nostro testes asserunt: « *Il a ob« servé scrupuleusement les commandements de Dieu et « de l'Eglise* »; addunt insuper quod nullus in eo defectus deprehendi unquam ab aliis potuerit: « *Je ne l'ai jamais « vu manquer une seule fois* (ait alter e Testibus) *ni aux « commandements de Dieu et de l'Eglise, ni aux obliga« tions de son état* »; edocent etiam quod libentius suam tradidisset vitam quam Domino vel levem offensam af-

ferre: « *Il n'aurait pas voulu offenser Dieu pour tout au* « *monde* ».

30. Exinde liquet quam merito a testibus dictum fuerit « *qu'il aimait Dieu de toute son âme* ». Tempore a laboribus vacuo, ipsum saepe invenisses abditis in locis, ibique ipsum genibus flexis, oculis in caelum conversis, ardentem vultu, internique sui amoris impetus effundentem conspexisses. « *Il aimait Dieu de tout son cœur* », eumque vidisses peramanter contra pectus prementem Christi e cruce pendentis imaginem, quam semper prae manibus habuit in quovis itinere aggrederetur: « *Il était pénétré de l'amour* « *de Dieu* », eumque in iucundis ambulationibus sacros canentem hymnos audivisses aut alios ad canendum edocentem.

31. At nullibi luculentius elucebat Servi Dei caritas, quam in Augustissimi Sacramenti adoratione: tunc solus eius aspectus totum manifestabat internae caritatis ardorem; talis enim erat eius fervor ut vere Angelus videretur. Et quod de Sanctis legitur, idem de Benilde nostro rescimus ex actis. « *Je l'ai surpris bien des fois* (ait testis XXI) *dans des* « *actes de véritable extase* »; et si forte ab aliis in eo statu deprehenderetur, « il tâchait de se remettre, mais il « semblait qu'il revenait d'un autre monde ». Haec ardentissima caritas omnibus adeo perspecta erat, ut alter ex testibus fateatur se quandoque obtulisse Domino adorationem Fratris Benildis. « Ne sachant pas bien prier (declarat ipse), « il m'arrivait de dire: *Mon Dieu, je vous adore comme* « *vous adore le Frère Bénilde* ». Ex tanto pietatis aestu consequebatur quod si pueros absque debito obsequio manentes in loco sacro vidisset, sueta dimissa suavitate, eos vehementer redargueret eosque aliquando ad templi fores eiiceret. Neque mirum, docente Augustino: « *Qui perfecte amat, nolit solus amare, solus magnificare* » *(Conc. 2, super psalm. 33)*; hinc Dei Servus qui maximo incendebatur amore et tantummodo ad gloriam divinam augendam et lucrandas Christo animas vires suas intendebat, omnes ad Illum adducere voluisset, atque devotissimos animi sui sensus omnibus infundere connitebatur.

32. Referunt quadam cum animi voluptate testes quomodo Benildes socios hortaretur assidue ut omnia propter amorem Domini operarentur, eosque frequenter de gloria caelesti alloqueretur. Et enimvero pulchrum ac volupe erat videre quanta laetitia perfunderetur in sermonibus de Deo, videre quanto studio quaevis colloquia ad Deum converteret, videre quanta industria in qualibet occasione aliquid de Domino diceret: ita ut nulla esset conversatio eius in qua non memoraret collaudaretque Deum. Iamvero scitissime animadvertit S. Laurentius Iustiniani, proprium amantium esse quod frequenter eloquantur de illo quem diligunt eumque apud alios assidue commemorent: etenim fieri nequit quod vehemens dilectio tacita servetur in corde, sed necesse omnino est ut aliquo se prodat modo ad aliosque effundatur *(In lib. de ligno vitae super caritate, cap. II)*.

33. Discimus praeterea a S. Chrysostomo quod fervens oratio illustre est caritatis indicium: « *magni amoris indicium oratio est* » *(Homil. 28 in Act. Apost., cap. 21)*. Quare inter alios testis II prudenter de Fratre Benilde animadvertit: « Sa charité envers Dieu se manifestait *dans* « *ses prières*; il était *toujours en prière* pour ainsi dire ». Et revera iam alias vidimus quantum in Dei Servo esset desiderium orandi. Sive per vias ambulatum exiret, sive ad scholam intenderet, sive laboribus quibusvis vacaret in assidua meditatione assiduisque precibus versabatur: « *Il priait continuellement* ». Et commendabat continenter alumnis ut identidem brevibus verbis Dominum deprecarentur.

34. Alia consulto praetereo signa caritatis quae huc afferri possent ex aliis capitibus desumpta, suis enim quaeque locis distributa sub titulo caeterarum virtutum exponentur: quare ex indiciis hactenus recensitis concludam, peccati odium et fugam, accuratam et constantem Dei et Ecclesiae praeceptorum observantiam, locutionem de Illo assiduam, zelum de Eius gloria undique procuranda, eximium orandi studium, talia tantaque esse ut caritatem heroicam valeant in Dei Famulo splendidissime demonstrare, ita ut nobis quoque cum testibus affirmare de Benilde liceat: « *Il aimait Dieu de toute son âme* ». « *Il aimait Dieu de tout son cœur* ». « *Il était pénétré de l'amour de Dieu* ».

CAPUT VI.

De heroica Caritate in Proximum.

35. « *Amor Dei amorem proximi generat, et amor proximi calefacit amorem Dei* ». Sapiens hoc S. Laurentii Iustiniani effatum *(In ligno vitae super carit., cap. XIV prop. fin.)*, eo nos inclinat ut facile credamus excelluisse Benildem nostrum caritate in proximos, quippe qui Deum impense dilexerat. Et revera testes fatentur: « *Il était d'une* « *grande charité pour le prochain*; aliique referunt quod materna sollicitudine se gessit semper erga Fratres et alumnos: « *Il était non pas un père, mais une mère pour ses* « *frères et ses élèves* ». Neque hi aliive erunt mendacii suspecti testes, siquidem certa et indeclinabilis lex est: « *ut qui diligit Deum diligat et fratrem suum* » *(1. Ioann., IV, 21)*; quare perbelle argumentatur S. Augustinus: « *Qui dilexit Deum non eum contemnere potuit praecipientem ut diligat proximum* » *(Trac. 65 in Ioann.)*.

36. Quum vero caritas tum animam tum corpus queat afficere, primum certe sibi locum vindicat ille proximi amor qui respicit animam, inter omnes divitias hominumque thesauros pretiosissimam, dicente ipso Chrysostomo: « *Etiamsi divitias innumeras dederis pauperibus, nihil tale efficias quale is qui convertit animam* » *(Homil. 3 in I ad Corinth.)*. At quoniam in anima voluntas ad bonum flecti non potest, nisi prius intellectus veritatis lumine illustretur, hinc nihil utilius aut salubrius homo homini praestare potest, quam ut eum ignorantem veritatem edoceat. Quare iuris nostri praeceptor Aquinatem Doctorem sequens, hoc inter opera spiritualis eleemosynae primum ponit dum ea sic enumerat: « Aliae sunt (eleemosynae) spirituales, puta, *do-* « *cere ignorantem*, consilium dare dubitanti, consolari tri- « stem, corrigere peccantem, parcere offendenti, ferre one- « rosos et graves, et pro omnibus orare » *(Bened. XIV, lib. III, cap. 23, num. 31)*. Quantopere Dei Famulus adlaboraverit ut ignorantium puerorum mentes fidei veritatibus illustraret, omnesque viam salutis et religionis officia edoceret, satis iam alibi demonstrasse confidimus.

37. Itemque non semel aliis in locis propitia nobis oblata est occasio videndi quomodo praecipua eius sollicitudo fuisset fratrum animas Domino lucrifacere. Ipsemet Dei Famulus fatebatur quod « *n'avait qu'une préoccupation: faire de* « *bons chrétiens* ». In actis praeterea legimus: « *Il cher-* « *chait avant tout le bien spirituel de ses élèves; il s'ef-* « *forçait de les rendre pieux et bons chrétiens* ». Satagebat itaque ut omnes sedulo propria implerent officia, idonea proponebat media ut sibi subiecti in via perfectionis proficerent, tum religiosas, tum ecclesiasticas vocationes singulari studio ac zelo provehebat atque excitabat: et laetabatur ultro si quando alterum e suis alumnis sacris indutum vestibus vidisset. Maxima ei erat cura ut infantes ad SS.mam Eucharistiam primo excipiendam opportunis monitis ac hortationibus praepararet, et eos qui erant ingenio tardiores in religiosis institutionibus accipiendis, mirabili industria et patientia, laboreque indefesso, ab aliis separatim, fidei nostrae rudimenta edocebat. Eius autem pia monita et hortationes

optimos producebant fructus, ceu alter ex testibus refert: « *J'ai vu plusieurs fois des enfants sortir de chez le* « *Frère Bénilde tout en larmes pour aller se confesser,* « *tant il les avait bien disposés à la contrition* ». Facile autem non est dictu quantum pro peccatoribus ipse Deum oraret. Memorabat identidem Sanctam Theresiam deprecatam esse aliquando Dominum pro conversione millium peccatorum, sed cum postea suarum precum ipsam poenituisset, Deus ei se videndum exhibuit eique declaravit se petitionem eius fore exauditurum: « *Va, ta demande sera* « *exaucée.* – De même, disait le Frère Bénilde, demandons « à Dieu la conversion non de mille pécheurs, nos prières ne « valent pas assez pour cela, mais d'un seul, et nos prières « seront bonnes ».

38. Alterum caritatis argumentum praebet Servi Dei humanitas atque benignitas eximia quae sese prodebant in consiliis, quae ipse aliis tradebat si quando in angustiis animi, in aerumnis, in difficili quovis discrimine versarentur. Omnes enim perhumaniter ac benigno aspectu excipiebat, omnes indiscriminatim audiebat, omnes eloquio suavissimo solabatur. Fatetur alter e testibus: « *Quand j'ai été affligé* « *et que j'ai été lui parler, il m'a reçu comme un ange* ». Alter pariter testatur: « *Il faisait toujours bon accueil* « *à ceux qui allaient le trouver pour lui exposer leurs* « *peines* ».

39. Neque minor certe fuit caritas qua corporalibus proximorum necessitatibus occurrere studebat. « *Il faisait de* « *grandes charités* », haud temere asseruit testis XXIX: namque pauperes atque miseros quavis ope, quantum ipsi licuit, adiuvare conatus est. Pueris egenis necessarios suppeditavit libros, vestes distribuit, alimenta tradidit. Nullus unquam per vias ab eo stipem efflagitavit incassum; indigentes quandoque familias arcessire mandavit ut portionem alimoniae suae iisdem cederet non sine sui ipsius detrimento; infelices qui aderant in viciniis levare omni cura sategit. Quin immo, uti alter ex testibus enarrat: « pendant « un certain temps il procura en secret des aliments à une « famille nécessiteuse qui cachait sa pauvreté ».

40. Fuit vere singularis caritas Dei Famuli erga Fratres quos levare in laboribus contendit: et aegroti praesertim eius caritatem experti sunt. Dicebat enim quod infirmitatibus pressi « *devaient passer avant les bien-portants* »; quamobrem illos materna sollicitudine complectebatur et ab ipsis aliquando Superioribus efflagitavit ut Fratres infirmos suae propriae curationi committerent. In hoc permolesto officio obeundo nedum aegrotorum lenire mala verbis connitebatur, sed et quae poterat subsidia iis suppeditabat. Eos demum aliorum diligentiae instanter commendare non destitit: « *Il recommandait souvent d'avoir* « *bien soin des malades* ».

41. Ne nimius sim, hoc caput absolvam dicens una cum testibus Servum Dei omnes ex corde dilexisse, ac suimet ipsius insectatores haud remissiori caritatis affectu prosequutum esse. Etenim quum scholas aperuit plures in difficultates incidit, eique contradictiones, persecutiones, obstacula ex hominum malitia supervenerunt quae patientissime ipse perpessus est, beneficiis innumeris mala sibi allata rependens: « Il montrait de la charité même pour ceux qui « l'avaient contrarié ». Testes enarrant de quodam viro Fratribus inimico, qui cum esset prope mortem adductus: « le Frère Bénilde alla lui-même l'assister, fit la recom« mandation de l'âme et, après la mort, l'ensevelit de ses « propres mains ».

42. Enituit igitur in Dei Famulo illa quam S. Gregorius Magnus laudat: « *caritas vera, quae est cum in Deo dili-* « *gitur amicus, et propter Deum diligitur inimicus. Ille* « *enim propter Deum diligit eos, quos diligit, qui iam* « *et eos diligere, a quibus non diligitur scit. Pro-* « *bari enim caritas per solam odii adversitatem solet* » *(Homil. 28).*

CAPUT VII.

De Virtutibus Cardinalibus et primo de Prudentia heroica.

43. Universum christianae perfectionis iter prudentia dirigit, ita ut S. Bernardus annotet ipsam « *non tam esse* « *virtutem, quam moderatricem et aurigam virtutum* » *(Serm. 4 in Cantic.)*. Eius autem officium potissimum est aptiora eligere media ut finem ultimum et gloriam aeternam assequi valeamus. Id egregie praestitisse Dei Servum, tota eius vitae ratio demonstrat: etenim ab adolescentia mundo valedicere statuit ut ingrederetur Congregationem Fratrum, ibique fluxa omnia despexit, Deum eiusque gloriam unice quaesivit, omniaque constanter alacriterque ad Eum assequendum disposuit et ordinavit. Hoc itaque satis esset ut heroica prudentia praeditum Benildem nostrum iudicaremus. Nam « *si non piger, non tardus, sed promptus* « *expeditusque cum alacritate, constanter quis egerit* « *omnia suo statui opportuna christianae pietatis et vir-* « *tutum officia, heros in prudentia est pronunciandus,* « *donatusque heroica prudentia, quae illa imperavit et* « *agenda praeceperit* » *(Matthaeuc. pract. Theol. canon., tit. 2, cap. 3, § 1).* Haec porro omnia pro virili parte egisse Servum Dei, ex iis quae hactenus exposuimus manifesto liquet.

44. Faciles proinde aures exhibere possumus testibus dum asserunt: « *Il avait dans toute sa conduite une très grande* « *prudence* ». Prudentiae enim eius procul dubio adscribendum est si, quum negotia quaevis aggrediebatur, precibus ad Deum antea confugerit, si religiosa domus, eo regente, tantopere floruerit, si inter Auctoritates Municipales et Fratres Congregationis mirifice concordiam servaverit. Epistolae quas ad Municipii praesides Dei Servus scripsit, totidem sunt, uti testes enunciant, singularis prudentiae argumenta.

45. Prudentissimum se praebuit in sermone; talia enim erant eius verba taliaque eius eloquia, ut nec minimus in iis defectus deprehendi potuerit, quamvis esset festivus indole et assidue iucundus. « Il ne disait jamais un mot qui ne fût pesé, quoiqu'il fût d'un caractère très gai, toujours riant ». Prudentissimum in credito sibi munere implendo se exhibuit, siquidem debitam severitatem cum benignitate iungere, prouti oportebat, numquam praetermisit. « Sa fermeté était tem« pérée par une grande douceur ». Prudentissimum in amicitiis se iugiter ostendit, a nimia familiaritate sedulo abhorrens. « Il était prudent dans toutes ses relations... Il évitait « les visites ». Praeterea cum ipse optime nosceret tempus thesaurum esse pretiosissimum quo si homines bene utantur beatam valeant assequi mercedem, neque horae momentum in otio transegit et quieti nunquam indulsit, illisque omnibus qui ei laboribus et infirmitatibus presso requiem aliquando suadere conabantur, ipse respondebat: « *Je n'ai jamais perdu* « *de temps dans ma vie.....* je ne veux pas commencer, et « d'ailleurs j'aurai l'éternité pour me reposer ». Porro si in causa S. Isidori Agricolae, prudentia eius heroica iudicantibus ideo visa est, quia tempus suum ita distribuerat, ut nulla pars illa vacua esset ab utili labore et pietatis exercitiis *(vide apud Bened. XIV, lib. 3, cap. 24, num. 8)*, hanc profecto laudem Dei Famulo nemo detrectabit.

46. Neque eius prudentia defuit erga alios, quos praesertim suis curis creditos habebat. Invigilabat sedulo pueris ne quid mali peragerent, eiusdemque vigilantiae obligationem Fratribus memorabat, omnes ad perfectionem pro viribus adducere contendens. Heic sane locus non est omnia et singula

recensendi quae ad pueros christiana doctrina et bonis moribus imbuendos et ad proximorum bonum curandum suscepit effecitque: opportune huc veniunt verba Scacchi docentis: « *Prudens est qui maius bonum sibi parat, maius autem* « *bonum est publicum et commune multis. Ideo qui multis* « *prodest, vere se perficit, et hoc est officium charitatis* « *et verae prudentiae* » *(De notis et signis sanct. sess. 4, cap. 1)*.

47. Possunt etiam ad hunc titulum revocari perfecta cordis innocentia, exactissima regularum observantia, assiduum orationis desiderium, mira in aerumnis alacritas et constantia, virtutes omnes queis Dei Famulus praefulsit: eiis enim, tamquam mediis, usus est ad ultimum finem assequendum, eademque singularis ipsius prudentiae illustre nobis argumentum suppeditant, quippe « *prudentiae sunt actiones* « *aliarum virtutum omnium... quam ob causam mensuram* « *prudentiae collocat S. Gregorius in actionibus aliarum* « *virtutum, quia nimirum quanta ea sit ex harum mo-* « *mentis intelligitur* » *(Rossignoli, Tract. de action. virtut. lib. 2, cap. 5)*.

CAPUT VIII.

De heroica Iustitia.

48. Praestantissimam hanc virtutem hominum societati adeo necessariam, quippe quae suum unicuique tribuit, ita Dei Servus dilexit, ut ei nihil magis cordi fuerit quam singulis debita persolvere officia, eam habens prae oculis Apostoli hortationem ad Romanos: « *Reddite ergo omnibus debita... nemini quidquam debeatis* » *(XIII, 7, 8)*. Quare haud immerito testes asserunt: « Il a poussé la justice « jusqu'à *l'héroïsme* ». — « Il avait la vertu de justice ». Ac enimvero violatae iustitiae suspicio cadere nequit in illum qui obligationes omnes et leges queis tenebatur perfecte atque constanter implevit servavitque. Id enim praestitit egregie Benildes noster, de quo passim testes edocent et asserunt, quod « *était très fidèle à tous ses devoirs* » — « *tenait beaucoup à l'observation du règlement* » — « *était* « *une règle vivante* ». Eximius igitur et in hac virtute censendus est.

49. Si de illa iustitiae parte loquamur quae religio dicitur quaeque in eo est ut debitus cultus supremo rerum Conditori exhibeatur, ne singula repetam quae in superioribus titulis de fide et caritate in Deum exposita sunt, paucis dicam cultum tum internum tum externum erga Deum constanter impenseque Benildem nostrum praestitisse, omnes religionis actus tanta animi intentione peregisse, quantam reliqui mortales in negotiis gravissimis expediendis adhibere solent, omnemque contulisse operam monendo, hortando, corrigendo ut sodales puerique quibus praeerat pari devotae voluntatis affectu debitum obsequium Deo exhiberent. Vocationis donum plurimi faciebat, atque dicere solebat: « Je « préférerais vivre de pelures de pommes de terre, plutôt que « d'être infidèle à ma vocation »; cumque alter e Sodalitatis moderatoribus ei quandoque significasset ipsi optime licere ad suos redire et apud eos per aliquot dies commorari, Benildes ait: « Mais ma vocation, que serait-elle devenue? »

50. Qui iustitiam erga Deum summopere coluit, facile et in seipsum eiusdem virtutis officia implevit. Exemplum exhibet Servus Dei, qui totus in eo fuit ut verum bonum veramque felicitatem animae suae compararet, ad evangelicam perfectionem ex animo intendens. Testes enim affirmant: « Il se « conduisait bien, comme un homme qui aurait fait des « vœux ». — « Je n'ai pas entendu dire (refert alter) qu'il « ait jamais manqué aux commandements de Dieu et de « l'Eglise ». — « J'ai toujours entendu dire à ceux qui le « connaissaient (declarat alius) que c'était un saint homme ». Namque vidimus alibi quomodo nec ullus in eo defectus deprehendi unquam potuerit, quomodo mundo suisque valedixerit ut tutius aeternae saluti prospiceret, quomodo mediis aptissimis usus fuerit ut sanctitatis fastigium et optatam laborum mercedem tandem aliquando assequeretur.

51. Etiam in obsequio iis exhibendo qui honore, potestate, dignitatibus praestant, diligentissimum fuisse Servum Dei a testibus edocemur, aientibus: « *Il avait un grand respect* « *pour tous ses Supérieurs* ». Hinc si quando supremus Sodalitatis moderator eum alloqueretur, capite penitus detecto, verba illius audiebat. Similiter Sacerdotes summa veneratione prosequebatur eorumque dictis docilis et obsequens se ipsum praebebat: « Il se conformait aux moindres observa- « tions que lui faisaient les ecclésiastiques ». Verum ne multa dicam alibi exponenda, ad titulum, ubi de Obedientiae virtute agitur, legentes remittimus, ibique specimina invenient amplissima submissionis illius qua omnes, qui ipsi praeerant, assidue veneratus est.

52. Adeo iustitiae erga alios studiosissimus fuit, ut testes in actis rogati asserere non dubitaverint: « *Il n'aurait fait* « *à qui ce fût le moindre tort* ». Nulla in eo fuit unquam personarum acceptio, neque vel infimum ex pueris quovis pacto unquam laesisset. Iustissimum se praebuit in praemiorum distributione, in expensis faciendis, in alumnis omnibus aequali benignitate excipiendis, eos tantummodo peculiari quadam dilectione prosequens, qui pietate ac diligentia aliis praestitissent. Hinc pariter a testibus de ipso evenisse rescimus quod tam raro contingere solet, scilicet: « *Les enfants ne trouvaient jamais à redire sur ce qu'il* « *avait fait* ». Suos erga Fratres simili ratione se gessit, ita ut eos omnes indiscriminatim, nulli gratiae vel studio indulgens, pari sollicitudinis affectu complecteretur: « *Il ne* « *montrait pas de préférences pour ses religieux* ». Iura denique suae Congregationis prouti oportebat magnanime defendit, pro viribus intendens ut quibuslibet in adiunctis sarta tectaque servarentur eodem modo quo aliena ipse iura integra custodivit. Convenit proinde Servo Dei elogium quod ei tribuit testis XXIV inquiens: « *Il était très juste pour* « *tout le monde* ».

53. Quibus perpensis, cum Regio Psalte merito praedicare de Famulo Dei posse videmur: « *operatus est iustitiam, lo-* « *quutus veritatem in corde suo, non egit dolum in lingua* « *sua, nec fecit proximo suo malum* » *(Psalm. XIV, 3)*.

(Prosequendum)

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

Circa translationes Sodalitatum B. Mariae Virg. Imm. in Galliis.

Beatissime Pater,

Augustinus Veneziani Pro-Procurator Generalis Congregationis Missionis, ad pedes S. V. humiliter provolutus exponit quae sequuntur: a suppressione jam peracta in Gallia vel peragenda plurium Domorum Sororum seu Puellarum a caritate S. Vincentii a Paulo, Sodalitates B. M. V. Immaculatae vulgo « le Figlie di Maria » nuncupatae, apud praefatas Sorores institutae — vi Rescripti Pontificii diei 20 Junii 1847, nec non Litterarum in forma Brevis diei 19

Septembris 1876 — non parvum detrimentum sentient ex defectu sedis vel loci, quo puellae convenire consueverant, peracturae, sub directione earumdem Sororum, devotiones erga B. Matrem, nec non functiones Sodalitatis proprias, v. g. consilia, electiones officialium, receptiones etc. Ad praecavendam igitur harum Sodalitatum, — quae tot fructus salutis aeternae in vinea D.ni proferunt, — dissolutionem, humilis orator, nomine sui Superioris Generalis, instanter implorat, ut praedictae Sodalitates possint, sine damno indulgentiarum, quibus ditatae sunt, prosequi suas devotiones, nec non functiones antea usitatas, vel in Ecclesia paroeciae, in cujus ambitu erat domus suppressa vel supprimenda, vel (si commode fieri possit) apud alias domos Sororum, quae forte iisdem in locis a periculo suppressionis evaserint. Et Deus, etc.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Leone Pp. XIII sibi specialiter tributis, quatenus opus sit, benigne annuit pro gratia juxta preces, dummodo tamen translatio praefatarum Sodalitatum fiat de consensu Ordinariorum. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Sec.ria ejusdem S. C. die 29 Aprilis 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

† FRANCISCUS SOGARO, Archiep. Amiden., *Secr.ius.*

II.

GERUNDENSIS.

Circa extensionem indulti Altaris privilegiati.

Michael Camós, Cappellanus Confessarius Monialium Cisterciensium Monasterii Sanctae Mariae de Chatinis in civitate ac dioecesi Gerundensi, ab hac S. Cong. Indulgentiarum sequentis dubii solutionem humiliter expostulabat:

Utrum Missae conventuales de Sancto vel de die, celebrandae diebus quibus Missae privatae de Requie permittuntur, gaudere possint indulto Altaris privilegiati?

S. Cong. audito Consultorum voto, respondendum mandavit:

« *Affirmative.* »

Datum Romae ex Sec.ria ejusdem S. Cong. die 29 Aprilis 1903.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

† FRANCISCUS SOGARO, Archiep. Amiden., *Sec.rius.*

E SACRA CONGREGATIONE
SUPER NEGOT. ECCL. EXTR.

DECRETUM

Causae judicatae in prima instantia a Curia Archiep. de Antequera, in posterum iudicentur in secunda instantia a Curia Tlascalen. loco Curiae Tehuantepecen.

Ex Audientia SSmi die 28 Aprilis 1903.

Sanctissimus Dominus Noster Leo divina Providentia PP. XIII, referente infrascripto S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretario, consulere cupiens faciliori et promptiori agnitioni ecclesiasticarum iudicialium controversiarum Archidioeceseos de Antequera, ad preces eiusdem Archidioecesis Antistitis, et habito voto Episcoporum Tehuantepecen. et Tlascalen., R. P. D. Episcopo Tlascalen. seu Angelorum facultates tribuit necessarias et opportunas, ut, ex delegata Sedis Apostolicae auctoritate, cognoscere possit in secunda instantia et iudicare tum matrimoniales tum alias fori ecclesiastici causas, quae in prima instantia ab Archiepiscopo de Antequera, vel, sede vacante, a Vicario Capitulari eiusdem Archidioeceseos iudicata fuerint et quae usque hodie in eadem instantia cognoscebantur et iudicabantur ab Episcopo Tehuantepecen., servata, quoad matrimoniales causas, Constitutione Benedicti PP. XIV quae incipit « *Dei miseratione* »; eaque in primis lege, ut in singulis actis expressa fiat mentio specialis Sedis Apostolicae delegationis, et quoad omnes praedictas causas servatis caeteris, quae Iure canonico praescripta sunt. Super quibus idem SSmus Dominus mandavit hoc edi Decretum et in Acta superius memoratae S. Congregationis referri.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. — Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congr., die, mense et anno praedictis.

L. ✠ S.

† PETRUS, Archiep. Caesaren., *Secretarius.*

ANALECTA VETERA

Nonnulla documenta inedita S. Congr. Episc. et Reg. (An. 1677-1690).

264. **Romana — Expulsionis sive incorrigibilitatis.**

Em.º e Rev. Signore. Il Generale de' Cappuccini humilissimo servo delle E. V. havendo supplicato la Sacra Congregazione sopra li Vescovi e Regolari per la licenza di espellere alcuni Religiosi dell'Ordine suo affatto incorriggibili, senza l'obbligo di osservare la Bolla di Urbano VIII per le difficoltà che nella prattica della medesima si trovano, ha ordinato la S. C. che notifichi li nomi, e li demeriti de' frati, che vorrebbe licenziare, al che avendo ubbidito con altro suo memoriale che si leggerà in S. C., supplica la somma benignità dell'E. V. a degnarsi di patrocinare questa sua riverente istanza, mentre li religiosi che nomina, sì per gli loro diffetti, come perchè perduta la riputazione, e l'amore alla Religione, sono alla medesima di grave danno, e di continuo scandalo, nè si possono governare da' Superiori. Che della grazia ecc., quare Deus etc.

Rescriptum fuit: *Nihil.*

265. **Romana - Facultatis succurrendi genitori.**

Em.i e Rev.i Signori. D. Filippo di S. Gio. Battista Monaco Sacerdote di S. Bernardo divotissimo Oratore dell'EE. VV., humilmente gl'espone, come suo padre si ritrova in età di anni 78, stroppio, bisognoso, et inhabile a procacciarsi il vitto, come è noto a' Superiori, ed egli conoscendo l'obbligo sì della natura come della coscienza di sovvenirlo, et havendo il modo di farlo nella Religione con ogni religiosità senza niun discapito dell'habito con dare Lettione di musica, e fare parimente qualche musica senza esser veduto dal Popolo, come ha fatto per il passato, essendogli ciò stato permesso da' Superiori, senza che detto essercitio sia d'impedimento alla regolar osservanza sì in Lui, come in altri, non essendosi di questo inteso, nè pur per sogno, alcun richiamo per lo spatio di tredici anni, che l'ha essercitato, e venendo questa per una nuova definitione proibita nell'ultimo Capitolo Generale, per tanto in visceribus Christi supplica l'EE. VV. haver riguardo alla estrema necessità d'un vecchio cadente, e bisognoso, non essendo sufficienti le Messe, che gl'ha concesso a questo effetto la Religione per aiutarlo, havendolo sin'ora sovvenuto con altri denari di sua casa, e con li ritratti dalle lettioni, e musiche; hora essendo mancati li primi Le prega concederli licenza d'essercitare la sua virtù, come ha fatto per il passato, che non mancara di pregare il Signore per la conservatione dell'EE. VV. e ricever il tutto etc. Quare Deus etc.

Rescriptum fuit: *Nihil et serventur dispositiones Capituli Generalis.*

266. **Romana — Indulgentiarum.**

Fra Pietro dell'Assunzione Procuratore Generale delli Scalzi dell'Ordine della Santissima Trinità Redenzione de' Schiavi della Congregazione di Spagna, humilissimo Oratore, riverentemente espone all'EE. VV., che essendosi divulgato per tutta la Spagna un foglio impresso, che s'intitola Sommario delle Indulgenze concesse all'Ordine della Mercede, quale si da nelle mani dell'E.mo Ponente, nel quale si narra che le dette indulgenze sono confirmate dalla Santità di Nostro Signore Innocenzo XI sotto la data delli 13 giugno 1682, apud Sanctam Mariam Maiorem, publicando indulgenze, che richiedono Manus adiutrices, e che ciascheduno che darà l'elemosina al detto Ordine della Mercede per la Redenzione de' Schiavi, puole elegersi un confessore, che lo assolva a reservatis etiam Sedi Apostolicae, excepta haeresi, e questa possa fare tante volte, e la possino ottenere, quante faranno l'Elemosina, con altri inganni e falsità simili ingannando i cattolici con delle false indulgenze e falsità della supposta confirmazione, et indulto, poichè non si trova nella Segretaria de Brevi tal spedizione, ne confirmazione (così lo confessano li medesimi Mercenarii).

Inoltre che il principal motivo di haverlo stampato non si può presumere da altro fine, che dal guadagno emergente delli detti avversarii, poichè a loro li viene la terza parte di tutto quello, che acquistano della detta redenzione de Schiavi, come dal loro indulto di Leone X di santa memoria, e si scorge essere in notabile pregiudizio della Religione Trinitaria, che ingannati li fedeli con detti supposti falsi danno tutte l'elemosine alla Mercede, senza poter raccogliere l'oratrice nulla cosa per tal opera pia. Questo ancó in pregiudizio delle coscienze de Fedeli Cattolici, perchè la facoltà di assolvere a reservatis (come narra il detto foglio) è abrogata, e dichiarata per nulla come anco le confessioni fatte in vigore della pretesa facoltà come per decreto delli 28 novembre 1622.

Sopra questo fatto essendosi porretto memoriale alla Santità di Nostro Signore benignamente lo rimesse a questa Sacra Congregatione, quale deputò l'E.mo Norkfolcia. Sopra di ciò convenuti li Padri Mercenarii avanti detto E.mo Ponente, asserirono esser falso detto Sommario, e Breve supposto: aggiungendo arditamente, che sia stato fatto stampare dalla medesima religione oratrice. Il che dicono gratis, poichè con la modestia che deve l'Oratore tollera questa ingiuriosa calunnia, e supplica humilmente l'EE. Loro si voglino degnare dichiarare il detto foglio o sommario d'Indulgenze essere apocrifo, et il medesimo Oratore per non trascorrere i limiti dell'osservanza, supplica anco che quando questa Sacra Congregatione voglia, è pronto di far constatare, che il detto foglio è stato fatto stampare dalli medesimi Mercenarii, e che loro l'hanno distribuito, e distribuiscono per tutta la Spagna. Il che spera, etc. Quas Deus.

E.mi Patres edixerunt, die 19 Novembris 1683: *Abolen-*

dum folium assertarum indulgentiarum: et Nuntius informet circa auctores.

Nota E.mi Casanata: — Interdicendum folium impressum, et scribendum Episcopis per litteras Circulares.

267. Romana — Instituti de modo vivendi in communi clericorum saecularium.

Brevis Informatio. De modo introducendi Institutum Clericorum Saecularium in commune viventium anno 1680, a S. Sede Apostolica approbatum.

Praesens institutum tria praecipue intendit. Primo Iuventutis informationem in Seminariis in ordine ad Curam Pastoralem, et alia officia Ecclesiastica; secundo Oeconomicam tantum et privatam Clericorum in Curatis, et non Curatis Beneficiis existentium eam directionem, ut contra graviora pericula saeculi cum status Clericalis decore secure subsistere valeant; tertio, Curam Sacerdotum senum, aliorumque, ex quocumque casu, seu defectu ad munia, et functiones Ecclesiasticas inhabilium, uti etiam delinquentium, et incorrigibilium.

Primum practicari potest, si cum consensu Reverendissimi Domini Ordinarii, et Capituli Ecclesiae Cathedralis praescribantur Constitutiones a Sancta Sede Apostolica approbatae Alumnis Clericis, qui sumptibus seminarii educantur, ut ab ipsismet frequentius legantur, a superioribus eisdem exponantur, adhortando, quatenus vitam suam iuxta easdem instituere satagant. Posthac vero ii, qui iuxta hanc Canonicam Clericalem normam vivere promittunt, in susceptione ad Seminarium caeteris paribus praeferantur aliis, qui id facere detrectant, donec, crescente numero, et affectu supplicantium absolute statui, et decerni possit, quod alumni Clerici suscipiendi omnes, et singuli eandem vitam tenere sint obligati, prout in Seminario Archiepiscopali Moguntino, et Episcopali Augustano, de facto practicatur; ad quod facilitandum alumni dictam vivendi normam tenentes suscepto Sacerdotio in concursu pro beneficiis, et officiis, caeteris paribus praeferri poterunt.

Secundum practicari potest, si supradictae Constitutiones omnibus, et singulis Clericis, et Sacerdotibus in Beneficiis, et officiis existentibus auctoritate Ordinaria in praesenti ita praescribantur, ut quilibet illorum libellum earumdem Constitutionum habere sit obligatus, ut, quantum fieri potest, vitam, et conversationem suam iisdem conformet, non obstante, quod ad hanc Clericalem vivendi normam per iuramentum non sit obligatus. Hac occasione vita et mores Clericorum notabiliter mutabuntur, et ferventiores successive ad dictam vitam se obligabunt, praesertim si simul in promotionibus ad Beneficia, et officia eorumdem respectus habeatur.

Alter Libellus, cui Titulus: *Instructiones, et Principia practica pro statu Clericali, et Pastorali,* cum omnibus in Clericali, ac praesertim Pastorali statu constitutis conveniat, et praxim pro Clero et Populo Christiano necessariam contineat, poterit non tantum iniungi, ut a quovis habeatur, sed etiam ut ubivis pro locorum, et conditionum qualitate practicetur.

Tertium practicari potest successive, si in civitate habeatur Domus bene disposita, adsint media temporalia, et sic ad dictam Domum recipiantur Sacerdotes senes, et ad functiones Ecclesiasticas inhabiles pro ratione paupertatis, et indigentiae, plures vel pauciores, in quantum media temporalia id permittunt, et charitative habeantur sub certa, non tamen rigorosa disciplinae observantia. Qui inter senes capaces fuerint, poterunt cum Superioribus dictae Domus per vices iuxta morem PP. Oratorii S. Philippi Neri habere sermones familiares pro populo, audire confessiones, et alia exercitia pia peragere.

In eadem Domo separatim a senibus esse poterunt delinquentes, et scandalosi Sacerdotes, ut per exercitia spiritualia, aliasque pias instructiones ad vitam moresque meliorandos suaviter, et efficaciter inducantur a superioribus, et viris Ecclesiasticis qualificatis ad id constitutis.

Disponi quoque potest, ut mediantibus mediis temporalibus per vices successive Parochi caeterique Curati ad dictam Domum evocentur, et praeter exercitia spiritualia in ritibus, ac Caeremoniis Ecclesiasticis per certos dies practice, et debite informentur. Quod etiam pro ordinandis ad ordines maiores statui poterit, ubi Seminarium non fuerit, aut in Seminario iuvenum haec commoditas haberi non poterit.

Advertendum, quod in quavis Dioecesi pro introducenda hac Clericali, ac Canonica vivendi norma, ex praedictis disponi, et practicari possit plus, vel minus, prout Reverendissimus Ordinarius voluerit, et ad bonum spirituale Dioecesis suae expedire iudicaverit, cum non sint omnia de necessitate, sed de maiori utilitate; praesertim vero praxis tertii puncti de Domo pro senibus, et inhabilibus diferri potest, donec cum tempore ex bonis Communitatis ab ipsismet Clericis collectis, uti etiam a patronis sponte oblatis, in effectum deduci possit; aut si in tali Dioecesi Domus quaedam pro Clericis deputata de facto iam existat, quae cum consensu eorum, quorum interest, pro maiori Reipublicae Christianae, et animarum spirituali bono ad hunc finem deputari possit.

Haec pro notitia de possibilitate, et de modo introducendi praedictum institutum inserviunt; in sequenti vero informatione regulata directio, et dispositio eiusdem breviter continetur.

Iuxta finem Instituti Clericorum in commune viventium observantia Disciplinae in unaquaque Dioecesi sequens est.

Primo. Superior cuiusque Domus particularis, est Parochus sive principalis Beneficiatus, cui non solum tota familia, sed etiam Clerici (unus, duo, vel plures) cohabitantes, in spiritualibus, et temporalibus secundum praescriptam huius Clericalis vitae normam obedient, qui Superior invigilabit, ut decursus totius diei cum debita distributione temporis, ab omnibus sedulo observetur, quoad preces matutinas, meridianas et nocturnas, horas canonicas, celebrationem Sacrificii Missae, Lectiones L. ad mensam, cum certa pariter distributione pro studio Sacrae Scripturae, Theologiae moralis, et Lectionis asceticae, in quantum Cura Pastoralis, Visitatio infirmorum, administratio Sacramentorum, et actualis praeparatio ad conciones, et catecheses necessaria id permittit.

Secundo. Ut directio Parochiarum aliorumque particularium locorum fructuose subsistat, sequitur secunda superioritas districtus cuiuscumque Decanalis, ad quam Decani rurales, si ex hoc Instituto fuerint, vel alii habiles ex eodem districtu assumentur, qui iuramentum fidelitatis Reverendissimo Domino Ordinario praestabunt. Dicti Superiores Decanales, si simul officio publico Decani fungantur, praeter consuetam publicam functionem, qua omnes totius Deca

natus Parochos, et alios Presbyteros in foro externo dirigunt, insuper omnes illius districtus Sacerdotes, Parochos et Clericos, qui ex hoc Instituto fuerint, secundum illius constitutiones gubernabunt.

In specie bis in anno singula sui districtus loca ordinarie visitabunt, non solum transeundo, sed cum clericis singulorum locorum sine suae personae acceptatione per ali quot dies in quotidiani cursus, et exercitiorum observatione convivent, ut hac ratione caeteri sedulitatis exemplum concipiant; ex mutuis relationibus, errata corrigent, gravamina pro possibilitate sublevabunt, quae maioris momenti fuerint, et praesens institutum concernunt, diligenter notabunt, ut Praesidi Dioecesano desuper suo tempore ordinate referre possint. Si officio publico Decani simul fungantur, ea quae Reverendissimorum DD. Ordinariorum sunt, in visitationibus ad normam publici iuris instituant, graviora fori publici sic notent, ut Reverendissimo Ordinario, et eiusdem officialibus desuper debite referre possint; singulis Clericis, et Sacerdotibus sui districtus annuum determinabunt tempus pro exercitiis spiritualibus. Quod si Reverendissimus Ordinarius idem observari voluerit respectu Sacerdotum in eodem Decanali districtu commorantium, et extra hoc Institutum viventium, fieri poterit, suppeditatis mediis temporalibus, a Decanis, et Sacerdotibus eidem adiunctis, ita ut simul in ritibus, et caeremoniis Ecclesiasticis rite informentur, et in eorumdem debita observantia contineantur, singulis mensibus Clerici, et Sacerdotes districtus Decanalis per vices deputati ad aedes Decani, vel in alium locum, et ad certum diem convocabuntur, ad assignatas materias in thesibus scriptis proponendas, et a constitutis oppugnandas, et defendendas, ut singulorum ingenium, ac diligentia exinde palam fiat; ad cuius rei meliorem successum, in singulis Parochiis assignatas materias certis per hebdomadem diebus, per unam, vel sequi horam mutatis vicibus defendendo, et oppugnando sic elucident, ut deinde in publica concertatione cum honore, et aliorum aedificatione defendentes subsistere possint. Finita exercitatione in doctrinalibus, a Decano ea in medium proferri poterunt, quae ad conservationem bonae disciplinae, et perfectionis incrementum apta in Domino videbuntur.

Tertio. Praeses Dioecesanus inter clericos huius Instituti districtuum Decanalium in tota Dioecesi curam, et directionem, quoad observantiam Constitutionum, et debitae disciplinae, habebit, ad Oeconomicam directionem, et Instituti huius disciplinam tantummodo invigilabit, publica nec in minimo attingendo, nisi ex speciali Reverendissimi Ordinarii sui dispositione iubeatur sub visitatione etiam aliorum Sacerdotum vitam inspicere, et debitam desuper relationem visitatione finita facere; illud semper observabit, ut debitam distinctionem utriusque fori tam fraternae correctionis, quam publici, si quo fungeretur, officii, habeat, tam in ordinationibus faciendis, quam in relationibus, et visitationibus, utrumque seorsim notando et referendo.

In specie, dictus Praeses, singulis annis praehabito Reverendissimi Domini Ordinarii sui beneplacito, omnes sui districtus Clericos, et Sacerdotes visitabit, et paterna vigilantia diriget, singulorum gravamina in spiritualibus, et temporalibus audiet, errantes paterne corriget, desolatos consolabit, et de mutationibus necessariis faciendis, finita visitatione, Reverendissimo Ordinario humillime referet, in particulari ubique inquiret, an exercitia spiritualia a singulis sint facta, an conferentiae ex Theologia morali fiant, an in ritibus, et caeremoniis Ecclesiasticis sint debite informati. Ut vero eiusdem fidelitas, uti et obedientia erga Reverendissimum Ordinarium magis constet, iuramentum eidem post suam electionem praestabit. Eiusdem habitatio extra tempus visitationis erit in domo Emeritorum, vel, si id fieri non possit, in domo separata, adiunctis aliis quibusdam viris expertis, et insignibus, quorum consiliis, et opera in officio suo bene gerendo utatur, qui simul poterunt habere Canonicatus, aliaque beneficia, et si Reverendissimo Domino Ordinario ita libuerit, poterunt eidem esse a Consiliis in Consistorio Episcopali.

Singulis annis habito Reverendissimi D. Ordinarii consensu, cum Superioribus Decanalibus, et eorundem Oeconomis Conventum Dioecesanum sive conferentiam in eum finem habebit, ut omnia gravamina, necessitates, et omnia alia sive in spiritualibus, sive in temporalibus proferantur, et quae ad bonum spirituale, temporale, mores, ritus et debitam in his uniformitatem spectant, auditis consiliis singulorum concludantur, et Decanalium districtuum Superiores, et alii, singula conclusa, postquam a Reverendissimo Domino Ordinario fuerint concessa, et approbata, domum revertentes executioni demandent tam in domo sua, quam aliis in locis, quorum directio ipsis est commendata.

Caeterum communitas bonorum ecclesiasticorum inter Clericos, et Sacerdotes huius Instituti consistit in mutuo pacto ultro citroque obligatorio, scilicet Instituti ad membra, et singulorum membrorum ad Institutum; obligat vero ad similem modum, quo Clerici Beneficiati quicumque, sunt obligati superflua sua in pios usus expendendi. Usus vero, in quos bona ex beneficiis, et officiis provenientia expendenda, sunt sequentes: Primo, quilibet ex redditibus suis statui suo convenienter vivere potest, dando simul eleemosynas statui suo convenientes, succurrendo etiam parentibus, fratribus, sororibus, etc., indigentibus pro ratione indigentiae, quibus etiam post mortem legata, ubi, et Ecclesiis, quibus inserviit, relinquere potest. Secundo, quod restat ex redditibus beneficiorum, etc., communibus huius Instituti usibus, in vita aut post mortem relinqui debet, qui sunt sustentatio Sacerdotum senum, et Emeritorum inhabilium, delinquentium, subsidium pro Sacerdotibus, qui in morbis pro valetudine recuperanda ex redditibus suis sufficientia media non habent, subsidium pro eorumdem parentibus, fratribus, sororibus indigentibus, post quos usus magis necessarios, si media collata supersunt, applicari debebunt pro Seminario iuvenum convenienter ad praescriptum Instituti vivendi modum pro supplendo defectu redituum necessariorum in pagis, quamdiu Sacerdotes huius Instituti curae animarum ibidem praesunt, et defectus aliunde suppleri non potest, sic tamen ne gratuita ista subministratio in obligationem transeat.

Posita hac ordinatione, posthac Sacerdotes Curati in Decanalibus domibus informabuntur in ritibus, et Caeremoniis Ecclesiasticis, etc. Iuvenes vero etiam extra hoc Institutum viventes, dum ad ordines sacros promovendi sunt in Seminario semper per certos dies, post exercitia spiritualia, in iisdem informari poterunt.

In domo Emeritorum illi Sacerdotes aliique erunt ad tempus, qui sub disciplina hujus Instituti vivere desiderant, uti etiam in casu extraordinario Parochi, et alii Sacerdotes in beneficiis, et officiis existentes, quoties Reverendissimo

Domino Ordinario ita visum fuerit; suis tamen sumptibus, et solutis solvendis, vel ex fundatione, vel assignatione a Reverendissimis DD. Ordinariis facta pro Sacerdotibus, et Clericis extra hoc Institutum viventibus, quod idem de Seminariis intelligitur.

Responsum fuit die 15 Iulii 1676: *In Congregatione particulari habita in aedibus Em. Vidoni in qua interfuerunt idem Emus Vidonus nec non EE. RR. Carafa, Alterius et Casanata, fuit resolutum nil respondendum.*

268. **Franciscanorum Conventualium — Praecedentiae.**

Quamvis communicatio privilegii, seu posterior concessio nihil valeat privilegiato ad hoc ut possit uti eodem privilegio contra prius Privilegiatum, ut evitare usum eiusdem privilegii contra se, ut in decis. 584 n. ult. et decis. 598, n. 32, p. 5, recent. tom. 2, eadem 720 coram Merlin. potissima quidem ratione, quia posterior concessio privilegii censetur facta sine praeiudicio prius Privilegiati, adeo ut nihil de illius privilegio detrahatur: attamen si secundo Privilegiatus anterior est in statu privilegii, tunc eo privilegio utitur etiam contra primo Privilegiatum, qui posterior est in tali statu privilegii, ut notat Lezan. oper. moral. tom. p° p° 2ª n. 57, pag. 357, loquens de privilegio prohibendi aedificia Monasteriorum; Tambur. de iur. Abbat. tom. p° disp. 17, quaest. 4.

Igitur dum Collegiales Collegii Pragen. et Bononien. ex privilegio concesso per Gregorium XV., et Urbanum VIII. obtinent iura Magisterii ex ipso ingressu in Collegium, etsi exequutio, seu effectuatio differatur, utique si prius tempore ingrediuntur collegium praeferendi sunt Collegialibus S. Bonaventurae Urbis posterioribus in eorum ingressu, qui antecedenter nulla iura Magisterii habent, sed privatae Personae sunt.

Viget quoque proverbium, *si vinco vincentem te*, ut apud Barbos. Axiomat. 226, quia Collegiales Pragenses, ac Bononienses a die ingressus in Collegium praecedunt Magistris Laureatis extra Collegium, qui praecedunt Collegialibus S. Bonaventurae non adhuc Collegium ingressis, ergo etiam huiusmodi Collegiales Pragenses, ac Bononienses praecedunt Collegialibus S. Bonaventurae posterioribus in eorum ingressu.

Haec omnia tamen vera sunt quatenus Collegiales Pragenses ac Bononienses habeantur, ut absolute Laureati tempore ingressus in Collegium adeo ut non indigeant nova probatione per examen, alias vero non sunt habendi ut Magistris tempore ingressus.

Atque ita praeferendos censeo collegiales S. Bonaventurae quatenus vel priori vel eodem tempore ingressi fuerint suum Collegium, praeferendos vero Collegiales Pragenses, ac Bononienses, constito de anteriori eorum ingressu in Collegium et dummodo per rigorosum examen fuerint admissi, nec alia probatio per examen necessaria sit ad Lauream obtinendam.

Die 14 Martii 1688 Emi Patres rescripserunt: *Collegiales S. Bonaventurae praeferendos omnibus aliis Collegialibus etiam S. Francisci Bononiae et Pragae admissis ad magisterium post admissionem Collegialium S. Bonaventurae ad Collegium.*

269. **Romana — Privilegiorum pro religione B. M. V. de Mercede.**

Beatissime Pater,

Frater Franciscus A. S. Marco Procurator Generalis Discalceatorum, Ordinis Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, humilis orator, ad pedes Sanctitatis Vestrae reverenter exponit, quod in fundationibus novorum Conventuum, seu domorum, multoties molestias, a nonnullis personis tum saecularibus, tum scilicet et Regularibus praecipue ex Mendicantibus patiuntur. Ideo S. V. humiliter exorat quatenus benigne dignetur indulgere, eisdem fratribus et superioribus praedicti Ordinis, tam Calceatis quam Excalceatis, ut ubicumque locorum quilibet in suo districtu, domos et monasteria, etiam si illa aliis domibus regularibus Ordinum Mendicantium vel non Mendicantium, magis vicina essent, quam in privilegiis Ordinibus Mendicantibus, huiusmodi concessis praescriptum est, erigere et fundare, de sola Ordinarii loci licentia, ac nullo aliarum personarum Ordinis, et regularium quorumcumque etiam Mendicantium requisito consensu; quemadmodum fratribus Discalceatis S. Francisci de observantia, concessum est, a fel. rec. Paulo Papa V. per suas in forma Brevis die 5 Septembris expeditas litteras; et a record. mem. Gregorio Papa XV, confirmatas, etiam in forma Brevis apud S. Petrum, die 23 Decembris 1621. Et fratribus Carmelitis Discalceatis, ab eodem Paulo V. sub litteris in forma Brevis expeditis, apud S. Petrum die 12 Decembris 1605, anno 1°. confirmatis et ampliatis ut supra, a praedicto etiam Gregorio XV, per litteras in forma Brevis expeditas, apud Sanctam Mariam Maiorem die 8 Novembris 1621 anno 1°. Et ultimo loco a fel. rec. Clemente papa IX, confirmatas sub similibus litteris in forma Brevis expeditis, apud Sanctam Mariam Maiorem, die 6 Octobris 1668, anno 2° cum omnibus clausulis favorabilibus, et irritantibus, ut eodem Brevi Carmelitarum continetur. Nam quamvis praedictus Ordo gaudeat omnibus privilegiis et exemptionibus, omnibus aliis Ordinibus, tam mendicantibus, quam non mendicantibus, concessis, per amplissimam concessionem a S. V. eidem sub litteris in forma Brevis die 22 Octobris 1670 anno 1°, expeditis, concessas, et consequenter hoc, utpote supra dictis fratribus concessis, tamen cum dicti privilegii litterarum copia, in authentica forma praedicti fratres careant, hoc eodem privilegio ad praxim uti non possunt. Sicque humiliter S. V., pro dicta gratia idem Procurator Generalis exorat. Quod in omnibus etc. Quam Deus etc.

Rescriptum fuit die 7 Martii 1675: *Lectum.*

Nota Emi Casanatae: — Nihil. Quia ex simili gratia orirentur multa scandala inter regulares diversorum Ordinum et infringerentur multae Constitutiones Summi Pontificis prudentissime emanatae, ex quibus summam utilitatem consecuti sunt non modo Regulares, sed et laici.

270. **Minor. Observ. S. Francisci — Prohibitionis pernoctationis in Conventibus.**

Nelle Costituzioni Generali de' Francescani Osservanti confermate nell'anno 1662, vi è uno statuto di questo tenore: « Mandamus ut Saeculares ad interiores officinas, aut ad interiora claustri numquam admittantur, in dormitorium vero illis perpetuo interdictus sit ingressus, idem dicimus de Choro,

et Sacristia, dum Missae, ac officia celebrantur ». Il 30 d'Ottobre 1675. Clemente X° di S. M. instante il Procurator Generale di detti frati osservanti proibì per Breve Apostolico, il ricever laici ne' loro Chiostri. « Nullus Laicus cuiuscunque status, gradus, conditionis, et dignitatis existens in domo, et Fratrum cubiculis pernoctare, nec ad pernoctandum admitti ullatenus possit sub excommunicationis poena ».

Finalmente al primo di Decembre 1679. questa Sacra Congregazione per Decreto speciale prohibì a detti frati « Ne ullo unquam tempore sub quovis praetextu, vel quaesito colore permittant aut consentiant saeculares quoscumque ingredi septa suorum Conventuum deferendo sclopos ad venandum sive armorum alia genera, vel apud fratres, tam superiores, quam subditos deponere, pariterque ludere per claustra, et alia loca publica vel privata ipsorum Conventuum, et convivere, ac pernoctare in eis ultra triduum titulo tantum piae hospitalitatis.

Occorre hoggi dubitare sopra l'intelligenza di dette Constituzioni, e decreti, di quali persone secolari si devano intendere, mentre molti secolari sotto pretesto d'haver l'habito di Chierici vogliono pernottare ne Dormitorii di detti frati, e tal volta son Persone discole, e facinorose; onde il Procuratore Generale de medesimi frati supplica l'EE. VV. d'opportuna dichiarazione.

Emi Cardinales responderunt, die 10 Maii 1680: *Prohibitionem extendendam esse etiam ad clericos, exceptis tamen clericis qui exemplarem vitam ducunt.*

271. Romana — Proprietatis Conventus S. Pauli de Arenula.

Eme Domine. Conventus et loca Religiosa fratrum in Congregatione viventium, et in communi possidentium regulariter communia sunt toti Congregationi potestque Generalis fratres quoscumque ad quaelibet loca mittere, et in illis collocare, quia fundantur et recipiuntur nomine totius Congregationis et Religionis. Ab hac tamen universitate excipiuntur nonnulla loca particularia, certo loco recepta, praesertim in Urbe, sive ut hospitia sive ut collegia certae provinciae et Nationis proprio illius aere fundata, vel ipsi nominatim tradita ad usum et beneficium illorum. Tales sunt Conventus S. Sabinae, et S. Mariae ad Populum, Dominicanorum et Heremitarum S. Augustini, nationis Lombardiae, Sanctissimae Trinitatis in Monte Pincio, et Miraculorum ad Portam Flaminiam, Minimorum et Tertii Ordinis S. Francisci nationis Gallicanae, S. Isidori Observantium Hibernorum, S. Francisci de Paula ad Montes, Minimorum Calabrorum, et alii multi Nationis Hispaniae diversorum Ordinum.

In quibus Generales non habent potestatem collocandi fratres exteros, sed tantum illius nationis, cuius sunt proprii, quia quod proprium est unius nationis, non potest a Generali appropriari aut commune fieri alteri nationi, sicuti non potest fratrem unius provinciae aggregare alteri provinciae invitis fratribus illius provinciae neque bona unius Conventus transferre in alterum. Non enim habet facultatem transferendi dominia et iura quaesita. Neque ad hoc se extendit potestas illius domestica, quam acquirit in fratres per votum obedientiae, quia fratres non promittunt obedire, nisi in iis, quae sunt in Regula et Constitutionibus, quae dominia Conventuum et iura provinciarum et peculiares gradus et officia singulorum, manuteneri et conservari potius iubent.

Multo minus ad hoc se extendit potestas iudiciaria et iurisdictionalis, communicata illi a Summo Pontifice. Imo per hanc tenetur iura singulorum, et Conventuum et provinciarum custodire, et non permittere ut ab aliis usurpentur. — Itaque supposito quod Conventus S. Pauli de Arenula sit proprius nationis et provinciae Siculae, non poterit habere locum praetensio Patris Generalis, quod possit in eo collocare fratres alterius nationis. Et de facto, cum fratres Calabri Ordinis Minorum suam proprietatem exposuissent S. M. Urbano VIII; is in Bulla Inter caeterum, quae est in 4° tomo Bullarii pag. 23. § 6. prohibuit Generali ne alios in illo collocare quovis praetextu, colore, vel ingenio et quacumque ex causa praesumat. Et § 5. permittit Calabris in eo commorantibus quod si aliqui missi fuerint, illos dimittere et expellere possint, et debeant.

Similiter postquam a DD. Cardinalibus deputatis super lite inter fratres Gallos, et reliquarum nationum eiusdem Ordinis super proprietate domus SS^mae^ Trinitatis in Monte Pincio, lata fuit sententia pro Gallis, Paulus V. S. M. in Const. Romani Pontificis, quae est 7 huius Pontificis ap. Peyr. de Privil. Minim. § 4. disctrictius inhibuit Generali et fratribus dicti Ordinis ne quemquam, qui non esset Gallicae nationis, in ea habitationem eligere vel ei locum et domicilium assignare, vel assignatum admittere, praesumant sub gravissimis poenis.

Iam vero de proprietate dicti Conventus S. Pauli penes Siculos dubitari non potest quia convenit inter partes, quod ille emptus sit a PP. Discalceatis S. Augustini pro pretio 4500 scutorum per P. Sanctorum Pecorellam Siculum pro Provincia Siciliae, data pecunia in pluribus solutionibus per eumdem eodem nomine. Idque de licentia Generalis et Cardinalis Protectoris exprimentium pro Provincia Siciliae. Et Instrumentum venditionis ut factae fratribus Provinciae Siciliae, confirmatum fuit a Paulo V. S. M.

Insuper idem P. Sanctorus tanquam Commissarius ad hoc specialiter deputatus a Generali, ad illum habitandum convocavit ab initio fratres solius Provinciae Siculae. Et subinde ab anno 1619 usque ad praesens per annos prope 60 semper inhabitatus fuit a solis Siculis. Nec ullus unquam exterus in eo collocatus, vel admissus fuit, nisi a Patre Generali praesenti postremo anno sui officii quando erat proxime discessurus ab Urbe, animo non amplius revertendi.

Quibus accedit, quod hanc proprietatem agnovit tota Religio, virtualiter residens in Capitulo Generali. Hoc enim congregatum Romae de anno 1638. statuit, ne Prior SS. Cosmae et Damiani, reciperet fratres nationis Gallicanae vel de regno Siciliae, additque pro ratione: havendo l'una, e l'altra di queste Nazioni il proprio Monasterio in Roma.

Quare P. Generalis, cum causam introduxisset, et de suis motivis Eminentissimum Ponentem informasset, re melius considerata, habens illam pro derelicta recessit, nemine substituto, qui illam prosequeretur.

Edictum fuit, die 13 Novembris 1676: *Manutenendum esse conventum S. Pauli a Regula in quasi possessione non recipiendi exteros.*

Nota Emi Casanata: — Fratres Siculos manutenendos in possessione habitationis privative quoad alios non siculos, tum ex variis coniecturis emptionis scilicet factae, dictae domus per Siculum Superiorem de pecuniis Provinciae Siciliae, et aliis, tum ex prohibitione morandi in Conventu SS. Cosmae et Damiani.

272. Romana seu Mediolanen. — Restitutionis in integrum.

Don Basilio Bertucci che nel secolo si chiamava Luca Bertucci, Monaco Professo dell'ordine di San Basilio supplica per la restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii ad effetto di provare giuditialmente la nullità della sua professione in conformità del decreto del Sacro Concilio Tridentino Sess. 25 de regul., cap. 19.

Adduce che nell'anno 1665, passando disgusti con suo fratello maggiore, e con la di lui moglie in Milano si concordò con detto fratello, quale promise mantenerlo in Roma purchè esso Luca non fosse più tornato in Milano, e così venne in Roma, dove poi mancandogli il fratello di parola, e facendogli scrivere, che si provvedesse da sè, egli a persuasione d'un suo compagno prese l'habito di San Basilio, e nel mese di ottobre 1667 fece professione: portatosi poi a Milano, concordato con suo fratello, dice non haver più che temere, e così esser in stato d'annullar la professione tanquam cessante causa metus.

Ma supposta la regola giornalmente approvata nella Sacra Congregazione del Concilio, che per le nullità della Professione sia necessario il metus cadens in constantem virum, o almeno il metus reverentialis paternus cum aliqua minarum exequutione al preciso effetto, che il Giovane prenda l'habito regolare, come fu considerato in causa *Pacen.* a 13 di marzo, e *Taurinen.* a 13 di settembre 1677. Seguitando la decisione 458. coram Remboldo 39. n. 13.; coram Carillo, 516. n. 18. p.e 5., 343. n. 16, e 17. p.e 6, e 154 n. 4. con due seguenti p.e 14. recent., in questo caso non si prova nè il metus reverentialis cadens in constantem virum, nè il metus incussus ab eo, qui solet minas exequi, ma solo si prova la renitenza del fratello che facilmente poteva esser costretto per giustitia a dar gli alimenti dalli beni paterni, e materni. Anzi vi sono due circostanze di fatto, che levano qualunque difficoltà.

La prima è che l'istesso Luca ha scritto al suo Procuratore in Roma et anco ha provato per testimoni, che più volte ha voluto fuggire dal novitiato, et è stato trattenuto dalle persuasioni del compagno, da che si conosce che egli non temeva il fratello; nè altro da vivere da secolare, come fu avvertito in detta causa *Pacen.* a 13 di marzo.

La 2a si è che egli stesso si era accomodato nella Copisteria di Giorgio Ridolfo Ebmer Copista della Camera, et era ben habile in questa professione a guadagnare il vitto, quale lasciò per farsi Religioso a persuasione del suo compagno, come attesta detto Ebmer, indotto e prodotto dall'istesso Bertucci.

Rescriptum fuit die 6 maji 1678: *Nihil de restitutione adversus lapsum quinquennii.*

ANALECTA VARIA

Utrum Beatae Virgini aureola debeatur.

Aureola diminutive dicitur respectu *aureae* seu coronae beatorum, quae corona aliud non est, nisi praemium essentiale hominis, quod est eius beatitudo, consistens in perfecta coniunctione animae ad Deum per visionem beatificam. Est igitur *aureola* aliquid aureae superadditum, scilicet quoddam gaudium accidentale, de operibus factis, quae habent specialem pugnam, et consequenter specialem victoriae excellentiam (Supplem. Q. XCVI, a. 1). Porro homini triplex difficilis pugna imminet: alia contra carnem, alia contra mundum, alia contra diabolum, secundum illud S. Ioannis (1. Ep. II, 16): " *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae* "; unde triplex ponitur privilegiata victoria, et consequenter triplex aureola: prima est virginum a delectabilibus venereis penitus abstinentium; altera est martyrum, mundi pressuras usque ad mortem tolerantium; tertia est doctorum, diabolum non solum a se sed etiam ab aliorum cordibus removentium (Suppl. Ibid., a. 11); inter quas aureolas sane eminet, secundum propriam rationem pugnae et victoriae, aureola martyrum (art. 12).

Porro, sciendum est Christo aureolam non deberi, licet fuerit verissime virgo, martyr et doctor. Revera praemium accidentale correspondens virginitati, martyrio et praedicationi, si comparetur ad magnitudinem praemii essentialis Christi, non habet notabilem quantitatem ut aureolam constituere possit: nam aureola, ex hoc quod diminutive dicitur, importat aliquid quod participative et non secundum totam plenitudinem possidetur: unde illi tantum aureolam habent, in quibus est aliqua participatio perfectionis victoriae, secundum imitationem eius in quo perfectae victoriae ratio plena consistit. Atqui in Christo invenitur perfecta et plena ratio victoriae, per cuius victoriam caeteri victores constituuntur. Ergo in Christo aureola proprie non habetur, sed aliquid perfectius et excellentius aureola ipsa (Ibid., a. 8).

Quae cum ita de Christo constiterint, quia Beata Virgo similis credenda est suo Filio per omnia quantum fas est (1), ideo de ea quoque decernendum mihi videtur, licet aliter alibi conscripserim (2), ipsam aureola carere, utpote quae

(1) Cajet. Opusc. de Spasmo B. M. V. Tract. XIII. t. II.

(2) Tractatus de Beatissima Virgine Matre Dei, P. II. c. I. art. 8. p. 217.

omnium operum suorum perfectionem plenariam habuit, unde quaedam minoratio in ipsa inveniri non potest, ita ut ei aureola attribuatur. Quod quidem generaliter dici potest, licet de singulis aureolis aliquid specialiter sit animadvertendum.

Et primo quidem, aureolam martyrii Deiparae defuisse ex hoc argui potest, quod haec non datur nisi vitam pro Christo per illatas extrinsecus passiones profundenti, quod Beata Virgo non fecit, cum nonnisi per similitudinem martyr extiterit (Supplem. Ibid., a. 6 ad 4um; et 2a, 2ae. Quaest. CXXIV, art. 4, ad 1um). Doctorum etiam aureola Deiparae proprie non competebat, quia quamquam ab hominum cordibus diabolum, per opportuna monita, quantum circumstantiae sinerent, expellere studuerit, tamen id privato omnino, et non ex officio aut quasi officio peregit, quum praedicare et docere in Ecclesia mulieribus interdicatur, dicente Paulo (1. Cor., XIV, 34, 35): " *Mulieres in ecclesiis taceant. Non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit... Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia* "; et iterum (1. Tim., II, 12): " *Docere autem mulieri non permitto* ".

Consequenter solius virginitatis ratione aureola Deiparae debita fuisset, potissime cum non solum propositum habuerit integritatem carnis perpetuo servandi, sed etiam hoc propositum voto obfirmatum voluerit, quod fidelissime usque ad finem observavit (Cf. Supplem., loc. cit. art. 5). At, sicut in Christo, licet fuerit virgo, martyr et doctor, tamen non est aureola sub ratione aureolae, eo quia non est in ipso participatio perfectionis victoriae, sed potius ab ipso est omnis victoriae participatio, ita etiam in Beatissima Virgine, istud gaudium accidentale propter perfecte servatam virginitatem non habet propriam aureolae rationem, quasi quamdam aureae minorationem, eo quia plenissime invenitur ex hoc capite de carne victoriam reportasse, ita ut per eam quoque omnes alii victores constituantur: ut quemadmodum gratiam ad omnes quodammodo derivavit Virgo regia (3, Quaest. XXVII, art. 5 ad 1um), ita etiam gloriae accidentalis participationem sub Christo derivet (1).

At quamquam superexcedens excellentia virginitatis Deiparae aureolam non secum patiatur, tamen *fructum* in ipsa constituit; fructum inquam, non qui consistit in fruitione divinae essentiae, nec qui est ipsamet virtus in quantum mentem sincera dulcedine reficit (Cf. 1. 2ae, Quaest. LXX,), sed secundum quod significat praemium quoddam quod homini ex hoc debetur, quod a vita carnali transit in vitam spiritualem; qui fructus praecise respondet illi virtuti per quam homo a subiectione carnis liberatur, quae est virginitas (Supplem., Quaest. XCVI, a. 3): ita quod virginitati, secundum quod servatur propter Deum imperio charitatis, correspondet aurea, seu visio beatifica; secundum quod est quoddam opus perfectionis rationem habens cuiusdam excellentis victoriae, correspondet aureola; secundum autem quod per eam homo transit in quamdam spiritualitatem, a carnalitate recedens, correspondet fructus (Ibid., a. 2 ad 1um). Huiusmodi autem fructus coniugatis assignatur trigesimus, viduis sexagenarius, virginibus autem centenarius, hoc pacto videlicet, quod viduis quidem duplicetur, super coniugatos, spiritualitatis fructus, virgines autem spiritualitatis perfectionem immobiliter possideant, quae significatur numero centenario, ex quo figura quadrata, quae est perfecta, resultat: " *figura enim quadrata secundum hoc perfecta est, quod ex omni parte aequalitatem habet, utpote habens omnia latera aequalia* " (Ibid., a. 4). Igitur perfectissimus fructus Deiparae concedendus est, immo centenario maior: quasi videlicet non modo quadrati figuram repraesentet, sed cubum, figuram scilicet undequaque tetragonam: siquidem nullo unquam pravae concupiscentiae motu a perfecta virtutis soliditate excussa est Virgo gloriosa, cui cum Filio suo honor et imperium. Amen.

Fr. Alexius Maria Lépicier
Ord. Serv. B. M. V.

(1) Pretium operae hic est advertere hanc quaestionem cum quaestione de fomite intime colligari: et Angelicum Doctorem, cui placitum erat fomitem in Deipara extitisse sed ligatum usquedum totaliter auferretur, aureolam in Deipara haud potuisse ponere propter intrinsecam pugnam carnis, cum ex alto virtutis gradu carnem perfecte subditam haberet, nec pugnam internam sentiret: unde aureolam in Maria posuit solummodo propter pugnam ab hoste extrinsecus illatam, hoc scilicet de pacto, ut in hoc quoque aliis Ecclesiae membris conformaretur (Supplem., Quaest. XCVI, art. 5 ad 2um). At longe verior, necnon Dei Matris dignitati iisque omnibus quae de Deipara cognoscimus conformior videtur sententia quam hic propugnamus, quamque aliqui etiam tempore S. Thomae tuebantur (Cf. loc. cit.), dum dicerent Mariae defuisse aureolam proprie dictam, cuius tamen loco aliquid maius habuit, scilicet propter perfectum propositum servandae castitatis.

ROMANAE INSTITUTIONES

I.

Casus Conscientiae propositus et solutus Romae, ad S. Apollinarem.

VI.

De impedimento impotentiae.

Die 2 Martii 1903, hora 16 1/4 (4 1/4 pom.).

Berta puella cuperet statum coniugalem amplecti, ab eo tamen retrahitur ob prolis forte nasciturae et partus molestias, quas maxime abhorret. Mox Titius vir honestus et valde dives, per mulierem sibi amicam, Bertam in uxorem petit. Haec inducias ad deliberandum postulat. Interim audit, operationem a viro in arte chirurgica peritissimo invectam nuper fuisse, qua sine gravi periculo vitae, utero et ovariis

extractis, foeminae inhabiles ad generandum redduntur. Hinc statuit huiusmodi operationi, de qua cum Titio ne verbum quidem habet, statim se subiicere; quae revera felici exitu peracta fuit. Paulo post Berta matrimonium cum Titio celebrat. Decursu temporis animadvertens Titius, se orbari solatio filiorum, quibus sua bona relinqueret, familiaeque nomen perpetuaret, saepe cum Berta conqueritur de illius, ut ipse putabat, sterilitate. Sed casu certior fit de operatione, quam Berta subiit. Indignatus animo, quod deceptus et sua spe fraudatus fuisset, illam deserit, ratus, matrimonium inter se initum ex impedimento impotentiae nullum esse.

Ad novas nuptias conciliandas statim Titius ad suum parochum accedit, qui tamen ei contradicit innixus responsioni datae a S. Congregatione Inquisitionis sub die 30 Iulii 1900, iuxta quam huiusmodi foeminae ovariis et utero carentes non sunt a matrimonio impediendae. His non acquiescit Titius, et eximium theologum adit, a quo, narratis omnibus, quaerit:

1. *In quo constituenda sit intrinseca essentia impedimenti impotentiae?*

2. *Quinam sit essentialis matrimonii finis?*

3. *An matrimonium a se cum Berta initum fuerit licitum et validum?*

4. *Quid sibi modo agendum?*

R. Ad 1um. In primo Quaesito agitur, ut patet, *de impotentia ad matrimonium.* — 1.° *Impotentia* est defectus *potentiae* seu *actus primi;* non defectus *actus secundi.* Matrimonii autem triplex est *essentiale bonum* ex Conc. Flor. Decr. pro Armenis et ex sententia omnium catholicorum doctorum. Horum autem bonorum primum est *proles*, et tantum *quoad prolem* physica impotentia dari potest. *Fidelitas* et *indivisibilitas*, alia duo matrimonii bona, nonnisi contraria conventione, in matrimonio contrahendo excludi possunt. Quare matrimonii impotentia, physiologica est impotentia *ad prolem et ad generationem prolis.*

Impedimentum igitur *impotentiae* matrimonii est *in defectu actus primi ad prolem*, non in defectu *actus secundi.* Ex defectu *actus secundi* in matrimonio est *sterilitas*, quae matrimonium non impedit, ut videre est in senibus et infirmis, qui licite et valide, ex omnium sententia, matrimonium contrahunt. Et ratio est, quia *esse matrimonii* non pendet *ab usu matrimonii.* Quare *sterilitas* res est bene diversa *ab impotentia.* Sterilitas est potentia, *non reducta neque forte reducenda ad actum, de facto*, ob defectum requisitarum conditionum, ut causa suum producat effectum, licet ea sit *de se ad actum reducibilis*, et *aliquando forte* etiam *ad eum effectum, de facto, reducatur.*

2.° *Impotentia* e contra est, ut iam dictum est, defectus *ipsius potentiae ad actum*, seu *ipsius causae effectus.* Ab actu igitur seu ab effectu matrimonii proprio desumendum etiam est, in quam rem sit eius potentia et causalitas, et consequenter *in quanam re impotentia reperiatur*, quod in primo Quaesito inquiritur. Porro actus matrimonii proprius non alius est nisi *actus per se aptus ad generationem*, et *generatio ipsa secuta* effectus eius proprius est. Matrimonium enim nonnisi propter generationem est primum a Deo institutum, ut generatione propagaretur et multiplicaretur humanum genus, ut ipsa sexuum diversitas et structura satis superque manifestat. Hinc Catechismus Romanus n. 13., distinguens inter actum primum et actum secundum in matrimonio, simul contractu et sacramento, inter causam omnino intrisecam et essentialem adeoque primariam, et causam intrisecam quidem, sed accidentalem et secundariam, ait *primam* matrimonii *causam* esse *ipsam* DIVERSI SEXUS NATURAE INSTINCTU *expetitam societatem*, *secundam* vero *procreationis appetitum*, filios nempe *de facto* habendos, *non tam ut haeredes relinquantur, quam ut verae fidei et religionis cultores educentur.*

Impotentia igitur matrimonii est *impotentia ad generationem*, i. e. defectus potentiae seu causae generativae. Causa generativa proxime et adaequate est in unione seu copula viri et foeminae, per se apta ad generationem, remote seu inadaequate est in organis, necessariis ad praedictam unionem et ad generationem, in viro et in foemina. Nam, si desunt organa physiologice necessaria ad generationem, id est in viro testes, in foemina uterus et ovaria, *licet haberi possit coitus*, ille coitus tamen non est *per se aptus ad generationem*, et consequenter non est *coitus maritalis.* Si desunt vero organa physiologice necessaria ad coitum, *licet haberi possit generatio*, ea tamen haberi non potest *naturali eo modo*, qui a Deo est in matrimonio institutus.

3.° Quare impotentia matrimonii proprie est, secundum suum fundamentalem et generalem conceptum, *impotentia ad generandum;* non impotentia ad coitum. Nam matrimonium non est propter coitum, sed propter generationem per coitum per se aptum ad illam. Unde impotentia ad generationem est impotentia matrimonii simpliciter ratione sui; impotentia ad coitum est impotentia matrimonii, sed ratione impossibilis consequenter generationis naturali eo modo, qui est a Deo institutus. Loquendo ergo in concreto, impotentia adest in viris utroque teste carentibus vel organo ad coitum necessario, vel ita infirmum praedictum organum habentibus, ut eo coitus haberi non possit. Pari ratione impotentia habetur in foeminis carentibus organo ad coitum requisito, vel *perfecte* carentibus utero et ovariis, vel vaginam interclusam habentibus. Humana enim generatio essentialiter requirit ex parte viri zoosperma, ex parte mulieris ovulum, et *utriusque seminis commixtionem*, ut veteres loquuntur. Hinc ex parte viri requirit testes, quibus illud zoosperma elaboratur, et penem, quo idem zoosperma in mulieris vaginam eiaculatur. Ex parte vero mulieris praeter vaginam, virilem penem recipientem, requiruntur ovaria, quibus ovula virili semine foecundanda elaborantur, et uterus, quo ovula foecundata evolvantur: an etiam ibidem foecundentur vel in tubis aut in ovariis, parum pro re praesenti refert, sed certe communicatio requiritur inter vaginam et uterum, secus foecundatio ovuli impossibilis physice est. Instit. Mor. v. 2. n. 994. Cum igitur *causa totalis* generationis *vir* et *foemina* sit; ita, deficiente *in alterutro* organo ad generationem physiologice necessario, impotentia habetur ad generationem, et quod consequens est ad matrimonium. Ut enim *copula maritalis* sit vere *per se apta*, seu *per se sufficiens ad generationem*, non sufficit quod sit apta et sufficiens tantum ex parte viri, sed apta et sufficiens esse debet simul ex parte mulieris.

Audiatur Rmus Dnus Franciscus Patricius Kenrick, Theol. Mor. ed. 2.a Mechliniae 1860. tr. 21. n. 201: « Impotentia est naturale matrimonii impedimentum in iis, qui nequeunt coire *modo generationi per se idoneo...* Alia est impotentia *absoluta*, qualis est eius, qui cum nulla coire possit *modo generationi apto, uti contingit* homini utroque testiculo carenti, vel utrumque habenti contusum, *vel foeminae, quae caret utero;* alia dicitur *relativa* etc. »

4.° Confirmatur exposita doctrina ex eo quod, si in matrimonii contractu conditio apponatur generationi proli contraria, matrimonium ex omnium sententia est nullum. Ergo primo *proles* omnino est *necessaria et essentialis* matrimonio, tanquam primum matrimonii bonum, sine quo matrimonium esse non potest.

Ergo secundo *magis adhuc* nullum est matrimonium, si non tantum excludatur *actus secundus prolis* per initam conventionem, sed etiam excludatur *actus primus prolis* per procuratam physiologicam impossibilitatem prolis. Nonne haec *physica impossibilitas* prolis magis adhuc substantiae matrimonii repugnat, quam simplex conventio de prole *de facto* inpedienda? Ac, si nullum est matrimonium sub conditione impediendae *de facto* prolis, nonne consequenter erit nullum sub conditione excisionis ovariorum et uteri in muliere vel testium in viro ad prolem impediendam, sub conditione nempe impediendae prolis, *quoad ipsam eius potentiam et causam removendam?*

Praesens scientia medicatam quamdam invenit lotionem, qua ita stringitur vagina ut spermatis transitus a vagina ad uterum sit impossibilis. Si, ne mulier illam patiatur excisionem uteri et ovariorum, licet non difficilem, cum viro conveniat ut ante usum matrimonii hanc semper adhibeat *sterilitatis lotionem*, loco sumendi *poculum sterilitatis* antiquorum, matrimonium sub hac initum conditione valetne? Et, si non valet, quia conditio est contraria substantiae matrimonii, quomodo valere potest matrimonium purificata iam conditione, sive per artificialem illam uteri et ovariorum excisionem, sive per naturalem vaginae interclusionem?

5.° Eadem exposita doctrina praeterea confirmatur ex Const. Sixti V. *Cum frequenter* 22. Iun. 1587., in qua Summus Pontifex declarat nullum matrimonium *spadonum, qui utroque teste carent*, non quia ipsis est impossibilis coitus, imo Summus Pontifex, aperte illum supponit, et affirmat; illum enim declarat esse *turpem commixtionem* et *libidinosam coniunctionem;* sed quia *verum semen emittere non possunt*, licet *humorem forsan quemdam*, similem *semini*, AD GENERATIONEM ET AD MATRIMONII CAUSAM *(Nota) minime aptum effundant*. Impotentia ergo ex Summo Pontifice Sixto V. *impotentia ad generationem est.* Unde deinde ait, quod ex huiusmodi *spadonum et eunuchorum coniugiis nulla utilitas provenit.* Atqui eadem omnino physiologica impossibilitas generationis est, si mulier perfecte careat utero et ovariis. Itemque eadem physiologica generationis impossibilitas habetur, si mulier interclusam habeat vaginam, ita ut nulla sit cum utero communicatio. Nam licet tunc effundatur in mulieris vaginam virile semen, *ad generationem et ad matrimonii causam minime apta illa effusio est*, deficiente generativa concausa ex parte mulieris. Materialiter quidem virile semen in vaginam tunc effunditur; sed haec illud, *generativa ratione et virtute*, non recipit, cum omnino ipsa destituatur physiologico illo statu ad generationem omnino necessario, et ab ipsa natura instituto.

Obiectio movetur ex licito *senum* et *sterilium* matrimonio, ut concludatur licere etiam matrimonium mulieris perfecte carentis utero et ovariis. Verum inde *pari iure concludendum esset licere etiam matrimonium spadonum et eunuchorum!* Insuper, si *steriles* et *senes* contrahere licite possunt matrimonium, hoc ideo est, quia licet *de facto* non generent, generare tamen possunt, et etiam *de facto* aliquando generant, dum e contra mulier sine utero et ovariis generare nullo pacto potest, neque consequenter vel in uno tantum casu *de facto* unquam generat. *Impotentia* ea obiectione cum *sterilitate* confunditur. Sterilitas mere dicit *carentiam actus*, quod nempe potentia, *quacumque accidentali ratione prohibente*, ad actum non reducatur. *Impotentia* e contra dicit carentiam *ipsius facultatis ad actum.* Matrimonii actus proprius, ut iam dictum est, prolis generatio est, non aliud.

Omnes actus venerei in matrimonio permissi eatenus sunt liciti, quatenus sunt ordinabiles ad prolis generationem, et *secundum naturam dicuntur.* Si ad prolis generationem ordinabiles non sunt, peccatum sunt, et peccatum sunt, quoad suam speciem, *contra naturam*, ut omnium theologorum doctrina est. Impotentia ergo matrimonii non est alia, neque potest alia esse nisi impotentia ad generandum. Haec est, et operae pretium est repetere, *fundamentalis* et *generalis* matrimonii impotentia, ex qua iudicium et criterium desumendum est pro qualibet alia impotentia. Et sic *pubertas* ad matrimonium valide contrahendum ex Iure Canonico requisita ex *potentia generandi* desumitur. *Certum est eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et generare iam potest.* C. 3. *de Despons. impub.* Unde impotentia ad coeundum, quae utique apud antiquos commemoratur, quia magis clara et nota tunc temporis, nondum physiologica doctrina de generatione penitus comperta, ut nunc est, impotentia matrimonii non est *ratione sui*, sed *ratione generationis.* Patet enim primo, quod si habetur impotentia ad coeundum impotentia consequenter habetur ad generationem, eo nempe naturali modo, qui a Deo in matrimonio est institutus. Patet insuper quod in matrimonio coitus non est actus *finis*, sed actus *medium;* nam matrimonium per coitum ad generationem ordinatur, et coitus ad generationem dirigitur. Et hac tantum ratione non quilibet coitus in matrimonio est permissus, sed solum ille, qui est *secundum naturam*, seu *de se* aptus ad generationem. Ac, si *secundum naturam* certe non est coitus spadonum et eunuchorum, *qui* ex Sixto V. Const. cit., *immundis complexibus cum mulieribus se commiscent ad generationem minime aptis*, neque *secundum naturam* coitus est cum muliere, carente utero et ovariis, *complexibus* pariter *ad generationem minime aptis.*

Et sic S. Thomas, qui solet in medium proferri, in art. 1. ad 3. q. 58. Suppl. non dicit *simpliciter* quod senes absolute non possint generare, quod pertinet ad impotentiam generandi ex defectu causae physiologicae generationis, sed quod *non habeant caliditatem sufficientem ad generandum*, quod pertinet, non ad potentiam generandi, sed ad ipsum factum seu effectum generationis, ex defectu huius requisitae conditionis ad hoc, ut causa suum producat effectum. Neque vero etiam hoc *absolute* dicitur a S. Doct., sed cum limitatione, qua evidenter S. Thomas non solum supponit in huiusmodi senibus potentiam generandi, sed etiam factum, quod *aliquando* sequatur. Nam ait *senes* QUANDOQUE *non habent caliditatem sufficientem ad generandum.* Notetur bene illud *quandoque.*

Et, ne sit dubium de mente et de doctrina tradita a S. Doctore, comparetur cit. textus S. Thomae, quo S. Doctor permittit matrimonium *senibus, quamvis quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum*, cum alio textu QQ. DD. de Malo q. 15. a. 2. ad 14., quo iterum S. Doctor permittit matrimonium senibus. In hoc enim alio textu ita permittit senibus matrimonium, ut ex actu sequi possit generatio, secus ex eodem Angelico Doctore actus *contra naturam est.* « Ille actus, ait S. Th., l. c., *est contra naturam* in genere luxuriae, *ex quo non potest sequi generatio, secundum communem speciem actus;* non autem ille, *ex quo* non potest sequi *propter aliquod particulare accidens*, SICUT EST SENECTUS VEL INFIRMITAS ». Enimvero « finis usus genitalium membrorum EST GENERATIO..... et ideo *omnis usus* praedictorum membrorum, qui *non est proportionatus generationi prolis... est secundum se inordinatus* » (Ibid., a. 1). Quare Angelicus Doctor non tantum supponit, sed expresse affirmat, quod *in senibus et in infirmis*, quibus matrimonium permittitur, *generatio sequi potest ex natura seu specie ipsius actus;* et si de facto haec non sequatur, est tantum *propter aliquod particulare accidens*, nempe, dicit idem S. Thomas, *propter defectum sufficientis caliditatis.*

Quare bene concludendum est intrinsecam essentiam impedimenti impotentiae in matrimonio impotentiam esse ad generandum, ad prolem, eo nempe naturali modo, qui a Deo est institutus. Idque erui ex ipsa intrinseca natura matrimonii, ex actu proprio et effectu proprio matrimonii, ex maritali coitu, ex conventione bono prolis opposita, ex Const. Sixti V, *Cum frequenter*, ex ipso permisso senum et infirmorum matrimonio.

Ad 2.um 1.° Agitur in secundo Quaesito *de essentiali matrimonii fine*, adeoque de fine necessario, qui a matrimonio abesse nequit, et, qui si est, iam matrimonium est. Agitur ergo *de fine operis*, non *de fine operantis*. Porro essentialis hic matrimonii finis et qua *naturalis contractus est*, et qua *sacramentum*, *est proles*, et nonnisi *proles est*. Id probatur ex ipsa matrimonii institutione. Cum in medium proferatur Catechismus Romanus, quasi excludens a matrimonio prolem, ut omnino matrimonio necessariam et essentialem, placet referre ea quae de matrimonii institutione, et consequenter de matrimonii natura et essentiali eius fine habet idem Catechismus Romanus n. 10. Ecce quid parochus *in primis* de matrimonio docere debet fideles. « *In primis* itaque docendi sunt fideles matrimonium a Deo institutum esse. Scriptum est enim in Genesi, 27. 28.: *Masculum et foeminam creavit eos, benedixitque illis Deus*, et ait: *Crescite et multiplicamini*; et 2., 18.: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi*; ac paulo post ibid. 20. seqq.: *Adae vero non inveniebatur adiutor similis eius. Immisit ergo Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit unam de costis eius, et replevit carnem pro ea, et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem, et adduxit eam ad Adam; dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea, haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est: quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae* ET ERUNT DUO IN CARNE UNA ». Matrimonium ergo mere consideratus, *ut contractus naturalis*, ex sua prima institutione ad prolem et nonnisi ad prolem primario et essentialiter ordinatur, ut eà conservetur, multiplicetur et propagetur humanum genus. Et hoc sensu ab eodem Catech. Rom. et ab omnibus catholicis doctoribus matrimonium institutum dicitur in officium naturae, quod tam matrimonio essentiale est, ut ad distinguendum matrimonium sacramentum a naturali viri et foeminae per matrimonium coniunctione dicatur: *Matrimonium ut Officium naturae* et *Matrimonium ut Sacramentum*. Catech. Rom. n. 9. 10. 11. 15.

2.° Idem ratione constat. Nam omnis societas nonnisi a fine specificatur. Finis matrimonium specificans nonnisi proles est. Dempta prole, matrimonium non habetur: nam, dempta prole, neque *vir*, neque *uxor*, neque *maritalis coniunctio* intelligi amplius poterit.

Quare ad rem non sunt ea, quae contra afferuntur ex Catech. Rom. n. 13., qui varias enumerans matrimonii causas primae et essentiali causae adiungit « mutui auxilii spem, ut alter alterius ope adiutus vitae incommoda facilius ferre et senectutis imbecillitatem sustentare queat ». Haec ad matrimonium, dempta prole, non sufficiunt. Haberetur utique societas *mutui auxilii*, vel *mutui succursus*, ut vulgo appellatur, sed non haberetur unquam matrimonium. Et ideo Catechismus Romanus ad ea verba pauca alia praemittit, quibus iam Catechismus supponebat totam intrinsecam matrimonii naturam, *et suum intrinsecum, essentialem et specificum finem* ex ipsa prima matrimonii institutione, praecedenti num. 10. iam enarrata. Haec sunt maxime notanda verba, quae Catechismus Romanus praemittit, et praemittit omnibus, in eo num. et sequenti, sequentibus causis matrimonii contrahendi, quas gradatim exponit: « Prima igitur ratio est, *haec ipsa diversi sexus naturae instinctu* (prolis nempe generandae causa) *expetita societas* ». Ecce prima et essentialis et specifica ratio ex Catechismo Romano, explicata iam antea ab eodem Catechismo num. praec. 10.; unde pergens ait de *ea societate*, quae iam sua constat intrinseca natura, *prolis instinctu*, quod *mutui auxilii ope conciliatur*, etc., quae spes, ut patet, ex Catechismo est tantum *matrimonium concilians*, ad matrimonium impellens, non est intrinsece determinans *ipsum esse matrimonii*.

Ac ut magis pateat quam debilis obiectio sit, et non ad rem exceptio, ex praedicto loco Catechismi Romani desumpta, illud etiam notandum est, Catechismum ibi non agere proprie de fine intrinseco et essentiali matrimonii, *de fine ipsius operis*; sed de finibus, quos contrahentes sibi praefigere debent, ut licite sancteque matrimonium contrahant, *de finibus operantis*. Unde titulus totius numeri hic est: *Vir et mulier coniungi cur debeant*; et conclusio deinde num. seq. haec est: *Hae igitur sunt causae, quarum aliquam sibi proponere quisque debeat qui pie, et religiose, ut sanctorum filios decet nuptias velit contrahere*. Quae quidem aliaeque honestae causae, quas sibi quis in matrimonio contrahendo pie et religiose proponere potest, neque excludunt neque excludere possunt intrinsecam et essentialem matrimonii causam, nempe *prolem*; secus matrimonium amplius non est. Contractus enim matrimonii *obiectum* est dominium mutuo tradendum et acceptandum in ordine ad generationem et prolem; *non aliud*.

Ita sane matrimonium definitur vel ab illis qui in contrariam concedunt sententiam: Matrimonium est Contractus, quo mas et foemina, nullo iure impediti, se ad individuam vitae societatem et mutuam corporum traditionem, *in ordine ad actus ex se aptos ad generationem prolis*, obligant. Quomodo vero possunt vir et uxor mutuo sibi corpora tradere *ad actus per se aptos ad generationem*, si eorum corpora *physicam ad generationem potentiam non habeant, et generationis uterque vel alteruter physiologice impotens sit? Causa* ergo matrimonii intrinseca et essentialis generatio et proles est; *non aliud*. Unde, quamvis quis alium sibi possit praefigere finem in matrimonio contrahendo; primarium et essentialem finem nullo modo excludere potest, sed illum implicite saltem intendere debet, si vere velit matrimonium contrahere, et praeterea nullo pacto primarium matrimonii finem ad secundarium sibi propositum finem ordinare potest. « Deordinatio quidem esset, si ordinaretur finis primarius ad secundarium, sed non si ex duobus finibus licitis secundarius prae primario eligatur ». S. Alph. l. 6. n. 882. Ea vero prolis causa praesupposita, rectissime matrimonium dici quoque potest et debet institutum ad auxilium vitae. Matrimonii enim finis ab initio fuit, sobolis procreatio, et cum primis educatio; mutuum vitae adiutorium, Genes. 1., 28.; S. Th. 4. D. 39. q. 1., 2.; et, post Adae peccatum, etiam remedium incontinentiae, 1. ad Cor. 7., 2. 5. 9.

Audiatur iterum Rvmus Dnus Kenrick, qui ante exortam hanc quaestionem scripsit, et rigidioribus certe non indulget opinionibus: « Matrimonium, tamquam contractus, est duorum pactum, quo sibi invicem tradunt perpetuo potestatem in sua corpora *in generationis actum* ». Theol. Mor. ed. 2ª. Mechlin. 1860. tr. 21. n. 28.

« *In usum matrimonii tradunt sua corpora contrahentes*: attamen necesse non est, ut sibi proponant iure inde acquisito uti, quum dominio sibi invicem tradito contractus perficiatur ». Kenrick l. c. n. 36.

« Distinguit S. Alphonsus fines matrimonii: « Fines *intrinseci essentiales* sunt duo: *traditio mutua cum obligatione* reddendi debitum et vinculum indissolubile. Fines *intrinseci accidentales* pariter sunt duo procreatio prolis, et reme-

dium concupiscentiae. Fines autem *accidentales extrinseci* plurimi esse possunt, ut pax conciliandа, voluptas captanda etc. » S. Alph. l. 6. n. 882. Constat nullum esse posse matrimonium *absque mutua illa obligatione* et vinculo: sed haberi potest, licet quis non sibi proponat prolem gignere. » Kenrick l. c. n. 38.

Hinc patet pie ac religiose posse contrahentes etiam sibi proponere in matrimonio contrahendo *ipsam filiorum de facto procreationem*, quae secunda causa est a Catechismo Romano enumerata. Quae quidem secunda causa, quamvis potius confirmat *prolem* esse intrinsecum et essentialem matrimonii finem, affertur tamen ut obiectio, quia dicit deinde Catechismus quod *una haec etiam causa fuit, cur Deus ab initio matrimonium instituerit*, quasi esse posset matrimonium *sine prole. Una haec etiam* causa fuit, quia *alias etiam ob causas* Deus matrimonium instituit, ut modo praecedenti paragrapho dictum est, non quia, *remota prole*, tum *de facto* tum *de potentia*, matrimonium ex alia causa haberi possit. Unde Angelicus Doctor inquit *prolem esse essentialissimam in matrimonio*, ita ut *sine intentione prolis matrimonium esse non possit*. Suppl. q. 49. a. 3.

Atque hoc tam urgens tam convincens est, ut contra existimetur omnia posse recte componi hac distinctione, qua tamen confessio habetur *necessitatis prolis* in matrimonio, ita ut sine ipsa matrimonium non habeatur. Ecce adducta distinctio: « *Intentio prolis matrimonio essentialis est negative*, quatenus in pactione coniugali seu in consensu, qui matrimonium facit, nihil bono prolis contrarium exprimatur: Concedo. — Necessaria seu essentialis est intentio prolis, quatenus contrahentes sub poena nullitatis *debeant positive eam intendere, aut in pactione exprimere*. Nego ».

Contradictio in hac distinctione est et simul elementarium notionum *confusio*. — *Contradictio*. Nam, si essentialis est matrimonio *intentio prolis*, quatenus nihil bono prolis contrarium exprimatur. Ergo bonum prolis est essentiale matrimonio. Ergo *matrimonium* intendens, implicite et *positive* bonum prolis intendit, quin sit necessarium, ut explicite illud intendat; et matrimonium *contrahens* implicite et positive vult se obligare ad bonum prolis, quin explicite declaret hanc suam obligationem. Generalis doctrina humanorum actuum et contractuum est, quod dum quis *vult* actum et contractum *virtualiter*, et consequenter *positive*, vult ea quae pertinent ad intrinsecam naturam et essentiam actus et contractus. Quomodo sane posset quis *positive intendere matrimonium*, volens contrahere matrimonium, et simul mere *negative* se habere circa ea quae sunt de natura et de essentia ipsius matrimonii?

Iamvero quemadmodum non posset vir vere matrimonium intendere et velle contrahere, et consequenter bonum prolis *ei essentialissimum*, si careat testibus; ita a pari mulier non potest vere matrimonium intendere et velle contrahere, et consequenter bonum prolis *ei essentialissimum*, si careat perfecte *utero et ovariis*. Possetne vere *prandere* aut *coenare*, *qui* ad mensam sederet in triclinio, sine ullo ei allato cibo aut potu? Prandium autem aut coenam honeste volens et intendens, quin explicite id etiam velit et intendat, *positive* implicite consequenter intendit nutritionem sui et propriae vitae ac propriarum virium conservationem. Ac possetne quis vere intendere ingressum in tabernam ad bibendum vinum et se inebriandum, si illius defossa horrea dolia vino vacua, et nonnisi plena aqua contineant? Certe ille ingressus *secundum speciem suam* inebriativus non est, neque proxima ebrietatis occasio.

Confusio autem in ea distinctione habetur. Nam *positiva voluntas et intentio* cum explicita voluntate et intentione confunditur. *Positiva* voluntas et intentio est, licet tantum implicita. Num in ipsa sacramentorum administratione et missae celebratione, in quibus positiva opus est voluntate, non habetur saepe saepius voluntas tantum implicita? Ac, si revera voluntas mere negativa haberetur, ea administratio et celebratio invalida esset.

Sed instatur: Nonne ex eodem Catechismo Romano n. 14. Matrimonium est a Deo institutum in remedium concupiscentiae? et remedium concupiscentiae, ut Salmanticenses explicite tradunt, tr. 9. de Matr., cap. 3. n. 23., ita *intrinsecum* est matrimonio « ut est prolis procreatio et educatio ad cultum Dei ».

Matrimonium quidem est etiam a Deo *post peccatum* institutum in remedium concupiscentiae, matrimonium nempe iam antea institutum in procreationem prolis, non novum aliud matrimonium. Hinc impossibile est mere contrahere matrimonium in remedium concupiscentiae, quin per prius contrahatur matrimonium in procreationem prolis. Unde ipse Card. D'Annibale, qui in 3.ª ed. Summ. p. 3. n. 431., nota 9. putavit posse contrahere matrimonium mulierem, ad generationem impotentem; « scilicet, inquiens, matrimonium ad mutuum quoque vitae adiutorium pertinet, et ad concupiscentiam coercendam »; errorem animadvertens deinde se retractavit in 4.ª ed., n. 431. nota 9., omittens hanc rationem; et de muliere utero carente expresse affirmans, *dummodo concipere possit*. Et sane remedium concupiscentiae ex eodem Catech. Romano l. c. matrimonio iam a Deo instituto in prolis procreationem *post primi Parentis lapsum accessit*. Fuit igitur aliquid matrimonio *accedens*, adeoque *non essentiale, non substantiale;* et consequenter verissime *accidentaliter et extrinsecus* matrimonio accessit. Neque Salmanticensium auctoritas, quae etiam contra profertur, aliquid probat. Nam primum Salmanticenses non mere dicunt remedium concupiscentiae esse intrinsecum matrimonio, sed dicunt esse matrimonio ACCIDENTALE *et intrinsecum*. Ergo non pertinet ex Salmanticensibus *ad essentiam et substantiam* matrimonii, sed *ad accidens*, quod *substantiam* praesupponit, et quod consequenter substantiae *extrinsecum est, nisi substantia cum suo accidente confundatur*. Quamvis autem finis ille *secundarius et accidentalis*, secundum ipsos Salmanticenses, *extrinsecum* revera sit matrimonio, quia *accidentalis*, potest tamen remedium concupiscentiae dici *intrinsecum* matrimonio, quia hoc remedium non est in alia re quam *in ipso coitu per se apto ad generationem*, qui matrimonio intrinsecum est, uti actus et usus matrimonii proprius, quod nemo negavit, et omnes affirmant. Quare quod Salmanticenses vel alii dicant remedium concupiscentiae esse *intrinsecum matrimonio* nihil contra expositam doctrinam continet.

3°. Atque haec hactenus de matrimonio, mere considerato ut *naturali contractu*. De matrimonio *ut sacramento* ecce quid Catechismus Romanus n. 15. docet, quod confirmat omnino finem *essentialem et intrinsecum matrimonii* esse bonum prolis; adeoque essentialis et intrinseca matrimonio est *possibilitas physiologica et physica prolis*, seu *physica potentia ad generationem*. « Quemadmodum, ait Catechismus, Matrimonium, *ut naturalis coniunctio ad propagandum humanum genus ab initio institutum est;* ita deinde, *ut populus ad veri Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et religionem* PROCREARETUR, *atque educaretur* Sacramenti dignitas illi tributa est ». Et Conc. Flor. Decr. pro Armenis « Per matrimonium, ait, Ecclesia *corporaliter augetur*, » et triplex deinde assignat matrimonii bonum, quorum « *primum est proles suscipienda* et educanda ad cultum Dei ». Ut ergo matrimonium *contractus*, pro suo essentiali fine habet procreationem prolis ad humani generis propagationem, ita matrimonium *sacramentum* pro suo primario, intrinseco et essentiali fine habet prolem ad cultum Dei procreandam.

4°. Praeterea celebris est matrimonii sive contractus sive sacramenti distinctio in matrimonium mere *legitimum* vel etiam *ratum*, et in matrimonium *consummatum*. Matrimonium consummatum non est, nisi intercesserit coitus per se aptus ad generationem. Matrimonium ergo mere *legitimum*, vel etiam ab Ecclesia *ratum*, intrinsecam et essentialem habitudinem habet ad prolem; nam potentia ab actu specificatur. Matrimonii ergo intrinsecus, necessarius, essentialis finis est *proles*. Alii utique adsunt matrimonii fines, qui iam supra expositi sunt, sed essentiales non sunt, *speciem nempe et suam intrinsecam naturam matrimonio tribuentes*, sed matrimonium iam praesupponentes.

5°. Postremo remedium concupiscentiae, de quo unice esse potest quaestio, non est nisi in *coitu maritali*. Porro quid est *coitus maritalis?* Si dicatur quod est coitus ille, qui est remedium concupiscentiae, est idem per idem. Et est petitio principii; nam de hoc quaestio est, utrum coitus, qui unice exerceatur in remedium concupiscentiae, exclusa simpliciter generatione, possit esse coitus maritalis, ad matrimonium sufficiens. Quare dicendum remanet quod sit *legitimus coitus per se aptus ad generationem*. Ergo iam remedium concupiscentiae, finis secundarius ET ACCIDENTALIS matrimonii, praesupponit primarium et essentialem finem matrimonii, nempe generationem et prolem. Generatio ergo et proles ab ipso remedio concupiscentiae excludi non potest, et haec generatio et proles unice intrinsecus et essentialis finis est matrimonii, matrimonio suam tribuens propriam speciem et naturam.

Atque hic antequam ad tertium Quaesitum procedamus, notandum est illud quod affirmatur de tribus bene notis matrimonii bonis, ad contrariam stabilitae de illis doctrinam propugnandam.

« *Aequaliter*, dicitur, tria bona haec non sunt de necessitate matrimonii, nec ad eius essentiam pertinent ».

Aequaliter tria bona haec non sunt de necessitate matrimonii, quatenus, matrimonio contracto, utique a matrimonio excludi potest *factum prolis* et *factum servatae fidei*, sicut non possit factum inseparabilitatis excludi. Sed nemo unus hactenus contrarium propugnavit. Et nemo unus propugnavit *factum ipsum prolis et servatae fidei*, ut necessarium et essentiale in ipso matrimonio iam contracto. Non haec est quaestio, sed alia bene diversa. Agitur enim de *intentione prolis* in matrimonio contrahendo, et de *intentione debiti* in eo servandi fidem. S. Thom. S. q. 49. a. 3. Ac ille, qui excludit hanc intentionem, matrimonium non contrahit, et si eam non excludit, et *vult contrahere matrimonium*, quin explicite habeat talem intentionem iam implicite et positive *intentionem* habet *prolis* et *debiti servandi fidem*, cum matrimonium essentialiter ad prolem ordinetur, et debitum fidei essentialiter includat. Et sic Angelicus Doctor l. c. diserte affirmat, quod *sine intentione prolis et sine debito fidei* MATRIMONIUM ESSE NON POTEST. Et rationem addit: « quia haec in matrimonio *ex ipsa coniugali pactione* causantur »; adeoque coniugalis pactionis obiectum sunt, et praeter intentionem in ea pactione esse non possunt.

Aequaliter praeterea tria bona haec non sunt de necessitate matrimonii, nec ad eius essentiam pertinent; non quia proles non sit matrimonio ullo modo necessaria, nec quia ad eius essentiam nullo modo pertineat, sed quia e contra trium illorum bonorum *primum*, ut ait Conc. Flor., est proles, et consequenter, ut ait S. Thomas, proles est *essentialissima in matrimonio*. Fides enim et indivisibilitas ex habitudine ad prolem in matrimonio consequuntur.

Postremo, si *aequaliter* tria bona haec non sunt de necessitate matrimonii; ergo sunt tamen *necessaria* et consequenter a matrimonio abesse nequeunt, quidquid sit de necessitatis gradu. Quare, ut a pactione coniugali abesse nequit intentio saltem implicite indivisibilitatis et debiti servandi fidem, ita neque abesse poterit intentio prolis. Si item tria bona haec *aequaliter* ad eius essentiam non pertinent; ergo sunt tamen de essentia matrimonii, quidquid sit de varia ratione, qua tria illa ad essentiam spectant matrimonii. Quare iterum ut pactio coniugalis esse non potest sine intentione indivisibilitatis et debiti servandi fidem, ita etiam esse non potest sine intentione prolis.

Ac, semel a contractu matrimonii exclusa intentione prolis, quid remaneret tanquam obiectum contractus matrimonii, et tanquam causa intrinseca? Profecto, reponunt, adest remedium concupiscentiae. Belle sane. Matrimonium ergo est contractus quo contrahentes sibi tradunt mutuo dominium in proprium corpus in ordine *non ad prolem*, sed ad remedium concupiscentiae. Sed quomodo hoc esse potest, si remedium concupiscentiae nonnisi in *actu maritali*, et consequenter, praesupposito matrimonio, quaerendum est? Ac nullum tunc dicendum est fidelium matrimonium, qui ignorantes illud concupiscentiae remedium, per revelationem et fidem unice notum, nonnisi propter prolem contrahunt, *ipso diversi sexus naturae instinctu*, Cat. Rom. n. 13.

Exclusa a matrimonio, tanquam fine *primario et essentiali, prolis generatione et educatione*, quomodo amplius probari posset iure naturae stricte polyandriam prohiberi, et polygamiam e contra non esse contra prima praecepta legis naturae, sed contra secunda legis praecepta?

Apposite Angelicus Doctor Suppl. q. 65, a. 1.: « Matrimonium habet pro fine principali prolis procreationem et educationem.... Sed pro fine secundario.... communicationem operum.... Pluralitas ergo uxorum neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit matrimonii primum finem, cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus foecundandis, et educandis filiis ex eis natis. Sed secundarium finem etsi non totaliter tollat, tamen multum impedit, eo quod non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores iunguntur; cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, et etiam quia communicatio plurium in uno officio causat litem; sicut figuli corrixantur ad invicem, et similiter plures uxores unius viri... Sed unam uxorem habere plures viros est contra prima praecepta legis naturae, eo quod per hoc, quantum ad aliquid totaliter tollitur, et quantum ad aliquid impeditur, bonum prolis, etsi non totaliter tollatur, quia contingit post impregnationem primam iterum mulierem impregnari, tamen multum impeditur, quia vix potest accidere quin corruptio accidat quantum ad utrumque fetum, vel quantum ad alterum. Sed educatio totaliter tollitur, quia ex hoc quod una mulier plures maritos haberet, sequeretur incertitudo prolis respectu patris, cuius cura necessaria est in educando. Et ideo nulla lege vel consuetudine est permissum unam mulierem nubere plures viros, sicut e converso ».

Essentialis ergo matrimoniii finis est proles, sive consideretur matrimonii institutio, sive consideretur specialis matrimonii societas, sive consideretur matrimonium ut officium naturae et ut sacramentum, sive consideretur matrimonium consummatum et ratum, sive consideretur remedium concupiscentiae, in matrimonio quaerendum, sive tandem consideretur diversa ratio, qua polyandria et polygamia iure naturali prohibentur.

Ad 3um. Patet ex dictis Matrimonium Titii et Bertae esse simul illicitum et invalidum, *si perfecta facta fuerit excisio et extractio uteri et ovariorum, eaque certe constat*. Quod confirmari ulterius potest ratione et auctoritate S. Th. 2. 2. q. 153. a. 2. « Dicendum quod peccatum in humanis actibus est, quod est contra ordinem rationis. Habet autem hoc rationis ordo, ut *quaelibet convenienter ordinet in suum finem*. Et ideo non est peccatum, si per rationem homo

utatur rebus aliquibus ad finem, ad quem sunt, modo et ordine convenienti, dummodo ille finis sit aliquid vere bonum. Sicut autem est vere bonum quod conservetur corporalis natura unius individui; ita etiam est quoddam bonum excellens quod conservetur natura speciei humanae. Sicut autem ad conservationem vitae unius hominis ordinatur usus ciborum, ita etiam *ad conservationem totius humani generis usus venereorum.* Unde Augustinus dicit: Quod est cibus ad salutem hominis, *hoc est concubitus ad salutem generis.* Et ideo sicut usus ciborum potest esse absque peccato, si fiat debito modo et ordine secundum quod competit saluti corporis, ita etiam *et usus venereorum potest esse absque omni peccato, si fiat debito modo et ordine,* SECUNDUM QUOD EST CONVENIENS AD FINEM GENERATIONIS HUMANAE. » Num usus venereorum cum muliere, cui perfecte uterus et ovaria excisa et extracta fuerint *ordinatur ad conservationem humani generis?* Num ille usus *est conveniens ad finem generationis humanae?*

Et eadem quaest. art. 3. « dicendum, ait S. D., quod quanto aliquid est magis necessarium, tanto magis oportet, ut circa illud rationis ordo servetur; unde per consequens magis est vitiosum, si ordo rationis praetermittatur. *Usus* autem *venereorum,* sicut dictum est, *est valde necessarius ad bonum commune, quod est conservatio humani generis. Et ideo circa hoc maxime attendi debet rationis ordo;* et per consequens, si quid circa hoc fit praeter id quod ordo rationis habet, vitiosum erit..... Et ideo seminis emissio *taliter debet fieri, ut conveniat fini, ad quem eo indigetur.....* Indigetur eo ad opus virtutis generativae ». — Num in coitu cum muliere perfecte utero et ovariis carente attenditur rationis ordo *ad bonum commune, quod est conservatio humani generis?* Num virile semen, quod in tali coitu effunditur, *taliter emittitur, ut conveniat fini, ad quem eo indigetur, ad opus virtutis generativae?* Scilicet emittitur in vaginam non generativam, ad generationem naturaliter impotentem.

Insuper seq. q. 154. a. 1. S. Thomas asserit, quod materia luxuriae seu res venerea potest dupliciter non convenire rationi rectae: « Uno modo, *quia habet repugnantiam ad finem venerei actus;* et sic *in quantum impeditur generatio prolis* est vitium contra naturam, QUOD EST IN OMNI ACTU VENEREO, EX QUO GENERATIO SEQUI NON POTEST ». Num coitus cum muliere perfecte carente utero et ovariis REPUGNANTIAM NON HABET AD FINEM VENEREI ACTUS, eique e contra convenit? Num praedicto coitu *non impeditur generatio prolis,* et ad hanc e contra ordinatur? Num idem praedictus coitus *actus venereus est, ex quo generatio sequi potest?* Et, si ex eo generatio sequi non potest, ex S. Thoma EST VITIUM CONTRA NATURAM.

Si vero 1.° perfecta non fuerit facta excisio uteri et ovarii, vel 2.° de ea certo non constet, tunc *illicite* quidem Berta matrimonium contraxit cum Titio, eum non monens de suo statu, ob fraudem in Titium commissam, qui matrimonium contrahens maxime filiorum procreationem et familiae suae conservationem intendebat. Matrimonium tamen non fuisset certe *invalidum,* in primo casu, et in altero non fuisset impediendum, cum non constaret de impedimento impotentiae, adeoque post contractum iam matrimonium, ut validum matrimonium habendum est. Et hoc sensu procedunt Decisiones, quae proferuntur S. O. *de matrimonio non impediendo,* quae consequenter nullo modo contrariae sunt Decisionibus S. C. C., quibus invalida fuerunt matrimonia declarata ob carentiam uteri.

Relatis duabus bene notis S. O. Decisionibus clarissimus P. Dominicus Palmieri, Theologus Sacrae Poenitentiariae « advertere licet, inquit, 1. utraque vice actum esse de casu prorsus particulari, cuius conditiones et adiuncta ignoramus: responsio autem in casu particulari immerito extenditur ad casus, qui videantur similes; cum nos lateant circumstantiae rei et rationes responsionis. 2. In his casibus non dici, quod certa esset *ablatio totalis* ovariorum et uteri; si enim tanta non est, adhuc conceptio potest habere locum. 3. Forte ratio responsorum fuit, quod dubitaretur adhuc de perfecta excisione: fieri sane posse dicitur, ut chirurgus putet ea membra penitus excisa, et tamen aliqua pars superstes sit: quo posito, ius coniugii ineundi praevalet. 4. S. C. usam esse mitissima forma loquendi: *non esse impediendum,* quam formam consulit dubium vel solum facti: quocirca perperam ex his inferres, docuisse S. C. matrimonium valere etiam, cum certa est totalis ablatio ovariorum et uteri. » Anton. Baller. Opus Theol. Mor. ed. 3ª. vol. 6. tr. 10. num. 865. nota (a).

Ad 4ᵘᵐ. Unicum Titio remanet remedium post matrimonium iam contractum, quod consequenter ut nullum haberi non potest, nisi certo constet de eius invaliditate. Debet Titium chirurgum consulere, qui Bertae excisionem est executus. Si chirurgus declaret non fuisse totalem excisionem uteri et ovariorum, sed tantum partialem, et adesse adhuc ovaria supplementaria, matrimonium tunc irritum non est, et opus est ut patientiam habeat, quod longe melius pro ipso est. Si vero chirurgus declaret fuisse totalem et perfectam uteri et ovariorum excisionem, neque uteri et ovariorum vestigia ulla remansisse, tunc matrimonium quidem nullum est, sed ad alias nuptias non potest ipse convolare sine sententia ecclesiastici iudicis, in foro externo, nullitatem declarante. Quare causa nullitatis introducenda est apud Ordinarium et apud S. Conc. Congr. – Confer de hac re Opusculum Doct. Francisci Topai, Articulos editos a R. P. N. Casacca O. S. A. in Ephemeride *American Ecclesiastical Review,* et Opuscula clarissimi Ios. Antonelli, qui novum aliud edidit egregium Opusculum *De mulieris excisae impotentia,* Romae, Libr. Pontif. Pustet, 1903., eruditione et doctrina commendabile.

IANUARIUS BUCCERONI S. I.
Epitomator ex officio.

II.

Casus Liturgicus propositus et solutus Romae, in Academia Liturgica.

VI.

De Festo S. Agnetis *secundo* et de natura Vesperarum dierum infra Octavas.

Die 18 Februarii 1903, hora 4 a meridie.

In Ecclesia B. celebrantur S. Hilarius Episcopus C. Doct., et S. Agnes V. Mart., sub ritu duplici maiori, cum sint patroni minus principales. Per accidens tamen ambo impediuntur; et cum prima dies libera sit 28 Ianuarii, in ea S. Agnes ponitur, utpote quasi in sua octava, ulterius translato S. Hilario. In eadem Ecclesia, infra octavam S. Catharinae Titularis, occurrit Festum S. Silvestri Ab. quod sub ritu duplici II classis recolitur. Eapropter die 26 Novembris agitur de S. Silvestro sine comm. octavae; cum vero die 27 sequenti agatur de infra octavam Titularis, in secundis Vesperis dicti S. Silvestri agenda est comm. At cum dies octava Titularis anno 1904 impediatur a Dominica I Adventus, in praecedenti Sabbato, quo agitur de die VII infra octavam, ordinandae sunt Vesperae. Hinc Fridericus, doctrinam sequens Guyeti, iudicat, singulos dies infra octa-

vam gaudere primis et secundis Vesperis; ac proinde in secundis Vesperis S. Silvestri sumendam esse pro com. sequentis diei infra octavam, antiphonam e I Vesperis Festi Titularis, in Sabbato vero Vesperas facit de septima die infra octavam, a Capitulo de Dominica sequenti. Quaeritur:

1. *E duobus Sanctis impeditis, Hilario et Agnete, iurene reposita est primo S. Agnes, an reponi prius debuit S. Hilarius?*

2. *Qua de causa in duplici II. cl. omittitur com. de infra octavam, non autem occurrentis simplicis?*

3. *Num verum sit assertum, quemcumque infra octavam diem habere ius ad primas et secundas Vesperas?*

4. *Quid iudicandum de sententia Friderici?*

SOLUTIO

In conventu Academiae habito die 18 Februarii 1903, super casu proposito disseruit R. D. Alfredus Ferrari, Alum. Collegii Capranicensis; atque Epitomen egit R. P. Paulus Saraiva Caerem. Pontif. Magister.

Ad 1. Praenotandum est, festum S. Agnetis *secundo*, quod ante Pium V nobiliori ritu recolebatur (*Gavantus, sec. 7, c. 3*) non esse dies octava proprie dicta festi eiusdem S. Virginis, quod die 21 Ianuarii celebratur, sed potius memoria apparitionis eius parentibus suis et Constantiae Augustae, ut notat Baronius (*Martyrol.* hac die). Cum autem ea apparitio octava die post huiusce Virginis passionem acciderit, auctores quasi octavam festi principalis habuerunt. (*A Curpo p. 4, n. 17*). Hinc omnes cum Cavalerio (*tom. 1, c. 9, decr. 9, n. 34*) docent, quando per accidens festum S. Agnetis sua die impeditur, transfertur die 28, quia ea dies est magis propria S. Agneti quam alteri Sancto licet prius translato.

Quod facit omnino ad rem nostram. S. Hilarius impeditus die 14, celebrari deberet ante S. Agnetem; sed quia dies 28, prima libera, ut diximus, dies est eidem S. Agneti dicata, haec Sancta Virgo iura potiora ad illam habet, ideoque in ea celebratur festum eius translatum, et S. Hilarius alia die libera recolitur.

Ad 2. Gavantus et Meratus huic quaestioni respondent: (*sect. 3, c. 11, n. 15*) « Duplex 2 classis admittit in laudibus commemorationem... festi simplicis, non autem diei infra octavam; neque obstat quod dies infra octavam sit nobilior festo simplici, nam cum de die infra octavam fiat saepius commemoratio, de festo autem simplici semel tantum, ideo non officit quod aliquando omittatur commemoratio diei infra octavam, licet nobilioris festo simplici ». Iisdem prope verbis loquitur Cavalerius (*T. 1, c. 6, d. 5, n. 27*). Etenim sancta mater Ecclesia cultum Sanctorum fidelibus proponit, ad exemplum et ad opem eorum impetrandam. De Sancto, habenti octavam, quoad exempla imitanda, iam lecta sunt in lectionibus diei festi, quoad opem implorandam, iam et in festo ipso, et infra octavam pluries est exoratus; de Sancto autem ritus simplicis, si in obsequium duplicis 2 classis omitteretur et ipsa commemoratio in laudibus et missis lectis, ac IX lectio in matutino, totus cultus illius periret omnino, tum quoad imitanda exempla, tum quoad suam impetrandam intercessionem.

Quod huiusmodi commemoratio supprimatur in duplicibus 1 classis, satis intelligitur; agitur enim de solemnitatibus celebrioribus et rarioribus; duplicia vero 2 classis solemnia certa sunt, sed inferioris gradus, proindeque ne tota pereat memoria Sancti simplicis, in eis fit commemoratio, ne autem nimis diminuatur festi duplicis 2 classis solemnitas, eadem commemoratio respuitur in 1 Vesperis et in Missa conventuali seu cantata.

Ad 3. Scientifice loquendo, iuxta clarissimum Guietum (*l. 4, c. 6, q. 7*): « Nonnisi improprie dictum est officium VII diei intra octavam terminatum fuisse ad Nonam, nisi quatenus Vesperae fiant de die octava; quod si contingat ut Vesperae non sint eiusmodi, quidni continuanda erit in iis Octava eo modo quo fieri potest; nempe sumendo psalmos et antiphonas de ipsa ex secundis Vesperis festi. »

Item alio loco (*l. 4, c. 13, q. 6*), hoc ipsum dicit, et concludit, in casu quo dies octava supprimitur: « cessante prorsus et quoad officium et quoad commemorationem die octava, absurdum non est, imo perquam congruum officium inchoatum die infra octavam absolvere cum nihil aliunde obstet. Aio itaque Vesperas de eo (die VII) recitandas ritu semiduplici ad instar aliorum dierum infra octavam, videlicet ut in secundis Vesperis festi ». Ex qua lectissima et rationabili Guieti doctrina, manifestum fit, uti arguunt sapientissimae *Ephemerides Liturgicae* (an. 1895, pag. 75), « Dies infra octavas vere ius habere per se ad primas et secundas Vesperas; dicuntur tamen semper secundae Vesperae festi, eo quod primae sequentis diei impediuntur ex identitate obiecti ». Scimus cl. Gavantum aliud sentire (*sect. 3, c. 8, n. 13*), et ut ipse confitetur, decretum provocasse; nihilominus rationes a tanto viro prolatae parum probant. Quia tamen adhuc extat in Breviario Rubrica sub die 14 Decembris qua praecipitur, quando dies octava Immaculatae Conceptionis occurrit in Dominica, Vesperae in Sabbato dicuntur ut in psalterio a capitulo de Dominica, aliud in praxi tenendum est, donec saltem res studio diligentiori illustretur.

Ad 4. Ex dictis patet sententiam Friderici, licet scientifice loquendo bonis de causis commendandam, maxime auctoritate Guieti, nihilominus nondum esse sustinendam in praxi.

Doct. PETRUS PIACENZA.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ
NE PEREANT

MAI 1903.

1 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Thomas Nörber, Arch. de Fribourg; – et Mgr Dominique-Charles-Martin Willi, Ev. de Limbourg.

— Le St-Père reçoit dans la Salle du Trône un deuxième groupe de 400 Tertiaires Franciscains de Cologne.

2 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Adalbert Enders, Ev. de Fulda; – et Mgr Henri Brück, Ev. de Mayence.

— Le St-Père reçoit dans la Salle du Trône un troisième groupe de 500 Tertiaires Franciscains de Cologne et de Trieste.

3 Dimanche.

Sa Majesté Royale et Impériale Guillaume II, Empereur d'Allemagne et Roi de Prusse, accompagné de ses deux fils les Princes Guillaume et Eitel-Frédéric, ainsi que d'une nombreuse et brillante suite, est reçu à trois heures au Vatican par le St-Père, avec tous les honneurs réservés aux Souverains.

5 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Marien Markovic, Admin. Apost. de Banjaluka en Bosnie; – M. le Comte Louis Gorski; – M. le Comte Droste de Vischering; – ainsi que les Secrétaires et le personnel de la Cour de S. M. l'Empereur d'Allemagne.

6 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Joseph Mora,

Ev. de Tulancingo; — et S. A. S. le Prince Louis de Liechtenstein, ainsi que la Princesse son épouse.

— Un pèlerinage hollandais est reçu dans la Salle du Trône.

7 Jeudi.

Le R. P. Jean-Baptiste, Passioniste, délégué à cet effet par S. Em. le Card. Gibbons, Arch. de Baltimore, offre au St-Père, à l'occasion du Jubilé Pontifical, les hommages de M. Roosevelt, Président de la République des Etats-Unis, ainsi qu'un recueil en dix volumes des Messages et des Lettres officielles des Présidents des Etats-Unis, de 1789 à 1897.

— Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr François Isola, Ev. de Concordia; — et M. le Baron Joseph du Teil.

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat: S. Em. le Cardinal Vincent Vannutelli est nommé Protecteur des Filles du Cœur de Jésus, de Marseille; — S. Em. le Card. Dominique Ferrata, est nommé Protecteur de l'Institut des Ecoles Chrétiennes de la Miséricorde, en France; — S. Em. le Cardinal Fr. de Paule Cassetta, est nommé Protecteur des Sœurs Missionnaires Franciscaines de l'Immaculée Conception; — et S. Em. le Card. Pierre Respighi, est nommé Protecteur des Sœurs de la S. Famille de Nazareth.

8 Vendredi.

Le St-Père reçoit dans la Salle du Trône 700 pèlerins du premier groupe du pèlerinage national allemand.

9 Samedi.

S. Em. le Grand-Maître de l'Ordre Souverain de Malte présente au St-Père une Députation des Chevaliers de l'Ordre, de la Province Rhénane et de la Westphalie.

10 Dimanche.

Le St-Père reçoit dans la Salle du Trône le deuxième groupe du pèlerinage allemand, composé de 800 pèlerins.

— M. le Duc et Mme la Duchesse d'Arenberg sont reçus en audience.

12 Mardi.

Congr. Générale des Rites, tenue au Vatican, *coram Ssmo*, pour examiner l'héroïcité des vertus de la Vén. Serv. de Dieu Sœur Marie-Madeleine, dans le siècle Julie Postel, Fondatrice de l'Institut des Sœurs des Ecoles Chrétiennes de la Miséricorde, en France.

13 Mercredi.

Mme Hyacinthe Weckbecher offre au St-Père les cartons originaux du peintre allemand Overbeck, représentant les Sept Sacrements.

— Le troisième groupe des pèlerins allemands, au nombre de 800, est reçu en audience dans la Salle du Trône.

14 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Darius Mattei Gentili, Arch.-Ev. de Pérouse; — Mgr Fr. de Sales Marie Doppelbauer, Ev. de Linz; — et Mgr Jean-Baptiste Flapp, Ev. de Parenzo et Pola.

15 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Louis Bonetti, Ev. de Montalto; — et Mgr Benoît Spila, Ev. d'Alatri.

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, LL. Em. le Card. Antoine Agliardi et Jean-Baptiste Casali del Drago, sont nommés membres de la S. C. des Indulg.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Philippe Moriconi est nommé Consulteur de la S. C. des Indulg.

16 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Jacques Corna Pellegrini, Ev. de Brescia; — et le R. P. Elie Scedid, Procureur Général du Patriarchat Maronite.

17 Dimanche.

Le St-Père reçoit dans la Salle du Trône un premier groupe de 400 pèlerins bavarois.

19 Mardi.

Un deuxième groupe de 600 pèlerins avarois est reçu dans la Salle du Trône.

— Congr. Prép. des S. Rites, tenue au Vatican, pour l'examen des deux miracles qui sont proposés pour la Canonisation du Bienh. Alexandre Sauli, Barnabite, Ev. de Pavie.

21 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Henri Granion, Ev. de Tucson; — Mgr Pierre-André Viganò, Ev. d'Hyderabad; — Mgr François di Mento, Ev. de Tyne et Micone, Adm. d'Andros, dans l'Archipel grec; — Mgr François do Rego Maia, Ev. de Belem de Pará; — Mgr Jean-Marie-Alexandre Morice, Ev. des Cayes; — Mgr Henri Doulcet, Ev. de Nicopolis; — Mgr Sigismond Ow-Felldorf, Ev. Tit. d'Aréthuse, Auxil. de Ratisbonne; — ainsi que Mgr Viale-Prelà, Camérier secret surnuméraire.

22 Vendredi.

M. Devolder, Ministre d'Etat et Sénateur Belge, est reçu en audience, ainsi que sa famille.

— Les membres de la Noble Antichambre Pontificale offrent au St-Père des ornements sacrés, à l'occasion du Jubilé Pontifical.

— S. Em. le Card. Vivès y Tuto présente au St-Père, dans la Salle du Trône, la Pieuse Fraternité des prêtres Tertiaires Franciscains de résidence à Rome, qui offrent à l'occasion du Jubilé plusieurs calices précieux.

24 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audiences: M. Le Jeune, Secrétaire de la Légation Belge à Stockholm; — et M. le Comte Droste-Vischering, Camérier secret de Cape et d'Epée.

— S. Em. le Card. Vincent Vannutelli présente au St-Père les Dames de l'Association pour l'Adoration Perpétuelle et l'assistance aux Eglises pauvres.

27 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Pierre-Gonzalès-Charles Duval, Dél. Apost. en Syrie; — Mgr Georges Posilovic, Arch. de Zagabria; — et Mgr Pascal Rubian, Arch. Tit. d'Amasée.

28 Jeudi.

Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Félix Cavagnis est nommé Protecteur de l'Archic. des SS. Ambroise et Charles, de la Nation Lombarde.

29 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Pierre Balestra, Arch. de Cagliari; — et Mgr Luc Canepa, Ev. de Galtelli-Nuoro; — ainsi que le Rme P. Amellini, O. S. B.

— Le S. Père reçoit dans la Salle Clémentine un nombreux groupe de Pèlerins de la Sardaigne.

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, le St-Père désigne les Gardes-Nobles qui doivent annoncer aux Prélats résidant à l'étranger leur promotion au Cardinalat, à savoir: M. le Comte François Salimei, pour S. G. Mgr André Aiuti, Nonce en Portugal; — M. le Marquis Charles Malvezzi, pour S. G. Mgr Emidien Taliani, Nonce en Autriche; — M. le Comte François Antamoro, pour S. G. Mgr Sébastien Herrero y Espinosa de los Monteros, Arch. de Valence; — M. le Marquis Charles Sacripante-Vituzi, pour S. G. Mgr Jean Katschthaler, Arch. de Salzbourg.

31 Dimanche.

Le St-Père proclame le Décret sur les vertus héroïques de la Vén. Serv. de Dieu Marie-Madeleine Postel, Fondatrice des Sœurs des Ecoles Chrétiennes de la Miséricorde (*Voir aux Analecta Nova, p. 210*) F. C.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister.
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Arch. Myren. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente.*

Roma, 1903. — Tip. Editr. Romana, via della Frezza, 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS UNDECIMUS

FASCICULUS SEXTUS - JUNIUS 1903

SUMMARIUM

ANALECTA NOVA

EX ACTIS LEONIS XIII ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Instituitur Commissio Cardinalitia pro ordinandis solemniis celebrandis recurrente 50 anniv. a definitione dogm. Immaculatae Conc. B. M. V.

Ai nostri Diletti Figli
Vincenzo Cardinale VANNUTELLI
Mariano Cardinale RAMPOLLA DEL TINDARO
Domenico Cardinale FERRATA
Giuseppe Calasanzio Cardinale VIVES

Signori Cardinali,

Da molte parti Ci è stato manifestato il vivo desiderio dei fedeli di celebrare, con istraordinarie solennità, il cinquantesimo anniversario della dommatica definizione dell'Immacolata Concezione della Vergine. Quanto tale brama torni gradita al Nostro cuore è agevole immaginarlo. La pietà verso la Madre di Dio, non solo è stata fra le Nostre più soavi affezioni fin dai teneri anni, ma è per Noi uno dei più validi presidî concessi dalla Provvidenza alla Chiesa cattolica. Di tutti i secoli ed in tutte le lotte e persecuzioni la Chiesa ebbe ricorso a Maria, e ne ottenne sempre conforto e difesa. E poichè i tempi che corrono sono così procellosi e pieni di minacce per la Chiesa stessa, Ci gode l'animo e si apre a speranza nel vedere i fedeli che, colta la propizia occasione del menzionato cinquantenario, vogliono con unanime slancio di fiducia e di amore rivolgersi a Colei che è invocata Aiuto dei Cristiani. Si aggiunge poi a renderci cara la bramata solennità cinquantenaria, l'esser Noi unico superstite fra quanti, sia Cardinali sia Vescovi, facevano corona al Nostro Predecessore nell'atto della promulgazione del dommatico decreto. Essendo però Nostra intenzione che le feste cinquantenarie abbiano quell'impronta di grandezza, che si conviene a questa Nostra Roma, e sieno tali da servir di stimolo e regola alla pietà dei cattolici di tutto il mondo; abbiamo determinato di formare una *Commissione Cardinalizia*, a cui spetti ordinarle e dirigerle.

A membri di siffatta Commissione nominiamo voi, signori Cardinali. E nella certezza che, colle sapienti vostre cure, saranno interamente appagate le Nostre e le comuni brame, pegno dei celesti favori vi impartiamo l'apostolica benedizione.

Dal Vaticano, 26 Maggio 1903.

LEO PP. XIII.

APPELLO AI CATTOLICI. (1)

Quanti sono figli amorosi della Vergine e della Chiesa cattolica, leggeranno senza dubbio con gioia profonda la Pontificia Lettera qui sopra riportata; nella quale il Vicario augusto di Gesù Cristo, accogliendo con affetto paterno il vivo desiderio dei fedeli, invita così teneramente il mondo cattolico a celebrare con feste straordinarie il Cinquantesimo Anniversario della dommatica definizione della Immacolata Concezione della Vergine.

Al Pontefice Sommo, infatti, che tanto fece già per crescere nei fedeli il culto di Maria, non è bastato, in questa Venerata Lettera, il dolce richiamo alle soavi affezioni dei Suoi teneri anni, tra le quali primeggiava fervida e costante la pietà verso Maria; non il ricordo tanto opportuno nell'angustia dell'ora presente, che la divozione alla gran Madre di Dio fu in ogni età ed è sempre uno dei più validi presidi concessi dalla Provvidenza alla Chiesa cattolica; non, infine, l'accenno amorevole e quasi riconoscente al conforto ed alla speranza che fra tante Sue pene Gli infondono nel cuore i Suoi figli, con l'unanime slancio di fiducia e di amore verso Colei, che a ragione è invocata Aiuto dei Cristiani, e che tante volte già liberò dalle più dure strette la Sposa perseguitata di Gesù Cristo.

Ma di più il grande Pontefice, dopo aver rammentato che Egli è unico superstite tra quanti, Cardinali e Vescovi, più davvicino parteciparono alle gioie ed ai trionfi della proclamazione del Domma, ciò che Gli rende più cara la bramata solennità cinquantenaria; ora che siede sulla Cattedra di S. Pietro, dichiara essere Sua volontà che le vicine Feste sianò così straordinarie e così solenni, in Roma soprattutto che portino la impronta della grandezza di questa alma Città, e che siano insieme di stimolo e di regola alla pietà dei cattolici di tutto il mondo nell'onorare, in occasione tanto bella e propizia, la gran Madre di Dio.

Sembra che il Pontefice del Rosario, levando fiducioso lo sguardo a Maria, dopochè fu amorosamente festeggiato in tre felicissimi Giubilei dai Suoi cari figli, voglia Egli stesso con felice pensiero invitarli tutti a solennizzare il Giubileo della Immacolata, perchè dalla valida intercessione di Lei opportunamente riconoscano gli insigni beneficii onde fu ricolmo, anche nei tempi tristissimi che corrono, il Pontificato Romano, ed a Lei si sciolga unanime dal mondo cattolico l'inno della gloria e della riconoscenza; invocandone, tra le nuove lotte e minacce, l'aiuto salutare.

Ad ottenere che gli alti Suoi intenti siano efficacemente tradotti in effetto, Sua Santità si è degnata costituire una speciale *Commissione Cardinalizia*, composta dei Cardinali Vincenzo VANNUTELLI, Mariano RAMPOLLA DEL TINDARO, Domenico FERRATA, Giuseppe Calasanzio VIVES; alla quale resta affidato il superiore e nobilissimo compito di ordinare e di dirigere degnamente le mentovate e solenni Feste Cinquantenarie.

(1) Libentissime heic supponimus tum invitationem ad universos Catholicos, tum indicem generalem solemnitatum celebrandarum. *N. D.*

Per corrispondere degnamente, adunque, ad Invito tanto Augusto, e per soddisfare in pari tempo le vive brame del loro cuore, i cattolici di ogni Paese del mondo debbono unirsi concordi per prepararsi alle grandi Feste; e debbono con ardore e con operosità assidua e costante volgere il loro animo ad attuare in ogni miglior modo il seguente *Programma dei Festeggiamenti* proposto dalla speciale *Commissione Cardinalizia:* fidenti che la Vergine, onorata ognora più ed invocata con fervore, ci otterrà finalmente da Dio per le anime nostre, per la Chiesa e per la Società i giorni sospirati di prosperità e di pace.

PROGRAMMA GENERALE

APPROVATO DALLA COMMISSIONE CARDINALIZIA.

I Festeggiamenti principali che si intendono promuovere in occasione del Cinquantesimo Anniversario della Definizione Dommatica della Immacolata Concezione di Maria Santissima, sono i seguenti:

1. *Solenni e speciali Funzioni* avranno luogo nella *Patriarcale Basilica di S. Pietro in Roma,* dove fu fatta la proclamazione del Domma: e nella *Basilica Patriarcale di S. Maria Maggiore.* A tali funzioni saranno invitate ad assistere Rappresentanze di tutti i Paesi del mondo.

2. *Un Congresso Mariano mondiale si terrà in Roma* in occasione delle Feste, secondo le norme che verranno fissate con apposito regolamento.

3. *La formazione di una Biblioteca Mariana,* composta cioè dalle pubblicazioni intorno alla Vergine Santissima. Tali pubblicazioni verranno umiliate al Sommo Pontefice come omaggio dell'ingegno e della pietà cristiana verso la Madre di Dio, e formeranno in Roma un monumento perenne di gloria a Maria Santissima.

4. *Sacre Missioni,* durante l'anno 1904, come degna e divota preparazione alle Feste in onore della Immacolata.

5. *Prime Comunioni* celebrate con migliore apparecchio e con maggiore solennità nel corso dell'anno 1904.

6. *Spirituali Esercizi,* specialmente proposti ai membri delle Associazioni cattoliche, in preparazione alle Feste del dicembre 1904.

7. *Divoti e numerosi pellegrinaggi* ai Santuari più venerati di Maria SS.ma nei varii Paesi durante l'anno 1904.

8. *Funzioni devote si faranno nel giorno 8 di ogni mese* a cominciare dall'8 Dicembre 1903, allo scopo di preparare sempre meglio alla grande Solennità le anime dei fedeli con la preghiera e con la frequenza dei SS. Sacramenti. In Roma, tale funzione avrà luogo principalmente nella Basilica Patriarcale di S. Maria Maggiore: altrove, in quelle Chiese che verranno designate nei singoli luoghi dall'Autorità Ecclesiastica.

9. Saranno fatte speciali preghiere alla Vergine per la felice conservazione del glorioso Pontefice *Leone XIII, Unico Superstite,* tra i Vescovi e Cardinali, presenti alla Definizione solenne.

10. Si proporrà qualche *speciale opera di beneficenza cristiana,* secondo la opportunità dei luoghi; e si faranno altresì *Suffragi solenni alle Anime Sante* del Purgatorio, a quelle specialmente che furono più devote di Maria Santissima.

11. *Un solenne ufficio funebre* si farà in San Lorenzo fuori le mura di Roma, per l'anima benedetta di Pio IX che definì il Domma.

12. Si dedicheranno *speciali onoranze* d'intesa col « *Collegium Cultorum Martyrum* » alle prime imagini di Maria SS.ma, venerate nelle Catacombe Romane.

13. Si farà appello ai varii Ordini Religiosi, ed alle varie Confraternite ed Istituzioni pie, maschili e femminili; perchè

vogliano compiere nel loro seno speciali atti di pietà in onore della Immacolata; e perchè prestino il loro concorso volonteroso alle Feste ed Opere locali e generali, con le quali verrà commemorato il felice e santo avvenimento.

14. Altre proposte di opere o di festeggiamenti si potranno aggiungere alle indicate in questo *Programma generale*, sia per tutto il mondo cattolico, sia più specialmente per Roma. Però, tutte le Istituzioni cattoliche che intendessero prendere iniziative di *indole generale*, cioè estese a tutto il mondo, e da attuarsi *all'infuori della propria cerchia*, innanzi di proporle in pubblico, avranno cura di ottenerne l'approvazione dalla *Commissione Cardinalizia*.

GIACOMO RADINI-TEDESCHI
Segretario della Commissione Cardinalizia.

Roma, Festa della Pentecoste, 31 maggio 1903.

Ad attuare quanto è proposto in questo Programma Generale, è costituito in Roma un apposito *Comitato Centrale*, al quale potranno collegarsi i varii Comitati che si verranno costituendo nei diversi Paesi del mondo. Il detto *Comitato Centrale* alla sua volta terrà opportuna corrispondenza con questi Comitati stessi per quello specialmente che con carattere mondiale si compirà in Roma. Sta a capo di esso la *Commissione Cardinalizia* designata dalla Santità di Nostro Signore Leone PP. XIII, della quale è Segretario Mons. Giacomo Radini-Tedeschi, Prelato domestico di S. S., canonico di S. Pietro. Dipendente poi da questa è una *Commissione Esecutiva*, formata dal *Circolo della Immacolata della Gioventù di Roma*, e coadiuvata dai rappresentanti delle principali Società cattoliche in Roma.

La *Commissione Esecutiva* pubblicherà un proprio apposito periodico, intitolato *L'Immacolata*; il quale, oltre al contenere gli *Atti* del *Comitato Centrale*, avrà cura di dare le informazioni opportune e di promuovere nel modo più efficace quanto sarà utile all'uopo.

PER LA COMMISSIONE ESECUTIVA
Il Circolo della Immacolata.

TOLLI Comm. FILIPPO, *Pres. onor.*
FOLCHI Cav. PIO, *Presidente effettivo.*
TEI CARLO, *Segretario generale.*
Mons. G. RADINI-TEDESCHI, *Assistente Eccles.*

La corrispondenza per la *Commissione Cardinalizia* e le offerte che si volessero fare per le feste debbono essere inviate a Mons. Radini-Tedeschi (*Corso V. E.*, 21, Roma).

La Sede della *Commissione Esecutiva*, e gli uffici del periodico *l'Immacolata* sono nei locali del Circolo dell'Immacolata, in *via Torre Argentina, n. 76, Roma.*

II.

Leo XIII concordiam inter Hispanos commendat, coetusque dioecesanos ad illam promovendam valde probat.

Dilecto filio nostro Cyriaco Mariae tit. S. Petri in Monte Aureo S. R. E. Presb. Card. Sancha y Hervás Archiepiscopo Toletanorum. Toletum.

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quos nuper coetus Episcopi aliquot Hispaniarum, te praeside, Matriti celebrarunt ut opportunissima ad movendam apud vos catholicorum actionem praesidia animadverterent, de iis Nos certiores efficit dilectus Filius Noster a publicis negotiis. Has Nos congressiones libentiore quadam voluntate cognovimus, quippe professi saepenumero publiceque sumus nihil Nobis magis esse curae quam ut catholici in Hispania viri arctissima inter se concordia cohaereant. Illud enimvero laudati coetus perspicue demonstrant Hispanos Praesules non modo de concordiae necessitate Nobiscum consentire, verum etiam ad voluntatum coniunctionem in fidelibus instaurandam omni studio contendere. Quod sane complures Episcopi ad consilia conferenda convenerint, id esse fructus expers in christiana plebe non potest, eo praesertim ex capite quod suas cuique opiniones variasque de rebus minime necessariis sententias omnino abiiciendas esse suadeat, si prospicere Religionis rationibus, quae multum in praesens periclitantur, cum efficacitate velimus. Quamobrem vehementer optamus ut Hispaniae Episcopi constanti stabilique animo insistant denunciari palam ac publice servandam catholicis universis concordiam. Sequetur enim sine dubitatione ut pastoralia praescripta maiori populum virtute percellant, atque ea, quae animo spectatis, leviore negotio adipiscamini. — Supradictis autem in conventibus prolatum a quibusdam consilium comperimus peculiares coetus in quaque dioecesi condendi, qui consociationi Matriti constitutae, tamquam capiti, congruat. Iam eiusmodi sententiam sapienter opportuneque conceptam laude persequi placet: valere namque posse censemus ad creandum constabiliendumque catholicorum omnium in Hispania consensum. Quare plane confidimus universos istius gentis Episcopos eidem consilio et opinione et re fore adstipulaturos. Huius tamen exequendi negotii, praescriptorumque decernendorum, quibus regendae consociationes erunt, praecipuas partes deberi tibi volumus, qui summum dignitatis locum in Hispaniae Episcopis obtines. Valde quidem Nobis et agendi studio, et rerum usu, et fideli coniunctione commendaris; quo fit ut nullum ad haec incitamentum desideres. Modestiam vero tuam attollendam impellendamque arbitramur, idque libenter praestamus, enixe cohortantes ut magno erectoque animo operi tam claro praesis, hoc nihil dubitans eos tibi omnes adiumentum laturos qui dignitatis exsistunt socii. Quod si humanae conscius infirmitatis divinam requirendam opem ad laudatum facinus putas, Nos etiam adspirantem propitie Deum tibi deprecamur, auspicemque coelestium gratiarum Apostolicam benedictionem tibi caeterisque Hispaniarum Episcopis ac fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Aprilis anno MCMIII, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.

LEO PP. XIII.

III.

Leo XIII Coetui solemniis Iubilaei Pontificalis celebrandis praeposito gratulatur.

Dilecto filio nostro Petro Tit. SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. Presb. Card. Respighi, Vice Sacra Antistiti Urbano ac praeposito solemniis iubilaei Pontificalis peragendis.

LEO PP. XIII.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Quod Iubilaei Pontificalis solemnia, Deo propitio adspi-

rante, praeclarum consecuta sint exitum, industriam etiam egregii coetus agnoscimus, qui ad celebritates rari maxime eventus agendas coaluit. Observantiam coniunctionemque id Nobis confirmat, quam in Petri Cathedram atque in Personam Nostram fovetis, libetque idcirco profiteri et vestra omnium sollertia et studiis communibus iucunde Nos esse affectos. Porro merita vos laude prosecuti, gratam cuique vestrum voluntatem testamur. Opera vero templi Lateranensis, quoniam in id potissimum Iubilaei Nostri monumentum intendistis, nolumus alacritate vestra destitui, cupimusque, propterea atque optamus, ut coeptis insistere, pro suscepto vobis instituto, perseveretis. Auspicem interea coelestium gratiarum Nostraeque testem benevolentiae Apostolicam benedictionem tibi ac singulis e coetu peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XVI Maii anno MDMIII Pontificatus nostri vigesimo sexto.

LEO PP. XIII.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

I.

Romae die 22 Iunii 1903.

Consistorium Secretum.

La Santità di Nostro Signore Leone Papa XIII questa mattina ha tenuto nel Palazzo Apostolico Vaticano il Concistoro segreto, nel quale l'E.mo e R.mo Sig. Card. Cassetta, terminato l'officio di Camerlengo del Sacro Collegio, ha presentato la solita borsa a Sua Beatitudine, che si è degnata passarla all'E.mo e R.mo Sig. Card. Sanminiatelli Zabarella. Quindi, premessa un'Allocuzione, il Santo Padre, confermando la elezione fatta per acclamazione dai Vescovi di rito greco-melchita nel Seminario di Ain-Traz, ha proposto la

Chiesa Patriarcale di Antiochia, di rito greco-melchita, per Mons. Cirillo Geha, promosso dalla Chiesa Arcivescovile di Aleppo.

Creantur Cardinales.

Quindi si è degnato di creare e pubblicare Cardinali di Santa Romana Chiesa:

Dell' Ordine dei Preti:

Mons. Carlo Nocella, Patriarca di Costantinopoli e Segretario della Sacra Congregazione Concistoriale e del Sacro Collegio, nato in Roma il 26 novembre 1826.

Mons. Beniamino Cavicchioni, Arcivescovo di Nazianzo, Segretario della Sacra Congregazione del Concilio, nato in Veiano, diocesi di Viterbo, il 27 dicembre 1836.

Mons. Andrea Aiuti, Arcivescovo di Damiata, Nunzio Apostolico in Portogallo, nato in Roma il 17 giugno 1849.

Mons. Emidio Taliani, Arcivescovo di Sebaste, Nunzio Apostolico in Austria-Ungheria, nato in Montegallo, diocesi di Ascoli Piceno, il 19 aprile 1838.

Mons. Sebastiano Herrero y Espinosa de los Monteros, della Congregazione dell'Oratorio di Siviglia, nato in Ierez de la Frontera, arcidiocesi di Siviglia, il 20 gennaio 1823.

Mons. Giovanni Katschthaler, Arcivescovo di Salisburgo, nato in Hippach, diocesi di Bressanone, il 20 maggio 1832.

Mons. Antonio Uberto Fischer, Arcivescovo di Colonia, nato in Giulik, arcidiocesi di Colonia, il 30 maggio 1840.

Provisiones Ecclesiarum.

Quindi, dopo che l'E.mo Sig. Cardinale Di Pietro, dimesso il titolo presbiterale dei SS. Bonifacio ed Alessio, ha ottato l'altro di S. Lorenzo in Lucina, il Santo Padre ha proposti i seguenti Officii maggiori e Chiese finora vacanti:

Chiese Cattedrali Suburbicarie unite di Porto e S. Rufina, per l'E.mo Sig. Card. Serafino Vannutelli, Sotto-Decano del Sacro Collegio, che dimette la Chiesa Cattedrale Suburbicaria di Frascati.

Vice-cancellierato di S. R. C. e Sommistato delle Lettere Apostoliche, per l'E.mo e R.mo Sig. Card. Antonio Agliardi, Vescovo di Albano, cui è data in commenda la Basilica di S. Lorenzo in Damaso.

Chiesa Cattedrale Suburbicaria di Frascati, per l'E.mo e R.mo Sig. Card. Francesco Satolli, che dimette il Titolo Presbiterale di S. Maria *in Aracoeli*.

Chiesa Patriarcale di Costantinopoli, per Mons. Giuseppe Ceppetelli, promosso dalla Chiesa titolare Arcivescovile di Mira.

Chiesa titolare Arcivescovile di Iconio, per Mons. Luigi Lazzareschi, promosso dalla Chiesa titolare Vescovile di Neocesarea.

Chiesa Metropolitana di Pisa, per Mons. Pietro Maffi promosso dalla Chiesa titolare Vescovile di Cesarea di Mauritania.

Chiesa titolare Arcivescovile di Eliopoli, per Mons. Roberto Seton, diocesano di Newark, Protonotario Apostolico *ad instar*, dottore in sacra teologia e baccelliere in ambe le leggi.

Chiesa Cattedrale di Mazara, per Mons. Nicola Audino, traslato dalla Sede Cattedrale di Lipari.

Chiesa Cattedrale di Oria, per Mons. Antonio di Tommaso, traslato dalla Chiesa titolare Vescovile di Eudossiade.

Chiesa Cattedrale di Tivoli, per Mons. Prospero Scaccia, di Città della Pieve, Cameriere segreto sopranumerario di Sua Santità, dottore in ambo le leggi, in Città della Pieve, Rettore del Seminario, professore di sacra teologia e di diritto canonico, Canonico della Cattedrale e Vicario generale.

Chiese Cattedrali unite di Recanati e Loreto, per Mons. Vittorio Amedeo Ranuzzi de' Bianchi, di Bologna, Prelato Domestico di Sua Santità, Primicerio della Metropolitana di Bologna, Consigliere della Nunziatura Apostolica di Parigi.

Chiesa Cattedrale di Borgo San Donnino, pel R. D. Pietro Terroni, diocesano di Pontremoli, ivi Convisitatore, Esaminatore sinodale, Rettore e Professore di sacra teologia nel Seminario, Arcidiacono della Cattedrale.

Chiesa Cattedrale di Colle, pel R. D. Massimiliano Novelli, arcidiocesano di Firenze, già alunno dell'almo Collegio Capranicense, dottore in sacra teologia, in Firenze Vicario generale e Canonico della Metropolitana.

Chiesa Cattedrale di Cariati, per Mons. Lorenzo Chieppa, di Andria, Cameriere segreto sopranumerario di Sua Santità, dottore in filosofia, in sacra teologia ed in ambo le leggi, Vicario generale e Rettore del Seminario in Ascoli e Cerignola.

Chiesa Cattedrale di Susa, pel R. D. Carlo Marozio, arcidiocesano di Vercelli, dottore in sacra teologia, Professore di teologia morale nel Seminario e Canonico della Metropolitana di Vercelli.

Chiesa Cattedrale di Casale Monferrato, pel R. D. Lodovico Gavotti, di Genova, ivi Professore nel Seminario e Canonico onorario della Chiesa Abaziale dell'Immacolata.

Chiesa Cattedrale di Tricarico, pel R. P. Anselmo Pecci, benedettino, diocesano della Badia della SS. Trinità di Cava, ivi Prefetto degli studi, Maestro dei novizi, Esaminatore prosinodale, Professore e Direttore del convitto e Decano del monastero.

Chiesa Cattedrale di Patti, per Mons. Francesco Maria Traina, arcidiocesano di Palermo, Cameriere segreto sopranumerario di Sua Santità, Arciprete-Parroco di Castronuovo di Sicilia.

Chiesa Cattedrale di Nicosia, pel R. D. Ferdinando Fiandaca, diocesano di Caltanisetta, dottore in sacra teologia e in diritto canonico, in Caltanisetta, Esaminatore prosinodale, Professore di sacra teologia e diritto canonico nel Seminario, Canonico teologo della Cattedrale.

Chiesa Cattedrale di Piazza Armerina, pel R. D. Mario Sturzo, di Caltagirone, ivi Prefetto degli studi e Professore di diritto canonico nel Seminario, Canonico Primario della Cattedrale.

Chiesa Cattedrale di Lipari, pel R. P. Francesco Maria Raiti, dei Carmelitani dell'antica osservanza, diocesano di Acireale, lettore in sacra teologia, Definitore generale del suo Ordine e Penitenziere straordinario della Basilica Vaticana.

Chiesa Cattedrale di Königgrätz, per Mons. Giuseppe Doubrava, arcidiocesano di Praga, Cameriere segreto sopranumerario di Sua Santità, dottore in sacra teologia, in Praga Esaminatore prosinodale, Consigliere e Giudice ecclesiastico, Canonico della Metropolitana.

Chiesa titolare Vescovile di Memfi, pel R. D. Salvatore Fratocchi, di Roma, Esaminatore del clero, Arciprete Parroco della Chiesa Collegiata dei SS. Celso e Giuliano, Deputato ausiliario di Mons. Domenico Bucchi Accica, Vescovo di Orvieto.

Finalmente, aperte le porte dell'Aula ed introdotti gli Orientali residenti in Roma, il R.mo Mons. Cirillo Magabgab, Procuratore del nuovo Patriarca greco-melchita, a mezzo di un Avvocato Concistoriale ha fatto la postulazione del Sacro Pallio. A che avendo annuito il Santo Padre, il Procuratore ha reso le dovute grazie a nome del Patriarca e della nazione greco-melchita.

Allocutio Sanctissimi.

Venerabiles Fratres,

Nobis quidem apprime gratum, quod vos in huius dignitate loci revisere frequentes hodie licet. Utinam grata ad audiendum eloqui omnia pari modo liceret. — Postremi spatium anni haud sane vacuum solatio fuit. Mitescere quippe sollicitudines, recrearique animus non sine caussa solet, si quando in conspectu sint fidei pietatisque christianae testimonia non dubia; qualia profecto per hos superiores menses videmur in tot hominum millibus perspexisse, qui honorem habere Pontifici maximo tanta cum significatione reverentiae tantoque consensu certavere. Iucunda memoratu ista sunt atque opportuna spei: verum non estis ignari quam multiplex curarum aliunde materies. Quae saepe alias de conditione aspera catholicae rei per occasionem diximus, ea nunc iterari apud vos, tametsi nimium adhuc congruentia temporibus, nihil attinet. Unum silere non possumus, cuius quidem cogitatione sicut Nos incredibiliter angimur, ita christianos hoc dignos nomine penitus commoveri singulos necesse sit: infensos dicimus christianae gentium humanitati spiritus, quos per venas civitatum serpere quotidieque manare latius haec videt aetas. Sapientiae disciplinaeque, a Iesu Christo redemptore mortalibus traditae, fastidium quoddam vecors et contumax in vitam hominum apparet invasisse, non sine meditato regressu ad ingenium atque instituta miserorum ethnicorum. Talem animorum habitum non ambigue prae se ferunt mores plurimorum, itemque leges, publice instituta, philosophia, artes ingenuae, ipsaemet non raro ad sacrilegum proiectae scelus humaniores litterae. Hinc, si modo circumspicias, velut pactam destinatamque passim dixeris institutorum catholicorum cladem: ita multi sunt, qui adversus ea et privatim et publice, vel per occultum et in speciem lenius, vel per apertam vim et sine modo grassantur. Refugit mens introspicere, quo denique ista sint, nî Deus iuvet, evasura consilia. Quid enim boni, quid spei relinquitur iis, qui parta per Iesum Christum beneficia sponte repudiarint? Isthaec quidem eripere usquequaque et funditus humano generi beneficia non magis homines possunt, quam decreta frustrari voluntatemque omnipotentis Dei: at vero per superbiam et pervicaciam utique possunt aditum ianuamque magnis iacturis patefacere, quarum caussâ multitudo ingens de sempiterna salute periclitetur. His late incumbentibus malis, si voluntas est peiora praevertere, perfugium praesidiumque in benignitate divina quaeratur. Ab ipso potissimum Iesu Christo contendere debemus, ut opus in terris suum, hoc est redemptionis benefacta, custodire tuerique in perpetuum velit, nec diripi hereditatem suam ulla ex parte patiatur. Communis omnium caussa agitur: omnes propterea, quotquot ubique numerantur, qui fidem avitam diligunt et salvi esse volunt, ad preces humiles et supplices excitandi sunt. Nos vero, ne quid praetermittamus quod conducibile saluti videatur, dare publice litteras in eam rem, quae dicta est, constituimus: proximeque dabimus, spe praecipua in eo reposita, cuius numini parent omnia.

Referre ad vos de negotio debemus, quod sane ut expediatur hodierno die, Ecclesia Antiochena Graecorum Melchitarum requirit. Hanc in viduitate reliquerat Patriarcha suus, venerabilis frater b. m. Petrus Geraigiri, superiore anno morte sublatus. Quod igitur facto opus erat, catholici eadem natione Episcopi, ut de successore decernerent, in Synodum more institutoque veteri convenere. In aedibus Seminarii de Ain-Traz Synodus habita. Die autem vigesimo octavo Iunii an. MDCCCCII, consentientibus omnium suffragiis et acclamatione in demortui locum dixere Patriarcham ven. fratrem Cyrillum Geha Archiepiscopum Aleppensem, Vicarium apostolicum Patriarchalem. Mox Episcopi suffragatores supplicandum Nobis curavere, ut electum Patriarcham rite confirmare sacrique honore Pallii afficere placeret. Eadem electus suppliciter rogavit, facta, ut assolet, catholicae fidei professione. Rem totam ad cognoscendum, sententiamque dicendam delegavimus ad sacram Congregationem christiano nomini propagando, negotiis ritus orientalis praepositam, quae, caussâ probe perpensa, postulatis annuendum censuit. — Vene-

rabilem fratrem Cyrillum Geha ornamentis animi praeditum esse constat non paucis nec vulgaribus. Varia ille excultus doctrina, integritate vitae morumque suavitate praestans, Episcoporum collegarum suorum opinione maxime floret. Idem in Archiepiscopatu Aleppensi gerendo virtutem ac prudentiam suam probavit: ideoque explorata spes est, futurum ut altiore etiam in gradu locatus communem expectationem digne expleat. Has ob caussas, de sententia sacrae Congregationis supra dictae, eumdem venerabilem fratrem in Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum confirmandum, eique Pallium de corpore beati Petri sumptum conferendum iudicavimus. Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra, confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a venerabilibus fratribus Episcopis Graeco-Melchitis factam de persona venerabilis fratris Cyrilli Geha, eumque a vinculo absolutum, quo Ecclesiae Aleppensi adstrictus tenebatur, praeficimus in Patriarcham Ecclesiae Antiochenae Graecorum Melchitarum, prout in decreto et schedulis Consistorialibus exprimetur: contrariis non obstantibus quibuscumque: In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Caeterum S. R. E. Cardinales creare ac renuntiare egregios viros septem decrevimus, quos sua quemque virtus et variorum sapiens administratio munerum dignos plane, qui in amplissimum Collegium vestrum cooptarentur, probavere. Ii autem sunt,

Carolus Nocella, Patriarcha Constantinopolitanus, sacrae Congregationis Consistorialis Secretarius;

Beniaminus Cavicchioni, Archiepiscopus tit. Nazianzenus, sacrae Congregationis Concilii Secretarius;

Andreas Aiuti, Archiepiscopus tit. Tamiathensis, Nuntius Apostolicus in Lusitania;

Emigdius Taliani, Archiepiscopus tit. Sebastensis, Nuntius Apostolicus in Imperio Austro-Hungarico;

Sebastianus Herrero y Espinosa de los Monteros, Archiepiscopus Valentinus;

Ioannes Katschthaler, Archiepiscopus Salisburgensis;

Ubertus Antonius Fischer, Archiepiscopus Coloniensis.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra creamus et renuntiamus S. R. E. Presbyteros Cardinales:

Carolum Nocella
Beniaminum Cavicchioni
Andream Aiuti
Emigdium Taliani
Sebastianum Herrero y Espinosa de los Monteros.
Ioannem Katschthaler
Ubertum Antonium Fischer.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis, necessariis et opportunis.

In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

II.

Romae die 25 Iunii 1903.

Consistorium Publicum.

La Santità di Nostro Signore Papa Leone XIII ha tenuto questa mattina pubblico Concistoro nel Palazzo Apostolico Vaticano per dare il Cappello Cardinalizio agli E.mi e R.mi Signori Cardinali Nocella, Cavicchioni e Fischer, creati e pubblicati nel Concistoro segreto del passato lunedì.

Consistorium Secretum.

Terminato il Concistoro pubblico, ha avuto luogo, nell'Aula solita, il Concistoro segreto, nel quale il Santo Padre, dopo chiusa la bocca, giusta il costume, agli E.mi e R.mi Signori Cardinali, ha proposto le seguenti Chiese:

Chiesa titolare Arcivescovile di Mitilene, per Mons. Giuseppe Alves de Mattos, arcidiocesano di Lisbona, Prelato Domestico di Sua Santità, Canonico Tesoriere e Rettore del Seminario di Santarem, deputato Suffraganeo di Lisbona.

Chiesa Cattedrale di Badajoz, per Mons. Giuseppe Heoia y Campomanes, dei Predicatori, traslato dalla Sede Cattedrale di Nuova Segovia.

Chiesa Cattedrale di Gran Varadino, di rito latino, per Mons. Paolo Szmrecsányi, traslato dalla Sede Cattedrale di Scepusio.

Chiesa Cattedrale di Cartagena, per Mons. Vincenzo Alonso y Salgado, dell'Ordine delle Scuole Pie, traslato dalla Sede Cattedrale di Astorga.

Chiesa Cattedrale di Gran Varadino, di rito greco-rumeno, per Mons. Demetrio Radu, traslato dalla Sede Cattedrale di Lugos.

Chiesa Cattedrale di Astorga, per Mons. Mariano Cidad y Olmos, traslato dalla Chiesa titolare Vescovile di Archelaide.

Chiesa Cattedrale di Lugos, di rito greco-rumeno, per Mons. Basilio Hosszu, arcidiocesano di Fogaras, Prelato Domestico di Sua Santità, già alunno del Pontificio Collegio Urbano di Propaganda, dottore in sacra teologia, Canonico della Metropolitana di Fogaras ed Alba-Giulia.

Chiesa Cattedrale di Sinaloa, nel Messico, pel R. D. Francesco Uranga y Saenz, diocesano di Chihuahua, in Durango Segretario della Curia arcivescovile e Canonico della Metropolitana.

Chiesa titolare Vescovile di Eudossiade, pel R. D. Riccardo Cortes y Cullell, di Barcellona, dottore in sacra teologia e licenziato in ambe le leggi, Canonico Penitenziere della Cattedrale, deputato Ausiliare dell'E.mo e R.mo Signor Cardinale Salvatore Cassañas y Pagés, Vescovo di Barcellona.

Ha quindi Sua Santità pubblicata la provvista, già fatta per Breve, delle seguenti Chiese:

Chiesa Metropolitana di Colonia, per Mons. Antonio Uberto Fischer, promosso dalla Chiesa titolare Vescovile di Giuliopoli, ora Cardinale di S. R. C.

Chiesa titolare Arcivescovile di Ancira, per Mons. Giulio Tonti, Nunzio Apostolico nel Brasile, traslato dalla Sede Metropolitana di Porto Principe.

Chiesa titolare Arcivescovile di Nacolea, per Mons Giuseppe Antonio Virdia, dei Minori conventuali, promosso dalla Sede Cattedrale di Cariati.

Chiesa titolare Arcivescovile di Sinnada, per Mons. Enrico Altmayer, dei Predicatori, traslato dalla Sede Arcivescovile di Bagdad.

Chiesa Metropolitana di Tuam, in Irlanda, per Monsignor Giovanni Healy, promosso dalla Sede Cattedrale di Clonfert.

Chiesa titolare Arcivescovile di Melitene, per Mons. Paolo Maria Barone, promosso dalla Sede Cattedrale di Casale.

Chiesa titolare Arcivescovile di Assume, per Mons. Giorgio Montgomery, promosso dalla Sede Cattedrale di Monterey-Los Angeles, e deputato Coadiutore con successione di Monsignor Patrizio Guglielmo Riordan, Arcivescovo di San Francisco.

Chiesa Metropolitana di Glasgow, per Mons. Giovanni Luigi Maguire, promosso dalla Chiesa titolare Vescovile di Trocmade.

Chiesa Metropolitana di Nuova-York, per Mons. Giovanni Farley, promosso dalla Chiesa titolare Vescovile di Zeugma.

Chiesa titolare Arcivescovile di Antiochia di Pisidia, per Mons. Pietro Monti, Delegato Apostolico ed Inviato straordinario nel Chilì, promosso dalla Sede Cattedrale di Tivoli.

Chiesa Metropolitana di Chicago, per Mons. Giacomo Edoardo Quigley, promossa dalla Sede Cattedrale di Buffalo.

Chiesa titolare Arcivescovile di Areopoli, per Mons. Enrico Moeller, promosso dalla Sede Cattedrale di Columbus e deputato Coadiutore con successione di Mons. Guglielmo Enrico Elder, Arcivescovo di Cincinnati.

Chiesa di Vancouver, recentemente elevata a Metropolitana da Sua Santità, per Mons. Bertrando Orth, Vescovo della stessa Sede.

Chiesa Arcivescovile di Bagdad, di rito latino, pel R. P. Giovanni Drure, dei Carmelitani scalzi, diocesano di Autun.

Chiesa Arcivescovile di Mardin, di rito armeno, per Mons. Hussigh Gulian, dello stesso rito.

Chiesa Arcivescovile di Aleppo, di rito armeno, per Monsignor Agostino Sayegh, dello stesso rito.

Chiesa titolare Arcivescovile di Stauropoli, per Mons. Giovanni Battista Guidi, Delegato Apostolico straordinario nelle Isole Filippine.

Chiesa titolare Arcivescovile di Nisibi, per Mons. Ormisda Gibri, di rito caldeo.

Chiesa Cattedrale di Guarda, in Portogallo, per Monsignor Emanuele Vieira de Mattos, traslato dalla Chiesa titolare Arcivescovile di Mitilene.

Chiesa Cattedrale di Sandomir, per Mons. Stefano Alessandro Zwierowicz, traslato della Sede Cattedrale di Wilna.

Chiesa Cattedrale di Chilapa, nel Messico, per Mons. Giuseppe Omobono Anaya, traslato della Sede Cattedrale di Sinaloa.

Chiesa Cattedrale di Comacchio, per Mons. Alfonso Archi, traslato della Chiesa titolare Vescovile di Gaza.

Chiesa Cattedrale di Monterey los Angeles, per Monsignor Tommaso Giacomo Conaty, traslato dalla Chiesa titolare Vescovile di Samo.

Chiesa Cattedrale di Caiazzo, per Mons. Federico De Martino, traslato della Chiesa titolare Vescovile di Efestio.

Chiesa Cattedrale di Nicastro, per Mons. Giovanni Régine, traslato dalla Chiesa titolare Vescovile di Ascalona.

Chiesa Cattedrale di Teramo, per Mons. Alessandro Beniamino Zanecchia-Ginnetti, dei Carmelitani scalzi, traslato dalla Chiesa titolare Vescovile di Gerocesarea.

Chiesa Cattedrale di Alatri, pel R. P. Benedetto Spila, dei Minori, di Subiaco, già Ministro Provinciale e Postulatore delle cause dei Santi, Rettore del Monastero di Santa Chiara in Napoli.

Chiesa Cattedrale di Galtelli-Nuoro, pel R. D. Luca Canepa, di Cagliari, dottore in ambo le leggi, Vicario generale e Canonico Dottorale della Metropolitana di Cagliari.

Chiesa Cattedrale di Lesina, in Dalmazia, pel R. P. Giordano Zaninovic, dei Predicatori, diocesano di Lesina, lettore in sacra teologia, Esaminatore prosinodale e Consigliere vescovile, Ministro Provinciale di Dalmazia.

Chiesa Cattedrale di Clonfert, pel R. D. Tommaso O'Dea, Rettore del Collegio di Maynooth.

Chiesa Cattedrale di Colima, nel Messico, pel R. D. Giuseppe Amatore Velasco, diocesano di Colima, Dottore in sacra teologia, Vicario capitolare di Colima.

Chiesa Cattedrale di Tehuantepec, nel Messico, pel R. D. Carlo di Gesù Mejia, della Congregazione della Missione, Diocesano di Vera Cruz, Rettore del Seminario di Yucatan.

Chiesa Cattedrale di Sonora, nel Messico, pel R. D. Ignazio Valdespino y Diaz, arcidiocesano di Durango, ivi Canonico Cantore della Metropolitana.

Chiesa Cattedrale di Iaro o S. Elisabetta, nelle Isole Filippine, per Mons. Federico Rooker, diocesano di Albany, già Alunno del Pontificio Collegio Urbano di Propaganda, Dottore in filosofia e in sacra teologia, Segretario della Delegazione Apostolica di Washington.

Chiesa Cattedrale di Nuova Segovia, nelle Isole Filippine, pel R. D. Dionisio Dougherty, arcidiocesano di Filadelfia, già Alunno del Pontificio Collegio Americano del Nord, Dottore in sacra teologia, Esaminatore sinodale in Filadelfia.

Chiesa Cattedrale di Buffalo, pel R. D. Carlo Colton, di Nuova York, Rettore della Chiesa di S. Stefano, Cancelliere e Consultore arcivescovile.

Chiesa Cattedrale di Coimbatore, pel R. D. Giacomo Dionisio Peyramale, diocesano di Tarbes, del Seminario delle Missioni estere di Parigi.

Chiesa Cattedrale di Cheyenne, pel R. D. Giacomo Giovanni Keane, Rettore della Chiesa dell'Immacolata in Minneapoli.

Chiesa Cattedrale di Trebisonda, di rito armeno, per Mons. Stefano Apikian, dello stesso rito.

Chiesa Cattedrale di Seert, di rito caldeo, per Monsignor Addai Ibrahime dello stesso rito.

Chiesa Cattedrale di Mixtecas, nel Messico, recentemente eretta da Sua Santità, pel R. D. Raffaele Amador, diocesano di Tlascala, già alunno del Collegio Pio-Latino-Americano, Dottore in sacra teologia, Parroco e Vicario foraneo di Huajuápam.

Chiesa Cattedrale di Ibagué, in Colombia, recentemente eretta da Sua Santità, pel R. D. Ismaele Perdomo, diocesano di Garzon, già alunno del Collegio Pio-Latino-Americano, Dottore in sacra teologia, Rettore del Seminario di Garzon.

Chiesa Cattedrale di Lead-City, recentemente eretta da Sua Santità, pel R. D. Giovanni Starika, Vicario Generale e Consigliere arcidiocesano di San Paolo di Minnesota.

Chiesa Cattedrale di Baker-City, recentemente eretta da Sua Santità, pel R. D. Carlo O' Reily, Rettore di S. Maria in Albina.

Chiesa titolare Vescovile di Panemotico, pel R. D. Giovanni Claudio Bouchut, arcidiocesano di Lione, del Seminario delle Missioni estere di Parigi, Professore nel Seminario della Immacolata Concezione, deputato Vicario Apostolico di Cambodia.

Chiesa titolare Vescovile di Paralaide, pel R. D. Giuseppe Lang, diocesano di Strasburgo, del Seminario di Lione per le Missioni africane, deputato Vicario Apostolico di Benin.

Chiesa titolare Vescovile di Ostracine, pel R. P. Cassiano Spiss, benedettino, della Congregazione di S. Ottilia per le

Missioni estere, deputato Vicario Apostolico del Zanguebar meridionale.

Chiesa titolare Vescovile di Palto, pel R. P. Efrem Giesen, dei Minori, di Amsterdam, deputato Vicario Apostolico di Chan-Tong settentrionale, in Cina.

Chiesa titolare Vescovile di Zeugma, pel R. P. Liberto Boeynaems, della Congregazione dei Sacri Cuori, diocesano di Malines, deputato Vicario Apostolico delle Isole Sandwich.

Chiesa titolare Vescovile di Sabrata, pel R. D. Francesco Regis Canevin, diocesano di Pittsburg, Rettore della Cattedrale e Consigliere diocesano, deputato Coadiutore con successione di Mons. Riccardo Phelan, Vescovo di Pittsburg.

Chiesa titolare Vescovile di Soli, pel R. D. Patrizio Giuseppe O' Connor, diocesano di Armidale, Vicario Generale, deputato Coadiutore con successione di Mons. Elzeario Torregiani, Vescovo di Armidale.

Chiesa titolare Vescovile di Famagosta, per Mons. Federico Sala, arcidiocesano di Milano, Protonotario Apostolico *ad instar*, dottore in sacra teologia, in Milano Presidente della Pontificia Facoltà Teologica ed Arciprete della Metropolitana, deputato Ausiliare dell'E.mo e R.mo signor Card. Andrea Carlo Ferrari, Arcivescovo di Milano.

Chiesa titolare Vescovile di Ascalona, pel R. D. Isidoro Badia y Sarradell, diocesano di Urgel, dottore in sacra teologia e in diritto canonico, deputato Ausiliare dell'E.mo e R.mo sig.Card. Ciriaco Sancha y Hervas, Arcivescovo di Toledo.

Chiesa titolare Vescovile di Sarepta, pel R. D. Giuseppe Müller, arcidiocesano di Colonia, Decano del Capitolo Metropolitano, deputato Ausiliare di Mons. Antonio Uberto Fischer, Arcivescovo di Colonia ora Cardinale.

Chiesa titolare Vescovile di Carpasia, pel R. D. Alessandro Párvy, arcidiocesano di Agria, dottore in sacra teologia, Canonico della Metropolitana di Agria ed Abate di S. Egidio presso Felnémeth, deputato Ausiliare di Monsignor Giuseppe Samassa, Arcivescovo di Agria.

Chiesa titolare Vescovile di Emmaus, per Mons. Algernon Carlo Stanley, Protonotario Apostolico *ad instar*, deputato Ausiliare di Westminster.

Chiesa titolare Vescovile di Gerocesarea, per Mons. Giuseppe Astuni, diocesano di Castellammare di Stabia, Protonotario Apostolico *ad instar*, Vicario Generale ed Arcidiacono della Cattedrale di Castellammare di Stabia.

Chiesa titolare Vescovile di Talbora, pel R. D. Eugenio Manna, di rito caldeo, Vicario Patriarcale in Van.

Monastero Abaziale di Wettingen e Priorato di Mehrerau, pel R. P. Eugenio Notz, del Sacro Ordine Cisterciense, diocesano di Rottenburgo, Consigliere Abaziale e Sotto-priore del medesimo Monastero.

In seguito Sua Santità ha aperto, secondo il consueto, la bocca ai novelli Porporati.

Quindi si è fatta a Sua Beatitudine la postulazione del Sacro Pallio per le Chiese Metropolitane di Pisa, Tuam, Glasgow, Nuova York, Chicago, Vancouver e Bagdad, non che per la Metropolitana di Cashel, cessata la coadiutoria.

Finalmente il Santo Padre ha posto l'anello Cardinalizio ai prefati Cardinali, e assegnato all'E.mo Nocella il titolo Presbiterale di S. Callisto; quello di Santa Maria *in Aracoeli* all'E.mo Cavicchioni; e quello dei Santi Nereo ed Achilleo all'E.mo Fischer.

Ritiratasi Sua Santità nei suoi appartamenti, ha ricevuto privatamente gli stessi E.mi Porporati.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 13 Iunii 1903, in Palatio Apostolico Vaticano fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta Dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda

A. — Per Summaria precum.

I. Romana et Aliarum. — Quoad Sacerdotes in Americam et ad Insulas Philippinas migraturos. — R. *Ad mentem.* (sub-secreto).

II. Sagien. — Pensionis. — R. . . . . (sub-secreto).

III. Romana. — Visitationis apostolicae. — R. . . . . (secret. pont.).

B. — In Folio.

I. Massilien. — Dispensationis matrimonii. — R. *Ex noviter deductis recedendum a decisis et consulendum SSmo super dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.* (sub-secreto).

II. Matriten. — Dispensatio Matrimonii. — R. *Dilata et votum requiratur peritioris medici.* (sub-secreto).

III. Rothomagen. — Dispensationis Matrimonii. — R. *Affirmative.* (sub-secreto).

IV. Bambergen. — Dispensationis Matrimonii. — R. . . . .

V. Andrien. — Iurium. — R. *Ad utrumque dubium, affirmative, et ad mentem.* (reservata).

VI. Andrien. — Quoad congruam parochialem. — R. Ad I^um^. *Affirmative, ad parochos.* — Ad II ad III et IV, *Provisum in I.* (reservata).

VII. Andrien. — Quoad Congruam et Praebendam canonici Archipresbyteri. — R. Ad I^um^. *Affirmative, ad Archipresbyterum.* — Ad II et III. *Provisum in I.* (reservata).

Lisbonen. — Consuetudinis in re liturgica.

Summarium quaestionum quae S. C. C. iudicio die 14 Decembris 1901 subiectae enodantur.

Die 17 Febr. 1900 (1) haec Causa ventilata fuit coram H. S. C. In Capitulo enim Lisbonensi nonnullae irrepserant insolitae consuetudines tum circa celebrationem Missae Conventualis, tum circa speciales ritus et usus in re liturgica. Emi Patres rescripserunt: *Dilata et exhibeatur ordo officii divini seu Kalendarium Eccl. Patr. Lisbonensis.* — Iterum proposita fuit Causa in Congr. diei 14 Dec. 1901 (2), et responsum fuit: *Serventur ius commune, Rubricae et Decreta S. Rit. Congr.* Quot, quantique fuerint cohibendi abusus, luculentissime patebit ex infra edendo *Summario*, quod de integro supponemus, utpote numeris omnibus praestans, tum quoad factorum expositionem, tum praesertim, quoad doctrinae liturgicae expositionem.

Tertio discussa fuit Causa in Congr. diei 20 Dec. 1902, et quidem *sub secreto.* Iisdemque

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. VIII, p. 12.
(2) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. VIII, p. 17.

propositis dubiis, responsum fuit: *In decisis et ad mentem.*

Quaenam vero fuerit S. Congr. mens, apprime liquet ex sequenti epistola Emi Praefecti ad Emum Patriarcham Lisbonensem:

E.me ac R.me D.ne mi obs.me.

In Comitiis generalibus huius S. Congregationis Concilii, habitis die 20 decembris nuper elapsi, iterum proposita fuit controversia circa consuetudines in re liturgica, quae dicuntur invaluisse in ista Ecclesia Patriarchali Lisbonensi, et E.mi Patres, perpensis omnibus, quae ab utraque parte sunt exposita, steterunt « in decisis », simulque mandarunt, ut transmitteretur Eminentiae Vestrae votum perillustris Consultoris S. C. Rituum (1), (quod simul cum praesentibus litteris expeditur), eum in finem, ut E. V. prudenter et paullatim corrigere valeat abusus inductos contra ius commune in ista Patriarchali Ecclesia in celebratione servitii choralis sive in aliis religiosis functionibus.

Neque timendum videtur, quod regularem sacrorum rituum et rubricarum observantiam civilis auctoritas aegre ferat, cum privilegia eidem a S. Sede concessa salva et integra maneant. Quodsi E. V. in graves hanc ob causam offendat difficultates, et aliquid extraordinarium esse decernendum aut concedendum iudicet, ad Apostolicam Sedem poterit rem exponere et insimul, quod pro Ecclesiae bono censeat necessarium, petere.

Dum hanc Eminentissimorum Patrum mentem pro meo munere significo, eo quo par est obsequio E. V. manus humillime deosculor.

E. V.

Romae, 7 Ianuarii 1903

Humillimus addictissimus servus verus
VINCENTIUS Card. Ep. Praenest., *Praef.*
B. Arc.pus Nazianzen., *Secrius.*

I. *Utrum Missae conventuales, etsi duae vel tres occurrant, semper cantari debeant in Patriarchali Ecclesia Lisbonensi?*

Et quatenus *Negative:*

a) Utrum in Missis conventualibus lectis, liceat interventus Clavigeri et Ceroferariorum?

b) Utrum in iisdem Missis conventualibus lectis, liceat calicem et Missale praedisponere super altare, atque illum, Missa nondum expleta, ab altari removere?

c) Utrum in iisdem Missis conventualibus lectis, permissus sit usus pelvis et urceoli ex argento, uti in episcopalibus?

d) Utrum iisdem intervenire possit Sacerdos, qua Caeremoniarum Magister, vel qua Assistens, vel qua Inserviens, loco Inservientis?

Et quatenus *Affirmative:*

a) Utrum in Missis conventualibus simpliciter cum cantu sine ministris permissus sit interventus Ceroferariorum, atque Clavigeri in Missis solemnibus cum ministris?

b) Utrum in Missis conventualibus, vel cantatis vel solemnibus, licitus sit usus pelvis et urceoli ex argento?

II. *Utrum tolerari debeant privilegia, quae sibi arrogat Capitulum Patriarchale in usu Insignium, in exercitio Pontificalium, in servitio chori et altaris, et in specie:*

a) Usus Mantelletti: usus Insignium choralium *singulariter*, non *capitulariter*, extra Ecclesiam et Dioecesim.

b) Usus caligarum, sandaliorum, et chirotecarum ex auro et argento ornatorum, mitrae pretiosae et ex damasceno: gremialis, palmatoriae: ritus praegustationis panis et vini: assistentia Beneficiati pluviali induti: *Pax vobis* pro *Dominus vobiscum*, et trina benedictio in Missis, Vesperis et Laudibus, pontificaliter celebratis.

c) Celebratio Pontificalium extra Ecclesiam Patriarchalem, sine assistentia Capituli, et celebratio Pontificalium pro defunctis.

d) Usus faldae, Patriarchae propriae, pro Dignitatibus Capituli.

e) Usus ornamentorum pontificalium et faldae in processionibus, etiam extra Ecclesiam, in benedictionibus Candelarum, Cinerum, Palmarum et Fontis, in administratione Baptismi, et in aliis functionibus Ecclesiasticis.

f) Sacrorum Oleorum benedictio ab Archiepiscopo Auxiliari, Vicario Gen., peracta in Missa privata, in sacrario cum imminuto Diaconorum et Subdiaconorum numero et absque assistentia Canonicorum.

g) Delatio caligarum et sandaliorum ad Patriarcham, in Missa Pontificali, per Beneficiatum cruciferum, loco Canonici subdiaconi ministrantis, qui nec assistat, dum familiaris sandalia induit Pontificantem.

h) Usus annuli cum gemma in Missa privata et solemni.

i) Loci in choro assignatio pro Archiepiscopo Vicario Gen. et Episcopis aliis praesentibus a cornu Epistolae.

k) Accessus laicorum virorum et mulierum in presbyterio imo in chori subselliis, tempore sacrarum functionum.

l) Celebratio Missae de Aurora, in Natali Domini, hora decima diei, sine cantu, vel cantata ad horam secundam post mediam noctem.

m) Organi sonitus in feriis IV, V et VI maioris hebdomadae.

n) Vesperarum in choro recitatio dimidia hora post meridiem, et in solemnitatibus anticipatio Matutini et Laudum ad horas pomeridianas praecedentis diei.

o) Inclinatio, genuflexionis loco, in ultimo circulo Missae Pontificalis, extante Sacramento super altari.

p) Omissio Missae de requie, prima die mensis non impedita, psalmorum poenitentialium et gradualium, et officii parvi Beatae Mariae V.

q) Usus formalii.

r) Usus Rocheti cum mozzetta dum assistunt privatae Ordinarii Missae.

s) Thurificatio, unico ductu, ad Beneficiatos sacris vestibus et pluviali indutos.

t) Expositio solemnis SSmi Sacramenti in Ostensorio ad Ostiolum Tabernaculi.

u) Processio in ipso presbyterio post cantum Tertiae, occasione qua Ordinarius Pontificalia peragit.

v) Usus talaris violaceae in Caeremoniarum Magistris, cum functiones dirigunt ad Capitulum non pertinentes et extra Cathedralem.

x) Recusatio assistendi Archiepiscopo Auxiliari Vicario Generali in functionibus episcopalem Ordinem requirentibus, et pro Emo Patriarcha celebrandis.

y) An generatim Decretum *Romanorum Pontificum, n. 2624*, applicari omnibus in suis partibus debeat Canonicis Patriarchalis Lisbonensis quod attinet usum Pontificalium, usu tantum faldistorii excepto, ex Breve Pii Pp. IX *Iam inde ab anno* (1855) illis permisso.

III. *Utrum Statutis Capitularibus standum sit, etiam circa eas partes quae sunt contra ius commune.*

IV. *An confirmari, an revocari debeat Decretum Emi Patriarchae, datum die 5 Februarii 1898.*

Die 14 Decembris 1901 Emi Patres rescripserunt: *Serventur ius commune, Rubricae, et Decreta Sacrae Rituum Congregationis.*

(1) Illud idem est *Votum* quod modo a nobis proponitur. *N. D.*

Emi ac Rmi Patres,

Eadem impraesentiarum Causa cum iterum sit proponenda, opportunum iudicatum est singulis Dubiis peculiare assignare responsum, quod iure demonstrabitur, ut responsi generalis ab Eminentiis Vestris exhibiti ulterius, si opus sit, sapientia undequaque patescat.

I. *Utrum Missae conventuales, etsi duae vel tres occurrant, semper cantari debeant in Patriarchali Lisbonensi?*

Resp.

Missa conventualis esse potest integro officio conformis, vel commemorationibus, quae fiunt in officio, uti accidit in feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, Rogationum et Vigiliarum, duplici vel semiduplici festo, vel octava occurrente.

Certum est et exploratum apud Doctores, dictas omnes Missas si occurrant, omitti non posse in Cathedralibus, sicuti neque in Collegiatis, etsi plures sint. Constat: *a)* ex Rubricis Gen. Missalis Romani praedicantis: « In feriis tamen Quadragesimae, Quatuor Temporum, Rogationum et Vigiliarum, etiamsi duplex vel semiduplex festum, vel Octava occurrat, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis cantantur duae Missae » *(Tit. III, n. 1)*: imo in Vigilia Ascensionis tres iuxta propriam Rubricam. Constat *b)* ex Libro III Decretalium, Tit. 41, Cap. XI *Cum creatura*, ex pluribus Decretis S. Congnis Concilii, uti in *Brundusina* 28 Febr. 1722, in *Camerinen.* 24 Aug. 1743, Dub. IV, in *Civitatis Plebis*, 11 Maii 1793, Dub. I, etc. Constat *c)* ex S. Congne Rituum, quae duobus sibi abusibus propositis, reformatione indigentibus, quorum alter erat omissio Missae ferialis in Collegialibus Ecclesiis, respondit: « Nullo pacto esse omittendam dictam Missam conventualem » *(16 Ian. 1627, abusus duo reformati)*.

Missae autem conventuales, de quibus supra, indubie canendae sunt. De ea quae officio respondet, certa est obligatio, et quidem sub gravi, Quarti *(p. 1, tit. 3, sect. 1, Dub. 1)*, et Pasqualigo (*q. 882)* testantibus. Ratio est quia Cathedrales et Collegiatae Ecclesiae quotidie obligatione astringuntur officia divina celebrandi, sub nomine autem divinorum officiorum Missa cum cantu praecipue intelligitur et cantatum officium, cui illa respondet. Quinimo Missa cantata ante reliquas officii partes intenditur, utpote ad quam reliquae horae diriguntur, quam et potiorem officii partem constituere, nullus peritorum dubitat (*V. Pallottini, Canonici, § 2, nn. 5-7, 116)*. Eiusmodi onus imponit et praedicat Summus Pontifex Benedictus XIV in Constitutione *Cum semper oblatas* (§ 11), nec non Pallottini, *(Canonici*, § 2, n. 65-71), et Lucius Ferraris (*verb.* Canonicus, *art. V, n. 66 et seq.)*.

Eapropter huiusmodi Missa cum cantu omitti nunquam debet, etsi aliae Missae votivae, aut defunctorum canendae essent, quod patet ex multis S. R. Cong. Decretis, uti in *Urbinaten.* 25 Iunii 1611 *(Decr. 292)*, in *Ianuen.* 20 Nov. 1628 (*Decr. 480), Urbis*, 18 Iun. 1689 aliisque. Imo ipsa consuetudo opposita nil posset contra dictam obligationem roboris habere, uti S. R. C. in *Oscen.* 28 Ian. 1612, et in *Faventina*, 13 Ian. 1631 declaravit. Quod si de alia Missa ageretur, quae vi Rubricarum cantari debet, puta de Vigilia, aut de feria, ipsa immemorabilis consuetudo contra praedictam Missam, officio respondentem, omnem vim amittit *(Urbinaten. 4 Iul. 1615)*.

Si qua autem admittenda sit exceptio, haec in ipso iure determinata legitur. Ita S. R. C. declarat in una *Marsorum*, 13 Nov. 1831 excipiendum casum, quo Episcopus pontificaliter celebrat, tunc enim Canonicus, cui onus inest Missae conventualis cantandae, hanc legere potest. Similiter in festo Corporis Christi omitti potest cantus dictae Missae et lectam facere, Episcopo Missam lectam faciente, ob processionem *(Caerem. Episc. Lib. II, cap. 33, n. 31)*. Item Pasqualigus notat, dari posse alios casus rationabilis causae, uti consecratio Episcopi (*Quaest. 882, n. 6)*.

Quod de Missa conformi officio dictum est, extendendum est etiam ad alias Missas, quae etiam conventuales sunt (quamvis obligatio earum, gravis quidem, sed minor sit), sicuti de feria, de vigilia, pro defunctis. Omnes enim in cantu fieri debent, prout exigunt Gen. Rubricae Missalis *(loc. sup. cit. et Tit. XV, n. 2)*, in quibus hae Missae appellantur solemnes.

Rubricis inhaerens S. R. C. definit: « Quando in feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, Rogationum, ac Vigiliarum, praescribuntur iuxta Rubricas Missalis duae Missae cantatae in Cathedralibus et Collegiatis, propter insufficientiam temporis ratione multarum votivarum cantatarum, *non posse omitti alteram ex his duabus Missis cantatis » (Wilnen. Decr. 2427 ad VII)*. Similiter in una *Incerti loci*, quod idem negotium attinet, « servari mandavit Rubricam Missalis Romani » *(num. 691)*. Item in una *Burgen.* expetita S. R. C. an omitti posset, tempore Quadragesimae Missa de feria, vel de Vigilia, praeter aliam respondentem officio, respondit: « Non posse omitti » *(num. 404)*. Pariter idem Sacrum Tribunal declarat in una *Nicien.* Canonicos « posse astringi » ut canere faciant Missam conventualem feriae *(num. 440)*. Item in *Urbevetana* ad 11 exquisita eadem S. Cong. « An quoties ex praescripto Rubricarum... cantandae sunt in Ecclesia Cathedrali plures Missae, liceat aliquam ex eis planam facere, » absolute respondit: « Negative » *(num. 2331)*. Et hic sistimus, alia plura Decreta, quae eamdem praedicant veritatem, praetereuntes, ne nimis sermo protrahatur, uti v. g. n. 970 ad 4, 552, 2960 ad 4, 3597 ad 6, 3627 ad 2, 3724 ad 4, 925, 1819, etc.

At Dubium propositum quaerit, non tantum utrum plures Missae conventuales, si occurrant, sint canendae, quod demonstratum affirmative merito iudicamus; sed quaerit specialiter, utrum eae cantari semper debeant in Ecclesia patriarchali Lisbonensi. Ratio est, quia Canonici Lisbonenses Missam conventualem fieri posse lectam petierunt ab isto Sacro Ordine; quod, dicebant, *ex parvo ministrorum numero cum cantu celebrari non possit*. Hinc, quamvis admitti certo debeat, Missas conventuales semper esse canendas: Canonici nihilominus Lisbonenses ab hac exequenda lege excusandi esse videntur. Verumtamen falsum est quod asseritur, et ex dicendis patebit.

Ante omnia obiter praenotare iuvat, petitionem praefatam tali esse ratione expositam, ut Canonici Lisbonenses fucum videantur facere Emis Patribus. Et sane quisnam dictam petitionem perpendens non iudicaret, Missam conventualem interim cantari, quam Canonici Lisbonenses petunt fieri posse lectam? Et tamen compertum est, Missam conventualem multis abhinc annis esse lectam, haud vero in cantu. Namque ab anno 1877 ex supposito parvo ministrorum numero Capitulum decrevit (quo iure nescimus), Missam conventualem amplius non esse canendam, sed legendam: quod ipsimet Canonici concedunt. Consultationi enim Caeremoniarum magistri, de qua edocti apprime fuerant, nihil opponunt. In illa autem praefatam veritatem facti affirmabat Caeremoniarum magister. Hac profecto de causa S. I. O. petitioni Capituli Lisbonensis sapienter respondere censuit: « Non expedire ».

Sed iam rationem ingredimur, de qua superius; Capitulares enim Lisbonenses exponunt, ex nimis parvo ministrorum numero Missam conventualem cantari non posse; ergo excusandi videntur.

Nihilominus res aliter se habet. Et primo: quid, quod neque S. C. Concilii, neque S. C. Rituum allatam rationem admisit? Namque respondit absolute: Non expedire.

Secundo, si Capitulares pro parvo numero ministrorum quoscumque ministros intelligant ad altare inservientes, allata ab ipsis ratio falsitate laborat. Nam veritas est, mense Aprili anni 1898, cum Canonici Lisbonenses Sacram Congr. deprecabantur, ut Missam conventualem lectam permitteret, quam tamen ab anno 1877 ex arbitrio legebant, Canonici erant numero quindecim, Beneficiati duodecim, Cappellani Cantores duo, Musici pro cantu figurato viginti duo. Mense Decembri eiusdem anni, iis remanentibus numero Canonicis, Beneficiatis, Musicisque, Cappellanorum Cantorum numerus ad quatuor pervenit. Mense Februario insequentis anni 1899, iis adhuc numero Canonicis et Musicis extantibus, Beneficiati erant sexdecim, Cappellani Cantores octo. Mense Februario anni 1900 enumerabantur decem et octo Canonici, Beneficiati septemdecim, Cappellani Cantores duodecim, Musici viginti duo.

Denique a mense Octobri 1901 Canonici erant et etiam nunc sunt *viginti duo*, *septemdecim* adhuc Beneficiati nunc vero *18* (1): *quatuordecim* Cappellani Cantores nunc *15* (2): Musici pro figurato Cantu *viginti*. Arroges, simplices inservientes clericos semper fuisse et esse numero duodecim, praeter alios supranumerarios *(Statut. Art. 261, 262)*; quia cum eligantur ab Emo Patriarcha ulla sine dependentia a Gubernio, eorum numerus nunquam deficit aut minuitur *(Art. 264)*.

Hinc patet, aut rationem allatam esse falsam, aut ad ministros in genere referri non posse. Etsi enim eiusmodi numerum, etiam anno 1898, per medium dividas, Missa cum cantu fieri manifestissime poterat. Etenim et sufficiens saltem habebatur cantorum numerus, ministri pro Missa cum cantu deesse non poterant, multoque minus, qui choro assisterent (Conf. De Herdt, Prax. Capit. Cap. XXVII, §§ V, n. III).

Quod si pro parvo numero ministrorum parvus Cappellanorum Cantorum numerus intelligatur solummodo, neque ratio Missae conventualis in cantu omittendae Capitularibus Lisbonensis Ecclesiae admodum favet.

Silentio hic praeterimus Missas in festis primi, secundi ac tertii ordinis canendas, imo et alias, quae praeter praedictas, inscribuntur in tabella horaria, seu particularis Ecclesiae Calendario, quartum constituentes ordinem, de quo Patriarchale Capitulum verba facit in supplici Libello Sacr. Rit. Congr. exhibito die 31 Octobris 1898; pro quibus extat coetus virorum laicorum, qui concentui musico exequendo sunt addicti *(Statut. Tit. XIV, Art. 231, 233, 235, pag. 32, 33, et tabella, n. 1, pag. 41)*. Verba tantum facimus de Missis, quae canendae sunt in festis minus solemnibus, seu infra quartum ordinem, quas Capellani Cantores exequi debent.

Dicunt ergo Capitulares Lisbonenses, duos tantum esse eiusmodi cantores, ut Missa cantata locum habere nequeat, hinc eius legendae Indultum petunt. Sed, primo, respondere iterum iuvet: Quare eiusmodi Indultum a Capitularibus Lisbonensis Ecclesiae petitum est tantum die 12 mensis Aprilis anni 1898, cum Missa fieri lecta incoeperit iam ab anno 1877?

Secundo, onus cantandi Missam conventualem satis esse grave superius visum est, consentientibus omnibus; haud ergo quaecumque, sed gravis quoque et rationabilis prorsus causa requiritur, ut illa legatur. Talis ne est quae profertur in medium?

Minime gentium, uti superius visum est. Ex Beneficiatis enim et etiam ex Canonicis non deerant, qui Cappellanorum Cantorum defectui supplere facile poterant. Etenim si duodenarium Beneficiatorum et quindenum Canonicorum numerum per medium dividas, nonne aliqui Cantorum munere fungi nullo negotio poterant?

Et sane plusquam centum et quadraginta sunt dies festi, qui vel ad primum, vel ad secundum, vel ad tertium ordinem pertinent, vel ad quartum, seu qui in tabella horaria adnotantur: qui imo et auctoritate Ordinarii augeri possunt *(Statut. Tit. XVIII, Tabel. n. 1: Dies et function. II Ord. in fine, pag. 43: Dies et function. III Ord. in fine pag. 44)*. Satis ergo imminuebantur dies infra quartum ordinem, in quibus Cappellani Missam conventualem in cantu exequi tenebantur. Nonne ergo et ipsi Cantores musici in duas partes divisi pro iis diebus illam in cantu vel gregoriano vel musicali exequi per turnum poterant?

Utcumque res se habeat, Missa conventualis in choro et a choro cantanda est ex lege Caeremonialis Episcoporum et ex Tridentina Synodo. Cuinam autem onus huiusmodi principaliter incumbit nisi Canonicis? Ipsi enim potiorem digntioremque Capituli partem constituunt. Si ergo aliqua exurgat causa, illam Missam impediens, ipsismet Canonicis grave onus incumbit illam removendi, vel aliter providendi, ne proprio desint officio. Hinc exquisita S. R. C. « Utrum, absente vel deficiente sacri concentus schola, quae ex Ecclesiae..... consuetudine relativas Missae partes cantabiles et Vesperarum psalmos, uti quandoque et Matutini, exequi solet, Canonici et Mansionarii teneantur a seipsis supplere, saltem in cantu gregoriano? » Absolute respondit: « Affirmative » *(Senogallien. Dub. VI, 4 Mart. 1901)*. Eapropter certissime hic concludendum est cum verbis ipsis S. C. Congr.: « Quum praecipuum Canonicorum et beneficiatorum munus sit divina officia in ecclesia solemniter canere, tenentur hi sub lethali culpa addiscere cantum, quo possint munus suum recte obire: vel Canonicatus et beneficia iam obtenta dimittere » *(In Murana die 19 Nov. 1735, et in Verulana die 17 Sept. 1843)*.

Denique si ratio allata aliquid ponderis habet pro anno 1898, nullum pondus habere poterat insequenti anno 1899; quare ergo Capitulares Lisbonenses tunc quoque temporis Missam in cantu conventualem omiserunt? Quare omiserunt etiam pro primis mensibus anni 1900, seu pro Ianuario, Februario, Martio, Aprili ac pro medietate mensis Maii, cum tamen, non solum a mense Decembri 1898 Cappellani Cantores fuerint quatuor, a mense Februario 1899 fuerint octo, sed etiam a Februario anni 1900 fuerint duodecim? Et, hisce haud obstantibus, Missa conventualis nonnisi die 14 mensis Maii 1900 cantari coepta est: postquam, scilicet, Emus Patriarcha necessitate compulsus Circulares ad Capitulum misit litteras, satisque graves, ut tantae inordinationi finem imponeret.

Hanc vero causam, non unicam Missae conventualis lectae Canonici dicunt, quamvis praecipuam; sed alias quoque adesse exponunt, graves ac diversi generis. Per quod ostendere videntur eiusdem causae insufficientiam, ut ad alias appellent. At liceat animadvertere, causas Sacris Romanis Congregationibus, non in genere esse afferendas, sed in specie, ut diiudicari possint. Concludendum potius est, graves diversique generis esse causas, ex quibus Canonici Lisbonenses revera tenebantur ad conventuales Missas omnes semper cantandas: quod cum non fecerint, haud Indultum ipsis petendum fuisset, sed sanationem.

(1) Constat e Summario, S. Cong. Concilii, anno 1901, exhibito, et ex recentiori Diario Gubernii, die 28 mensis Octobris 1902 evulgato.

(2) Constat e Summario, ut supra, et ex alio Diario Gubernii vulgato die 15 Octobris eiusdem anni ut supra.

Quae, ni fallimur, probe perpensa ultro demonstrant, allatam superius rationem, aut nonnisi infirmam esse, aut nullam in casu sicut reliquas, ut Capitulum Lisbonense ab onere cantandae conventualis Missae eximeretur. Sapientius itaque S. C. Concilii primam ex precibus exaudire renuit, sapienterque S. C. Rituum ad eamdem Congregationem Concilii Oratores remisit.

Sed obiicere fortasse possent Capitulares Lisbonenses, Missam conventualem lectam ex immemorabili consuetudine cohonestari, imo conformem esse Statutis Patriarchalis Ecclesiae Lisbonensis. Dicamus aliquid de consuetudine, inde de Statutis.

Equidem Canonici Lisbonenses (1) referunt, *diebus quibus tres aut plures Missae conventuales decantandae essent duas tantum ab immemorabili decantari, caeteris lectis.* At animadvertant, oramus, Emi Patres, hic non agi de unius omissione quando plures quam duae decantandae sunt conventuales Missae; sed agitur de duabus etiam Missis decantandis, ex quibus alteram Capitulares legunt; imo, quod peius est, a die 12 Decembr. 1897, ex quo cessavit Indultum, ad diem 25 Iun. 1898 penitus omiserunt; quemadmodum omiserunt ab anno 1900, mense Aprili, petito indulto die 29 Maii sed nequaquam obtento. Idque non obstant. Litteris Circularibus Emi Patriarchae d. d. 24 April. 1900, quae Indultum S. C. Concilii diei 25 Iun. 1898 interpretantes, non amplius Capitularibus, ob numerum fere completum, favere declarabant (2).

Adeo ut, quamvis consuetudo, de qua Emus, immemorabilis esset, neque ea faveret Capitulo Lisbonensi. Eoque id magis, quia etsi de una tantum agatur, a dicto Capitulo ad diem usque 14 mensis Maii 1900 lecta fuit ex mero arbitrio: quod profecto inauditum omnino est.

Unde ergo eiusmodi consuetudo, si taliter appellari debeat, videamus. Haud certe, ab antiquitate provenit; in Statutis enim veteris Ecclesiae Patriarchalis Lisbonensis ne verbum quidem de Missis conventualibus lectis, sed omnes in illis conventuales Missae canendae, plus minusve solemniter praescribuntur. Ad rem faciunt Art. 2, 4, 7, 9, 11.

Caeterum nullo modo praesumendum, eiusmodi Patriarchale Capitulum, conventuales Missas fecisse lectas; satis enim constat illius amplitudo, magnificentia, splendor ac nimia divitiarum copia. Etenim Capitulum suppressum anno 1843, 24 constabat Dignitatibus purpurea veste indutis, et *principales* vocabantur: 72 Praelatis mitrae usum habentibus et facultate fruentibus Pontificalia etiam in Missis de requie agendi et vocabantur Protonotarii: 20 Canonicis, 44 Beneficiatis, 32 Clericis Beneficiatis, 25 Cappellanis cantoribus, 56 Musicis laicis pro cantu figurato, 5 Caeremoniarum magistris, 7 Acolythis, 2 Thesaurariis, 25 Officialibus laicis, ut quamplures Confessarios pro Ecclesiae utilitate ac decore sileamus. Haec omnia eruuntur ex Bulla *Salvatoris nostri* Bened. XIV, d. d. 13 Dec. 1740, et patent ex Opere Io. Baptistae de Castro. Tom. III, pag. 108 et 111.

(1) *Canonicorum Lisbonensium* dicimus, sequentia verba sunt, haud Emi Patriarchae, in cuius ore vel scripto ponuntur.

(2) Hae litterae circulares, Indultum Sacrae Cong. Concilii Emi Patriarchae arbitrio remissum non amplius locum habere implicite declarant: quia exigunt observantiam Statutorum Art. 112 in omnibus suis partibus, ubi dicitur: « Missa conventualis semper erit cum cantu. Cum binae Missae celebrandae erunt, utraque cantabitur; at quando Missae cantandae tres erunt vel plures, cantabuntur illae, quae potioris sunt ritus ». Hinc ipsimet Canonici, conscii Indultum amplius sibi nullo pacto favere, die 29 Maii 1900 novum petierunt Indultum, quod S. C. C. distulit primo, deinde, hoc est die 14 Dec. 1901, denegavit.

Quam consuetudinem denique etsi velimus admittere, nihil Capitulares Lisbonenses proficerent. Ratio est, quia Capitulum antiquum a Gregorio Pp. XVI per Bullam *Quamvis aequo* 9 Novembris 1843 penitus suppressum fuit, *cum omnibus iuribus, privilegiis, praerogativis, honoribus quomodocumque quaesitis vel adhibitis:* verbo, *cum toto primaevo statu suo.* Aliud vero erectum est Capitulum Patriarchale absolute novum cum *solis iuribus, honoribus et oneribus istiusmodi Capitulis per sacros Canones attributis.* Ergo etsi praefatum Capitulum antiquum aliquam Missam conventualem fecisset lectam ex consuetudine, haec praesenti novo Capitulo favere nulla ratione posset.

Quaestio proinde institui tantum potest de consuetudine dictam Missam legendi, ab anno 1843 inducta. Verum ab eodem anno eiusmodi usum incepisse praesumi nequit; quia Canonici ac Dignitates in prima fundatione iure merito supponi possunt ac debent et numero completi, et in oneribus implendis diligentiores, uti communiter evenit, nec non in propriis legibus exequendis ferventiores. Caeterum ex Statutis Capitularibus Lisbonensis Ecclesiae praesentis, de quibus mox erit dicendum, nil argui potest pro Missa una conventuali lecta, vel unica, vel quando alia canenda est, imo potius oppositum. Aliunde constat, anno 1877 Capitulum statuisse, uti superius expositum est, Missam conventualem in posterum esse legendam; ergo iure concludi potest, anteriori tempore fuisse cantatam. Quod adeo verum est, ut Canonici Caeremoniarum magistro id asserenti nullum dare potuerint responsum. Id quoque Emus Patriarcha confirmat, in suis circularibus Litteris Statutorum Articulum 112 enixe commendans.

Agitur proinde de consuetudine viginti circiter annorum: ut discutiendum nunc veniat, an vere consuetudo sit, an corruptela dicenda.

Notamus primo, Capitulum Lisbonensis Ecclesiae quovis iure fuisse destitutum ad eiusmodi conventualem Missam lectam statuendam, cum S. C. Rituum requireretur auctoritas et Indultum.

Ergo Capitulares rem illicitam admiserunt, cum limites suae potestatis praetergressi fuerint. Atqui, ex regula iuris, quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere (29). Ergo dicta consuetudo rationem corruptelae merito induit.

Secundo, eiusmodi consuetudo directe opponitur Decretis S. Rituum Congregationis. Iam Decretum supra retulimus, *Wilnen.* uti aliud *Faventina*, explicite contraria dictae consuetudini. Locum hic habent alia sine fine Decreta, duas Missas conventuales vel plures etiam praescribentia, uti quae in recenti collectione leguntur sub numero 525, ad 1 et 2: 1609 ad 4: 1322 ad 5: 3627 ad 2 aliaque multa. Atqui ex Decreto 2792, inveterata etiam consuetudo quaecumque in contrarium derogare non potest legi a Decretis S. R. C. praescriptae. Imo ipsa Decreta derogant cuicumque in contrarium consuetudini, etiam immemorabili, et obligant in conscientia, iuxta Decretum 2951. Ergo dicta consuetudo, ab initio caeterum iam vitiata, haud consuetudinis vocabulo, sed corruptelae nuncupari debet.

Tertio, eadem consuetudo apertissime Rubricis Missalis opponitur, quae Tit. III, n. 1 explicita verba faciunt de duabus Missis conventualibus cantandis: idem praefatae Rubricae repetunt sub eodem Titulo, n. 2. Eodem pariter in sensu eaedem Rubricae Titulo XV, n. 2 loquuntur. Atqui consuetudo Rubricis Missalis opposita ab ipsa S. R. C. nuncupatur corruptela: « Consuetudines, quae sunt contra Missale Romanum, sublatae sunt per Bullam Pii V, in principio ipsius Missalis impressam; et dicendae sunt potius corruptelae quam consuetudines, neque illis possunt se tueri Canonici etc. » (Decr. n. 9 ad 10).

Arroges pro coronide, inter auctores convenire, consuetudinem, quae semel declarata est abusus et corruptela, non posse amplius induci, nulliusque esse roboris, quamvis centenaria et immemorabilis esset. De Herdt *(Prax. Lit. Tom. 1, n. 11, 2)*, Ferrari *(ad verb.* consuetudo *n. 32)*, Cavalerius *(Tom. I, Decr. 31, n. 6)*, aliique. Atqui eiusmodi est consuetudo Missae conventualis lectae, uti superius vidimus; et aliunde S. R. C. usque ab anno 1591 renovando Decreta alias facta, mandat in omnibus et per omnia servari Rubricas Missalis Romani, non obstante quocumque praetextu et contraria consuetudine, quam abusum esse declarat *(Decr. Missali praemissum)*.

Sed iam ad statuta deveniendum Patriarchalis Ecclesiae Lisbonensis, quibus inniti Capitulares possunt, ut praedictam consuetudinem, seu corruptelam sustineant, et quod peius est, sequantur.

Notandum itaque est; secundum Statuta dictae Patriarchalis Ecclesiae, sive una esse debeat Missa conventualis, sive duae, has semper esse cantandas, haud vero legendas. « Dignitates... cantabunt Missas ipsi (hebdomadae) respondentes..... cantabunt Missas functionum secundi ordinis etc. » Ita se habet Articulus 70. « Canonici, ita articulus 71..... cantabunt quotidie Missam conventualem quae non sit primi aut secundi ordinis. » Articulus autem 112 sic incipit: « Missa conventualis semper erit cum cantu. » Iam nunc Missae minus solemnes ex conventualibus iam ab anno 1877, uti supra exposuimus, sive una sit, sive duae, a Capitularibus non cantantur, sed leguntur, imo saepius, ut dictum est supra, hodieque omittuntur. Ergo Statuta iis nequaquam favent, sed patenter adversantur.

Fateri nihilominus cogimur ipsum postremum ex citatis Statutorum articulis dicere: « Quando Missae duae erunt canendae, utraque fiat in cantu; sed vero quando Missae celebrandae tres erunt aut plures, eae tantum concinantur, quae sunt potioris ritus. » Quid tamen?

Animadvertendum, Statuta Patriarchalis Ecclesiae Lisbonensis ab Ordinario fuisse adprobata die 27 Iulii 1859.

At vero, Emi Patres apprime norunt, qualia Ecclesiarum Capitularium Statuta esse debeant, ut vim obligandi habeant. Concilium namque Romanum, quod ius commune constituit anno 1725 habitum, severe iubet, ut « nihil in eis sit, quod a iuris dispositione, et Congregationum Decretis, usuque recepto et approbato exorbitet ». Decretum Emi Cardinalis Caprara 9 Aprilis 1802 exigit: « in Statutis condendis aut immutandis, Sacrorum Canonum observantia retinenda est, usuumque ac consuetudinum laudabilium ratio habenda est. » Denique in Statutorum revisione et approbatione, quae ad Ordinarios pertinet, supra relatum Concilium haec servanda praescribit: « Episcopi in iis examinandis, si quid contra ius, vel Tridentini Concilii Decreta, aut Pontificias Constitutiones irrepsisse cognoverint, super eo Sedem consulant Apostolicam, a qua iuris remedia expectent. Consuetudines autem, nonnisi rationabiles et honestas admittant; et si quas a ratione declinasse, vel contra Breviarii vel Missalis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis, vel Ritualis Romani Rubricas inolevisse, ac proinde indebitam legis speciem usurpasse compererint, eas vel corrigant, vel omnino delenda decernant » *(Tit. II c. IV)*.

Atqui Missam conventualem lectam pro cantata vidimus iuris dispositionibus repugnare, sicut et illius legendae consuetudinem, secluso Indulto, esse *corruptelam*. Sive enim Missa conventualis lecta consideretur uti Statutum, sive uti consuetudo, adversatur Rubricis Missalis Romani, contra quas non datur praescriptio, adversatur et Decretis seu S. Congr. Rituum, quibus derogari non potest, cum et ipsa contrariis dispositionibus sive iuris particularis sive facti *derogent (Decr. 2951 ad 13)*.

Ergo eiusdem Statuti pars, quae Missam conventualem legendam spectat, nulla est et irrita, vimque ligandi non habet.

Sed admirationem non debet Emis Patribus praefata dispositio parere, si in Statutis legatur Lisbonensis Ecclesiae, cum alia quoque non desit eiusdem generis.

Sit exempli gratia Art. 48, quo decernitur: « Canonicus Fabricae sit exemptus a residentia chorali ». At nonne contrarium legitur dispositum a S. Congr. Rituum? Siquidem rogata: « An Canonicus Fabricae administrationi deputatus, propter hanc causam toto anno ab Ecclesiae servitio eximatur? » respondit: Canonicum praedictum teneri Ecclesiae inservire, sicut tenentur omnes alii Canonici (n. 113 anno 1602, ad 5).

Aliud sit exemplum: Articulo 58 §§ 1 dicitur: inter praesentes in choro ad effectum lucrandi distributiones, seu mulctas pecuniarias ex punctaturis conflatas *(Art. Statut. 65)*, considerandos esse Capitulares, qui absunt ratione comitandi SS. Sacramentum ad infirmos deferendum: item qui absunt ratione inserviendi Patriarchali Sedi; qui permissis a Tridentino feriis utuntur: qui absunt ratione assistendi cuicumque functioni iussu Emi Patriarchae, extra Sedem, hinc extra Archidioecesim quoque, celebrandae. At satis opponuntur hisce Statutis quae a S. C. Concilii, sub die 20 Dec. 1862 disponuntur, videlicet: « Canonicos Archiepiscopo assistentes in pertractandis negotiis, vel ipsum in dioecesi extra Sedem comitantes non lucrari distributiones ». Item: « Canonicos, Rectoris, Administratoris, Professorum et Examinatorum munus excercentes in Seminario non lucrari distributiones ». Item: « Canonicos absentes a choro ut Pro-Vicarii Generalis, Cancellarii, et Actuarii aliaque munera in Curia Archiepiscopali exerceant non lucrari distributiones ». Ita in Dubiis praecitati Decr. IV, VIII, IX.

Obiici quidem possunt Statuta antiquioris Capituli, ex quibus Patriarcha tunc temporis existens, eiusque Successores amplissimis pollebant facultatibus, ut in proprium servitium Canonicos adhibere, etiam in civilibus, possent (Bulla *Ad Sacrosanctam* Clementis XII, 6 Dec. 1738).

Sed facilis responsio. *a)* Eminentissimus Patriarcha, eiusque Successores erant pro vetere Capitulo, et potestatem acceperant a S. Sede Apostolica, adhibendi illius Canonicos, etiam in omnibus negotiis civilibus, quomodocumque opus illis haberent, dummodo *non imminueretur* ex illorum servitio splendor et decor dictae Patriarchalis Ecclesiae. At vetus Capitulum ab anno 1843 fuit *penitus suppressum* et extinctum *cum omnibus iuribus et privilegiis suis*; ergo cessarunt et potestates Emo Patriarchae eiusque Successoribus a Sede Apostolica collatae, cum materia cessaverit, super qua dictae facultates versarentur.

b) Vi Bullae *Ad Sacrosanctam* nullus Ecclesiasticorum Canonicatum, aut Dignitatem in Patriarchali Ecclesia, obtinere licite imo et valide poterat, nisi vel Theologiae lector esset in aliqua Universitate publica et probata, vel Doctor in Theologia aut iure Canonico, vel saltem in alterutro *licentiatus*.

Atqui in praesenti nullus ex Canonicis, uno excepto, dictis gradibus honoratur; ergo antiquae facultates inesse nequeunt Emo Patriarchae hodierni Capituli, cum frustraneae essent, iisque uti non posset.

c) Praesens Lisbonense Capitulum regitur *cum solis iuribus, honoribus et oneribus, quae illi per Sacros Canones attribuuntur*: ergo amplissimis facultatibus antiquorum Patriarcharum frui nequit moderni Capituli Praeses, seu hodiernus Emus Patriarcha, quippe qui illas conferre non posset quin Bullae erectionis limitationibus contradiceret.

Hinc patet, praefata Decreta toto robore pollere, iisque

se debere conformare praesentis Lisbonensis Ecclesiae Canonicos.

Tertium etiam sit exemplum, ut alia praetereamus. Capite IV, Art. 80, dicitur, inter alia, Beneficiatum in festis I, II, et III ordinis teneri fungi officio Presbyteri adsistentis in Pontificalibus ab aliqua Dignitate, vel Canonico in illius defectu, celebrandis. Verum ex Decreto *Ex Romanorum Pontificum* satis superque constat, Canonicos, Dignitates et Rectores Ecclesiarum, qui ex Privilegio Pontificalibus utuntur, Presbyterum Adsistentem adhibere non posse: « Nequit praeterea *(Dignitas vel Canonicus)*, tam in solemni quam in Missa privata... uti Canone, palmatoria, Presbytero assistenti » *n. 2624 ad 16*). Quod Generale Decretum reperimus ab aliis quoque particularibus confirmatum, uti in una *Imolen.* 16 Dec. 1826, et in una *Baren.* 3 Aug. 1839.

Ea propter, sicuti huiusmodi Statuta vim non habent, ita quae supra retulimus circa Missam conventualem lectam, si plures quam duae dicendae essent, omni quoque robore destituuntur. Iis proinde adhaerendum non est, sed iuri communi, quod constituunt Rubricae Missalis, S. C. Concilii, et S. C. Rituum decreta.

Neque obstat, Statuta eiusmodi ferre Ordinarii approbationem; in casu enim iuxta dispositionem Concilii Romani suprarelatam, Sedes Apostolica erat consulenda, a qua erant expectanda iuris remedia.

Stantibus ergo, quae demonstrata sunt, Canonici Lisbonenses nulla aut iuris aut consuetudinis ratione tueri se possunt quod Missam conventualem attinet, sive legendam, sive, et multo minus, omittendam.

Sed aliam non possumus quin ob oculos Emorum Patrum difficultatem ponamus, qua irritationabiliter fretum Lisbonense Capitulum Missas aliquas conventuales lectas insipienter sustinet. Loquimur de Bulla *Rationi congruit* Innocentii Pp. XIII, d. d. 18 Maii 1721, quam praefatum Capitulum invocat, ex qua tamen male mulctatum, et prorsus confectum Emi Patres evidenter intelligent. Satis sit dictae Bullae textualia ad rem verba referre: « Denique ne ullo unquam tempore Opus Dei negligenter fieret, ac ob permissam Dignitatibus ac Canonicis praefatis libertatem ecclesiastica chori disciplina in dicta Patriarchali Ecclesia, eatenus laudabiliter servata, detrimentum aliquod pateretur, iidem Dignitates et Canonici diligenter invigilare ac sollicite curare tenentur, ne temporum decursu praefata chori disciplina unquam collaberetur; praesertim vero, *ut Horae Canonicae, Missaeque in cantu plano, vel figurato, prout eatenus fieri consueverat, semper celebrarentur, ita ut nullo unquam die, ex quacumque etiam urgentissima causa, seu quocumque praetextu, officium divinum praefatum, aut aliqua illius Hora,* praeterquam in triduo passionis, *vel Missa sine cantu celebraretur, etiamsi plures eodem die Missas celebrari contingeret,* in quibus omnibus idem esset observandum, alioquin Capitulum ipsum ex redditibus suae mensae ad dictos Dignitates et Canonicos, ut praeferebatur, spectantibus, summam octingentorum Ducatorum pro qualibet vice etiam irremissibiliter, amitteret » *(n. 24)*.

Quoad alias Missas non conventuales Bulla haec habet: « Quoad *anniversaria* vero, *et Missas ultra conventualem* quibusdam diebus *decantandas*, quibus, ut praeferebatur, specialis distributio assignata non erat, si quis ex Beneficiatis.... deesset, dimidium unius Ducati pro quolibet anniversario, aut Missa, ex fructibus grossis amitteret » *(n. 18)* (1). Uti ergo patet, praeterquamquod praedicta Bulla, uti pro extincto Capitulo emanata, omni vi pro praesenti destituitur. Capitulares Lisbonenses, si ad eam appellent, nonnisi iugulati manere possent.

Hinc ad propositum Dubium Emos Patres merito responsuros esse confidimus: Affirmative.

Summarium quaestionum prosequitur, inquirens: « Et quatenus Negative »:

a) Utrum in Missis conventualibus lectis liceat interventus Clavigeri et Ceroferariorum?

Resp.

Cui dubio aliter nobis satisfieri non posse videtur, quam negativa responsione. Quinimo, alterum praeoccupantes quaesitum primum, hoc est in affirmativa hypothesi, eiusdem summarii, demonstrare satagimus, interventum Ceroferariorum non licere in Conventualibus Missis, neque lectis neque cantatis, sed in solis solemnioribus: in quibus ultimis tamen ipse clavigeri interventus illicitus est intra Missam, quamvis in processione ante et post illam permitti posse iuxta Caeremoniale Episcoporum et Statuta.

Et sane, Missa, inspecta diversitate rituum, quadrupliciter distinguitur, videlicet: alia est *pontificalis:* alia *solemnis*, in qua Celebrans Ministris sacris utitur: alia *cantata* a solo Celebrante sine sacris ministris: alia denique est privata seu lecta. Missa autem conventualis, aut canitur sine ministris, aut cum ipsis; et in ritibus tunc solemni vel cantatae aequiparatur: aut simpliciter legitur, et hoc in casu ritibus Missarum privatarum assimilatur, uti per se patet.

Iam nunc interventus ceroferariorum in Missis, seu lectis seu cantatis sine ministris sacris, nullo pacto adhiberi potest; quia a Rubricis Missalis, sicut solemnibus tantum reservatur, ita in lectis aut simpliciter cantatis excluditur. Graviora sunt verba S. Pii V in Constitutione Quo primum cunctis Missalium Editionibus praemissa: « Mandantes ac districte omnibus Ecclesiarum Patriarchis, administratoribus, aliisque personis quacumque dignitate fulgentibus, etiamsi S. R. E. Cardinalibus, aut cuiusvis alterius gradus et praeeminentiae fuerint, in virtute sanctae obedientiae praecipientes, ut.... Missam iuxta *ritum modum* ac *normam*, quae per Missale hoc a nobis traditur, *decantent* ac *legant*, neque in Missae celebratione *alias caeremonias....* quam quae in hoc Missali continentur, *addere praesumant* ». Atqui in ritibus illis quae habentur et caeremoniae, in Missis tam lectis, quam cantatis sine ministris, ne verbum quidem de ceroferariis, qui tamen explicite in solemnibus praescribuntur; ergo.

Quod vero attinet clavigerum, non solum intra Missas lectam et cantatam, sed etiam intra solemniorem ipsam, excluditur a Missali: quippe quod ne verbum quidem de illo.

Insuper tam ceroferariorum usus in Missis privatis et cum cantu, quam etiam claviger in iisdem, sicut et in solemnibus, consuetudini omnium Ecclesiarum repugnat. Aliunde vehementer clamat Synodus Tridentina: « Caveant (Episcopi) ne Sacerdotes ritus alios aut alias caeremonias in Missarum celebratione adhibeant, praeter eas, quae ab Ecclesia probatae ac frequenti et laudabili usu receptae sunt *(Sess. XXII, de observ. in celebr. Miss.)* ».

Nec valet obiicere, Missam conventualem, quando legitur aut canitur sine ministris, aliquibus gaudere posse privilegiis. Hoc enim admittendum quidem, sed cum aliquo limite, hoc est: iis tantum privilegiis gaudere potest, quae lege, non arbitrio, permittuntur. Quid autem in Missa conventuali lecta lex permittit? Duos tantum ministros inservientes, sicut in parochiali diebus solemnioribus, ac plures quam duas candelas: id concedente Decreto in *Molinen.* ad VII, IX, n. 3059: quod nihilominus statim subdit: « servatis ordi

(1) Verbo imperfecti temporis Bulla utitur, quod eam Innocentius XIII quidem evulgavit, Clemens vero confecit.

nationibus S. Congr. in una *Tuden.* die 7 Sept. 1816 ad dubia V et VI ». Hoc autem Decretum Missas privatas respicit, quibus proinde ipsam conventualem lectam Decretum aequiparat: adeo ut, concessis exceptis, alii ritus in illa non sint adhibendi. At neque interventus ceroferariorum, neque clavigeri concessus est; ergo adhiberi non potest.

Quid vero lex permittit in Missa cum cantu sine ministris? Rubricae Missalis loquuntur tantum de cantu (Tit. VI, pag. 8); ergo vi Rubricae alii ritus et caeremoniae Missae conventualis, etsi cantatae, sine tamen ministris, a ritibus et caeremoniis Missae privatae differre non possunt. Decreta vero aliquid aliud permittunt, sed tamen altum semper silentium servant de ceroferariis, utpote de ritu solemniori, solius Missae solemnioris proprio, ut superius vidimus. Usus enim ceroferariorum supponit solemnem processionem e sacrario ad altare et in reditu, necnon cantum Evangelii per Diaconum extra altare: quae duo in Missa simpliciter cantata locum habere non debent. Quid autem de clavigero sit censendum, seu in Missis lectis, seu cantatis, seu solemnibus, iam supra expositum est. Addere hic iuvet, usum clavigeri in actu Missae, proprium essê tantum Purpuratorum Patrum, Archiepiscoporum et Episcoporum *valde insignium*, uti Caeremoniale notat (*lib. I, cap. XI, n. 12*), non autem Canonicorum vel Praelatorum.

Equidem Canonici Lisbonenses servare cuperent et ceroferarios et clavigerum in praefatis Missis, seu ad Dubitationes extirpandas, seu ad removenda scandala. At E.mi Patres apprime norunt: *a)* in casu nullis dubitationibus fieri posse locum, sed legem servandam esse, quae utrumque usum certe non admittit, imo reprobat; *b)* scandala non posse oriri ex legum observantia, sed tantum ex earumdem inobservantia et neglectu. Liturgica disciplina proinde servetur, ritus contra legem removeantur, et Lisbonensis Patriarchalis, aliarum Ecclesiarum regni mater et princeps, omnibus erit exemplo.

At hic quoque opponitur consuetudo, quae ab immemorabili vigere dicitur. Verumne? Rogamus E.mos Patres, ut serio considerent, hanc consuetudinem immemorabilem dicere, esse plane absurdum. Et revera: agitur de ritu comitante Missam conventualem lectam; atqui eiusmodi Missa, non ab immemorabili, dicitur, sed ab anno 1877 initium sumpsit, quod et ipsimet Canonici facile concedunt; ergo immemorabilitas absurda est.

Caeterum, ut ritus iste singularis et abnormis ab immemorabili vigeat, fas esset admittere illum ad antiquae Patriarchalis Ecclesiae aetatem ascendere. Verum nullo id iure sustineri potest; quia, ut superius ostensum est, vi Bullae *Rationi congruit*, et Statutorum nulla in antiqua Patriarchali Ecclesia celebrabatur Missa conventualis lecta. Quin imo, hoc quoque admisso, neque eadem consuetudo immemorialis dicenda foret, quippe quae esset tantum antiqua, cum ascenderet ad tempus Fundationis Patriarchalis Ecclesiae Lisbonensis, nempe ad annum 1716, quo tempore prodiit Bulla Clementis XI, *In supremo Apostolatus*.

Brevi: sicuti Missa conventualis lecta, ita necessario ritus, de quo agitur, qui illam comitatur, ab anno 1877 originem ducit, consequenter viginti circiter annorum consuetudo est. Atqui talis consuetudo esse nequit immemorabilis, uti gratis, imo contra veritatem et absurde asseritur.

Obiiciunt quoque Canonici, ritum huiusmodi servari etiam in Missa parochiali lecta festorum dierum in paroeciis urbanis Archidioecesis Lisbonensis, immo et in regia eiusdem Archidioecesis Cappella. Sed reponimus, utrumque assertum cum veritate pugnare.

En ritus in Ecclesiis parochialibus dicti loci vigens: « Aedituus sex candelas accendit: Parochus reponit super mensam calicem, et Missale apertum: redit in sacrarium, pluviale induit et populum aspergit aqua lustrali. His peractis, induitur prope abacum manipulo et casula, et Missam legit, uti reliqui simplices sacerdotes (*Summar. Causae Lisbonen. pag. 7*).

Nonnullae ditiores paroeciae, pro uno duos ministros adhibent, qui ab elevatione ad communionem funalia deferunt; et quando aspersio locum non habet, Parochus calicem e sacrario defert. En factum, quod patet omnibus Lisbonensium Ecclesiarum fidelibus. Ubi cerealia, quae deferuntur ab initio et in fine Missae a duobus acolythis? Ubi tertius acolythus? Ubi claviger? Nusquam, si Lisbonensem patriarchalem excipias Ecclesiam.

En ritus regiae Cappellae, omnium praestantissimae, utpote in qua Rex et Regina ordinario resident: « Aedituus omnes altaris candelas accendit: Sacellanus super mensa calicem deponit, uti et Missale apertum; in sacrario inde sacris paramentis induitur, e quo, duobus praeeuntibus aedituis, ad altare pergit, ubi Missam facit more omnium simplicium sacerdotum » (*V. Summ. ut supra, pag. 9*). Hic quoque ab elevatione ad communionem funalia habentur. Ubi ergo, iterare iuvet, uti hic pariter processio acolythorum cum candelabris accensis ante et post Missam? Ubi locus tertio acolytho? Ubi clavigero? Asserta miranda quidem.

Sed neque consideratione digna censenda sunt, ad convenientiam ritus, de quo agimus, quae Lisbonenses Canonici superaddunt, seu de honore primarii templi, quo fulget Patriarchalis Ecclesia, seu de munere, quo Emus Patriarcha insignitur, Archi-Sacellani Aulae regiae, seu de interventu Principum et comitatus in praecipuis Patriarchalis Ecclesiae solemnitatibus. Haec pulverem E.morum oculis effundere non valent, cum apprime noscant, honorem templi, esto primarii, non pati ut liturgicae leges pessumdentur: quod non quidem laudi ipsius templi, sed dedecori vertitur. Munus autem, quo E.mus Patriarcha insignitur, tribuere non valet Capitularibus ius usurpandi sibi honores indebitos. Denique praesentia Principum nata potius esset ad cohibendos Canonicos, ne vanae ostentationis indicia exhibeant quam ad ritus sibi non proprios adhibendos contra certam legem. Caeterum qualis et quot sunt istae solemnitates, quibus intersunt Principes? Non istae profecto, de quibus egimus, sed aliae primi et quandoque secundi ordinis; ut contrarium asserentes Canonici, nisi mentiantur, falsum certo referant. Hae autem solemnitates sunt tantummodo quinque infra annum, in quibus cetero Pontificalis, non lecta, Missa canitur; et tamen usurpato inauditoque honore Canonici Lisbonenses quotidie fruuntur. Oh vere miranda simplicitas!!

Immo, etsi Lisbonenses Capitulares praesentes institutos se putarent haeredes Capituli antiqui, quorum Canonicis ius erat, ex Constitutione Clementis XI *Gregis dominici*, d. die 3 Ianuarii 1718, celebrandi Missam privatam *more Episcoporum*, hoc quoque in casu praefatus ritus reprobatione dignus foret. Compertum est enim, ceroferarios et reliqua ut in dubio, duobus ministris exceptis, ne ipsis quidem Episcopis Missam private facientibus licere.

Iudicent ergo, Emi Patres, quanto iure, quantaque sapientia ad hanc quoque precem quod attinet e S. Congr. Concilii responsum primum prodierit, quod et S. R. C. ratum habuit: « *Non expedire* »; ac alterum deinde die 14 Decembris a. 1901: « *Serventur ius commune, Rubricae, et S. R. Cong.nis Decreta* ».

Quaeritur insuper in negativa hypothesi:

b) Utrum in iisdem Missis conventualibus lectis liceat calicem et Missale praedisponere super altare, atque illum, Missa nondum expleta, ab altari removere?

Resp.

Superius visum est Missam lectam, quamvis conventualem, ab aliis lectis non differre, nisi in iis paucis, quae circa ritus S. R. C. explicite permittunt, quia conventualis est. Atqui ea quae Missae conventuali lectae Sacrum Tribunal indulget, limitantur ad quatuor candelas pro duabus, ad duos ministros inferiores pro uno; ergo reliqua prohibita dicenda sunt.

Pro veritate addimus, in Missis conventualibus sine cantu ex variis Decretis permitti quoque funalia ad elevationem, omissionem commemorationis Simplicis inter Orationes, sicut et precum imperatarum post Missam. Verum praeparationem calicis et Missalis ad altare, ut illum per se non deferat Sacerdos, neque reportet expleta Missa, et clericus celebrantem praecedens Missale non ferat nec referat, Rubricae Generales non permittunt, et Decreta non indulgent. Iam enim vidimus, Missas conventuales lectas, iis, quae concessa sunt exceptis, aequiparandas esse privatis: atqui et Rubricae General. *(Rit. celeb. Miss. Tit. II, n. 1; Tit. XII, n. 6)*, et Decreta *(num. 1681, ad 5, 3059 ad 7, 2572 ad 5)* exigunt ut sacerdos per seipsum, Ca icem deferat, et Missale per seipsum pariter aperiat et claudat. Sicut ergo Rubricales leges sunt servandae, quibus semper Decreta inhaerent, manifestum fit, Celebrantem in Missis lectis, licet conventualibus, calicem debere per se deferre; et Clericum qui praecedit ad altare Celebrantem Missale quoque debere per se deferre iuxta Rubricas et Decreta: neque calicem, neque Missale proinde ab altari removendum ante absolutam Missam.

Opponi posset reverentia a Celebrante agenda in eundo ad altare, ab eoque redeundo: quod minus videtur congruere, cum calicem in manibus ferat. At satis eiusmodi momentum infirmum apparet; nonne enim Diaconus utraque manu bursam, vel Missale tenens, chorum hinc inde salutare tenetur iuxta Rubricas? Nonne Missale pariter defert Subdiaconus cantaturus Epistolam, et chorum salutare iuxta Rubricas debet, sive Missalis eiusdem sive Caeremonialis Episcoporum? Porro, si nil inordinationis Rubricae his in casibus praescribunt, et certe servandae sunt, eodem iure sequitur nil quoque inordinatum aut incongruum illas statuere praescribendo in casu salutationem chori, etsi Celebrans calicem utraque manu deferat, illasque servandas.

(Prosequendum)

E SACRA CONGREGATIONE
EPISCOPORUM ET REGULARIUM

3915/15 I.

PONENTE E.MO AC R.MO
CARDINALI PIEROTTI

Die 22 Augusti 1902.

Thelesina seu Cerretana — Decimarum.

Tenetur parochus in casu ad solvendum quartam decimam Episcopo, tum ex consuetudine, tum ex Statutis Synodalibus.

Intra Thelesinam seu Cerretanam dioecesim, parochi et alii beneficiati praeter Cathedraticum quotannis persolvunt Episcopo quartam Episcopalem seu uti dicunt quartam decimam. Porro huius taxae solutionem renuebat sacerdos Iadanza parochus S. Martini in Solopoca, qui et aliam controversiam eodem tempore habebat cum Clero ecclesiae SS. Corporis Christi eiusdem Oppidi quoad funera et alias functiones *(de his infra)*.

Episcopus ad S. Congr. Episc. et Regul. recursum obtulit pro coërcitione parochi, dieque 4 Febr. 1902 responsum fuit, ut ipse *uteretur iure suo*. Quapropter ad tramites huius decreti comminatus est parocho Iadanza suspensionem a divinis ipso facto incurrendam, nisi intra octo dies quartamdecimam persolveret, quae in tenui summa libell. 17 constabat. Ab hac Episcopi poenali dispositione parochus appellationem ad eamdem Sacram Congregationem interposuit.

Parochus Iadanza iura sua ita tuetur. Praemisso se promptum esse ad parendum S. Congregationis resolutioni, conqueritur sibi documenta non fuisse communicata ab Episcopo potius ad S. Congregationem transmissa. Propius deinde ad suam intentionem probandam accedens contendit suam paroeciam immunem esse debere ab huiusmodi onere ex duplici ratione. 1.° Quia huic taxae paroecia numquam fuit subiecta, ceu sacerdotes, et plures oppidi cives deponunt a quo oppido ipse ante consecutionem parocciae erat extraneus et alienigena. 2.° In liquidatione congruae, licet ipse Episcopi attestationem circa hanc taxam Administrationi fundi cultus exhibuerit, tamen haec attestatio fuit reiecta, quia ex inquisitione peracta a Regio Suboeconomo Beneficiorum vacantium compertum est paroeciam huic oneri minime esse obnoxiam.

Episcopus vero ex adverso, huic oneri subiacere paroeciam S. Martini contendit resultare tum ex conventione inita an. 1698 inter Episcopum Thelesinum Sabino et parochos et Collegiatas ecclesias Thelesinae seu Cerretanae dioecesis, et ex legibus synodalibus in quarum extrema nempe an. 1893 haec adest particula: *Quod de Cathedratico, idem de quarta Episcopali est dicendum, quae cum Cathedratici naturam induat, iisdem ac illud subiacet legibus.*

Episcopus insuper huius oneris existentiam probat ex sententia supremae Aulae Neapolitanae prolata contra Administrationem fundi cultus et publicata die 12 Maii 1879. Administratio praetendebat bona Collegiatarum Thelesinae dioecesis a se usurpata immunia esse debere a tali taxa: sed supremum tribunal recognovit dictam praestationem esse onus reale, et hinc administratio causa cecidit. Demum Episcopus adnotat super has praestationes se diversas taxas persolvere, quod profecto non contingeret, si non constaret de iuridica existentia et obligatione praestationum: praeterea haec recensentur in inventario bonorum mensae tamquam activum caput: hinc nullatenus ambigi potest de obligatione parochi ad praefatam praestationem persolvendam.

Quibus hinc inde breviter delibatis, ad

DUBIUM.

An parochus S. Martini oppidi Solopaca dioecesis Thelesinae seu Cerretanae teneatur ad solvendam Episcopo Dioecesano quartam decimam in casu?

Emi Patres rescripserunt: *Affirmative et amplius.*

3915
15

II.

PONENTE E.MO AC R.MO
CARDINALI CASSETTA
Die 22 Augusti 1902.

Thelesina seu Cerretana — Iurium parochialium.

Sustinetur in casu consuetudo quoad ius levandi cadavera et peragendi funera anniversaria, exequias et alias huiusmodi functiones, non attenta oppositione parochi.

Intra oppidum Solopaca de dioecesi Thelesina seu Cerretana praeter duas ecclesias paroeciales S. Martini et S. Marci, adest ecclesia receptitia SSmi Corporis Christi, a Paroeciis fere independens et proprium habens clerum. Ipsa in oppido videtur ab antiquo fuisse unica ecclesia tumulans quia haec tantum habebat sepulturas: sed quidquid sit, certum est, uti asserit Episcopus Thelesinus, quod a duobus saeculis inibi exequiae, funera et anniversaria defunctorum celebrantur. Parochi, quamvis Clero receptitio adscribi nequeant ex statutis, tamen cum aliis sacerdotibus de adventitiis participant, et habent insuper ita dictum *Ius Benedictionis* distinctum a quarta funeraria quae semper eis fuit denegata.

Quum an. 1898 renuntiatus fuisset parochus S. Martini sac. Antonius Iadanza, ille in propria ecclesia coepit peragere exequias et alias funebres functiones. Contra hanc agendi rationem Cappellani Ecclesiae Corporis Christi reclamarunt et tunc Episcopus Thelesinus novo parocho S. Martini interdixit funebres functiones fieri in propria ecclesia sub poena *suspensionis ipso facto incurrendae.* Ab hoc decreto parochus Iadanza appellationem interposuit ad H. S. Congregationem. Clerus Ecclesiae receptitiae SS. Corporis Christi suas prodiit allegationes, quarum summa haec est. Primo tum ex attestatione Syndici, tum ex depositionibus iuratis Vicarii Foranei et Archipresbyteri D'Amore et aliorum civium oppidi Solopaca nec non ex paroeciarum regestis, liquido constat in praefata ecclesia exclusive ante erectionem publici coemeterii a tempore hominum memoriam excedente, extitisse sepulturas pro cadaveribus humandis, in eaque tantum exequias et funera fuisse persoluta. Quin imo parochus Iadanza non diffitetur in ecclesiis paroecialibus a saeculo cum dimidio defunctos non habuisse sepulturam.

Clerus insuper suum ius probat ex conventione inter ipsum et parochos inita an. 1872. Vi huius conventionis, quamvis parochi, ecclesiae receptitiae non sint adscripti, tamen concessum est eis intervenire et participare in funebribus functionibus, sicuti clero permissum est adesse et participare adventitiis functionibus quae in duabus paroeciis celebrantur. Hanc conventionem actualis Episcopus asserit a suo praedecessore fuisse approbatam, siquidem hic statuit in functionibus adventitiis celebrandis tum in ecclesia receptitia tum in paroeciis, singulos de clero adesse debere, quamvis hoc decretum in Archivio Episcopali desideretur. Quoad comminatam parocho Iadanza poenam, Episcopus observat, eam fuisse transitoriam provisionem ad removendum scandalum.

Haec in facto: in iure autem, quamvis canonistae tradunt parochos pro funeribus suorum paroecianorum habere intentionem fundatam in iure, tamen nil vetat quod haec iura contraria consuetudine seu proprius praescriptione amitti possint: quidquid enim esse potest obiectum conventionis, id etiam est obiectum praescriptionis. In specie autem quoad funera *Ferraris in Bibl. can. ver.* Quarta funer. *n. 3*, docet sufficere praescriptionem quadragenariam. Proinde in themate nihil obstaret, etiamsi ecclesia S. Martini proprium antiquitus coemeterium habuisset.

Iamvero, pars adversa, i. e. parochus S. Martini observat sibi paroeciam collatam fuisse *cum omnibus honoribus, oneribus et iuribus*, uti legitur in Bulla collationis. Iam vero haec Bulla irrisoria esset, admissa praetensa consuetudine et deinde sequeretur quod parocho onera restarent, et emolumenta funerum cum accessoriis cederent cappellanis ecclesiae receptitiae, quin hi nullum onus portent quod non videtur aequitati respondere. Dein parochus advertit quod praefata Comunia est a Gubernio suppressa et nunc tantum duo cappellani supersunt, quamvis alii creati sint sed ad honorem tantum.

Postea parochus Iadanza profert decretum Episcopi Thelesini De Rusticis diei 12 Ianuarii 1638 ex quo patet cappellanis seu Clero praefatae ecclesiae privilegia concessa fuisse *salvo iure parochi.* Hinc parochus contendit sibi competere quartam funerariam in casu electionis sepulturae factae a suis filianis in ecclesia SS. Corporis Christi. Ad destruendam autem consuetudinem immemorialem, ipse proponit depositionem iuratam nonnullorum civium, qui recordantur coemeterium paroeciale extitisse antiquitus in area prope ecclesiam, super qua nunc exurgit domus cuiusdam Scutillo.

In iure recoli potest quod parochi pro funeribus parochianorum vel saltem pro quarta funeraria fruuntur iuris assistentia; hinc si quis haec iura praetendat, illi onus probandi incumbit. In themate cappellanorum argumenta non satis firma videntur. Ipsi potissimum innituntur consuetudini immemoriali; sed praeter quod, ea consuetudo dici nequit immemorialis ad superius a parocho tradita, caret etiam requisito rationabilitatis. Non videtur enim esse rationi consentaneum ut parochus portet pondus diei et aestus, et cappellani ecclesiae receptitiae percipiant emolumenta et obventiones. Insuper exclusiva tumulatio et hodie ob publica coemeteria expositio et funus tantum in ecclesia Sanctissimi Corporis Christi impediret fideles ab electione sepulturae, quae iuxta canones libera omnino esse debet.

Postremo nullum pondus tribui debet conventioni initae inter parochos et clerum ecclesiae receptitiae super qua videtur se Episcopus Thelesinus fundare: praeter quam quod ea videtur destitui charactere authenticitatis, insuper ea fuit personalis et proin nequit successores ligare.

Quibus hinc inde deductis, propositum fuit sequens

DUBIUM

An et quomodo servanda sit consuetudo in oppido Solopaca favore ecclesiae receptitiae SS. Corporis Christi inducta quoad ius levandi cadavera, quoad funera anniversaria, exequias et alias eiusmodi functiones in casu?

Porro Emi Patres re mature discussa responderunt: *Affirmative et amplius.*

III.

DECRETUM

Approbationis Societatis Missionariorum a Sancto Ioseph in Ditione Mexicana.

Sanctissimus Dominus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII, attenta ubertate salutarium fructuum, quos tulit Societas Missionariorum a S. Ioseph nuncupata, domum principem habens in civitate Mexicana, attentisque praesertim commendatitiis litteris Antistitum locorum, in quibus eiusdem Societatis domus reperiuntur, nec non E.mi ac R.mi. D.ni Iosephi Calasanctii S. R. E. Cardinalis Vives y Tuto Protectoris, in audientia habita ab infrascripto Cardinali S. Congregationis Episcoporum et Regularium Praefecto die 28 Aprilis 1903 Societatem ipsam, iam amplissime laudatam et commendatam ut Congregationem votorum simplicium sub regimine Moderatoris Generalis, (1) approbare et confirmare dignatus est: praeterea constitutiones praefatae Societatis, prout continentur in hoc exemplari, cuius autographum in archivio S. Congregationis Episcoporum et Regularium adservatur, ad septennium, per modum experimenti, benigne approbavit et confirmavit, prout praesentis decreti tenore tum praedicta Societas tum eius constitutiones respective approbantur et confirmantur, salva Ordinariorum iurisdictione ad formam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

Datum Romae e Secretaria memoratae S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 27 Aprilis 1903.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✝ S.

PH. GIUSTINI, *Secret.*

IV.

DECRETUM

Approbationis Instituti Sororum a S. Ioseph in Ditione Mexicana.

Anno Domini 1872 opera piae mulieris Caesareae Esparza y Davalos, auspice rev. presbytero Iosepho Maria Vilaseca in Archidioecesi Mexicana, probante Archiepiscopo, ortum duxit Institutum Sororum a S. Ioseph B. M. V. sponso nuncupatum.

Quae quidem Sorores, eum sibi peculiarem finem sive scopum proponunt, ut, ad maiorem Dei gloriam, primum consulant propriae cuiusque sanctificationi, servando vota obedientiae, paupertatis et castitatis, certisque inhaerendo constitutionibus, tum in proximorum salutem pro viribus incumbant per eruditionem et Christianam educationem puellarum, et in locis Missionum, quatenus rerum adiuncta postulent atque Episcopi suaserint, per alia etiam exquisitioris charitatis opera. Cunctae autem vitam ducunt perfecte communem, sub regimine moderatricis generalis, sexto quoque anno eligendae, et exacto novitiatu, praedicta tria vota prius ad tempus, dein in perpetuum, ritu simplici emittunt. Enimvero huiusmodi Instituto non defuit inde ab initio tentationis probatio; sed, opitulante bonorum omnium largitore Deo, bonum certamen certaverunt feliciter enunciatae Sorores, ita ut ipsae non mediocrem ediderint salutarium fructuum ubertatem et iam in quatuordecim dioecesibus domos canonice erigere potuerint. Quum autem nuper Moderatrix et Consiliariae Generales SS.mo Domino Nostro Leoni Divina Providentia PP. XIII humilissime supplicaverint, ut Institutum ipsum eiusque Constitutiones Apostolica auctoritate approbare dignaretur, Sacrorum Antistites, quorum in dioecesibus praefatae Sorores commorantur, et E.mus ac R.mus D. Iosephus Cal. S. R. E. Cardinalis Vives y Tuto Instituti Protector, datis ultro litteris, earumdem preces summopere commendare non dubitarunt. Itaque Sanctitas Sua, re mature perpensa, attentisque praesertim commendatitiis litteris praedictorum Antistitum atque E.mi Protectoris, in audientia habita ab infrascripto Cardinali Sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium Praefecto die 18 Maii 1903, Institutum ipsum iam amplissime laudatum et commendatum, uti Congregationem votorum simplicium sub regimine moderatricis generalis, approbare et confirmare dignata est, prout praesentis decreti tenore benigne approbat et confirmat, salva Ordinariorum iurisdictione, ad formam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum; dilata ad opportunius tempus approbatione Constitutionum.

Datum Romae e Secretaria praefatae Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium die 27 Maii 1903.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

PH. GIUSTINI, *Secret.*

V.

BELLOVACEN.

Dispensatio votorum pro Sororibus Institutorum mere dioecesanorum spectat ad Episcopum, sub cuius iurisdictione Sorores degunt.

A Moderatoribus quorumdam Institutorum mere dioecesanorum S. Congregationi Episcoporum et Regularium sequentis dubii, circa votorum dispensationem, solutio proposita fuit, nempe: « *An dispensatio votorum pro monialibus domorum filialium in dioecesi existentium diversa ab illa, in qua degit domus princeps, competat Ordinario domus filialis, vel potius Ordinario domus principis* ».

S. Congregatio, audito Consultorum voto, atque attenta Constitutione « *Condita Christi Ecclesia* », respondendum mandavit:

Ad primum *Affirmative.*

Ad secundum *Negative.*

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis die 21 Aprilis 1903.

D. Card. FERRATA, *Praef.*
Ph. GIUSTINI, *Secret.*

---

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. V, p. 484, ubi praeter Decretum Laudis habentur etiam Animadversiones in Constitutiones. *N. D.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

Varia solvuntur dubia liturgica.

ORDINIS FRATRUM MINORUM CAPUCCINORUM PROVINCIAE BELGICAE.

R. P. Victorius ab Appeltern, lector sacrae Liturgiae in Provincia Belgica Fratrum Minorum Capuccinorum, de consensu sui Adm. R. P. Provincialis a Sacrorum Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutionem suppliciter efflagitavit, nimirum:

1. In Caeremoniali Romano-Seraphico Capuccinorum N. 1184 pro publica expositione Smi Eucharistiae Sacramenti praescribitur: « Ardeant in ipso (Altari) saltem duodecim candelae ex cera alba » ibique additur: « nisi instructio Ordinarii confirmata a S. Sede aliter statuerit ». Quum vero statuta Dioecesium Belgii hac in re diverse loquantur neque constet de eorum Apostolica confirmatione; quaeritur: in Ecclesiis dictae Provinciaee Capuccinorum, quando SS. Sacramentum publice exponitur, quot candelae ex cera alba accendi debent?

II. Constitutiones Ordinis Capuccinorum praescribunt: « Candelabra ex simplici ligno torno elaborata », Caeremoniale autem Episcoporum, Lib. 1. Cap. XII. § 11, ea de re haec habet: « Supra vero in planitie altaris adsint candelabra sex argentea si haberi possunt; sin minus ex aurichalco, aut cupro aurato nobilius fabricata et aliquanto altiora, spectabilioraque his, quae caeteris diebus non festivis apponi solent et super illis cerei albi, in quorum medio locabitur crux ex eodem metallo et opere praealta, ita ut pes crucis aequet altitudinem vicinorum candelabrorum, et crux ipsa tota candelabris superemineat cum imagine sanctissimi Crucifixi versa ad interiorem altaris faciem »; quaeritur: Religiosi Capuccini tenentur ad observantiam Caeremonialis Episcoporum in casu, quoad materiam saltem ex aurichalco aut cupro aurato tum candelabrorum tum crucis altaris?

III. — 1. Quando Sacerdos celebrat in propria Ecclesia, die non impedita, Missam votivam de die infra Octavam B. Mariae Virginis aut alicuius Sancti, de quo tantum commemorationem in Officio recitavit; quaeritur: An in eiusdem Missa *Credo* dicendum sit, si nempe illa Octava *Credo* habeat?

2. An idem applicandum sit eiusmodi Missae celebratae in aliena Ecclesia?

3. An idem extendendum sit ad quamlibet Missam de die infra Octavam, sive sit privata sive solemnis, sive privilegiata?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Rmo P. Procuratore Generali Ordinis Minorum Capuccinorum, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Standum in casu Caeremoniali Romano-Seraphico Capuccinorum, ita ut ardeant in Altari saltem duodecim candelae ex cera alba.

Ad II. Negative, et observentur Constitutiones Ordinis a Sancta Sede approbatae.

Ad III. Affirmative in omnibus, iuxta Decreta praesertim N. 3862, *Urbis et Orbis* 9 Decembris 1895; N. 3922 *de Missis votivis* 30 Iunii 1896, III, 3; et N. 4020 *Plurium Dioecesium* 24 Aprilis 1899.

Atque ita rescripsit ac declaravit. Die 15 Maii 1903.

S. Card. CRETONI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

Alumni Societatis Missionariorum a S. Ioseph tenentur celebrare sub ritu duplici 2. Classis Officium et Missam S. Thuribii Archiep. Limani.

Hodiernus redactor Calendarii Officii Divini pro alumnis Societatis Missionariorum a S. Ioseph, sequentis dubii solutionem a Sacrorum Rituum Congregatione humillime expostulavit, nimirum:

Ex Decreto S. C. pro Neg. Eccl. Extr. die 1 Ianuarii 1900 extensa fuere ad totam Americam Latinam Officium et Missa propria S. Thuribii Archiepiscopi Limani sub ritu duplici 2ae Classis, hinc dubium oritur, utrum alumni dictae Societatis, qui ex maxima parte distributi sunt in America Latina, utpote ad regiones latino-americanas praecipue destinati, tali decreto obligentur, an potius stare debeant proprio Calendario a S. Sede approbato, in quo S. Thuribius ritu duplici minori recensetur?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibus perpensis, respondendum censuit:

« *In casu, affirmative ad primam partem et negative ad secundam* ». Atque ita rescripsit die 8 Maii 1903.

S. Card. CRETONI, *Praef.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Arch. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

III.

SAGIEN. ET ROMANA.

Privilegium conceditur quoad Missas de Requie.

Instante R.mo D.no Paulo Buguet, Antistite Urbano et Directore generali Operis Expiatorii « a nostra Domina *de Montligeon* » nuncupati, ad levamen animarum in igne purgatorio degentium, iuxta ipsius Operis finem, Sacra Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII tributarum, benigne indulsit, ut tum in Ecclesia matrice praefati Operis in loco *Montligeon*, intra fines Sagien. dioeceseos, tum in Basilica almae Urbis titulo *Regina coeli in Monte sancto*, quam penes extat sedes procurationis memorati Operis, Missa cum cantu, seu, deficientibus cantoribus, Missa lecta de Requie celebrari valeat, singulis Feriis secundis per annum; exceptis a praesenti concessione duplicibus primae et secundae classis, festis de praecepto servandis, Feriis, Vigiliis et Octavis privilegiatis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 28 Martii 1903.

S. Card. CRETONI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Sec.rius.*

IV.

ANICIEN. — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Fratris Benildis e Congregatione Fratrum Scholarum Christianarum.

INFORMATIO (Vide fasc. praec. p. 214).

CAPUT IX.

DE HEROICA FORTITUDINE.

54. Si Divum Gregorium audias, « *iustorum fortitudo* « *est carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, de*« *lectationem vitae praesentis extinguere, huius mundi* « *aspera pro aeternis praemiis amare, prosperitatis blan*« *dimenta contemnere, adversitatis metum in corde su*« *perare* » *(Moral. lib. 7, cap. 21)*. Iamvero haec omnia praestitisse Benildem nostrum satis aperte liquet ex iis quae hactenus de caeteris virtutibus ab eodem exercitis exposuimus, ac proinde animi fortitudine ipsum excelluisse dicamus oportet. Nonne Servus Dei ab ipso aetatis flore mundum contempsit, eius doctrinas repudiavit, carnis illecebras devicit, obstacula omnia superavit, et genus vitae amplexus est iniucundum, asperum, despectum, plenum laboribus et fastidio ad instituendam puerorum catervam imperitam, incommodam, rudem, inurbanam? Nonne Benildes, licet statura pusillus, invictam animi virtutem iugiter ostendit? « Il « était très courageux dans les difficultés », ait testis V, cui concinit VI inquiens: « Il supportait très bien les contra« dictions et les épreuves de la vie »; itemque testis II declarare non dubitavit « que sa patience et sa résignation ne « se sont jamais démenties dans les différentes épreuves qu'il « a subies ».

55. Arduum certe praelium in eum commissum est: velut enim iis omnibus contingere solet qui concreditum sibi munus diligenter obire contendunt, regimen Sodalitatis quod Benildes maximo cum zelo in sibi commissa religiosa domo tenuit, innumeras ei persecutiones comparavit, indeque obiurgationes iniquas, convicia, iniurias vehementissimas passus est, quin unquam aliquo modo conquereretur; immo talibus in adiunctis, dicere solebat: « *Il faut bien faire quelque chose* « *pour gagner le ciel* »; vel haec alia repetebat: « *C'est* « *bien difficile de contenter tout le monde* ». Mirandum itaque non est si Benildes qui tantam animi fortitudinem in adversis praesetulit, sibi contrarios et se persequentes amaverit singularisque charitatis affectu eosdem prosequutus sit. « *Il oubliait toute offense* », edocet testis VIII; iamque vidimus superius quomodo Dei Famulus se gesserit erga virum quemdam Sodalitati infensissimum; in memoriam tamen revocare iuvat quod quum ille extremo morbo laboraret, « le « Frère Bénilde lui témoigna une grande affection. Il alla « même jusqu'à ensevelir le cadavre ».

56. Virili animo praeditum se iugiter exhibuit in aliorum regimine; quamvis enim benignitate eximia sodales et alumnos ad regularum observantiam allicere, et in officio omnes continere paterna charitate contenderet, ea tamen quae mandasset eos exequi volebat: « Il avait une grande énergie « (refert testis VIII), *il fallait absolument que l'on passât* « *par où il voulait* ». Eamdem animi alacritatem ac fortitudinem ostendit in docentis munere obeundo: etsi laboribus defatigatus, infirmitatibus debilis, variis negotiis implicitus, christianam tamen catechesim pueros edocere nunquam omittere voluit: « *J'ai fait vœu* (dicebat) *d'enseigner la jeu*« *nesse: j'irai jusqu'au bout. Si je meurs en faisant le* « *catéchisme, au moins je mourrai à la tâche* ». Neque adversis vel arduis in adiunctis animum despondebat, eumque continenter sibi ipsi aequalem vidisses: « *Je n'ai jamais* « *aperçu en lui* (ait alter ex testibus) *de marque de mau*« *vaise humeur. Il était d'humeur très égale* ». Et gloriosior in specie nostra tantae virtutis laus aestimanda est, siquidem agimus de viro qui naturam quammaxime sensibilem sortitus erat et ideo assiduum in se ipsum certamen agere continuamque sibi vim inferre coactus est: ita ut ea quae aliis naturalis videbatur patientiae virtus, pretiosus in Dei Famulo erat fructus qui ex heroica eius fortitudine germinabat, quemadmodum scite animadvertit testis XV. « C'était, de sa part, non l'effet d'une insensibilité de na« ture, car il était au contraire très sensible, *mais l'effet de* « *la pure vertu et du triomphe sur lui-même* ».

57. Vexationibus hominum accesserunt infirmitatis molestissimae dolores, queis ipse afflictatus egregia christianae patientiae specimina tradidit. « Il a eu beaucoup à souffrir « de sa maladie », edocet testis XXVI, idemque statim subdit: « Il a toujours été d'une patience admirable ». In morbis autem dignosci optime posse recteque aestimari virtutem de qua dicimus, vel ipse Seneca affirmat scribens: « *Non in mari tantum, aut praelio vir fortis apparet,* « *sed exhibetur et in lectulo virtus* » *(Apud Perald. in Summ. Virt. Tom. 4, pag, 6)*. Cuius rei rationem affert perbelle Angelicus Doctor, dum tradit quod in sanctis tantummodo hominibus « *facit virtus fortitudinis ut ratio non* « *absorbeatur a corporalibus doloribus: tristitiam enim* « *animalem superat delectatio virtutis, in quantum homo* « *praefert bonum virtutis corporali vitae et quibuscumque* « *ad eam pertinentibus* » *(S. Thom., 2. 2, quaest. 112, art. 5)*.

58. Argumentum alterum ad heroicam Servi Dei fortitudinem adstruendam habemus in constanti perseverantia, qua Servus Dei praestitit usque ad mortem in semita christianae perfectionis quam inierat. Laudatus enim Doctor in recensendis partibus integralibus fortitudinis post patientiam postremo loco memorat perseverantiam, quae definiri solet: « *continuatio boni operis usque ad finem* » *(Loc. cit., quaest. 128, art. unic.)*. Iamvero Benildes despexit atque animose quaevis obstacula vicit, ut perfectionis iter aggrederetur, eoque semel inito, constantissime usque ad extremam vitae horam in sancta virtutum exercitatione perseveravit, quin difficultates, contradictiones, discrimina, duriora usque certamina ipsum labefactare vel retardare valuerint. « *Ses* « *vertus ne se sont jamais démenties* », declarat testis I, cui adhaeret LV inquiens: « *Il faisait bien sa conduite de* « *chaque jour et ne s'est jamais démenti* ». Optime sane opinatur alter testis, nempe XV, dum ait: « A mon avis le « plus grand héroïsme consiste dans la persévérance depuis « le commencement jusqu'à la fin »; idemque haec alia statim subiicit verba: « *la persévérance a été complète chez le* « *Frère Bénilde: ce point est indiscutable* ».

CAPUT X.

DE TEMPERANTIA HEROICA.

59. Cum huius virtutis praecipuum officium sit « *Coërcere* « *et sedare cupiditates sive appetitiones sensuum* », ceu docet S. Augustinus *(De Morib. Eccl., cap. 19)*, dubitare non possumus quin Dei Servus temperantiae virtutem heroice excoluerit, quippe sui ipsius penitus oblitus nihil umquam corpori suo indulsit, sibique iugiter ea omnia denegavit, quae sensus solent vehementius appetere. Faciles proinde aures quisque accommodabit testibus, dum tradunt: « Il a « pratiqué la vertu de tempérance sous toutes ses formes « et dans toute sa perfection ». Declarat enim inter caeteros VI testis: « J'ai été souvent le témoin de la perfection avec « laquelle il pratiquait la tempérance ». Austerum vitae

genus quod Dei Servus elegerat, quotidianam ei praebebat occasionem in propriae voluntatis abnegatione se ipsum exercendi, siquidem quum se totum tradidisset puerorum institutioni, in eo obeundo munere usque ad finem perseveravit, quin adversae valetudinis incommoda, laboris diuturnitas, virium debilitas eum ab officii sui muneribus implendis vel paullisper detinere unquam valuerint. « Il ne s'est pas épargné « et a poussé le dévouement à l'égard des enfants, jusqu'à « cracher le sang, jusqu'à avoir des extinctions de voix ».

60. In cibo et potu absolutissimam sobrietatem servavit. « Il était très sobre dans le boire et dans le manger ». Quamvis aegrotus ieiunia omnia quae ab Instituti sui regulis indicebantur diligenter implevit, immo haec et alia ab Ecclesiae legibus praescripta ieiunia, nedum agebat libenter, sed multiplicare solebat. Quo magis charitatem in alios exercere studebat, in se maiori utebatur parsimonia. « Il était (habemus a teste VI) d'une charité extraordinaire « pour les autres; mais lui ne prenait presque rien ». Alter vero testis, nempe VIII, fatetur se nullum unquam cognovisse qui Dei Servo hac virtute praestitisset: « *Je n'ai pas « vu d'homme plus tempérant que lui* ». Revera extra mensam nunquam siti indulsit, quamvis ardentissimus fuisset calor et diuturna deambulatio; nunquam aliquid vel cibi vel potus ei oblatum ab aliis excepit: « quand il allait voir les « gens dans les villages, il n'acceptait jamais une goutte « de quoi que ce soit »; si quando, infirmus cum esset, ei meliora quaedam cibaria exhiberentur, illa cum aliis fratribus dividebat; etenim « jamais il n'aurait pris autre chose « que ce qu'on prenait à la Communauté ». Maiori autem in hebdomada medietate tantum alimoniae quae ipsi apponebatur vesci consuevit. Quam in cibo potuque temperantiam servabat, eamdem et in vestibus, quibus utebatur, constanter tenuit; eas enim obsoletas longoque detritas usu iugiter vidisses: « Sa soutane était toujours râpée; ses cha- « peaux toujours vieux ».

61. Neque satis illi fuit corpori suo omnia denegare oblectamenta, sed ulterius progressus est, namque « *Il avait la « réputation de faire beaucoup de mortifications* ». Frequentissime terram deosculabatur, etsi debilis infirmitatibus diu et absque fulcimine in Sacello manebat, cilicio et flagris carnem innocentissimam macerare atque affligere non recusavit. Quin immo saeviora adhuc in se agere Dei Servus optasset, nisi inconsultae severitatis studium confessarius ejus auctoritate sua temperasset. « Il était capable (edocet « testis XV), si son confesseur ne l'avait pas modéré, de « faire des mortifications nuisibles à sa santé, mais je n'ai « jamais remarqué d'exagération en lui ».

62. Magistri in christiana ascesi praestantissimi docent magni habendam non esse mortificationem externam nisi eam comitetur interna. Atque id quoque praestitit egregie Benildes, qui naturales sensuum proclivitates adeo omnes edomuit, ut in corde suo tantummodo Deus dominaretur: « *Quoique très vif, il savait se contenir* ». Iam in superiori titulo didicimus quomodo ipse a natura sortitam indolem devicerit et quomodo in difficilioribus vitae adiunctis se patientissimum exhibuerit, item vidimus qua animi tranquillitate se persequentes beneficiis rependerit, qua patientia in molestiis morbi tolerandis se praeditum exhibuerit et qua ratione in adversis et arduis adiunctis aequanimitatem imperturbatam servaverit. « Il était toujours de bonne humeur « quand on le trouvait », ait testis XXXIV, idque confirmatur a teste LV affirmante: « Il était d'humeur très égale ». Ne igitur diutius hac in re immoremur, quum in comperto sit Servum Dei omnes naturales proclivitates atque cuncta sensuum incitamenta magnanime ac feliciter vicisse, christiani herois laudem eidem tribuendam esse dicemus tradente Card. de Lauraea: « *Omnes fideles conantur penitus re- « primere passiones, sed paucissimi ad hoc perveniunt, « ideoque qui id assequuntur dicuntur heroes et similes « Deo » (Disput. 32, art. 6).*

CAPUT XI.

De Observantia Votorum.

63. Qui vitae commoditatibus ultro valedixerat ut Domini sequeretur consilia et cum ipso coelestis gloriae partem haberet, is profecto PAUPERTATEM dilexisse censendus est, quum evangelica haec virtus prae primis aeternae beatitatis a Christo Domino sponsionem obtinuisset. Et re sane vera, iurati testes non desunt qui affirment: « Le frère Bénilde « pratiquait personnellement la pauvreté jusqu'aux dernières « limites ». Item eorum alter testatur quod: « Il aimait et « pratiquait la pauvreté »; atque alius addit: « Il aimait la « pauvreté comme sa mère ». Solus Dei Famuli aspectus significabat quantum idem hanc virtutem diligeret. Vestes erant usu detritae, rudia atque obsoleta calceamenta, pileus omnino consumptus ob assiduum plurium annorum praestitum officium: omnia denique in eo singularissimum paupertatis studium redolebant. « Il raccommodait et lavait lui- « même (ait testis XXIV) ses bas et les nôtres, ainsi que « nos habits ».

64. Certe ex amore huius virtutis fiebat ut inter sodales illud sibi semper eligeret quod infimum ac magis abiectum foret; ut viliora munia ultro ac libenter obiret, atque minimas rerum omnium particulas colligere atque servare studeret: « *Il ne laissait absolument rien perdre* ». Et saepe solebat excitare fratres ut etiam ea quae erant usu permissa sibi aliquando negarent: « *Lui-même donnait « l'exemple et se retranchait tout superflu* ». Evangelicae paupertatis spiritum, per totum suae vitae curriculum, constanter in suo corde servavit et aluit; evangelicam enim perfectionem intendens, memorabat assidue Christi consilium et gesta Sanctorum, quae pro viribus imitari contendit.

65. Qui tanta morum integritate praefulsit et innocentiam in Baptismo quaesitam ad obitum usque illibatam servavit, de eo dubitare nefas esset num CASTITATEM sollicite custodierit. Et sane Benilde « *était chaste à un degré extrême* », omnesque eius actus angelicam animi puritatem significabant. Timebat prae morte quidquid candidum pudicitiae nitorem vel leviter valet obnubilare; proindeque nullam cautelam hac in re, uti superfluam dimittebat. Tantus erat viro castissimo amor verecundiae, ut cum olim sodalis ope, cauterium quoddam in eius brachio medicandum foret, « il s'entourait « des précautions les plus minutieuses pour que tout se « passât de la façon la plus décente »: assidue autem oblongam induebat vestem « pour dissimuler même le bas de ses « jambes ».

66. Neque de minimis hisce cautionibus ac diligentiis mirandum sane est, quum sit certandum cum hoste tam improbo; etenim Augustinus propria edoctus experientia declarat, quod hac in re « *quotidiana est pugna et rara victoria* », quare laudibus cumulandus Dei Servus qui a periculis cunctis diligenter cavere sategit: hinc oculis semper demissis incedere ipsum vidisses; a familiaritate quavis cum pueris et alumnis abhorruit, diebus festis e locis mundani clamoris longe abire suevit. Quod si cum mulieribus ob aliquam necessitatem vel gravem causam agere debuisset, tum « il se tenait toujours à distance respectueuse, « les yeux baissés, ayant un compagnon avec lui, ou si par « hasard il se trouvait seul, laissant la porte du parloir « ouverte ».

67. Nitebat, coram omnium oculis, intaminatae illius pu-

dicitiae candor, solusque Dei Famuli aspectus talis erat ut mirifice valeret ad omnes illico ad officium revocandos. Ex actis enim docemur: « *Les anciens élèves qui se trouvaient* « *en mauvaise compagnie s'enfuyaient à sa vue* ». Satis nobile decus adeptus esset Dei Famulus si a saeculi periculis alienus, sibi uni prospexisset floremque intactam virginitatis suae servasset; ast ille ulterius provectus est, atque eos quos suis curis commissos habuit ab impuri vitii labe immunes custodivit: « En communauté (ita testis XV) il ne « souffrait, de la part des Frères, aucune parole ni aucun « geste qui ne fût selon la modestie. Les enfants le savaient « et, quand ils étaient sous son regard, ils se tenaient à « merveille ». Duplicem itaque laudem Benildes noster meretur, quippe qui non modo virginitatis suae, sed etiam alienae pudicitiae, quantum eius patebat vis et auctoritas, custos fuit diligentissimus.

68. Etsi vero alte in animo defixum haberet divini Praeceptoris effatum « *Beati mundo corde* », haud tamen oblitus fuerat nullum Deo acceptius holocaustum homines posse offerre, quam propriae voluntatis, idque fieri per OBEDIENTIAE virtutem, quae ab Angelico Doctore definitur: « *Virtus quae* « *propriam hominis voluntatem promptam reddit ad im-* « *plendam voluntatem alterius* » (*2. 2, quaest. 104, art. 2*). Quantopere hanc virtutem Dei Famulus excoluerit, satis declaratur a teste XI dum inquit: « *Le Frère Bénilde a* « *pratiqué l'obéissance dans toute sa perfection* ». Voluntatem suam Superioribus omnino subiecit eorumque verba ipse veluti evangelica effata aestimabat. Si ipsorum aliquando epistolas excepisset, Sacellum illico ingrediebatur ibique genua flectebat « afin de conformer d'avance sa vo- « lonté aux ordres que contiendrait la lettre ». Idem medici praescriptionibus obediebat religiosissime, quamvis remedia ab iisdem praescripta inania prorsus et inutilia perspiceret. Hinc quum ad balnea iturus esset, ut medici iussioni pareret, aperte declaravit: « Oh! *c'est bien par obéissance* que « je vais là, parce que ces eaux ne me font rien ».

69. Huius virtutis praestantiam optime noscens, non praetermittebat eam saepius aliis inculcare, et quamvis in suis hortationibus paterna semper benignitate uteretur, nihilominus obedientiam ab omnibus sibi subditis servari exigebat, non tam vocis imperio quam exemplo suo regularem observantiam promovere satagens. Praeclara hac de re in actis testimonia prostant: « Son observation de la règle ne s'est « jamais démentie, et je considère (ait testis VII) cette cons- « tance comme héroïque ». Alius autem fatetur: « Je ne l'ai « jamais vu manquer en quoi que ce soit à aucun de ses « vœux ». Atque alius refert: « Des Frères qui l'ont connu « disaient de lui que c'était une règle vivante ». Et nihilo tamen secius Benildes quum prope ad mortem adductus foret, « s'étant fait apporter le livre des Règles, il se mit à « pleurer, disant qu'il ne les avait pas assez bien observées ». Hoc quidem est perfectae obedientiae proprium, quae, ut docebat S. Bernardus: « *legem nescit, et terminis non* « *coarctatur, neque contenta angustiis professionis lar-* « *giori voluntate fertur in altitudinem charitatis et ad* « *omne quod iniungitur, spontanea alacrisque animi* « *modum non considerans, ad infinitam libertatem exten-* « *ditur* ». (*De praecept. et dispensat. cap. 9, in princ.*).

CAPUT XII.

DE HEROICA HUMILITATE.

70. Disserendum postremo loco de humilitate est, quamquam haec virtus aliarum omnium principium ac fundamentum debeat merito iudicari. Scite namque Cassianus docet: « *Nullo modo poterit in anima virtutum structura* « *consurgere, nisi prius iacta fuerint verae humilitatis* « *in nostro corde fundamenta, quae firmissime collocata* « *perfectionis et charitatis culmen valeant sustinere* ». (*Instit., lib. 12, cap. 32*). Si itaque egregias ac sublimes virtutes, quibus Dei Famulus praefulsit, attente consideremus, merito arguere possumus ac debemus ipsum accurate et perfecte humilitatis virtutem coluisse; idque passim testes affirmant aientes: « *son humilité était parfaite* ». – « *Cet homme était très humble* ». – « *Il était très* « *humble* ».

71. Neque peculiaria argumenta ad heroicam Servi Dei obedientiam adstruendam deficiunt: nam quid quaeso est humilitas? Docet Bernardus: « *Humilitas est virtus qua* « *homo verissima sui cognitione vilescit* ». Ex hac verissima cognitione fit, ut homo agnoscat se peccatis non carere, de se admodum demisse sentiat, minimis mortalium sese adnumeret, imo caeteris se posthabendum arbitretur, idque haud gravate profiteatur. Sic animo comparatum fuisse Dei Servum, hos animi sensus verbis et factis ab eo fuisse significatos, testes in actis rogati luculenter ostendunt. « Il « était humble (edocet testis XIV), se regardait comme le « dernier de tous et disait quelquefois: Je n'étais bon qu'à « faire un cuisinier, et encore! » Confirmabat Dei Famulus factis ea quae ore loquebatur: namque res infimas et peiores sibi semper reservabat, se peccatis onustum profitebatur, cumque ad sacrum poenitentiae Tribunal accederet: « Il se frappait la poitrine, comme s'il eût été le plus grand « pécheur du monde »; se religiosis vestibus declarabat indignum suamque vocationem speciali Dei gratiae tribuendam dicebat: « dont il lui serait reconnaissant toute sa vie ». Hinc si quando preces eius expeterentur, ipse ad Fratres conversus aiebat: « Regardez, on vient nous demander nos « prières; on nous regarde comme des saints, et cependant « nous ne valons pas grand'chose; prions tout de même: « Dieu récompensera la foi de ces gens-là ». Quasi consilii inops in rebus agendis aliorum sententiam exquirebat sibique nihil tribuens, ultimum semper locum eligere adamabat, vilia obire officia atque eorum qui erant sibi subiecti lintearia reficere in deliciis habebat. Paucis: « Il se considérait comme le moindre de tous ses Frères et le serviteur de tous ». Exinde quoque sequebatur quod Benildes a laudibus vehementer abhorreret: quod si ab aliis quandoque laudaretur de suis operibus, ipse eloquium in aliud converteret solerter, et laudatoribus aliquando dicebat: « *Vous faites du bien* « *mille fois plus que moi* ».

72. Praeter demissam sui aestimationem humilitatis hoc esse proprium S. Alphonsus edocet, ut quis tum dona divinitus accepta, tum omnia quae in propriam commendationem verti possent, aliis diligenter occultet, omniumque laudem referat Deo (*Glorie di Maria, part. II, § 1*). Quam egregie Dei Famulus id sit exequutus, iam ex iis quae diximus manifestissime coniicitur; quomodo enim quivisset de se gloriari divinisque muneribus ditatum se dicere, qui se ipsum pessimum e peccantibus profitebatur et quamlibet humanam laudem ex animo aspernebat? Enarrant praeterea testes, quod ob eximium humilitatis studium sodalibus desiderium pandit, ne post suum quidem obitum breves vitae suae notitiae, veluti erat in Congregationis more, vulgarentur. « Il « avait exprimé le désir (ait testis VII) qu'il n'y eût ni « compte-rendu ni notice biographique sur lui, après sa « mort, contrairement aux usages de notre Institut ». Referunt etiam quod Sodalibus alumnisque suis tribueret meritum caelestium favorum, quos post fusas preces a Deo impetraverat. « Quand on venait le remercier (inquit testis XXII) « pour une grâce obtenue, c'était toujours à ses élèves qu'il « attribuait le mérite de cette grâce ». Edocent denique quod si in ecstasim raptus aliquando deprehenderetur, statim ad

naturalem se componere statum conabatur, ne huius charismatis fama effundi quivisset. « Je l'ai surpris (narrat testis « XXI) bien des fois dans des actes de véritable extase. Quand « il était surpris ainsi, il tâchait de se remettre ».

73. Praecelsum christianae humilitatis gradum, S. Alphonso auctore, ille attingit qui aliorum insectationibus, contemptu et iniuriis (quibus plurimi mortalium commoveri solent) minime gravetur, immo ea omnia diligat, amplectatur et, quatenus prudentia sinit exquirere studeat. Ad hoc humilitatis fastigium Benildes noster, Deo iuvante, pervenit, quemadmodum edocet testis XXII dum ait: « Il se réjouissait d'avoir « été méprisé; à le voir, il semblait qu'il en éprouvait une « grande joie ». Huc revocanda sunt omnia quae, data occasione, in aliis titulis delibavimus de aequanimitate, qua Dei Servus hominum vexationes, obiurgationes iniquas, iniurias acerrimas perpessus est. Haud raro contigit ut qui eum contumeliis affecerant, praecipuam eius benignitatem charitatemque exquisitam experti sint.

74. Neque semel tantum humilitatis studio se obnoxium erroribus ostendit: « Voyez (dicebat), j'avais le livre sous les « yeux, et cependant j'ai fait plus de fautes que les autres »; pueros, qui debitum in ipsum non praestitissent obsequium, per quantum fieri posset, reprehensione vacuos relinquebat: « Certains enfants (ait testis X) lui manquaient d'égards. Si « cela ne portait pas atteinte à son autorité, il ne leur disait « rien »; si quando ob sui corporis formam et habitum forte ab aliis irrideretur, ipse hilaris factum enarrans, addebat: « ils avaient bien raison de s'amuser à mon aspect ». Neque satis; publicis enim variisque mortificationis actibus se ipsum coram aliis humiliare quavis industria sategit: « Il aimait « (ait testis XXII) à faire des mortifications et à s'imposer « des humiliations, à manger à genoux au réfectoire, à prier « à genoux les bras en croix, dans les allées ». Tum in templo, tum domi saepissime terram deosculabatur: « Il baisait sou- « vent la terre par humilité soit à l'église, soit à la maison ». Haud immerito igitur testes Dei Servi humilitatem amplissimis extollunt laudibus, neque temere eorum primus virtutem hanc absolutissime ab illo fuisse excultam affirmavit inquiens: « *Je déclare que son humilité était parfaite* ».

CAPUT XIII.

De donis supernaturalibus et miraculis in vita.

75. Neminem profecto latet munificentissimum saepe se praebere Deum erga eos, qui ipsi fideliter serviunt, eorumque virtutum decus cumulatius efficere additis supernis charismatibus, quibus commoti homines suspiciant ac revereantur illos quos tamquam exemplaria sibi proposita debent imitari. Divina autem gratia, quae christianos heroes prae aliis replet et ad alacrius agendum confortat mirabilibus quibusdam signis divinam originem suam videtur portendere: « *Dei amici* (inquit S. Laurentius Iustiniani) *tamquam perfectiores, sicut uberiori replentur gratia, ita potioribus ornati sunt donis* » *(De cast. connub. verb. et anim., cap. 17)*. Non defuit Benildi nostro hic supernaturalium munerum ornatus. In actis enim narratum legimus quomodo arcana cordium et conscientiae secreta cognoverit. Ex quo fiebat quod iis qui erant moerore affecti causas anxietatis detegeret iisque remedia aptissima ad erigendum animum suppeditaret; fiebat etiam ut opportuna cuique traderet consilia, verasque alumnorum vocationes discerneret. Hoc Benildis singulare donum adeo moderatoribus eius notum ac perspectum erat, ut si forte de aliquo in Fratrem cooptando dubitassent, Dei Servi sententiam exquirerent. « Les Supérieurs « (ait testis XV) lui confiaient souvent les sujets dont la vo- « cation leur paraissait douteuse ».

76. Eodem lumine ei caelitus indito compertos habebat eventus futuros eosque aliquando aliis manifestavit. Hinc cuidam Fratri Namaso praedixit eum fore Rectorem in pago *Saugues;* valetudinem aut mortem puerorum aegrotantium saepissime praenuntiavit; ita cuidam matrifamilias tum eius puellae tum sui ipsius obitum vaticinatus est: « Votre en- « fant (ait ipse) va mourir; moi aussi; nous nous trouverons « au paradis. De fait (sequitur testis LXVII) l'enfant mourut, « et quelque temps après le Frère Bénilde ». Omnia quae proxime eventura Servus Dei indicaverat, eventu semper confirmata esse ex iudicialibus actis rescimus.

77. Ex iisdem actis pariter edocemur quod Dei Famulus « *a eu le don des miracles* ». Et sane homines gravissimis implicitos morbis ad sanitatem perfectam suis interpositis precibus reduxit, puerumque aegrotum, ad quem Benildes adductus fuit, vix impositis illi manibus, valetudini restituit. Uti prodigiosa quoque exhibetur horribilis incendii extinctio, quam memorat testis LII. « Il éteint un incendie en jetant « dans le feu son scapulaire ».

78. Superno item muneri tribuendam esse reor intimam illam unionem quam cum Domino suo assidue servabat: « Il « vivait en union intime avec Notre-Seigneur »; tribuendae superno muneri illae extases, queis inter orandum recreatus saepe fuit: « Il était extasié quand il était en prière »; tribuendum muneri superno quod si patientis Iesu Christi historiam alumnis referret, totus in lacrymas dissolveretur: « Je (testis XXII enarrat) l'ai vu pleurer devant les élèves « en nous racontant la passion de Notre-Seigneur ».

CAPUT XIV.

De Fama sanctitatis in vita.

79. Superna munera, quae nuper recensuimus, virtutibus eximiis consociata, quibus Servus Dei praeclarissime enituit, eam genererunt sanctimoniae famam qua vivens, nedum apud sodales et alumnos, sed penes omnes qui eum noverunt, maxime floruit. « *Il avait la réputation d'être un* « *petit saint; petit de taille, mais grand de sainteté* ». Neque mirum: ea enim est virtutum praestantia ut quoslibet sibi obsequentes devincat omniumque ad se animos mirifice pertrahat. Praeclara testimonia in actis prostant. « On peut dire, sans crainte de se tromper (ait testis XIII), « que toutes les personnes qui ont connu le Frère Bénilde « l'ont regardé *comme un saint* ». Atque testis XV: « Il eut, « de son vivant, la réputation *d'un saint* ». Pariter testis XV: « La réputation du Frère Bénilde de son vivant était excel- « lente. On le considérait *comme un saint* ».

80. Alia non desunt testimonia, quae dubitationem quamlibet repellunt de humano studio vel industria ad hanc sanctitatis opinionem promovendam forte adhibitis, eiusque legitimam originem in aprico ponunt. Admirabilis innocentia vitae, accuratissima observantia regularum, christianarum virtutum exercitatio tamquam causae et fontes designantur, unde communis opinio processit atque in dies magis magisque invaluit de eximia Benildis nostri sanctimonia. « Sa grande « réputation venait de ce que sa vertu était plus qu'ordi- « naire », asserit testis III: quod et alii confirmant affirmantes: « C'était sa conduite de tous les jours qui avait fait « sa réputation ». Atque etiam: « Cette réputation ne venait « que de son travail et de ses œuvres de tous les jours. « Elle ne venait pas d'ailleurs ». Itemque: « Sa réputation « n'avait pas été obtenue par des moyens factices: elle venait « de sa vertu et du bien qu'on le voyait faire ».

81. Tale erat Servi Dei virtutum et sanctitatis iubar, ut pulcherrimam undique lucem effundens non tantum Fratres Congregationis in sui admirationem traheret, sed prope universos, qui eius consuetudine usi fuerant. Et re quidem vera, adeptus erat sanctimoniae laudem nedum apud alumnos, qui

eum singulari dilectione prosequebantur eumque, studiis absolutis, plurimos post annos grata recordatione memorabant, nedum in pago *Saugues* ubi ipse morabatur, omnesque indiscriminatim eum sancti compellatione designabant, sed etiam aliis in locis ac praesertim in finitimis regionibus eadem existimatione fruebatur. « Toutes les paroisses envi« ronnantes (refert testis VIII) en avaient la même opinion. « Il jouissait de cette réputation auprès de tout le monde « indistinctement »: ita ut omnes consalutarent eum per vias transeuntem, eumque veluti sanctum indicarent, omnes cum eo alloqui gestirent, omnes ad eum in suis necessitatibus confugerent: quin immo quandoque aegrotantes pueri adducebantur ad ipsum ut per eiusdem preces sanarentur. « Je « n'irai pas jusqu'à dire (ait testis XV) qu'on le prit pour « un thaumaturge; mais on avait toute confiance en l'effi« cacité de ses prières ». Neque haec fiducia unius vel alterius erat, siquidem omnes dictitabant: « Il est plus puissant « que tous les médecins ».

82. Neque agebant haec atque praedicabant tantummodo gentes vulgares et ignobiles; etenim Sacerdotes, Curiones, sacrorum Antistites, Auctoritates quoque Municipales testimonium singularis obsequii et venerationis Dei Famulo saepius exhibuerunt. Is fuit sanctitatis eius splendor, atque adeo nomen eius inclaruerat, ut civilis potestatis administri publicae seditionis tempore, ipsum de suo patrocinio spoponderint; ut homines religionis ac virtutis minus studiosi eum magna in aestimatione haberent atque venerarentur; ut ipsimet eius adversarii et inimici maximum ipsius virtutis meritum agnoscerent atque profiterentur. Quapropter haud immerito testis XXXI affirmare non dubitavit: « *Il avait « auprès de tout le monde la réputation d'un saint* ».

83. Universalis haec sanctitatis opinio et fama nullo tempore deferbuit vel elanguit, sed Benildem nostrum usque ad obitum comitata et sequuta est: « Jusqu'à la fin il a été « estimé et aimé de tout le monde ». Porro haec famae celebritas et perseverantia licet directam virtutum heroicarum Servi Dei demonstrationem non exhibeat; eam tamen quam superius tradidimus perbelle confirmat, neque dubitare sinit quin in sancta exercitatione vir ille excelluerit, qui tantam de se opinionem tantumque sui desiderium apud omnes excitavit, ut felices passim se dicerent qui eum noverunt dumtaxat vel viderunt. « *Cet homme laissait après lui comme « une espèce de charme; on était heureux de l'avoir vu* ».

CAPUT XV.

De pretioso Obitu, Concursu ad funus et Humatione Servi Dei.

84. Ad illud expendendum iam nostra deflectit oratio, quod *maxime* et *praecipue observandum* esse sapientissimae leges iusserunt; Benildis nimirum ex hoc mundo discessum attente consideremus oportet, num sanctissimae vitae in Dei amore anteactae plane responderit, quia *cum exitus acta probet, si finis vitae illustris et sanctimonia plenus, et publica praesertim testificatione sit notatus, argumentum erit, quod actiones anteactae potuerunt esse sanctae*, uti constituit summus Pontifex Urbanus VIII. Et merito quidem, nam sancti viri, veluti in prospectu iam positi beatae aeternitatis, dum ex hac vita migrant, praeclariora edere solent suae argumenta virtutis tamquam miles in extremo agone positus et ad spolia vocatus. Porro vitae ratio, quam Dei Famulus constanter duxit, dubitare nullatenus sinit, quin eius ex hoc mundo migratio fuerit in conspectu Domini pretiosa, clamante Augustino « *non potest male mori qui bene vixit* »; neque in actis testimonia desiderantur quae apertissime doceant illustrem fuisse eius vitae finem, sanctimonia plenum et publica testificatione notatum; adiuncta singula diligentius exponere praestat.

85. Atque ut a morbo incipiamus, statim occurrunt testes aientes: « *dans tout le cours de sa maladie, il a été ad« mirable* ». Diuturnos ac molestissimos rheumatismi dolores Servi Dei patientiam exercuisse iudiciales tabulae in primis ostendunt, eodemque morbo Benildes acrius afflictabatur quum anno 1862, exeunte mense Maio, in solemnitate sacra adventui Spiritus Domini, postrema infirmitas ipsum aggressa est. Proximam videntes calamitatem puerorum precibus Fratres commendarunt infirmum omnibus carissimum, qui, re cognita, aliquot post dies non sine corporis molestia ac dolore se contulit ad scholam ut gratias discipulis ageret. « Mes petits « enfants (ait), je sais que vous priez pour moi et je vous « en remercie. Mais vos prières sont inutiles, je sais que « le bon Dieu m'appelle à lui, et je prierai pour vous, s'il « me fait miséricorde ». Aegritudines pressus non desiit aliis emolumento esse, siquidem rarum exhibens humilitatis exemplum ad sodalium reficiendas vestes intendit, donec a morbo prohibitus est. Vigesimo autem circiter die antequam Deo spiritum redderet, innixus brachio Fratris qui tunc eius curae addictus erat, voluit se conferre ad templum, ubi provolutus in genua ferventer oravit. Rediens autem ad cellam suam, dixit illi quem habebat socium: « C'est la dernière fois « qu'on me conduit à l'église, la prochaine fois on m'y « portera ».

86. Interea si quis ab eo doloribus non intermissis excruciato efflagitasset, quomodo sese haberet: « Ce n'est rien, « (respondebat) il faut bien souffrir quelque chose pour « l'expiation de ses vieux péchés »: et frequenter eum audisses dicentem: « Notre-Seigneur a bien souffert, pourquoi « nous plaidrions-nous? » Quod ore proferebat facto confirmabat, nam per duos menses et amplius, quibus perduravit morbus: « *il n'a jamais donné le moindre signe d'impa« tience* ». Sed vero aliorum potius memor manus deosculabatur omnium, qui ei quovis modo inservirent, eisque amplissimas agens gratias pollicebatur se Deum pro ipsis deprecaturum in coelis ».

87. Caeterum assidue manebat in oratione ferventissima veluti absorptus, cumque morbus lethalem vim suam magis magisque explicasset, ac Dei Famulus omnia et singula pronunciare verba non valeret amplius, rosarium Mariale prae manibus habens: « *Il égrénait le chapelet en se contentant « de dire sans interruption: Ave Maria* ». Postremis quoque iis diebus voluit, ut sibi daretur liber, ubi Congregationis regulae continebantur, quo habito, copiosas in lacrymas effusus et profundae humilitatis sensibus permotus ultro fassus est illis qui aderant: « *Je pleure de ne pas les avoir assez « bien observées* ».

88. Dies illuxerat Augusti tertia decima, quum Dei Servus qui ferme quotidie Angelorum se cibo refecerat, caelestibus absumptis dapibus et Sacramentis morientium admirabili animi fervore susceptis, in gratiarum actione versabatur, manibus coniunctis piamque aspiciens imaginem inibi extantem, ad instar placide obdormientis, ex hac vita ad superos emigravit: « Il expira sans effort, sans agonie, joignant les mains et « fixant une image de piété ». Mortis nuncio pervulgato, spontaneus et assiduus factus est ea die, usque ad vesperum, concursus ad cubiculum, ubi demortui corpus prostabat, omnesque sancto quodam certamine vel res aliquas, pietatis causa, Dei Famuli exuviis admovere conabantur, vel particulas vestium diripere studebant, eiusque virtutes egregias et sanctimoniam uno veluti ore collaudabant. Et perduravit pie invisentium frequentia die insequenti, quo demortui corpus in collocutorio religiosae domus expositum mansit.

89. Postridie vero ad funus celebrandum adeo ingens con-

venit multitudo gentium ut eam capere templum non posset; et quamvis copiosus a coelo decideret imber universi tamen pagi illius incolae innumerique ex viciniis, praeeuntibus Auctoritatibus Municipalibus, comitati sunt exuvias Dei Famuli usque ad humationis locum, dum plures ex eius alumnis vicissim sibi contendebant honorem deferendi feretrum demortui, quem viventem sincerae dilectionis affectu prosequuti fuerant. Non valuit temporum iniquitas, neque in religiosos viros inimica vis confertum cohibere agmen ab exhibendo spontaneae venerationis testimonio in hunc virum singulari humilitate insignem popularique fama celebrem. Talis erat funebris illa pompa, ut melius dici triumphus potuisset; etenim: « La tête de la procession était déjà au cimetière « que le corps était encore à l'église; *il y a environ un « kilomètre* ». Omnes interea lugebant Fratrem amantissimum, quem ad vitam revocare exoptassent: « Tout le « monde plaignait le pauvre Frère... si on avait pu le res- « susciter, on l'aurait fait ». Anno 1884 Dei Servi corpus in honestiorem translatum est locum, ac tunc quoque qui aderant praeclara ediderunt venerationis signa: nimirum « Ils se disputaient les vêtements qui entouraient son corps ».

CAPUT XVI.

De Fama sanctitatis post Obitum.

90. Nemo sane qui memori mente omnia recolat, quae hucusque de Servi Dei virtutibus, sanctitatis fama et pretioso obitu exposuimus, inficiari poterit plenissimam fore adhibendam fidem testibus asserentibus: « *La réputation « de sainteté dont jouissait le Frère Bénilde n'a fait que « s'accroître après sa mort* »: etenim dum fama impiorum desinit cum sonitu, beata iustorum recordatio celebratur in aevum, merito laudum praeconio honestatur, hominumque ore undique propagatur. Id in actis testatum legimus obtigisse Dei Servo, qui « a été regardé comme un saint après « sa mort comme de son vivant ». Et nedum in pago *Saugues* eiusque viciniis Benildes habetur veluti sanctus, sed communis de eius sanctimonia opinio mirifice in alias quoque regiones diffusa est atque augetur in dies. « Sa réputation « (ait testis XXIII) a été *encore mieux* que de son vivant, « si je puis parler ainsi. Cette réputation s'est répandue et « on l'a regardé comme un saint ».

91. Commune desiderium, quod Dei Famulo vix demortuo, inter oppidanos excitum est eius vestium particulas obtinendi, ut reliquiae ad instar asservarentur, deinceps non quievit, nec temporis lapsu elanguit: etenim assidue eius reliquiae expetuntur et ab exteris quoque gentibus ad Fratres petitiones perveniunt, ut quidpiam ex Servi Dei lipsanis devotionis gratia concedatur. Praesertim vero quaedam Christi Iesu e Cruce pendentis imago, quae ei diuturno in usu fuit, avide ab infirmis exposcitur et per eam plurima impetrata esse ac impetrari beneficia asseritur; patrocinium enim eius fidenti animo invocatur in necessitatibus et frequenter novendiales instituuntur preces ut per eius intercessionem tum a morbis sanationes, tum alii favores a bonorum omnium Largitore obtineantur. Testis XXIX, qui nuper memoratam Christi Iesu effigiem pie asservat, diligenter aegrotorum nomina recenset, queis ipse illam tradidit et qui ex ea sanitatem assequuti sunt. Enarratur praeterea in actis medicum Tardieu, qui aegrotanti Dei Servo fuit a curatione, ipso demortuo dixisse: « J'ai un protecteur dans « le paradis, car je viens de soigner un saint ». Et merito quidem: etenim R.mus Saugues qui Benildis conscientiam plurimos per annos moderatus fuerat quique omnium gravissimum de eius sanctimonia testimonium perhibere poterat, excitabat omnes ad ipsum invocandum potius quam ad orandum pro eo: « *Ne priez pas pour lui* (clamabat), *in- « voquez-le* ».

92. Non est igitur mirandum si frequens sit invisentium numerus, qui ad tumulum Dei famuli accedunt ibique genibus flexis opem in necessitatibus ab eo maxima cum fiducia deprecantur. Si fidem adiungimus illi, cui custodia loci concredita est, ingens vere est multitudo quae saepe convenire illuc studet. Concursu autem invalescit diebus Dominicis, quando scilicet omnibus patet aditus ad sepulcri locum. « Beaucoup de personnes (ait testis XI) s'y rendent, « même en grand nombre, particulièrement le dimanche, le « cimetière n'étant ouvert au public que ce jour-là ». Neque infimus tantum populus ad Benildis exuvias confluit, sed etiam viri gravissimi, doctrina, pietate et dignitatibus eximii, quos partim movet in sepultum virum admiratio et pietas, partim grati animi sensus propter beneficia per eius intercessionem accepta. Quin immo homines mundani et officiorum pietatis negligentes, iique ipsi qui a recto religionis tramite aberrarunt, optime de Benilde nostro sentiunt, quemadmodum asserit testis XII: « Même ceux qui sont démoralisés, au « fond de leur cœur continuent à l'estimer ». Eo progressa est populi fiducia in Dei Servum, ut fideles soleant herbas evellere quae prope tumulum virescunt, iisque utuntur ad conficienda remedia pro sanandis infirmitatibus. « Les gens « y tiennent et viennent prendre cette herbe pour en faire « des remèdes ».

93. Cum autem haec fama et sanctitatis opinio egregias Dei Famuli virtutes uti causam et fundamentum habuerit, labentibus annis, quin elanguesceret, magis magisque viguit et confirmata fuit. « L'opinion qu'on avait de sa sainteté « (edocet testis VIII) a persévéré après sa mort et persé- « vère encore ». Addit vero testis XIV « *que la réputation « de sainteté du Frère Bénilde ne fait que grandir* ». Perseverantis ac percrebrescentis famae documentum exhibent splendidissimum tum petitiones a compluribus, verbis scriptisve expressae, ut Causa Beatificationis susciperetur, tum epistolae postulatoriae ad impetrandam signaturam Commissionis introductionis Causae a viris nobilissimis ad supremum Ecclesiae Antistitem datae, nostrique Summarii tabulis adiectae.

CAPUT XVII.

De Gratiis et Miraculis post Obitum.

94. Quod relatum in actis reperimus de plurimorum fiducia, qui antequam Dei Famulus ex hoc mundo migraret, dictitare de ipso coeperant: « *Quand ce Frère sera mort, « nous obtiendrons de grandes grâces par son inter- « cession* », id plane contigisse, eorumque spem non fefellisse rerum eventus, testes in iisdem actis rogati edocent. Etenim inter causas celebritatis qua Servi Dei nomen insigne evasit, recensentur beneficia non pauca et prodigia, quae ipso intercedente, ab Omnipotente Deo patrata feruntur. « Sa réputation de sainteté (ait testis X) s'est accrue après sa mort, car il s'est opéré plusieurs prodiges par son inter- « cession ». Singula persequi praesentis disceptationis ratio nec exigit nec sinit; idcirco unum et alterum ex praeclarioribus quasi speciminis gratia innuimus, legendi cupidos ad Summarii tabulas delegantes, ubi multa alia reperient a testibus locupletissimis relata.

95. In actis narratur de Sorore e Tertio Ordine S. Dominici, Maria Mazet, quae cum a pluribus annis veluti iacere cogeretur ob paralysim gravissimam, transeunte funere Dei Servi, huius intercessione fidenti animo implorata, illico e lecto prosilit, deambulat, perfecteque ex eo morbo se sanatam persentit. Narratur item de viro quodam, nomine Charbonnier, qui anno 1896 vehementi pectoris morbo cor-

reptus est, cui ardentissima febris accedebat, remediisque omnibus incassum adhibitis, eo pervenerat infirmitas, ut, ipso dicente medico, quamlibet fore abiiciendam sanationis spem omnes censuerint. Tunc, invocato Benildis auxilio, res adeo in melius conversae sunt, ut qui prope moriturus videbatur, brevi perfectam sit assequutus valetudinem. Narratur etiam de Fratre quodam a Scholis Christianis, cui nomen Nesterius Aemilius, qui duplici affectus hernia molestissimis torquebatur doloribus. Hinc cum esset in pago *Saugues* fervida prece se Dei Famulo commendavit, ut aliquod saltem levamen e tantis cruciatibus posset habere: at idem per salebrosas illius pagi vias miserrime ruit, ita ut pessimam conditionem suam peiorem adhuc effectam putasset. Verum mirabile dictu! « *Je m'aperçus* (refert ipse « idem) *que la hernie avait tout à fait disparu* ». Et medicus obstupescens, scriptis testimonium suum tradere non dubitavit aperte sanationem ab ea infirmitate mirabilem et nullis remediis humanis assequi potuisse: « *Je ne connais* « *pas* (sunt eius verba) *de remède efficace contre la hernie* « *que l'opération* ».

96. Plura alia quae in actis leguntur, uti iam innui, brevitatis studio praetereo; siquidem iam satis haec perspicue solideque demonstrant Dei Famulum splendido hoc sanctitatis signo mirifice a Deo fuisse illustratum, tradente Angelico Doctore: « *Miracula fiunt ad demonstrationem san-* « *ctitatis alicuius, quem Deus vult proponere in exem-* « *plum virtutum* » *(2. 2, Quaest. 178, Art. 2).* Atque S. Gregorius docet: « *Quemadmodum vita hominis in cor-* « *pore existens cognoscitur per motum membrorum, ita* « *quoque vita animae de corpore egressae ex miraculis* « *cognoscitur* » *(Lib. 3. Dialog. cap. 6).*

97. Hinc spes in nobis augetur fore ut aliquando inerrabili Ecclesiae iudicio Dei Famulus inter caelites christianae gentis ac praesertim puerilis aetatis patronos accenseatur; atque interim magis magisque Sacer hic Ordo moveatur, ut pro signanda Commissione propitium ferat suffragium, quemadmodum obsequenter efflagitamus una cum eximio Postulatore Causae Fr. Robustiano, qui vota depromit universae beneficentissimae Congregationis a Scholis Christianis, quae dum nuper Fundatorem Patrem suum ad supremos coeli honores evectum vidit, modo et Fratri amantissimo eamdem viam patefieri exoptat, nedum ut geminatis gaudiis Sodalium animus hac temporum acerbitate pressus relevetur, sed potissime ut domesticum habeat exemplum alumnorum suorum imitationi exhibendum.

Quare, etc.

Die 28 Februarii 1901.

Angelus Adv. Mariani
Adulphus Guidi

Revisa:
Alexander Adv. Verde
S. R. C. Assessor et S. Fidei Subpromotor.

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

Determinantur indulgentiae concessae Orationi « O Gesù mio Salvatore,... ».

URBIS ET ORBIS.

Anno nuper elapso prodiit primum Viennae in Austria, lingua germanica exarata, et dein Parisiis in gallicam versa, pagella quaedam referens, ad reprimendos schismaticos conatus cuiusdam sectae « *Los von Rom* » nuncupatae, orationem illam, quae incipit verbis: « *O Jesus, mein Heiland und Erlöser, etc.* », quaeque sequens monitum praesefert: « Sanctitas Sua Leo Pp. XIII omnibus Christifidelibus « genuflexis et pie hanc orationem recitantibus tercentum « dierum indulgentiam concessit; et vigore Rescripti diei 27 « Octobris 1902 indulgentiam plenariam omnibus, qui prae- « dictam orationem recitaverint et S. Synaxi fuerint digne « refecti; quae indulgentia applicari poterit animabus Pur- « gatorii ».

Deinde vero dubium propositum fuit: Utrum, nempe, talis indulgentia plenaria acquiri possit *semel in die*, uti habetur de precibus: « En ego, o bone et dulcissime Iesu, etc. », an verius *semel in mense* tantum?

Porro S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, attento tenore Rescriptorum diei 15 Februarii et 27 Octobris anni 1902, quibus Indulgentiae memoratae Orationi adnexae fuerunt, declarat:

Universis Christifidelibus devote recitantibus Orationem, quae in italicam linguam translata ita sonat: « O Gesù, « mio Salvatore e Redentore, Figlio del Dio vivente, eccoci « qui, prostrati ai tuoi piedi, Ti domandiamo perdono e « facciamo atto di riparazione per tutte le bestemmie contro « il tuo santo Nome; per tutte le ingiurie che ti vengono « arrecate nel Santissimo Sacramento dell'Altare; per tutte « le irriverenze verso la tua Santissima Madre Immaco- « lata; per tutte le calunnie contro la tua Sposa, la Santa « Madre Chiesa Cattolica. O Gesù, Tu che dicesti: « Tutto « quello che chiederete in mio Nome a mio Padre, ve lo « concederò », noi ti preghiamo e supplichiamo per i no- « stri fratelli che si trovano in pericolo di peccare, di vo- « lerli preservare dagli allettamenti dell'apostasia; salva « coloro, che già si trovano sull'orlo del precipizio, concedi « a tutti lume e discernimento della verità, coraggio e « forza nella lotta contro il male, perseveranza nella fede, « e carità operosa. Perciò, misericordiosissimo Gesù, in tuo « Nome preghiamo Iddio, tuo Padre, col quale vivi e regni « in unione dello Spirito Santo, nei secoli dei secoli. Così « sia »; – sequentes indulgentias, defunctis quoque applicabiles, a SSmo Domino Nostro Leone Pp. XIII fuisse concessas, scilicet:

1° Tercentum dierum, semel in die;

2° Plenariam semel tantum in mense lucrandam, si orationem ipsam per mensem integrum quotidie recitaverint, dummodo uno infra eumdem mensem die vere poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti, aliquam Ecclesiam vel publicum Oratorium visitaverint et ad mentem Sanctitatis Suae pie oraverint.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 13 Maii 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Franciscus Sogaro, Archiep. Amiden., *Secret.*

ANALECTA VETERA

Nonnulla documenta inedita S. Congr. Episc. et Reg. (An. 1677-1690).

273. Romana - Provincialatus.

Emo et Rmo Signore,

Il Procuratore Generale dell'Ordine della SS. Trinità del Riscatto, humile oratore dell'EE. VV., espone: qualmente il Padre Maestro Fra Pietro Bravo, Padre di Provincia di detto Ordine nella Provincia di Andalusia, essendo stato altre volte Provinciale, ha governato la Provincia da huomo veramente apostolico, ed esemplare, à segno tale, che lo vorrebbero elegere un'altra volta Provinciale, se non li mancassero tre anni di termine per poter essere reeletto in detto officio. Pertanto, come per le miserie de la Provincia, ha necessità d'un Capo di molta esperienza, che si contenti del vitto commune, e che facci le sue visite senza pompa: l'oratore supplica la benignita dell'EE. VV., acciò si degnino permettere, che detto Padre Pietro Bravo possa essere eletto Provinciale al prossimo futuro capitolo, mentre così parerà convenevole alla maggior parte delli Vocali di detto Capitolo Provinciale. Che di tal gratia etc. Quas Deus etc.

Responsum fuit, die 3 Xbris 1683: *Arbitrio Eminentissimi Protectoris.*

274. Romana - Reditus ad Religionem.

Eme Domine,

De mense Iunii 1669 Franciscus De Lazzaris Principalis noster ingressus fuit Religionem Sancti Honuphrii, et habitum suscepit in Conventu Sancti Hieronymi Lonzani Loci Novitiatus ubi solemniter a superioribus acceptatus fuit ut non controvertitur inter partes, et tam in dicto Conventu, quam etiam in altero Misericordiae Fanen. Dioecesis, ad quem transmissus fuerat, ut aëris salubritate ab infirmitate, qua detinebatur oppressus, immunis evaderet, moram traxit non solum toto anno Novitiatus sed etiam aliis quatuor mensibus, quibus elapsis Romam transmissus fuit, ac pro maiori cura, ac diligentia matri restitutus, in cuius domo fuerunt ei subministratae omnes medelae 1° loco mediante aromatario eiusdem Religionis et 2° loco ad faciliorem commoditatem ab alio aromatario viciniori, et utrique fuerunt solutae pecuniae a PP. Adversariis, Sum. n. 1, R. Litt. A et B. Cumque interim fuerit in Conventu Sancti Honuphrii celebratum Capitulum Generale, fuit in eo determinatum, quod iterum rediret ac dictum Conventum, a quo fuit paulo post transmissus Neapolim, ubi spatio sex annorum continuo moratus est, quo tempore ab omnibus continuo habitus, et tractatus fuit tanquam Religiosus, ut metu excommunicationis testatus est R. P. Franciscus Oliverius, etiam plures alii Religiosi, quorum depositiones dantur, Sum. n. 2. Transmissus deinde Fulgineum, ibi contra omne iuris debitum fuit habitu exutus, quare habito recursu ad hanc S. Congregationem supplicatur mandari PP. Adversariis, ut illum admittant ad Religionem ibique eum tanquam professum retineant, et speratur ex infradicendis.

Siquidem licet non habeamus professionem expressam, tamen non deficit tacita, quae duplici modo emitti solet, ut notum est, 1° scilicet exercitium actuum, qui ad solos professos pertinent, 2° ex delatione habitus per triduum si distinctus sit ab habitu novitiorum, si vero sit indistinctus, saltem apparenter per illius annualem delationem post Novitiatum, Cap. ex parte de Regularibus Honded. cons. 78, n. 2°, Lib. 2°; Sylvester in Summ. verb. Relig. l. 3° n. 19; Gratian. discept. 640, n. 23; Azor. instit. moral. Lib. 12, Cap. 4, q^e 3. par. 1. Add. ad Gregor. decis. 385, n. 6°: Rota coram Carillo d^e 39, n. 5, et in rec. decis. 227. n. 4, par. 2°.

Istamque tacitam Professionem ex delatione habitus non substulit S. Concilium Tridentinum, ut pluries declaravit S. Cong. Concilii ex resolutionibus relatis per Pignattel. Consul. canon. 86, par. 1.; Rota coram Ubaldo d.^{e} 189, n. 2, et coram Merlino, d^e. p^a. n. 9.

Hic autem non solum concurrit delatio habitus indistincti per annum, sed per plures annos et in specie per integrum sexennium in conventu Neapolis, ut in narratione facti ostendimus, quare sicut in durioribus terminis habemus, quod, data nullitate professionis, ex solo lapsu quinquennii reclamari non posset ex dispositione S. Concilii Tridentini, sess. 25, cap. 19, de Regularibus, multo magis dicendum est no licere in praesenti hanc veritatem controvertere, cum per lapsum sex, et septem annorum fuerit inducta tacita professio, ut in terminis arguit Rota d. d.^{e} p^a, n. X°, coram Merlino; plene Sanch. de matrim. Lib. 7°, disp. 37, n. 2°.

Stringit fortius argumentum supplicando adverti, quod noster Principalis fuit descriptus in albo, quo nomina Religiosorum indistincte solent adnotari, actusque alios gessit exerceri solitos a Professis, et tanquam talis etiam fuit descriptus a Notario Civitatis pro augenda quantitate Franchitiarum Conventui Neapolis debitarum, ut deponit P. Oliverius ibi: E l'ho tenuto sei anni descritto il suo nome con quello degl'altri ogn'anno nel Libro Giornale di detto Convento, dove egli sonava le campane, scopava la chiesa, serviva messe, et anco assisteva nei bisogni à due vecchi, con occasione che gl'Eletti della Città descrissero il numero dei Frati di detto Convento per accrescervi la Franchitia del grano, il detto Antonio Lazzari dal Notaro della Città fu descritto con gl'altri etc. Et infra etiam subdit fuisse in omnibus tractatum sicut alii caeteri Religiosi ibi: Sarà ben descritto nelle liste capitolari, nel libro del Capitolo in Napoli. In tutto il tempo del mio Priorato, è stato trattato, e nell'infermità per le cadute, che faceva spesso, e nel vitto, e nelli medicamenti, e nelle mortificationi come gl'altri. Isti autem Testi deponenti de facto proprio cum ipse de eo

tempore esset Prior dicti Conventus, venit maxime deferendum, Rota coram Merlino decis. 640, n. 4; Cels. d.° 284. n.° p.° in rec. decis. 185. n. 3. par. 3., et decis. 696. n. 1. 4. Tom. 3°. Potissimum quia illius dictum adminiculatur ex depositionibus aliorum Testium, quo casu etiam plene probat, Rota coram Celso d. d.° 284. n. 2; Seraph. d.° 1163. n. 6. et 7 et in rec. decis. 113. n. 12. par 5., et decis. 360. n. 7. par 14. Et est Sacerdos, ac Religiosus insignis pietatis, unde supplet vices duorum Testium, Menoch. Cons. 921. n. 89; Rot. decis. 101. n. 19. par. 12. rec.; et in *Melevitana S^mi Crucifixi* 23 maii 1672. §. Nec obstat, coram R^mo D. Bourlemont; quodque magis est deponit contra ipsam Religionem pro attestatione veritatis facti, ut de consanguineo deponente contra proprium consanguineum, Farin. de Testib. q.° 54. n. 79; Rota in *Perusina Executionis*, 26 Iunii 1671. §. Neque; et 12. Februarii 1672. §. Non obstat, coram B. m. Priolo.

Quamobrem probata abunde remanet ipsa Professio cum ad istum effectum praeter delationem habitus soleant magnifacere Doctores descriptionem in Libris Religionis, in puncto Honded. Cons. 78. n. 23. Lib. 2. vers°. Ut dicitur in Libro Monasterii. Ad quod etiam conducit circumstantia notabilis, quod vitam in monasterio cum fratribus tanto tempore duxerit, ut bene observat Rota d.° 83. n. X°. vers.° et in Monasterio.

Accedit quod publice ab omnibus religiosis fuit habitus pro fratre, et Religioso, ut specie deponit 3us Testis, Lettera *C.*, et ad rem ponderat Rota decis. 445. n. 6. par. 13. rec., et facit etiam, quod in Conventu Neapolis ubi moratus est spatio sex annorum retinentur soli Professi, quod est summopere ponderandum.

Posita igitur ex praedictis professione nihil refert, quod ei supervenerit morbus comitialis, quoniam non exinde potest eiici a Religione cum tanto temporis spatio in ea permanserit, Rota decis. 346. n. 2, post secundum vol. cons.; Farin. repetita decis. 38. coram Ubaldo ubi praecise de morbo comitiali.

Nec subsistit responsio solita ex adverso adduci, quod morbus supervenerit intra annum Novitiatus, et noster Principalis fuerit ex gratia retentus, ut posset vel aëris salubritate, vel lapsu temporis ab infirmitate sanari, quoniam id mereretur fortasse allegari si ageretur de modico tempore, et non concurrerent tot tantaeque circumstantiae contrarium suadentes, non potest enim cadere in intellectum quod voluerit Religio expendere in medicamentis si illum tamquam filium non agnovisset, et ulterius spatio plurium annorum eum retinere, et signanter integro sexennio, et tanquam Religiosum reputare, et inter alios describere, ut patet ad sensum, et in terminis praecisis, ac individualibus arguit. Hond. Cons. 78. n. 66. Lib. 2., in cuius casu allegabatur, quod de tempore Novitiatus monialis effecta fuerat furiosa, et tamen ex hac ratione id non obstare respectu per haec verba. Et stante huiusmodi inhabilitate debuisset reiici de Monasterio, et Superiores non fuissent passi ipsam in eo permanere. Ex his enim actibus bene deducitur expressa voluntas utriusque Partis nostri Principalis, scilicet permanendi in Religione, et ipsius Religionis illum retinendi. Adeo ut non possit allegari contrarium, quia cum praesumptio tacitae professionis dicatur Iuris, et de Iure, non admittitur alia probatio, quam ex reclamationibus et protestationibus in contrarium, quae stante dicta taciturnitate hic deficiunt, Hond. cons. 78. n. 25; Rota coram Carillo d.° 39. n. X; Pignattel. consult. canonic. 86. n. 4. par. p^a.

Et praetextus quod ei non fuerit datum solitum vestiarium, nec data licentia, seu Litterae obedientiales pro discessu a Civitate Neapolis, non facit ad rem, quoniam respectu obedientiae difficultatem solvit R. P. Franciscus Oliverius, qui deponit: E con l'occasione si portò da Napoli a Foligno non vi voleva obedienza particolare, perchè quando li Padri si partono da un luogo all'altro per assignatione fatta dal Capitolo Generale, come fu la sua, non si pratica fare obedienza.

Respectu vero vestiarii non sufficit parti adversae negare praestationem, et quando id probaret facilis est responsio, utpote quia potuit mater in hac parte contribuere, ut compensaret expensas, quas Religio continuo facere cogebatur occasione infirmatis.

Sicut minus subsistit exceptio, quod ipse non intervenerit in Choro, et fortasse aliquos actus Professis convenientibus omiserit, quoniam solvitur difficultas non solum, ex quo id ex adverso non probatur, sed etiam quia e converso probatur quod alios plures gessit, et istos potuit omittere ratione infirmitatis, non ex quo non haberetur tanquam professus, egregie Honded. d.° cons. 78. n. 42. Lib. 2. — Urgetque semper inevitabile fundamentum, quod cum de voluntate Principalis nostri permanendi in Religione non dubitetur, et voluntas Religionis illum retinendi constet, ex quo permisit, quod habitum deferret, medelas subministravit, superiores illum correxerunt et alia fecerunt, non potest hodie post tam longum tempus allegari contraria voluntas Religionis, cum ad istum effectum debeat praecise probare, quod ipsa expresse protestata fuerit nolle illum admittere ad tacitam professionem eum licentiando et eiiciendo, Honded saepe citato cons. 78. n. 26. et 40. lib. 2.

Hic autem non solum deficiunt istae reclamationes, et eiectio, quae non bene ex adverso allegatur, cum solum fuerit ad domum matris transmissus, ut facilius, et diligenter curaretur, verum et adest positiva voluntas in contrarium ex tot actibus superius recensitis, ita ut non posset hodie Religio illum facere de tacito Professo non Professum, ut prosequitur Honded loco cit. n. 40.

Addendo insuper in facto, quod vere Principalis non opprimitur morbo comitiali, sed immundis spiritibus, a quibus iam multis abhinc mensibus amplius non vexatur.

Quare etc.

CIRIACUS LANCETTA ADVOCATUS.
ANTONIUS LANCETTA.

Emi Patres rescripserunt die 12 aprilis 1680: *Non esse recipiendum.*

Nota Emi Casanata: — Non constare de tacita professione, quia Lazzarus non fecit novitiatum in loco destinato, sed post quatuor menses fuit translatus in alium conventum ob infirmitatem, quo casu non dicitur fecisse tacitam professionem.

2° Fuit expulsus et per annum et amplius fuit extra Religionem in habitu saeculari.

3° Quia non fuit receptus Capitulariter, sed ad preces Cardinalis Carpinei, et deinde retentus auctoritate D. Fagnani Protectoris, et semper cum declaratione quod non reciperetur nisi constaret de plena valetudine.

4° Nunquam habuit Viaticum, nec Vestiarium.

5° Nunquam fuit computatus inter admissos de licentia Sacrae Congregationis ad habitum.

6° Quia cum esset inhabilis ad religionem, et esset mota causa

illum expellendi non dicitur professionem tacitam emisisse, cum constet de dissensu, et iusta causa dissensus religionis.

7° Quia tacita professio post Conc. Trid. non admittitur de facili praecipue in terminis praesentibus, cum vota non debeant esse praesumpta, ob varia inconvenientia, maxime si Lazzarus contraxisset matrimonium.

275. **Romana – Reintegrationis.**

Emi e Revmi Signori,

Suor Camilla De Magistris devotissima oratrice dell'EE. VV. Le rappresenta, come dopo una lunga carceratione sofferta per sei anni, si compiacquero l'EE. VV. fargli gratia che fosse scarcerata, ma che restasse priva del velo, della voce attiva e passiva, e che non potesse accostarsi alle grate all'arbitrio dell'EE. VV., le quali poi si compiacquero restituirli il velo restando anche privata della voce attiva e passiva, e dall'accesso alle grate. Et havendo poi supplicato per la reintegrazione, allo stato di prima nel passato S. Natale, non fu letto il memoriale da monsignor Segretario per la multiplicità dei negotii. Essendo però hoggi trascorsi tanti mesi dopo si lunga e rigorosa penitenza, supplica l'EE. VV. a degnarsi gratiarla della restitutione della voce attiva e passiva e dargli licenza di potersi accostare alle grate etc. Quare Deus.

Rescriptum fuit: *Nihil propter incontinentiam.*

276. **Romana — Solutionis debitorum.**

E.mi e Rev.mi Signori. Il Procuratore Generale della Congregazione Cassinense, devotissimo Oratore dell'EE. VV. humilmente l'espone, che la sua Congregazione paga ogni anno in Roma tra pesi camerali Montisti, e frutti de' Censi sopra cinquanta mila scudi in 3 paghe, o Tertiarie di quattro in quattro mesi, e questo denaro gli viene trasmesso e pagato tutto da Monasteri della medesima Congregatione, et hoggi si trova creditrice la Procura Generale a tutto Marzo prossimo futuro di detti Monasterij di scudi trentaquatro mila doicento quarantacinque scudi e baj. 4, come tutto si potrà vedere dall'annesso foglio. E perchè li creditori e Camerali ragionevolmente strepitano e minacciano essecutioni e subhastationi con scapito grande delle robbe del Monastero di San Paolo, e con spese intollerabili per dette essecutioni, e per depositi et altro; supplica l'EE. VV. di qualche rimedio, o di pene rigorose a quelli Abbati, e Cellerarij, e forzarli alle dovute rimesse, o vero di darli facoltà di prendere qualche somma di danaro a censo, sino che facciano li suddetti pagamenti, o vero di qualche dilatione, acciò con le superflue spese, e strapazzi di bestiami, e forse di subastationi non si rendano la Congregatione, e li Monasterij di essa viè più impotente in questi tempi, che non si trovono ad esitare le Rendite, che il tutto etc. Quare Deus etc.

Rescriptum fuit die 26 Januarij 1674: *Emo Protectori cum facultatibus Sacrae Congregationis.*

Nota E.mi Casanatae: — Posset iniungi Abbatibus et Cellerarijs sub poena privationis officiorum, et vocis activae et passivae, ut quamprimum solvant responsiones debitas maturatas.

277. **Romana — Transactionis et Solutionis alimentorum.**

E.mi e Rev.mi Signori. Li Conti Ubaldini d'Apecchio umilissimi Oratori delle Eminenze V.re, riverentemente gli espongono come sino dal 1654 il Padre D. Augustino Ubaldini loro zio religioso somasco a titolo di curarsi di una sua infermità, si ritirò dalla Religione in Casa dell'Oratori, dove al presente si trova sempre alimentato a spese dell'Oratori, quali però pretendono d'essere reintegrati delle suddette spese dalla religione Somasca, ultimamente con la mediatione dell'Em.mo Crescentio fecero istrumento di transatione col Padre Proposto di S. Biagio di Monte Citorio ed altri Padri di quel Collegio sotto il dì 30 Settembre 1672, per gli atti del Bianchi Notaro dell'Em.mo Vicario segnato lett. A. che si dà all'Em.mo Ponente nel quale i medesimi Padri si obbligorno per gl'alimenti decorsi fino a quel giorno di pagar all'Oratori scudi 200 moneta romana nel termine di 4 anni a ragione di scudi 50 l'anno oltre scudi 65 — simili pagati parte avanti la celebratione dell'istrumento, e parte nell'istesso atto della celebratione, e per gl'alimenti da decorrere in avvenire s'obbligano li Padri di pagare alli suddetti Conti scudi 50 l'anno di semestre in semestre sino tanto che il Padre Ubaldini fosse vissuto nella loro casa et a conto di questo ne pagarono nella celebratione dell'istesso instrumento scudi 25, per un semestre anticipato come più amplamente dall'istesso instrumento. Hora avendo gl'Oratori fatto istanza alli Padri Somaschi per lo sborso dell'altre paghe successivamente maturate, questi hanno ricusato e ricusano di soddisfare, col pretesto dell'invalidità della suddetta transatione, supplicano perciò umilmente gl'Oratori l'Eminenze Vostre a compiacersi d'ordinare la loro intiera sodisfazione dell'alimenti dovuti dalla Religione al Padre loro zio e credono gl'Oratori di poterla conseguire con le solite primere ragioni, espresse nel foglio che fu dato all'Em.mo Crescentio mediatore della concordia, et che hora si dà all'Em.ze Vostre segnato Lett. B. Il tutto etc.

Responsum fuit die 29 Novembris 1675: *Pro concordia.*

Nota E.mi Casanatae: — Nihil quia transactio fuit praeiudicialis Regularibus, nam religiosis non tenetur Conventus subministrare alimenta in domo Consanguineorum, qui quotiescunque recipiunt Consanguineum Regularem non praesumitur quod illum velint alere expensis Conventus, quod maxime procedit in nobilibus personis.

278. **Romana — Transitus ad aliam religionem.**

E.mi e Rev.mi Sig.ri — Il Devotissimo Oratore Elia Vial religioso professo Carmelitano havendo fatto humilissime Instantie all'EE. VV., acciocche stante le sue gravi infermità si degnassero di concederli benignamente il transito all'ordine di San Benedetto nel quale egli trova benevolo Recettore, la Sacra Congregatione si degnò di voler sentire il Padre Procuratore Generale de Carmelitani. Hora il medesimo avendo consentito, etiam con il voto del Padre Generale, l'oratore supplica humilmente l'EE. VV. per la consecutione della grazia etc. Quare Deus etc.

Responsum fuit die 12 Novembris 1683: *Lectum.*

Nota E.mi Casanatae: — Nihil. Quia non datur transitus ad laxiorem, nec causae infirmitatis sunt aptae quin potius ineptae ad gravandam aliam Religionem cui tempore valetudinis orator non servierat.

279. **Romana — Translationis Monialium.**

E.me ac Rev.me Domine. Soror Maria Pulcheria, una cum quinque aliis Monialibus nempe Maria Victoria, Agata

Veronica, Virginia Francisca, Constantia Felix, et Maria Angela, quae professionem emiserant in monasterio S.ti Jacobi de Murattis suppressi per san: me: Clementem IX, et quae vigore dictae suppressionis translatae fuerunt in monasterium S. Appolloniae Transtiberim, ubi continuo morbo laborarunt, atque laborant, non sine evidenti discrimine vitae ob aëris intemperiem, et qualitatem satis malam, ut est notissimum, et comprobatum extat per fidem medici.

Dicta, inquam, Soror Maria, aliaeque quinque moniales supplicem tradiderunt libellum san: me: Clementi X. pro recessu a dicto monasterio 2°, et pro translatione in aliud quodcunque sive in Urbe, sive extra situm, exclusa dumtaxat Regione Transtiberim; qui supplex Libellus remissus fuit huic Sacrae Congregationi, et ab ea E.mo D. meo Portucarrero, ut audiret, et referret, qui cum hodie dignetur referre, propterea eaedem moniales renovando preces iterum supplicant pro rescripto favorabili, et videtur annuendum.

Etenim causa legitima, et urgentissima apparet ex depositione testis physici, quae datur in manibus E.mi Ponentis, cui licet unico, tanquam Perito, et de facto proprio deponenti, atque adminiculato ex nota qualitate aëris standum esse, notatur in L. inter artifices ff. de solut., et in L. p^a ff. de ventr. inspic. comprobatque Innocent. in cap. Inquisitionis de accusat.; Rot. decis. 78, per tot. post. 2. vol. cons.; Farinacc., qui testis expresse deponit, et alii etiam quatenus permittatur ingressus in monasterium confirmabunt, quod morbus continuus, et fere habitualis in oratricibus vigens, nulli alteri causae verisimiliter potest adscribi, quam aëris qualitati satis pravae, ad prorsus adversae. Unde si talis causa morbi derivantis ab aëris intemperie sufficeret ad petitam translationem obtinendam etiamsi sponte in monasterium, a quo petunt egredi oratrices intrassent, quia nimirum etiam integra monasteria sita in loco congruo, et aëris non salubris solent ad meliorem, et salubriorem locum transferri ad tradita per Doctor. in cap. p° de excess. Praelator. in 6°, Rot. decis. 362. num. 2° cum seqq. iunct. n. 13 p° 4. tom. 2° rec. ubi testatur pluries huiusmodi licentias concessas fuisse ab hac Sacra Congregatione, et par. 14. decis. 363. n° 6; quanto magis dum invitae intrarunt in illud, cum amissione coacta alterius monasterii electi, et in loco salubriore siti; Barbos. inter tract. var. loco com. argum. 75.

Imo quod simplex invaletudo continua etiam ex causa naturali intrinseca, et ignota oriens, non autem ab extrinseca, et satis nota ratione aëris prout hic, sufficiat ad transeundum in alterum monasterium laxioris vitae, probat Suarez de Religion. tom. 3. lib. 4. cap. 8., et latius tom. 4. lib. 3. cap. 11.; Bonaccin. de clausur. et poen. violat. §. 11. quaest. 11. punct. 9.; Castropalao oper. moral. par. 3. tit. 16. disput. 4. punct. 26. §. 5.; Azor. Instit. moral. tom. p°. lib. 12°. cap. 17. quaest. 8. Ex quibus dum causa translationis apparet legitima, et sufficiens nulla potest cadere difficultas super restitutione dotis facienda a monasterio S. Apolloniae ubi oratrices invitae traductae fuerunt ad effectum, ut recipi valeant a monasterio, ad quod sunt transferendae; quidquid enim sit an dos primaevo monasterio tradita possit, nec ne per monialem transeuntem ad aliud avocari, cum Doctores inter se divisi, utramque opinionem tueri conentur ex late congestis per Bottiler. de Success. theorem. 78. n°. p°. et 8.; Tondut. q^e. Civil. 65. n° 11. et seqq. par. p^a.; Sanchez. oper. moral. lib. 7. cap. 32. n° 3. et 12. tom. 2.; Tamburin. de Iur. abbat. tom. 3. disput. 7. quaest. 6.; Capic. Latr. decis. 193. sub. n° 3.

Illud est certum opinionem eorum, qui negativam tenent nequaquam obstare casui praesenti, quia non agitur de repetenda dote a Monasterio S. Iacobi de Murattis, cui per professionem ab oratricibus ibi emissam iuxta illorum sententiam esset irrevocabiliter acquisita; sed de recuperanda a Monasterio S. Apolloniae, quod nullum ius nactum fuit, nisi ob earum transitum in illo, unde dum omne ius monasterii S. Iacobi cessavit ob sequutam suppressionem ut notat R. P. D. de Luca de regular. discurs. 36. n° 7. tom. 14. et dum cessabit etiam S. Appolloniae per transitum faciendum in aliud; equidem nullatenus ambigi valet quin possint moniales transferendae Dotem secum asportare in 3um monasterium sicuti asportarunt in 2um ex doctrina Bartol., aliorumque quos late refert, et sequitur Sanchez oper. moral. d. lib. 7. cap. 32. n° 59. tom. 2.; Rodriguez quaest. regular. tom. 3. q^e. 5. art. 4. et 6.

Maxime quia nedum cessat ratio professionis non emissae in dicto monasterio S. Appolloniae, sed etiam altera ingressus voluntarii cum revera fuerit coactus, ideoque cum Deus voluntarios milites tantum acceptet, et coacta servitia despiciat, cap. non. est is, quaest. p^a., et cum matrimonium spirituale dicatur contrahi cum Christo Domino Nostro, non autem cum monasterio ita ut Ecclesia cantet *« veni sponsa Christi »*, videtur omnino ob has circumstantias sequenda sententia uti magis congrua affirmantium dotem concomitari monialem transeuntem de uno ad alterum monasterium, nam semper assignata censetur sub conditione quatenus scilicet ibi permaneat, et quatenus ibi alimenta percipiat ad instar matrimonii carnalis ubi pariter Dos traditur ob alimenta mulieri praestanda, aliaque onera substinenda per virum, quod argumentum est validissimum, ut in his terminis concludunt omnes in cap. quoad te, ibique Glos. de Cleric. coniugat.; Ancar. Cons. 64. sub n° 8.; Surd. cons. 333. n° 62 optime; Socin. sen. cons. 222. lib. 2.; Mandell. cons. 712. n° 2. vol. 4.; Sanchez. ubi supra n° 40 aliique relati, per Menoch. de arbitr. cas. 436. n° 27 lib. 2.; Fontanell. dec. 226. n° 13. usque ad finem.; Capic. Latr. d. dec. 193. sub. n° 3. et 4.; Rot. d^e 115. n° 2. par 2. recent.

Caeterum quod Summus Pontifex sive Sacra haec Congregatio caeteris etiam paribus quando cognoscit causam aptam ad concedendam licentiam transeundi, semper alteram quoque impartiri soleat de dote asportanda, quia nimirum incongruum nimis esset ut primum monasterium lucraretur Dotem, secundum vero cogeretur monialem alere, testantur quamplurimi adducti per Tondat. d. cap. 65. n° 12. part. 1^a., et per Capic. Latr. d. decis. 193. n° 6. 7. et 8. ubi quod etiam simplex Episcopus potest impartiri facultatem asportandi bona ad secundum monasterium.

Accedit pro magis excitanda recta benignitate Eminentissimorum DD. meorum altera ratio, non contemnenda scilicet, quod si moniales huiusmodi post voluntatem patefactam transeundi ad aliud monasterium cogerentur permanere in eodem, iurgia, et dissidia orirentur, quia non amplius bene tractatae venirent ab illis S. Appolloniae, pudor intraret, ac evanesceret mutua dilectio, in quo consistit profectio Status Religiosi, nam fugata concordia succedunt odia mentem omnino retrahentia a contemplatione Coelestium, ut ad praecisum effectum transeundi, dotemque asportandi

Suarez. de Religion. tom. 4. lib. 3. cap. 11. n° 22., et 24., et in praecept. Decalog. lib. 6. cap. 7. n° 5. 32 et 72.; Zerol. in prax. p. pa. vo. moniales.

Quare etc.

FRANCISCUS STANCHUS Adtus JOANNES RICCHERIUS.

Rescriptum fuit die 12 Martii 1677: *Lectum*.

Nota Emi Casanata: — Nihil, quia non sumus in casibus exceptis in constitutionibus B. Pii Vi. Neque obstat, quod oratrices professionem emiserint in Monasterio Muratarum, quia in casu praesenti non agitur de translatione unius, vel alterius, sed totius monasterii cum illius extinctione. — Ex his igitur nihil respondendum videtur quoad restitutionem dotis.

280. Sarzanen. — Alimentorum.

E.me et Rev.me Domine. Instetit Episcopus Sarzanen. declarari Monasterium SSmae Annuntiatae Pontraemoli Congregationis Augustinianae de Observantia Lombardiae teneri ad subministranda alimenta Carolo Fantono carcerato ob homicidium patratum in persona Parochi, ex fundamento, quod tempore commissi delicti gestabat habitum laicorum servientium in dicto monasterio, et in ipso degebat, et hac parte non informante, Episcopus resolutionem favorabilem reportavit, a qua Pater Procurator Generalis dictae Congregationis supplicat recedi, et iniungi Episcopo, ne Monasterium molestet.

Praemittendum est in facto, quod dictus carceratus non erat conversus professus dicti Monasterii, quia in dicta Congregatione etiam Laici, praevio Novitiatu, emittunt professionem, ut est notorium, et habetur ex Decreto Sacrae Congregationis super statu pro recipiendis Novitiis, quae dantur impressa, et requiruntur omnes solemnitates notoriae pro recipiendis novitiis in locis designatis Lensar. quaest. regul. tom. 1, p. 2a, cap. 8, n. 25, nec a Conventu acceptatus fuit, ut requirunt constitutiones de more receptionis Novitiorum cap. 15 ac supradicta Decreta, et dantur etiam aliae attestationes iuratae, sed tantummodo de licentia Patris Vicarii Generalis tamquam mere laicus ad servitia obeunda receptus fuit, unde nullatenus dici potest Professus.

Prout etiam non fuit oblatus quia neque se, neque bona sua Monasterio obtulit, ad quem effectum requiritur solemnis oblatio, nihil poenes se retento, etiam quoad bona futura, ad hoc ut similari possit Professis, Passarin, de stat. homin. q. 187, art. 4, observat. 9, n. 220, et sequen. tom. 2, de quibus etiam Fagnan. in cap. ut privileg. de privileg. ubi quando vere non concurrit oblatio in forma iuris valida, non solum non dicuntur professi, sed nec minus gaudent privilegiis oblatis concessis.

Et de consuetudine in omnibus Religionibus observata recipiuntur Laici absque Professione, et solemni oblatione ad mera servitia Laicalia obeunda propter quae subministrantur alimenta, prout receptus fuit dictus Carolus, qui non gestabat habitum conversorum cum caputio, sed simplicem vestem sine eo, quae vulgo dicitur cappa, sive pallium nullumque votum emisit, ideoque dicitur remansisse in suo primo statu Laicali, ex Navar. Rodriguez, Felizario, et aliis adductis per Lezzan., loco citato n. 39.

Insuper reflectendum, quod Laici in dicta Congregatione ex vi Decretorum impressorum recipi non possunt ad Novitiatum, nisi prius steterint per triennium integrum in habitu conversorum, et optima quidem ratione, nam debent prius experiri qualitates laicorum, et secundum eorum mores antequam incorporentur Religioni per acceptationem Capitularem. Superiores etiam ultra triennium probant ut in his terminis Card. De Luca de Regular. disc. 58, n. 11, ad 13, ubi de similibus, qui pro servientibus recipiuntur, nec sunt Novitii, nec Religiosi, licet habitum gestent, et vivant in claustro.

His praemissis non videtur posse astringi Monasterium ad praestationem alimentorum, quia non fuit incorporatus Religioni, et licet DD. teneant Monasterium teneri alere Monachum, duabus tamen moventur rationibus, nempe, quia Monasterio servit, et quia Monasterio acquirit, ut per Surd. de Aliment. tit. p.° q.e 75, n.° p.° et q.e 128, n.° 3, et intrant correlationes inter Patrem et Filium, dum Professo, seu oblato solemni defuncto succedit Monasterium.

Neutra concurrit in casu nostro, quia Alimenta, quae debebantur dicto Carolo, erant ratione servitii, dum ad instar mere famuli adscriptus fuit dicto Monasterio revocabiliter tamen, nedum ex voluntate superioris, sed suimet ipsius, et sic cessat prima ratio, minusque applicatur secunda, quia cessante solemni oblatione seu Professione Monasterium non poterat ex facto dicti laici sibi acquirere, sed Carolus sibi acquirebat, et ipso defuncto, non Monasterium sed Parentes, ac haeredes legitimi succedebant, Sanchez in Decalog. lib. 7, cap. 34, lib. p°.; Lensan. quaest. regul. tom. p°. pe. 2, cap. 8, n. 14, et remanent mere saeculares, dum possunt matrimonium contrahere, Lensan. loco citato n. 51, et testamenti factionem habent, Pappia in Authen. ingressi verbi sua cap. X, h. 8 in fin.

Quae facilius in casu nostro procedunt, ipse habet Patrem divitem, et sicut eveniente illius obitu, filius et non Monasterium, succedebat, et e converso in Peculio Caroli, seu aliis haereditatibus forsan obveniendis Pater legitime usum fructum acquirebat; ad Patrem in praesenti videtur spectare onus alendi filium, et nulla suadet ratio, quod cessante servitio erga Monasterium nullum aliud commodum reportet, sed omne beneficium spectat ad Patrem et filium respective quod Ecclesia debeat sufferre praeiudicium in ipso alendo contra Iuris regulas, qui sentit commodum etc.

Imo in fortioribus, si Monasterium Monachum inutilem expellit (data legitima potestate) et Monachus habet Patrem, in concursu Monasterii, et Patris, iste tenetur ad alimenta erga filium, quia in Patre viget causa naturalis, et in Monasterio causa accidentalis, et in concursu praefertur naturalis, quae nunquam extinguitur, ut in terminis Castren. cons. 76, per tot. lib. p°. Accedit etiam, quod apostatae fugitivi non recipiunt alimenta a Monasterio, ex quo illi non serviunt, Donat. in prax rer. regul. de Apostatis Tract. 6, qe. 16, n. p°. et 13, tom. p°.; Rodrig. in Compend. quaest. Regul. Verbo Alimenta resol. 8, n. 5, et tunc solum tenetur, quando fugitivus revocatur ad Carceres Monasterii, ut per eumdem Rodrig., n. 6.

Carolus autem in Carceribus Tribunalis Episcopi deiectus fuit, et quidem in habitu saeculari, ut ex iustificationibus datis et super illo Iurisdictionem semper exercuit Episcopus in fabricando Processu adeo ut illum non agnovit in Professum Regularem, quia alias servare debebat disposita per Concil. Trid. et Processus erat instruendus a Superiore Regulari, ut notum est.

Et ipse carceratus statim patrato delicto, habitum dimisit, et ex se noluit amplius reputari Laicus, quod facere

poterat; dum ut diximus, non erat religioni incorporatus. Ex quibus non videtur molestandum Monasterium sed actio dirigenda est contra Patrem divitem, vel in omnem casum adsunt congruae eleemosynae pro alendis pauperibus Carceratis, ex iustificationibus, quae dantur. — Quare etc.

SILVIUS DE CAVALLERIIS.

Responsum fuit die 5 Februarii 1685: *Non teneri monasterium ad alimenta, et Episcopus supersedeat in executione sententiae, et transmittat processum.*

Nota E.mi Casanata: — Quatenus non constet reum fuisse solemniter Professum sed solummodo Tertiarium sive oblatum neque ulla bona eiusdem rei a Monasterio possessa, Monasterium non molestetur de alimentis.

281. **Sarzanen. — Ordinationis.**

E.mi e Rev.mi Signori. Antonio Baldacci da Poggi in Grafagnana, diocesi di Sarzana hora dimorante in Roma da quattro anni, e molto in qua, ordinato da Monsignor Vescovo di Sarzana al diaconato, e desiderando d'ascendere all'ordine Presbiterale, fece instanza a detto Monsignor Vescovo, acciò si concedesse le lettere dimissoriali per potersi ordinare qui in Roma, ma quelle essendoli state negate, l'oratore hebbe ricorso all'EE. VV., Le quali si degnorono scrivere per informazione al suddetto Vescovo, il quale s'oppone all'instanza dell'oratore, e pretende, ch'esso non possa esser promosso al sacerdotio per più ragioni: Primo per li non buoni costumi del detto Diacono, secondo perchè non li consta dell'abilità e sicurezza del medesimo: terzo perchè l'oratore sin dall'anno 1680 in contumacia sia stato condannato dalla Corte Vescovile, alla relegazione nella città di Cervia per cinque anni, sotto pretesto che il medesimo havesse commesso adulterio con violenza con una certa Maria Emilia; quarto, perchè non li pare conveniente che il detto Diacono Antonio debba essere ordinato fuori della diocesi, non essendovi perciò alcuna obbligazione di dare la dimissoria.

Ma non essendo d'alcun rilievo tutte le dette opposizioni, vengono humilmente supplicate l'EE. VV. a consolare l'oratore con ordinare a Monsignor Vescovo, che conceda al medesimo le lettere dimissoriali, mentre egli è stato ordinato al diaconato da quattr'anni, e molto in qua, onde ridonda in maggior servitio di Dio, che ad esso si conferisca l'ordinazione sacerdotale, e che non resti Diacono senza speranza di poter tornare in dietro, nè passare avanti, e continuare a vivere nella miseria, nella quale al presente si trova. — Ne ostano i primi doi obietti fatti da Monsignor Vescovo circa i cattivi costumi, e l'inhabilità dell'oratore, poichè se ciò sussistesse, non gl'havrebbe Monsignor Vescovo conferiti li primi doi ordini sagri, mentre nell'ordinare si deve incontrare maggior difficoltà nel conferire li primi doi ordini, che nel dare il terzo; et inoltre in quanto all'habilità si risponde, che l'oratore qui in Roma ha studiato, per lo spatio di due anni, Legge civile e Canonica, come apparisce dalla fede, che si da in mano di Monsignor Ill.mo Segretario, et in ogni caso il detto Diacono è pronto a sottoporsi a qualsiasi esame per dar saggio del suo sapere. Quanto poi alle qualità e costumi dell'oratore, si danno tre fedi, una del parroco di San Bartolomeo di Reggi, Patria dell'oratore, l'altra similmente del Parroco di San Lorenzo in Lucina e la terza del signor Dottor Villa Reale, i quali attestono dei buoni costumi del suddetto Antonio.

Ne meno puole impedirsi l'ordinatione del sacerdotio all'oratore per la sentenza di relegatione data da Monsignor Vescovo, come sopra s'è detto, perchè oltre l'essere questa sentenza contumaciale, è stata come ingiusta, moderata dall'A. C., il quale l'ha condannato nella sola pena dell'esilio dalla Diocesi di Sarzana per sei mesi, e certamente Antonio sarebbe stato assoluto, ex capite innocentiae, se non fosse stata la sua gran povertà, che gl'ha impedito di far conoscere la sua innocenza; e se il medesimo avesse potuto avere qualche minima colpa nel supposto adulterio, parerebbe che abbastanza ne havesse sofferto la penitenza con esser stato lontano dalla Diocesi, e non esser potuto andare all'ordinatione presbiterale per lo spatio di quattro anni e mezzo.

Finalmente circa l'obietto di Monsignor Vescovo, cioè che l'oratore non debba esser ordinato fuori della Diocesi, si supplica ad avertire, che non puole riuscire al medesimo di prendere il sacerdotio da Mons. Vescovo; non solo perchè esso l'ha gravato, condannandolo alla pena di relegazione, ma perchè anche si è appellato dalla sua sentenza, che perciò facilmente potrebbe esser carcerato, come è riuscito ad altri, e come Monsignor Vescovo se ne è espressamente dichiarato con più persone, atteso l'odio, che ha concepito contro il povero oratore per il ricorso fatto in Roma, oltre che il detto Antonio è al presente impiegato qui in Roma con aiutare a tenere la scuola.

Che perciò nuovamente si supplicano l'EE. VV., ordinare che Monsignor Vescovo concedi all'oratore le lettere dimissoriali, et insieme compatire la miseria, in cui si trova il detto Diacono Antonio Baldacci. Che il tutto etc.

Rescriptum fuit die 12 Novembris 1683: *Lectum.*

Nota E.mi Casanata: — Nihil nam adhuc Orator est Reus exilii ad quod in Tribunali A. C. fuit condemnatus. Nec cogendus est Episcopus ad promotionem Presbyteri sub titulo patrimonii, dum abest a Dioecesi, et non vult ad illam accedere, quatenus ita promoveretur, citra nullam necessitatem vel utilitatem Ecclesiae, contra formam Sacri Concilii Tridentini, sess. 21 cap. 2 de reformatione.

282. **Savonen. — Confraternitatis.**

Nella città di Savona, con facoltà del Padre Generale de' Carmelitani Scalzati, fu eretta, molti anni sono, una Compagnia o Confraternita Laicale del Carmine, quale anco hebbe la commodità d'una Cappella dentro la Chiesa parochiale di San Giovanni della Religione di Malta, dove ha sempre ne' giorni di Mercordi fatta l'Esposizione del Santissimo e cantate le litanie minori.

Ultimamente nell'anno 1680 Li PP. Carmelitani Scalzi havendo aperta la loro nuova Chiesa in Savona, han cominciato ancor essi a far l'Esposizione del Santissimo nella feria 4ª, e cantar le litanie, anzi opponendosi detta Confraternita del Carmine ottennero da questa Sacra Congregazione sotto li 27 di settembre 1680 decreto remissivo all'arbitrio del Vescovo di Savona. Ma non havendo voluto il Vescovo arbitrare, tornano detti frati a questa Sacra Congregazione supplicando del decreto: *Licere*, et all'incontro la Confraternita supplica del decreto: *Non licere.*

Tutto il contrasto si fa per causa del concorso. Ma è certo che la Compagnia o Confraternita eretta per semplice

communicazione del Padre Generale de Carmelitani senz'autorità del Vescovo, senza chiesa propria, e pubblica, ancorchè habbia il comodo della cappella in una chiesa parrochiale, et ivi faccia li suoi esercizii spirituali, nientedimeno è Laicale non Ecclesiastica, come ha fermato la Rota nella decisione 163, n° 19 col seguente 313, n. 9, p° 10, decis. 278, n° 3, p° 11 rec., e distingue il Nicolio in floscul. verbo Confraternitas n° 2, vers Laicorum col seguente. Perciò non ha jus di far Chiesa, o concorso pro Confluentibus, ma solo far gl'essercizii spirituali ad uso privato dè Confratelli o Consorelle e per essi, o esse guadagnar le indulgenze, et altri frutti spirituali, havendo in tal modo la communicazione dell'Ordine de' Carmelitani com'è prescritto nel Breve di Paolo V. sotto data del 30 di Dbre 1606 al libro de privilegii pag. 97. con due seguenti.

Si aggiunge che l'Esposizione del Santissimo, e le litanie sono divozioni comune e non da particolarizarsi, o prohibirsi come in simili termini fu fermato da questa Sacra Congregazione: *in causa Neapolitana* a mia relazione sotto li 7 di febbraio prossimo passato. E perchè la Confraternita è un derivato dell'Ordine regolare per partecipazione o communicazione, entra la regola: *Propter quod aliud tale illud magis,* altrimenti il cessionario ritorcerebbe le ragioni contro il cedente, o l'Autorizzato contro l'autorizzante, come specialmente ha risposto il Procurator Generale dei Carmelitani calzati richiesto *pro informatione, cum Pia exercitia non sint propria Confraternitatis et fiant in conventibus Ordinis nostri, videtur oratoribus concedendum quod petunt.*

Edictum fuit, die 23 Maii 1681: *Licere Patribus Carmelitanis Excalceatis pia exercitia, ut petunt, peragere, confraternitatis oppositione reiecta.*

ANALECTA VARIA

I.

DE ESSENTIA IMPEDIMENTI IMPOTENTIAE.

" Impotentia prout est impedimentum dirimens, non est impotentia generandi sed impotentia coëundi seu perficiendi copulam ". — Sic universae scholae interpres Lucius Ferrarius in *Prompta bibliotheca canonica, iuridica, morali, theologica*, ad verbum: *Matrimonium.* — Sic et nos vestigiis omnium insistentes, in duplici disputatione quam hac de re, annis elapsis, in praesentis periodici fasciculis instituebamus. (1)

Verum in periodico eodem (2) ad quaesitum: " In quo constituenda sit intrinseca essentia impedimenti impotentiae " eximius theologus aliquis publici iuris responsum hoc suum fecit, nimirum:

" Impotentia matrimonii proprie est, secundum suum fundamentalem et generalem conceptum, impotentia ad generandum, non impotentia ad coitum ".

Cum utique de quaesito hic agatur ad praxim maxime conferenti, nec oleum nec operam perdidisse existimabo, si pacifico animo atque solius veritatis amore incensus, laudati cl. theologi argumenta ad trutinam ea mente adduxero, ut sciam, utrum, reiecta quam hucusque propugnabam communi sententia, novam amplecti certa ratio suadeat.

*
* *

Recolendum imprimis est propositum dubium discutiendi occasionem fuisse casum moralem de Berta puella, quae, ut nasciturae forsitan prolis molestias sibi vitaret, nonnisi prius utero et ovariis extractis, matrimonium inierat. — Fuit ne validum aut secus huiusmodi coniugium? — Dum autem in Urbe de casu hoc publice disputabatur, in egregio ultramarino periodico, cui titulus: *Amer. Ecclesiastical Review,* Ill. Aug. Lehmkuhl S. J. sic circa idem dubium mentem manifestabat:

" Peccat gravissime femina, quae ex mero arbitrio vel ex intentione fruendi matrimonio sine onere ex maternitate oriundo, operationem hanc faciendam curat; peccat medicus, qui vel rogatus tali intentioni obsecundat, quum sola necessitas salvandae vitae vel gravis curandi morbi ratio esse possit, ex qua liceat istam mutilationem, sive subire sive facere: verum, *postquam facta fuerit,* lege *naturali matrimonium non prohibetur,* eo quod impedimentum dirimens non existat vel saltem de eo non constet. — Ecclesia utique potestate potitur statuendi impedimenti. Si igitur opportunum iudicaverit, statuere poterit, ut vel omnis operatio chirurgica, qua mulieris ovaria vel uterus excidantur, vel eiusmodi operatio temere facta subsequens matrimonium dirimat. Quod si fecerit, res erit confecta. Sed *quamdiu hoc non fecerit, aliis ius non erit matrimonium mulieris, per excisionem ovariorum vel uteri sterilis effectae, impedire* ".

In periodicis iisdem libellis (1) aliam disquisitionem, auctore cl. Ios. C. Hild C. SS. R., legere est sub titulo: *Examen cuiusdam libelli " de carentia ovariorum relate ad matrimonium "*. In calce articuli sic habetur: " Si sponsus nolit ducere

(1) Cfr. *Analecta Eccles.* Vol. VII, pag. 274, 380. — Vol. X, pag. 85, 135, 225, 313, 466, 494.

(2) In fasc. praec. huius anni 1903, pag. 228.

(1) Iun. 1903.

mulierem excisionem ovariorum passam, iuste potest hoc tanquam conditionem *sine qua non* in pactum deducere, uti aiunt, et ex iustitia exigere ut defectus ille manifestetur sub poena nullitatis contractus matrimonialis ineundi „. — Ex quibus verbis perspicuum est, auctoris sententiam esse, quod, nisi dicta conditio in pactum ducatur, exsectionem a muliere passam validitati matrimonii non officere.

Sed iam cl. theologum secus opinantem audiamus.

« Quaeritur: *In quo constituenda sit intrinseca essentia impedimenti impotentiae?*

« R. In primo quaesito agitur, ut patet, de impotentia ad matrimonium ».

Parcat praestantissimus vir, si a limine eum interpellem. Sane a iuventute edocti sumus omnis disputationis exitum a recte vel secus posito quaestionis statu quam maxime pendere. In re autem praesenti minus recte, " ut patet „, dicitur universim quaestionem agi " de impotentia ad matrimonium „. Sane cum non una sint matrimonialia feminae officia, impotens ad matrimonium multiplici modo esse potest mulier, prout vel ad copulam, ad prolis conceptum, ad gestationem, aut ad solum partum inepta inveniatur.

Status quaestionis autem prout ex ipsius dubii enunciatione liquet, de impotentia est quatenus haec impedit, quominus matrimonium, coram Ecclesia valide ineatur; seu de *impotentia sub ratione habita, sub qua inter impedimenta matrimonii dirimentia a iure recensetur.*

« 1. Impotentia est defectus potentiae seu actus primi, non defectus actus secundi. Matrimonii autem triplex est *essentiale bonum* ex Conc. Flor. Decr. pro Armenis. Horum bonorum primum est proles, et tantum quoad prolem physica impotentia dari potest. Quare matrimonii impotentia physiologica, est impotentia ad prolem et ad generationem prolis ».

Quod impotentia sit defectus potentiae seu actus primi non secundi, est evidens. Ast pari evidentia mihi non constat, ex citato decreto pro Armenis deduci impedimentum impotentiae dirimens matrimonium " physiologicam esse impotentiam ad prolem et ad generationem prolis „.

En laudati decreti verba: " §. 16. Septimum est sacramentum matrimonii, quod est signum coniunctionis Christi et Ecclesiae... Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verbum de praesenti expressus. Assignatur autem triplex bonum matrimonii. *Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei.* Secundum est fides quam unus coniugum alteri servare debet. Tertium est indivisibilitas matrimonii propter hoc quod significat indivisibilem coniunctionem Christi et Ecclesiae „. — Ab Augustino utique verba haec deprompta sunt ita docente (1): " Non quia incontinentia malum est, ideo connubium vel quo incontinentes copulantur, non est bonum... Id quod bonum habent nuptiae, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est: fides, proles, sacramentum. In fide attenditur ne, praeter vinculum coniugale, cum altera vel altero concumbatur; *in prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur...* „

(1) *De Genesi ad litteram*, L. IX, c. 7.

Aliis verbis: Unus est actus copulae tum coniugum tum incontinentium; istorum concubitus est malus, non illorum. Ratio discriminis est, quia incontinentes vago concubitui indulgentes de suscipienda prole non curant, dum coniuges ad eam, si advenerit, *amanter suscipiendam, nutriendam, pie educandam* attendunt. In hoc sistit bonum matrimonii, quod dicitur prolis.

Porro ex huiusmodi bono ita enunciato utique non resultat essentiam impedimenti impotentiae sitam esse, apud mulierem, in impotentia non solum ad copulam, sed etiam ad generandam prolem.

« Ab actu seu ab effectu matrimonii proprio desumendum est, in quam rem sit eius potentia et causalitas, et consequenter in quanam re impotentia reperiatur, quod in primo quaesito inquiritur.

« Porro actus matrimonii proprius non est alius nisi actus per se aptus ad generationem et generatio ipsa secuta effectus eius proprius est.

« Impotentia igitur matrimonii est impotentia ad generationem ».

Respondemus distinguendo maiorem:

Ab actu matrimonii proprio, qui in generationis oeconomia est primus atque unus ab homine eliciendus, cum " caetera sint Dei „, h. e. a coniugali copula desumendum est, in quanam re impotentia reperiatur, prout in quaesito inquiritur: *Concedo maiorem.*

Ab actu coniugalis copulae atque insuper a caeteris operationibus, natura duce, copulam consequentibus atque feminis propriis, desumendum est in qua re impotentia reperiatur, *Subdistinguo:* — impotentia *physiologica* feminarum ad generationem, *concedo;* impotentia *canonica* matrimonia dirimens, *nego.*

Transeat minor.

Distinguo consequens: impotentia physiologica est impotentia ad generationem, *concedo;* impotentia canonica, *nego.* — Hoc foret probandum neque ex praesenti argumento eruitur.

« Impotentia matrimonii est impotentia ad generationem i. e. defectus potentiae seu causae generativae. Causa generativa proxime et adaequate est in unione seu copula viri et feminae per se apta ad generationem remote seu inadaequate, est in organis necessariis ad praedictam unionem et ad generationem in viro et in femina. Nam si desunt organa physiologice necessaria ad generationem i. e. in viro testes, in femina uterus et ovaria, licet possit haberi coitus, ille coitus tamen non est per se aptus ad generationem et consequenter non est coitus maritalis. Quare impotentia matrimonii proprie est impotentia ad generandum non impotentia ad coitum ».

Haec brevius et in forma ita sonant:

Ut valide contrahatur matrimonium, requiritur potentia ad coitum maritalem h. e. ad talem coitum qui *per se sit aptus ad generationem.*

Atqui, si vel in viro vel in femina desint organa physiologice necessaria ad generationem, coitus licet haberi possit, non erit maritalis seu per se aptus ad generationem.

Ergo, deficientibus hisce organis, valide non contrahitur matrimonium.

Respondeo: Concedo maiorem; distinguo minorem: Si desint organa necessaria ad copulam perfectam, quae generationi dat principium: *Concedo.* — Si desint in feminis sola organa ad munera physiologice necessaria, quae copulam regulariter sequuntur: *Nego.*

Sub data distinctione concedo vel nego consequens.

Sane carnalem copulam, si per se seu in sua natura spectetur, omne punctum tulisse integra traditio censuit, cum vir mulieris vas debitum penetrando ibi verum semen effuderit. Sed neque physiologi moderniores secus docent: " La fonction de la reproduction se compose, dans les deux sexes, de deux actes tellement distincts, que pour l'exercice de l'un la volonté reste entièrement étrangère à l'accomplissement de l'autre. La première est une fonction animale ou de relation; la seconde, est une fonction organique ou interne. Après le rapprochement de l'homme et de la femme, tout dans l'acte reproducteur se passe à notre insu. Cette intervention de la volonté ne suffit-elle pas pour différencier deux actes d'une même fonction, il est vrai, et ne rend-elle pas légitime la ligne de démarcation à établir entre les états pathologiques qui mettent obstacle à l'accomplissement ou de l'une ou de l'autre. J'estime que le mot *impuissance* doit être donné à tout état morbide qui, chez l'homme ou chez la femme, s'oppose à l'union *physiologique* des deux sexes, et le mot *stérilité* être réservé à tout état morbide qui, chez l'un ou chez l'autre sexe, empêche la reproduction de l'espèce " (1).

Haec cum ita sint, qui contendere velit coniugalem seu carnalem copulam tunc exclusive per se et suapte natura esse perfectam, seu aptam ad generationem, cum mulier sana atque integra habeat omnia etiam interna generationis h. e. conceptionis, gestationis, partus organa, is sententiam suam novam probet, neque eam semel et iterum affirmasse contentus sit.

« Matrimonium non est propter coitum, sed propter generationem, per coitum per se aptum ad illam. Unde impotentia ad generationem est impotentia matrimonii simpliciter ratione sui i. e. impotentia ad coitum est impotentia matrimonii, sed ratione impossibilis consequenter generationis naturali eo modo qui est a Deo institutus ».

(1) Dr Roubaud, *Impuissance et stérilité*, pag. 3.

Resp. Matrimonium non est propter coitum, sed propter generationem per coitum per se aptum ad illam: *Distinguo* cum Angelico Doctore (Suppl. q. 42. a. 2) " prout officium naturae institutum fuit a Deo ante peccatum ": *Concedo:* prout est, in remedium et " post peccatum fuit institutum ". *Nego.*

Caeterum si homo non peccasset, non fuisset qualiscunque impotentia.

Sed iam Thomam ipsum audiamus:

« Respondeo dicendum quod natura inclinat ad matrimonium intendens aliquod bonum: quod quidem variatur secundum diversos hominum status, et ideo oportet, quod secundum illud bonum diversimode in diversis statibus hominum instituatur, et ideo matrimonium, secundum quod ordinatur ad procreationem prolis, quae erat necessaria etiam peccato non existente, *institutum fuit ante peccatum:* secundum autem quod remedium praebet contra vulnus peccati, *institutum fuit post peccatum,* tempore legis naturae ».

Sensu plane eodem, Doctor Seraphicus (1):

« Dicendum quod, quia institutio respicit usum, usus vero matrimonii est in remedium et est in officium ;... ideo duplex fuit eius institutio: una ante lapsum in officium; alia post lapsum in remedium. Prius institutum fuit in officium, nunc autem non solum in officium, verum etiam in remedium, contra libidinis morbum. Et ideo, *quamvis non sit ibi bonum prolis,* possunt esse alia bona. Si homo stetisset, semper fuisset hoc bonum, quia tantum fuisset in officium et hoc bonum non deesset, quia nulla sterilitatis poena. Nunc matrimonium est bonum medicinale, quod curat malum ».

Itaque si persuasum me facere velis matrimonium etiam in statu naturae lapsae non esse propter coitum, sed exclusive propter generationem, id probes, cum in hucusque exaratis convincens argumentum nondum perspexi.

« Confirmatur exposita doctrina ex eo quod si in matrimonii contractu conditio apponatur generationi prolis contraria, matrimonium ex omnium sententia est nullum. Ergo primo proles omnino est necessaria et *essentialis* matrimonio tanquam primum bonum sine quo matrimonium esse non potest.

« Ergo secundo *magis adhuc* nullum est matrimonium, si non tantum excludatur *actus secundus prolis* per initam conventionem, sed etiam excludatur *actus primus prolis* per procuratam physiologicam impossibilitatem prolis. Nonne haec *physica impossibilitas* prolis magis adhuc substantiae matrimonii repugnat, quam simplex conventio de prole *de facto* impedienda? Ac, si nullum est matrimonium sub conditione impediendae *de facto* prolis, nonne consequenter erit nullum sub conditione excisionis ovariorum et uteri in muliere vel testium in viro ad prolem impediendam, sub conditione nempe impediendae prolis, *quoad ipsam eius potentiam et causam removendam?* »

Resp. " Ergo *primo* proles omnino est necessaria et essentialis ": *Distinguo:* in sensu propositionis praemissae, h. e. ita ut in matrimonii

(1) In IV, dist. 26 et 31.

contractu nulla conditio apponatur generationi prolis contraria: *Concedo*; hoc sensu, quatenus contrahentes prae caeteris primum sibi promittant prolem: *Nego*. Hoc in antecedenti non continetur neque ex aliunde constat.

" Ergo, *secundo magis adhuc* nullum est matrimonium, si excludatur actus primus prolis per procuratam physiologicam impossibilitatem prolis ": *Distinguo:* quatenus excisio ovariorum aequivalere supponitur explicitae exclusioni prolis contractui appositae: *Concedo:* quatenus uti simplex habetur in muliere ovariorum defectus: *Nego*. Rursus dicam hoc non constare.

Ulterius sub n° 5 " confirmari " suam sententiam cl. Epitomator contendit ex Const. Sixti V *Cum frequenter*. De hac autem, cum anno elapso sat scripsisse in nostro periodico (Cf. Vol. X, an. 1902. p. 494) putemus, ne ultra modum in salebrosa materia immoremur, benevolum lectorem ad ibidem discussa argumenta remittere liceat.

« Omnes actus venerei in matrimonio permissi eatenus sunt liciti, quatenus sunt ordinabiles ad prolis generationem, et *secundum naturam dicuntur*. Si ad prolis generationem ordinabiles non sunt, peccatum sunt, et peccatum sunt, quoad suam speciem, *contra naturam*, ut omnium theologorum doctrina est. Impotentia ergo matrimonii non est alia, neque potest alia esse nisi impotentia ad generandum. Haec est, et operae pretium est repetere, *fundamentalis* et *generalis* matrimonii impotentia, ex qua iudicium et criterium desumendum est pro qualibet alia impotentia. Et sic *pubertas* ad matrimonium valide contrahendum ex Iure Canonico requisita ex *potentia generandi* desumitur. *Certum est eum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et generare iam potest*. C. 3. *de Despons. impub.* Unde impotentia ad coëundum, quae utique apud antiquos commemoratur, quia magis clara et nota tunc temporis, nondum physiologica doctrina de generatione penitus comperta, ut nunc est, impotentia matrimonii non est *ratione sui*, sed *ratione generationis*. Patet enim primo, quod si habetur impotentia ad coëundum impotentia consequenter habetur ad generationem, eo nempe naturali modo, qui a Deo in matrimonio est institutus. Patet insuper quod in matrimonio coitus non est actus *finis*, sed actus *medium;* nam matrimonium per coitum ad generationem ordinatur, et coitus ad generationem dirigitur. Et hac tantum ratione non quilibet coitus in matrimonio est permissus, sed solum ille, qui est *secundum naturam*, seu *de se* aptus ad generationem ».

Resp. — " Omnes actus venerei in matrimonio eatenus sunt liciti, quatenus sunt ordinabiles ad prolis generationem et *secundum naturam* dicuntur: Si secus, sunt peccata *contra naturam* ". Propositio haec ad principii instar hic adducitur atque dicitur esse " omnium theologorum ". — Ponamus itaque casum sequentem:

Titius et Caja legitimo matrimonio coniuncti, per annos plures rei coniugali indulgebant atque etiam prole recreati sunt. Porro muliere ob gravem morbum decumbente, non aliter salvari eam posse peritus declarat, nisi mediante operatione Porrensi, excisione scilicet integri interni genitalium apparatus. Ita factum est atque ad salutem redit coniux. Quid iam de iure eiusdem ad debitum vel petendum vel reddendum?

Iuxta mox relatam sententiam copula inter Titium et Caiam in futurum non amplius erit licita, sed peccatum contra naturam, quia cum proles nulla amplius sperari possit, huiusmodi actus venereus iam non erit ordinabilis ad generationem. Unde etiam sequitur quod, si ponas ambo coniuges in florida aetate adhuc constitutos atque copulationis organa possidere sana, necessaria eorumdem cohabitatio in perpetuum laqueum diaboli ipsis vertere dicenda erit.

Sed est-ne verum theologos omnes ita sentire?

En quae hac de re docet Lehmkuhlius (1): " Licitus actus (inter coniuges) est ex natura sua ad prolem generandam destinatus, etsi per accidens proles non generetur. — Quum non solum ad prolem reipsa generandam, sed etiam ad consulendum concupiscentiae matrimonium inductum sit, constans est doctrina theologorum, post matrimonium legitime contractum licitam esse copulam coniugalem, quanquam propter diversas circumstantias re ipsa *non potest* proles generari. Eadem ratio subest, si mulier post legitimum matrimonium contractum impotens evadat v. g. excisis utero vel ovariis ". Nec qui haec scripsit, dari suspicatus est, qui secus teneant.

Sane peccatum *contra naturam* nemo unquam esse docuit copulam carnalem etiam inter solutos habitam, in qua tria haec servata sunt, scilicet: discrimen sexus, vas debitum, veri seminis masculini infusio intra vas. Ratio est, quia ita quoad se spectatus talis venereus actus vere est ad prolis generationem ordinabilis. Quod si generatio ob qualescumque circumstantias, puta vel ob praegnationem, vel ob genitalium internorum deformitatem, aut, quod ad idem redit, deficientiam, sequi nequeat, hoc, relate ad copulam, erit *per accidens*, neque copula ipsa exinde culpanda erit.

« Obiectio movetur ex licito *senum* et *sterilium* matrimonio, ut concludatur licere etiam matrimonium mulieris perfecte carentis utero et ovariis. Verum inde *pari iure concludendum esset, licere etiam matrimonium spadonum et eunuchorum*. »

Resp. negando consequentiam; neque affirmasse sufficit aequale esse ius spadonum aut eunuchorum atque mulierum utero et ovariis carentium. Hae ad copulam, prout natura ipsam docet, manent capaces, minime illi, qui ad effundendum verum semen sunt incapaces.

Insuper, si *steriles* et *senes* contrahere licite possunt matrimonium, hoc ideo est, quia licet *de facto* non generent, generare tamen possunt, et etiam *de facto* aliquando generant, dum e contra mulier sine utero et ovariis generare nullo pacto potest, neque consequenter vel in uno tantum casu *de facto* unquam generat. *Impotentia* ea obiectione

(1) *De matrim.*, n. 834.

cum *sterilitate* confunditur. Sterilitas mere dicit *carentiam actus*, quod nempe potentia, *quacumque accidentali ratione prohibente*, ad actum non reducatur. *Impotentia* e contra dicit carentiam *ipsius facultatis ad actum*. Matrimonii actus proprius, ut iam dictum est, prolis generatio est, non aliud.

Resp. — De hoc sterilitatis conceptu fusius anno elapso scripsimus (1). Unum recolere iuvat illum esse novum et integrae opponi scholae doctrinis, quam apud S. Alphonsum sic legere est: " Valide contrahunt steriles quia, etsi sint impotentes ad generationem, non tamen ad copulam... et susceptio prolis, licet sit praecipuus, non tamen est unicus nec immediatus finis matrimonii „.

Cum passim in confirmationem huius scholae doctrinae ad Angelicum doctorem appellatur, sic cl. adversarius.

« S. Thomas, qui solet in medium proferri, in art. 1. ad 3. q. 58. Suppl. non dicit *simpliciter* quod senes absolute non possint generare, quod pertinet ad impotentiam generandi ex defectu causae physiologicae generationis, sed quod *non habeant caliditatem sufficientem ad generandum*, quod pertinet, non ad potentiam generandi, sed ad ipsum factum seu effectum generationis, ex defectu huius requisitae conditionis ad hoc, ut causa suum producat effectum. Neque vero etiam hoc *absolute* dicitur a S. Doct., sed cum limitatione, qua evidenter S. Thomas non solum supponit in huiusmodi senibus potentiam generandi, sed etiam factum, quod *aliquando* sequatur. Nam ait, *senes* QUANDOQUE *non habent caliditatem sufficientem ad generandum*. Notetur bene illud *quandoque* ».

Utique illud bene notavimus atque animadversionem mirati sumus. Ni fallor, S. Thomas dicendo senes *quandoque* non habere caliditatem sufficientem ad generandum, non intendit senes, puta Titium aut Cajum, *quandoque* h. e. interdum non habere caliditatem sufficientem, unde non omni die vel hora ad generationem dispositi seu idonei inveniuntur; nam senibus hoc non est proprium, imo virili sexui universo commune. Sane, cum femina semper ad copulam praesto sit, istam perficiendi voluntas in viro, nisi in nervoso systemate spontaneum, quod continuo in promptu non est, adiutorium obtineat, ad erigendum atque ad coëundum non sufficit. Sensus itaque articuli est, senes *quandoque dari* qui senio confecti ita sunt, ut iam caliditatem sufficientem ad generandum plane amiserint.

Caeterum doctrinam S. Thomae propius investigemus.

Loco citato quaerit ipse: *Utrum frigiditas matrimonium impediat*. — Videtur, ait, quod non. Nam " 3. Omnes senes sunt frigidi, sed senes possunt matrimonium contrahere: ergo frigiditas non impedit matrimonium „.

" *Conclusio*: Frigiditas seu impotentia coëundi simpliciter incurabilis impedit matrimonium.

" *Respondeo* dicendum, quod in matrimonio est contractus quidam quo unus alteri obligatur ad debitum carnale solvendum. Unde non est conveniens matrimonio contractus, si fiat ab aliquo qui debitum carnale solvere non possit.

" *Ad tertium* dicendum, quod senes, quamvis quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem sufficientem ad carnalem copulam, et ideo conceditur eis matrimonium secundum quod est in remedium, quamvis non competat eis secundum quod est in officium naturae. „

Haec Angelicus Doctor, neque opus est ut eadem commentatione illustrentur. Accidit quandoque inveniri senes senio utique ita confectos, ut, licet iam sufficientem caliditatem ad generationem non habeant, cum semen eorum in testiculis confectum ad foecundationem iam sit impar, tamen sufficientem habent caliditatem ad copulam; et his, si matrimonium contrahunt, non erit in officium naturae sed in remedium. Ita cum S. Thoma docent omnes.

Ne sit dubium de mente et de doctrina tradita a S. Doctore, comparetur cit. textus S. Thomae, quo S. Doctor permittit matrimonium *senibus, quamvis quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum*, cum alio textu QQ. DD. de Malo q. 15, a. 2, ad 14. quo iterum S. Doctor permittit matrimonium senibus. In hoc enim alio textu ita permittit senibus matrimonium, ut ex actu sequi possit generatio, secus ex eodem Angelico Doctore actus *contra naturam est*. « Ille actus, ait S. Th., l. c., *est contra naturam* in genere luxuriae, *ex quo non potest sequi generatio, secundum communem speciem actus;* non autem ille, *ex quo* non potest sequi *propter aliquod particulare accidens*, SICUT EST SENECTUS VEL INFIRMITAS ». Enimvero « finis usus genitalium membrorum EST GENERATIO... et ideo *omnis usus* praedictorum membrorum, qui *non est proportionatus generationi prolis... est secundum se inordinatus* » (Ibid., a. 1). Quare Angelicus Doctor non tantum supponit, sed expresse affirmat, quod *in senibus et in infirmis*, quibus matrimonium permittitur, *generatio sequi potest ex natura seu specie ipsius actus;* et si de facto haec non sequatur, est tantum *propter aliquod particulare accidens*, nempe, dicit idem S. Thomas, *propter defectum sufficientis caliditatis.*

Rursus, ne per viam selectionis procedere videamur, textus integros transcribamus.

In q. itaque 15 *de Malo* S. Thomas quaerit: " Utrum omnis actus luxuriae sit peccatum mortale „.

Sub num. 14 obiicit: " Manifestum est quod ex concubitu mulieris quae est sterilis vel vetula, generatio prolis sequi non potest. Sed tamen hoc quandoque fieri potest sine peccato mortali, in statu matrimonii.

" Ad 14 respondeo dicendum, quod lex non datur secundum particularia accidentia, sed secundum communem considerationem. Et ideo dicitur actus ille esse contra naturam in genere luxuriae ex quo non potest sequi generatio *secundum communem speciem* actus; non autem ille ex quo non potest sequi propter aliquod

(1) *Anal. Eccl.* Vol. X, p. 85, 135, 225, 313, 466. 494.

particulare accidens sicut est senectus vel infirmitas „.

Sensus horum videtur obvius:

1. Obiectio est de concubitu quem generatio sequi *non potest*, seu cum femina ad generandum impotenti. Porro in responso aperte admittit S. Doctor huiusmodi concubitum in matrimonio non esse peccatum.

2. Ratio cur in matrimonio tales concubitus liceant, est, quia secundum communem considerationem ipsos sequi potest generatio; quod si non sequatur, hoc est propter particulare aliquod accidens.

3. Accidens huiusmodi habetur, ubi ob senectutem vel infirmitatem mulier tali iam laborat suorum genitalium indispositione, ut, licet ad coitum semper maneat prompta, tamen amplius ad generandum non est idonea.

4. Sane coniugibus ita indispositis non semel aut iterum vel per tempus limitatum ius erit ad concubitum, sed absque limitatione numeri aut temporis, dummodo rite congredi valeant.

5. Quod si non senectute mulier ad generationem facta sit impar, sed a natura habuerit interna genitalia substantialiter *infirma* quae eam prolem unquam concipere non sinant, hoc moralitatem copulae non mutat et semper verum manet, quod huiusmodi coniugis concubitus secundum communem considerationem est licitus, quamvis propter particulare accidens hunc generatio non sequatur.

Notes quod, si causa, ob quam generatio prolis copulam sequi non potest, sit universim " infirmitas „ hoc, duce Angelico, erit " aliquod particulare accidens „, neque validitati matrimonii neque iuri ad debitum opponitur. Porro ab medicis atque chirurgis docemur, quam maxime ob innumeras infirmitates feminea interna genitalia organa afficientes, prolis generationem reddi impossibilem. Quod autem huiusmodi infirmitates sedem vel in ovariis habeant, aut in tubis Fallopianis, aut in oviductibus, aut in utero etc. hoc non mutat infirmitatis, quà est impedimentum generationis, speciem. Sed neque quod perpetua sit infirmitas aut temporanea species attingitur: nam pro nunc in utroque casu generatio est impossibilis, unde si in uno copula carnalis sit licita, eam licere etiam in altero dicendum est et v. v. Caeterum, quis iam temporaneam aut perpetuam esse talem plane internam infirmitatem continuo decerneret? Demum inter organorum v. g. ovariorum substantialem depravationem aut eorumdem deficientiam, dum ad solam formalem impotentiae causam respicitur, nullum perspicitur discrimen.

Restat ut concludamus quod ex divi Thomae doctrinis, carnalis copula cum femina, quae organa genitalia interna habet infirma, depravata, aut plane deficientia, non erit propterea actus " contra naturam in genere luxuriae, ex quo non potest sequi generatio *secundum communem speciem actus* „, sed quod talis copula erit actus " ex quo non potest sequi generatio *propter aliquod particulare accidens* „. Quare non solum ex divo Thoma non confirmatur quam hic impugnamus singularis sententia circa essentiam impedimenti impotentiae, sed imo contraria communis fulcitur.

Quo autem maiori adhuc luce Angelici doctrina pateat hoc ultimum accipias.

In iure l. IV, tit. XV, *de frigidis*, cap. I, sic legitur:

" Quod si mulier causetur et dicat: Volo esse mater et filios procreare et ideo maritum accepi: sed vir quem accepi, frigidae naturae est, et non potest illa facere propter quae illum accepi. Si probari potest per rectum iudicium, separari potest: et illa si vult nubat in Domino „. Hisce itaque citatis iuris verbis: " Videtur ex hoc ait Angelicus (1), quod ratione sterilitatis matrimonium solvi possit. Et dicendum quod non quia in sterilibus, etsi matrimonium non habeat intentum suum secundum quod est in officium naturae, habet tamen secundum quod est in remedium per carnalem copulam. *Unde ponitur hic procreatio filiorum pro carnali copula* quam mulieres verecundantur expetere „.

Non secus D. Bonaventura (2): " Dicendum quod sancti curialiter loquuntur, secundum quod ipsae mulieres sunt verecundae: mulier enim non potest separari a viro *propter defectum potentiae generandi, sed potentiae coëundi*, et in illa circumlocutione intelligitur quod carnaliter vult cognosci a viro „.

Perpensis itaque omnibus et singulis, ab cl. adversario, in responsione ad quaesitum supra enunciatum, productis, nullum apprehendimus argumentum nos cogens, ut a sententia communi recedamus quae tenet, essentiam impedimenti impotentiae sistere in eo, quod haec sit *ad copulam, non autem quod sit ad generationem.*

A. Eschbach.

II.

Normae pro Commissione Cardinalitia pro studiis S. Scripturae provehendis (3).

I.

Scopo della Commissione.

La Commissione degli studi della Sacra Scrittura è stata istituita per autorità e per ordine di Sua Santità Papa Leone XIII, per render sicura e completa l'osservanza delle norme e delle prescrizioni contenute nell'Enciclica *Providentissimus Deus* e nella lettera apostolica *Vigilantiae*; laonde la Commissione avrà per incarico:

(1) In IV. d. 34 in Expos. lit.

(2) L. c.

(3) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. X, p. 433 ubi iacet Breve institutionis dictae Commissionis. *N. D.*

I. — Proteggere e difendere assolutamente l'integrità della fede cattolica in materia biblica.

II. — Promuovere con zelo e competenza il progresso nell'esposizione o esegesi dei Libri Divini: oltre la regola della analogia della fede, sarà anche necessario tener conto delle recenti scoperte degli scienziati.

III. — Interporre il suo giudizio per dirimere le controversie di speciale gravità, che potessero sorgere fra gli scienziati cattolici.

IV. — Rispondere alle consultazioni dei cattolici del mondo intero.

V. — Fare in modo che la Biblioteca Vaticana sia convenientemente fornita dei « codici » e dei libri richiesti dalla materia.

VI. — Pubblicare degli studii sulla Scrittura, a seconda che le circostanze lo richiederanno.

VII. — Siccome il Santo Padre desidera espressamente: 1.° che a Roma sia pubblicato un bollettino periodico di Studii Biblici; 2.° che vi sia creato un istituto speciale per approfondire più che sia possibile tali studii; così la Commissione non dovrà trascurare ogni sforzo ed ogni fatica per raggiungere questo duplice intento.

II.

Incarichi degli EE. Cardinali della Commissione.

I. — I Cardinali che fanno parte della Commissione, si riuniranno due volte al mese, salvo il caso che ragioni speciali non rendano necessarie più frequenti tali riunioni. Esse avranno normalmente luogo la seconda e la quarta domenica di ogni mese.

II. — I Cardinali riceveranno un rapporto concernente le discussioni dell'assemblea dei consultori, ed i loro pareri o « voti ». Questo rapporto dovrà loro pervenire almeno otto giorni prima della data normale della riunione dei Cardinali, affinchè Essi possano deliberare e decidere nelle questioni Loro proposte dopo un pieno esame e dopo esserne stati completamente informati.

III. — Spetterà ai Cardinali sanzionare o modificare giudizi dei consultori, o rinviare completamente le question ai consultori stessi, affinchè essi le studino di nuovo; i Cardinali potranno anche incaricare qualcuno dei consultori di fare il suo rapporto circa un determinato argomento.

IV. — Proporre delle questioni allo studio spetta ai Cardinali; potranno farlo anche i consultori, ma sempre previo consentimento dei Cardinali.

V. — I Cardinali, avutone il consenso dal Sommo Pontefice, decideranno su quali materie e per quanto tempo debba essere applicata la legge del segreto pontificio.

VI. — Il relatore-segretario della Commissione esporrà al Sommo Pontefice a quali pareri i Cardinali si saranno attenuti in seguito alle loro deliberazioni. Lo stesso relatore-segretario riferirà poi al Cardinale presidente della Commissione la decisione del Papa.

VII. — L'elenco dei libri e dei codici che dovranno essere collocati in quella parte della biblioteca vaticana riguardante le questioni bibliche, dovrà essere approvato dai Cardinali.

VIII. — Non potrà esser pubblicata cosa alcuna nel periodico od in altre riviste, a nome della Commissione, senza il permesso dei Cardinali.

IX. — Qualora fosse opportuno aggiungere alla Commissione dei nuovi consultori, i Cardinali, dopo aver udito il parere dei consultori, proporranno al Sommo Pontefice l'elenco dei nuovi proposti.

III.

Officio de' Consultori della Commissione.

I. — I consultori che risiedono in Roma, si riuniranno due volte al mese; il Cardinale presidente della Commissione stabilirà le loro riunioni straordinarie.

II. — I consultori dovranno accuratamente studiare le quistioni loro indicate dai Cardinali, specialmente quando si tratterà di cose molto discusse fra i cattolici: faranno conoscere ai Cardinali per iscritto il loro parere, motivandolo.

III. — Se la Commissione venga consultata circa qualche argomento, i consultori concorreranno coi Cardinali per le risposte da darsi.

IV. — Quando i Cardinali non avranno precedentemente stabilito quale o quali dei consultori dovranno fare il loro rapporto o presentare il loro avviso circa una questione sottoposta al giudizio della Commissione, i consultori potranno nominarli essi stessi nelle loro normali riunioni: i Cardinali avranno pertanto sempre il diritto di provocare in proposito il parere degli altri membri della Commissione.

V. — Ove i Cardinali ed i consultori lo giudichino opportuno, si potrà, per argomenti affatto speciali, consultare un cattolico particolarmente competente in un determinato ramo della scienza.

VI. — I relatori-segretarii (*consultores ab actis*) non decideranno di loro propria autorità, alcuna questione.

VII. — I relatori-segretarii presiederanno le riunioni dei consultori.

VIII. — La parte della biblioteca vaticana destinata alla questione biblica, sarà aperta pei consultori nei giorni e nelle ore in cui la biblioteca è normalmente aperta; fuori di questi giorni e di queste ore, essi dovranno avere uno speciale permesso dal Papa, e intendersi col prefetto della biblioteca.

IX. — I consultori che non risiedono in Roma daranno il loro concorso alla Commissione, sia rispondendo alle questioni che saranno loro trasmesse, sia facendo alla Commissione utili comunicazioni.

IV.

Il Periodico.

I. — Il periodico sarà sottoposto alla vigilanza della Commissione, ma nulla vi potrà esser considerato come emanante dalla commissione, se non ciò che ne avrà espressa menzione.

II. — I Cardinali sceglieranno alcuni dei consultori, che, d'accordo col Maestro del Sacro Palazzo, eserciteranno le funzioni di censori del periodico. Quando si trattasse d'una questione di particolare importanza, oppure quando i censori dissentissero fra di loro circa qualche punto, si dovrà riferirne ai Cardinali.

I relatori-segretarii sono Monsignor Vigouroux, Roma, via Quattro Fontane, ed il R. P. Fleming, Roma, via Merulana.

ROMANAE INSTITUTIONES

I.

Casus Conscientiae propositus et solutus Romae, ad S. Apollinarem.

IV.

De impedimento ordinis sacri.

Die 16 Ianuarii 1903, hora 15 1/2 (3 1/2 pom.).

Titius vir nobilis et potens Caium habet fratrem natu minorem tardioris ingenii adolescentulum, cui ex testamento cuiusdam ex agnatis pinguis haereditas constituta est, ea tamen lege, ut ad eum, si aetate maior effectus uxorem ducat, devolvatur, aliter ad primogenitum spectet. Id probe sciens Titius testamentum fratri occultat, a ceterorum consortio eum studiose segregat, ecclesiastici status excellentiam, dignitatem et commoditatem vitae continuo commendat, eumque tum illecebris, tum malis artibus ita circumvenit, ut tandem aliquando ab eo consensum extorqueat de eodem statu amplectendo. Sine mora, auxilio fretus cuiusdam sacerdotis, qui pessima Titii consilia fovebat, ita se gerit, ut ab episcopo exterae cuiusdam nationis et aetate decrepito, in privato huius sacello, sed in forma Ecclesiae consueta, et servato in omnibus sacro ritu, ad tonsuram et ordines usque ad subdiaconatum inclusive vix expleto decimo octavo aetatis anno, Caius promoveatur. Post haec Titius pinguem haereditatem fratri designatam adit.

Verum Caius aetate maior effectus in notitiam venit tum testamenti pro se conditi tum omnium, quae a Titio circa sui ordinationem peracta fuerant. Indignatus animo et haereditatis assequendae cupidus nobilem puellam matrimonio sibi iungit, a qua prolem suscipit.

Quaeritur:

1° *An et quo iure ordo maior et sacer matrimonium dirimat?*

2° *Quid iudicandum de matrimonio post susceptum subdiaconatum a Caio contracto?*

3° *Qua ratione sit eidem Caio providendum?*

Respondeo ad 1um — Ordinem sacrum esse unum ex impedimentis dirimentibus matrimonium in Ecclesia latina patet vel ex solo Canone 9. Sessionis 24. Concilii Tridentini statuentis: *Si quis dixerit Clericos in sacris ordinibus constitutos vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, A. S.* — Ut Clerici autem *in sacris* constituti in Ecclesia latina praeter presbyteros et diaconos habentur etiam subdiaconi. Et in Constitutione *Apostolicae Sedis* edita a Pio IX fel. mem. habetur censura excommunicationis latae sententiae, Episcopis sive Ordinariis reservatae in *Clericos in sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non in omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.* Quam censuram in Clericis concomitatur suspensio a divinis, et si matrimonium attentatum etiam consummatum fuerit, irregularitas quae dicitur *bigamiae similitudinariae.*

Et ista quidem pro Ecclesia latina, omissis aliis, certa sunt. Ecclesia vero graeca, quamvis Canones disciplinares a Latinis editi post saeculum IX eam non respiciant, ut ab omnibus admittitur (cf. Phil. de Angelis, Prael. Iur. Can. in L. IV. tit. 6. *Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt*), convenit tamen cum Ecclesia latina in disciplina sancita per canones antiquiores. Et quoad Episcopos quidem eadem fuit semper utriusque Ecclesiae disciplina; his enim, ut ait idem De Angelis (l. c.), neque licitum aliquando fuit uxores ducere, neque nuptiis ante ordinationem contractis uti. Quoad presbyteros autem, diaconos *et subdiaconos* iam Concilium Trullanum (seu Synodus *Quinisexta*, habita Constantinopoli a. 690-691) canone sexto, qui est inter confirmatos a Romano Pontifice, statuerat, eos post ordinationem matrimonium iam contrahere non posse, licet iisdem canone 13° ab Apostolica Sede non approbato concederet, matrimonio ante ordinationem contracto uti, quod et nunc in Ecclesia graeca obtinet, excepto tamen tempore quo iidem ministri sacri munere suo in sanctuario fungi debent. Quod vero recens Ecclesia graeca in Subdiaconatu constitutis permittit uxorem assumere, in hoc potius se reprehensibilem ostendit utpote ab antiqua disciplina recedentem (De Ang. Prael. Iur. Can. in lib. 3. Decr. tit. 3). Neque id universim in Ecclesia graeca seu orientali licet. Nam quoad Italo-Graecos Benedictus XIV irritum declaravit matrimonium etiam a subdiaconis attentatum, Constitutione *Etsi Pastoralis*, edita 26. Maii 1742 (§ VII, n. 27). Cumque Pius Pp. IX a. 1858 restituisset Provinciam ecclesiasticam Fogarasiensem et Alba-Iuliensem, expresse statuens, « ut forma atque administratio ad ritum et disciplinam orientalis Ecclesiae ageretur », voluit tamen, ut ad sacros ordines nemo admitteretur, « nisi aut penitus coelebs aut ille qui *ante hypodiaconatum*, iuxta morem orientalem, legitimam uxorem duxisset ». Valde utiliter ea de re legitur apud De Angelis (Lib. 4. tit. 6) *Instructio* S. Congregationis de Propaganda Fide transmissa ad Archiepiscopum Provinciae Ecclesiasticae Fogarasiensis et Alba-Iuliensis (in Transylvania) die 24. Martii 1858. Ibi severior antiquae Ecclesiae disciplina quoad matrimonia Clericorum egregie vindicatur, Patrum etiam testimoniis, ut Hieronymi et Epiphanii, adductis.

Nobis diutius ea in re haerere non licet, sed transeundum est ad alteram partem primi quaesiti, *quo iure* nempe ordo maior seu sacer dirimat matrimonium.

Neque quaestio illa ullam praebet difficultatem. Quamvis enim dissensus quidam sit inter theologos, utrum obligatio coelibatus, quae incumbit iis qui sunt in sacris ordinibus constituti, sit ex *sola* lege ecclesiastica (quam quidem omnes admittunt), an *simul* ex voto eoque solemni, id quod longe probabilius videtur, (1) tamen etiam in hac altera hypothesi dicendum est, ordinem sacrum dirimere matrimonium iure potius ecclesiastico quam divino, quia sc. ipsa solemnitas voti, quod in ordine sacro suscipiendo implicite emittitur, seu quod per susceptionem ordinis sacri solemnizatur, est ab Ecclesia et ab eadem tolli potest concessa dispensatione ut pluribus exemplis constat (Cf. Schmalzgr. l. 3. tit. 35. n. 48). Ac recentissimo tempore Leo Pp. XIII concessit Episcopis facultatem dispensandi, « sive per se, sive per ecclesiasticam « personam sibi bene visam, aegrotos in gravissimo mortis « periculo constitutos, quando non suppetit tempus recurrendi « ad S. Sedem, super impedimentis quantumvis publicis, ma« trimonium *iure ecclesiastico* dirimentibus, *excepto sacro « presbyteratus ordine* et affinitate lineae rectae ex copula « licita proveniente » (Decret. S. O. 20 Febr. 1888).

Idque sustineri potest etiam ab iis theologis qui cum S. Thoma tenent (II. II, q. 88, art. 11) in voto solemni *religionis* non posse fieri dispensationem (proprie dictam). Nam S. Doctor l. c. expressis verbis distinguit inter votum

(1) Cfr. egregiam hac de re dissertationem in Anal. Eccl. Vol. I, p. 333 et seq.

solemnizatum *per professionem religiosam* et votum solemnizatum *per susceptionem ordinis sacri*, et ait: « Est ergo « considerandum utrum continentia sit essentialiter annexa « ei ad quod votum solemnizatur; quia si non est essentia- « liter annexa, potest manere solemnitas consecrationis sine « debito continentiae; quod non potest contingere si sit essen- « tialiter annexa ei, ad quod votum solemnizatur. *Non est « autem essentialiter annexum debitum continentiae or- « dini sacro; sed ex statuto Ecclesiae.* Unde videtur quod « per Ecclesiam possit dispensari in voto continentiae solem- « nizato per susceptionem ordinis sacri ». Quod quidem de voto solemnizato per professionem religiosam S. Doctor non admittit, quia per statum religiosum « homo abrenuntiat « saeculo, *totaliter Dei servitio mancipatur*, quod non potest « simul stare cum matrimonio »..... Qua de re disputandi hic locus non est.

Impedimentum igitur dirimens matrimonium, quod habetur in ordine sacro, est *iuris ecclesiastici*, non divini positivi neque naturalis, quamvis profecto summopere conveniat, ut quo propius clerici ad sacrosancta Altaris mysteria pertractanda accedunt, eo sanctius vivant, ab omni carnali mulierum consortio et a saecularibus curis abstinentes. Ut vero huiusmodi impedimentum habeatur ex ordine sacro, necesse est 1° ut sit susceptus valide, 2° ut sit susceptus libere, adeoque non ex metu gravi. Et primum quidem per se patet, alterum vero ex eo, quod Ecclesia non intendit gravissimas ordinum sacrorum obligationes nolentibus imponere. Si ergo aliquis valide quidem, sed sub influxu gravis metus suscepisset ordinem sacrum, posset transire ad vota saecularia, at ea conditione ut ab exercitio ordinis iugiter abstineret.

Respondeo ad 2um — Matrimonium post susceptum subdiaconatum a Caio contractum habendum esse ut invalidum. Ratio est, quia rite expensis omnibus adiunctis patet, Caium nec invalide suscepisse illum ordinem sacrum, nec gravi metu coactum, licet a fratre deceptum; impedimento igitur dirimente a matrimonio valide ineundo arcebatur.

Et re quidem vera Caius in iis adiunctis suscepit subdiaconatum, quae de validitate suscepti ordinis vix ullum dubium relinquunt. Quamvis enim ab initio, ut videtur, de amplectendo statu ecclesiastico ipse non cogitaverit, sed paulatim tantum, tum suasionibus tum illecebris ac malis artibus fratris sui in id consilii devenerit, postea tamen « in forma Ecclesiae consueta et servato in omnibus sacro ritu, ad tonsuram et ordines usque ad subdiaconatum inclusive » promotus est, *ac promoveri voluit.* Ea quae audiverat de statu ecclesiastici excellentia et dignitate profecto vera erant, licet ex prava intentione ipsi demonstrata, et propterea opinionem aliquam bonam illius status in eo parere debuerant. Ea vero quae de commoditatibus vitae ecclesiasticorum eidem iactata fuere cum manifesta rerum exaggeratione, nihilominus aliquod desiderium illius status amplectendi in Caio excitare potuerunt. Quidquid sit, ex adiunctis casus, prout iacet, non apparet eum recepisse subdiaconatum absque voluntate recipiendi, quamvis receperit absque vera vocatione. Quod vero consensus Caii de statu ecclesiastico amplectendo *extortus* dicitur, id non de extorsione per incussum metum gravem intelligendum est, sed de consensu potius per illecebras, malas artes et per repetitam commendationem partim veram, partim falsam et exaggeratam illius status illegitime obtento, qui tamen consensus utpote verus nec cognitionem obligationum status ecclesiastici, nec voluntatem eas adimplendi excludebat.

Standum est igitur pro validitate ordinis sacri a Caio sine gravi metu suscepti, et proinde pro invaliditate matrimonii postea ab eodem contracti. Nec tantum invalide contraxit seu attentavit matrimonium, sed etiam una cum sponsa poenas canonicas incurrit: sponsa quidem solam excommunicationem, nisi forsitan ignorantia excusabatur; ipse vero, in quo eiusmodi ignorantia admitti vix potest, etiam suspensionem, et propter copulam carnalem cum muliere perfectam irregularitatem bigamiae similitudinariae.

Responsio ad 3um, consideratis iam dictis, nullam praesefert difficultatem.

Providebitur Caio per absolutionem a censuris quas incurrit et per dispensationem ab impedimento sacri ordinis, quem suscepit, ut possit deinde *verum* matrimonium inire cum muliere, a qua iam prolem suscepit, interdicto sibi penitus usu tum ordinis sacri suscepti, tum etiam ordinum minorum, cum amissione omnium privilegiorum clericalium. « Licet maiores clerici — ait Phil. de Angelis in opere iam pluries citato (in Lib. III. Decret. tit. 3. n. 5°) — matrimo- « nium attentent, non deperdunt tamen privilegia clericalia, « quinimo, dimissa uxore, ad clericatum redire coguntur. « *Si vero a Summo Pontifice cum eis est dispensatum*, ut « uxores ducant (facere enim potest id Pontifex ex absoluta « potestate, cum lex coelibatus non sit divini, sed ecclesiastici « iuris...) *tunc utique illa privilegia deperdunt*, cum amplius « inter clericos non computentur ».

Fr. Maurus M. Kaiser, O. Praed.
Epitomator ex officio.

II.

Casus Liturgicus propositus et solutus Romae, in Academia Liturgica.

VII.

De primarii lapidis Ecclesiae benedictione.

Die 4 Martii 1903, hora 3 1/4 a meridie.

Gerardus est patronus Ecclesiae cuiusdam ruralis S. Valentino dicatae, quae ob certam ruinam, quam terrae lapsus minitatur, et demolienda est per integrum, et alibi solidiori loco construenda. Hinc dictus patronus spatium libenter in suo praedio concedit pro nova Ecclesia, eiusque formam pro suo libito designat, indeque Episcopum Ordinarium invitat ut primum lapidem benedicat. At Episcopus impeditus, Protonotarium quemdam delegat, qui, accepta aqua ab eodem Episcopo benedicta, et mitra utens, functionem peragit iuxta Pontificale Romanum, benedictione tamen aquae omissa, et incipiens ritum ab antiphona *Signum salutis.* Ritu benedictionis expleto, ad Ecclesiam demoliendam accedit, et sacrum facit in honorem Beati Alexandri Sauli, cui et dicari novam Ecclesiam intendit Gerardus simul cum titulo antiquo. Episcopus ea omnia resciens, graviter conqueritur, seu quia Ecclesiae forma ipsum latebat, seu quia Protonotarius mitra et ritu Pontificali est usus, seu quia in veteri Ecclesia Missam de Beato celebravit. *Quaeritur:*

1. *Quid de antiquitate benedictionis primarii lapidis Templi aedificandi, seu in latina, seu in graeca Ecclesia, cuius sit iuris illam peragere, et quo ritu?*

2. *Quae sint iura patroni Ecclesiam aedificantis, et an ius habeat* formam *Ecclesiae pro suo lubito constituendi?*

3. *Quid dicendum de additione novi Titularis, et in casu de electione Beati?*

4. *Ubi Missa in casu dicenda, in cuius honorem, et num quocumque occurrente Festo celebrari queat?*

SOLUTIO

In conventu Academiae habito die 4 Martii 1903, super

casu proposito disseruit R. D. Hector Felici, Alum. Sem. Pont. Piani; atque Epitomen egit R. D. Felix Ravanat, Censor Acad. Liturg.

I. Inter iudaicas persecutiones orta, inter maiores crudelioresque romanorum imperatorum adolescens, Christi Ecclesia nulla habuit proprie dicta templa, quae, sumptuosa et magnifica, Constantino Imperatore primitus, piissimis aliis patronis ipsisque plebibus auctoribus, subsequentibus aetatibus, innumerabilia floruere, quibus tamquam solemne constansque ipsi Deo christianae artis tribuitur obsequium, a quo omne quod est bonum et optimum sumit principium.

Fuerunt igitur privatae fidelium domus, domus orationis et sacrificii, in quibus conveniebat Sacerdos et plebs *ad frangendum panem*, et ad roborandam, qua prece, qua communione Corporis et Sanguinis Domini, propriam fidem saepius durissimis tentationibus obnoxiam. A privatis domibus cito ad catacumbas transire necesse fuit, in quibus de gloria gaudens passionis, recentia innumerabilium circumdans martyrum sepulcra, exspectavit patienter donec hora transiret tentationis et potestatis tenebrarum; dum ethnicorum religio, in se dissolutionis semina gestans, coram nova illa idea trepidabat, simulque tardo sed inexorabili fato in destructionem abibat. Et hora praeteriit, nec spes victoriae fefellit, Christo sponsore, Constantino ipsius nomine auctore, publice Ecclesia recognita est; hinc templa in aethra elata, Martyrumque reliquiis decorata, quae eousque pie ac solliciter sub terra custodita fuerant. Sancta igitur Sanctorum spoliis, potissimum vero divinorum mysteriorum celebratione, nunquam erigebantur templa, quae prius, speciali ritu non fuerint expiata.

Novimus, historia teste, ecclesiarum dedicationem antiquitus fieri consuevisse splendido apparatu, solemnitatemque per dies octo perdurasse; Episcopos vero quamplures, e dissitis etiam regionibus concurrisse, ut populo indicarent quae fieri oporteret tempore augustae functionis et preces docerent in Deum fundendas pro fidei dilatatione atque imperii pace.

Si, quae pro ecclesiarum dedicatione allata sunt momenta maximi facienda sunt, haud minoris habenda pariter exstant pro primarii lapidis collocatione, antequam illae aedificentur.

Prima sacrarum aedium petra, *lapis angularis*, semper symbolum fuit in Christi Ecclesia altissimae significationis. Christus est lapis angularis fidei, ipse est lapis *quem reprobaverunt aedificantes*, et *factus est in caput anguli.* Christi Ecclesia, ipso suo teste fundatore, *aedificata est supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum.* Hoc igitur in templorum aedificatione significatur primarii lapidis collocatione materiali signo.

Autumant nonnulli, antiquitus, ritum appositionis primarii lapidis seiunctum non fuisse a ritu dedicationis ecclesiae iam aedificatae, eo quod post fundamentorum benedictionem Episcopus celebrat Missam in loco pro Ecclesia designato, quasi iam esset erecta; sed nihil probare hoc assertum videtur, cum Christus bene auspicari possit exordiis sui templi, quia ipse est principium et finis omnium. Non meminit historia huius ritus, nisi saeculo IV. Habet enim Theodosianus codex in novella 131, cap. VII: « *Si quis voluerit aedificare venerabile oratorium vel monasterium, praecipimus non aliter inchoandam fabricam nisi Episcopus orationem ibi fecerit* ». Baronius originem huius ritus ad saeculum redigit V (401) narrans in aedificatione templi *ad Marnii locum*, post Processionem et postquam architectus Rufinus templi superficiem designavit, « cum precatus esset sanctissimus Episcopus et genua flexisset, iussit populum fodere: statim autem omnes uno animo et eadem alacritate fodiebant, clamantes: *Christus vincit...* Congregato rursus Christi amante populo, multis precibus et psalmodiis dictis in loco, ipse primus se succingens coepit portare lapides et iacere fundamenta: deinde pii quoque clerici et laici laetantes et magna voce psallentes... » Idem tamen Baronius ex quo in veteribus documentis de Pontifice Fabiano legitur: « sub Gordiano Romae fundabat Ecclesias », ritum benedictionis fundamentorum ad primam saeculi III medietatem esse referendum, anno scilicet forsitan 241.

Primitus institutus hic ritus videtur in graeca Ecclesia, ex qua in latinam progressus est. Vetustiora enim documenta graecae sunt originis; leges hac de re promulgatae, e Byzantio processere.

Caeremoniae, ex Pontificali Romano, actum eo comitantes, omnes purificationis ideam includunt, et circa mysticam significationem versantur lapidis angularis.

Eiusmodi ritus est proprius Episcopi; si autem Sacerdos simplex deputetur ad functionem persolvendam, sequi debet Rituale Romanum, quod ritum similem habet, ex illo excerptum, qui in Pontificale reperitur sed in pluribus contractum, id praecipiente Rituali ipso.

II. Ius patronatus, temporum et rerum vicissitudine, varias passus est evolutiones, et in primis certum est illud esse effectum particularis benevolentiae Sanctae Ecclesiae erga eos qui suis expensis et facultatibus augebant numerum ecclesiarum ad pietatem fovendam fidelium.

Olim *patronus* nil aliud significabat quam *protector* ac proinde fundatores ecclesiarum, idest earum patroni, nullum ius stricte dictum habebant, sed solummodo *honores protectoris.* Et sane vidimus ita factum fuisse pro basilicis Constantiniana, Eudoxiana etc. Processu temporis Ecclesia indulsit ut corpora eorum, qui suis facultatibus aliquam ecclesiam extruxere, sepeliri possent in ipsa Ecclesia, et insuper ut eorum insignia, seu stemmata ornarent frontem Ecclesiae ab ipsis fundatae. Nunc autem videamus, utrum pertineat ad Ecclesiae patronum determinare *formam* ipsius ecclesiae nec ne. Certum est in Iure Canonico, patronum conditiones ponere posse quascumque in actu fundationis beneficii, tam *secundum*, tam *praeter*, tam etiam *contra ius*, dummodo conditiones istae honestae sint et non « iuris ipsius corruptela ». Nunc autem cum Ecclesia cultui divino sit ex se determinata et ad exercendas sacras functiones certe eius forma *(disegno)* non potest non esse huic usui conveniens, hinc est quod eius forma debet prius submitti adprobationi Episcopi. Sed hoc in tuto posito, patronus ius habet eligendi formam illam quae melius respondeat propriae ideae, ut qui magis ei placuerit, dummodo prius ab Episcopo partium dispositio sit approbata, sive circa amplitudinem, sive circa numerum altarium, sive circa situs sedium confessionalium, Baptisterii, organi etc., etc.

Quot templa sacra, quia exstructa a solo architecto, legum liturgicarum ignaro, licet quoad artem et sumptuositatem laudanda, quoad vero partium dispositionem et commoditatem non sunt deploranda!!

Hinc iuxta Pontificale Romanum, *Nemo Ecclesiam aedificet priusquam Pontificis iudicio locus et atrium designatur.* S. Carolus Borromeus in *actis Eccl. Mediol.* plura hac de re praescribit ut templa legibus canonicis et populi clerique commoditati respondeant.

III. Titularis alicuius ecclesiae ille est in cuius nomine ecclesia ipsa est fundata, et a quo ipsa nomen accipit. Generaliter unus tantum est unius ecclesiae titularis, sed non raro accidit quod plures Sancti sint titulares eiusdem ecclesiae, et hoc vel quia in honorem eorum dicatae fuere vel quia quamvis dicatae in honorem unius tantum, tamen, progressu temporis, a devotione populi, vel ob aliam causam, isti primo et antiquo titulari alii adiuncti sunt. Non semper tamen novi isti titulares gaudent iuribus privilegiisque illius antiqui,

quia aliquando accidit eos de iure non esse titulares quamvis honorentur a fidelibus tam solemni modo, ut penitus videatur extincta memoria veri et antiqui titularis. Et hoc ex eo evenit, quod, ut revera dici possint de iure titulares, requiritur apostolica adprobatio. His positis, quaestioni de novo titulari veteri adiuncto aperta est responsio: certum est unam eamdemque ecclesiam posse habere plures titulares. Hoc plura Decreta S. R. C. evidenter supponunt. Nunc si pluralitas ista exsistit usque ab erectione ecclesiae, nullum dubium, quod ad patronum spectet libera eorum electio. Cum autem adiunctio alterius titularis fit progressu temporis, tunc requiritur, uti diximus, apostolica adprobatio, de qua tacet casus propositus. Hoc autem non nocet quia agitur in casu de pluralitate titularium usque ab erectione, ac proinde manet libera electio a patrono facienda de consensu tamen episcopi. Iamvero non ita res se habet si unus ex titularibus a patrono propositis sit Beatus, quia nunc, post Decretum Urbani VIII « De cultu Sanctorum », nullo modo Beatus aliquis potest esse titularis vel contitularis alicuius ecclesiae (cf. Decreta S. R. C., nn. 1097, 1130, 1368, 1156, 1162, 1655, 2353, 2809, etc.), ac proinde nequit celebrari Missa de Beato, sed solummodo S. Valentini, et in casu cum non gaudeat amplioribus privilegiis quam ipsa dedicatio, eadem Missa nequit celebrari occurrente solemnitate aliqua, quae impedit celebrationem Missae votivae solemnis, aut festum aliquod cuius Officium transfertur.

IV. Relate ad ultimum quaesitum, notandum est Pontificale, post ritum Benedictionis Primarii Lapidis haec habere: « His expletis, si velit, parat se ad celebrandam Missam, in dicto loco, de Sancto in cuius nomine ecclesia fundatur ». Quae verba non reperiuntur in Rituali Romano, quando agitur de Sacerdote delegato. Poteritne igitur tunc celebrari Missa? Qualis ipsa erit? Ubi celebranda? Cum agatur de Rituali, et non de Pontificali, Missa *poterit* celebrari sed correspondens Officio diei currentis, nisi sit semiduplex, quia tunc poterit celebrari Missa votiva de Sancto. E contrario, Episcopus, expleto ritu iuxta Pontificale, *semper* (exceptis diebus solemnissimis) poterit celebrare Missam de Sancto Titulari. Ratio huius differentiae in hoc est, quod Pontificale loquitur de ista Missa, dum Rituale nihil dicit. Ergo....

In casu dicitur Missa celebrata fuisse in antiqua ecclesia demolienda: cum celebratio istius Missae non sit praeceptiva post benedictionem primarii lapidis a Sacerdote delegato factam, nihil in contrarium dicendum; tamen melius fuisset eam celebrare in loco ubi erigenda erat ecclesia, ut ait Pontificale.

Deinde Missa facta fuit de B. Alexandro Sauli, quem patronum, uti contitularem, vult erigendae ecclesiae. Hoc, uti vidimus, omnino est reprobandum.

Tandem relate ad usum mitrae, clarum est Protonotarium abusum fuisse suis privilegiis, quia illa solummodo permittunt ei usum mitrae quando pontificaliter Missam celebrat.

Doct. Petrus Piacenza.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ
NE PEREANT

JUIN 1903.

2 Mardi.

Le St-Père reçoit en audience S. G. Mgr Beider-Linden, Ev. de Poona dans l'Indoustan.

5 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Alphonse Capecelatro, Arch. de Capoue, Bibliothécaire de la S. Eglise; — S. G. Mgr Jean Camilleri, Ev. de Gozo; — le Rme P. Thomas Rodriguez, Prieur Général des Ermites de Saint-Augustin; — et les Lords Halifax et Grey.

6 Samedi.

Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, les Camériers surnuméraires suivants sont désignés pour présenter en qualité d'Ablégats la barrette cardinalice aux Prélats résidant à l'étranger qui seront promus au Cardinalat dans le prochain Consistoire du 22 courant, à savoir:

Mgr Michelange Bovieri, pour S. G. Mgr André Aiuti, Nonce Ap. en Portugal;

Mgr Sébastien Nicotra, pour S. G. Mgr Emidio Taliani, Nonce Ap. en Autriche;

Mgr Henri Sibilia, pour S. G. Mgr Sébastien Herrero y Espinosa de los Monteros, Arch. de Valence;

Mgr Joseph Aversa, pour S. G. Mgr Jean Katschthaler, Arch. de Salzbourg.

— Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. Mgr Ludovic Piavi, Patriarche de Jérusalem; — et S. G. Mgr Jean Blandini, Ev. de Noto.

7 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audiences: M. le Comte Jean Grossoli, Président Général de l'Œuvre des Congrès; — et le Rme P. Denys Schuler, nouveau Ministre Général des Mineurs, ainsi que le Procureur Général et les Définiteurs de l'Ordre.

8 Lundi.

Le Rme Dom Hildebrand de Hemptinne, Abbé Primat des Bénédictins, est reçu en audience.

9 Mardi.

Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Benoît Melata est nommé Protonotaire Apostolique Participant près la S. Congr. des Rites.

— Le St-Père reçoit à midi dans la Salle du Consistoire 300 pèlerins français de retour de Terre-Sainte.

— Congr. Antipréparatoire des S. Rites tenue auprès de S. Em. le Card. Dominique Ferrata, Ponent, pour examiner les deux miracles proposés pour la Canonisation du Bienheureux Clément Hofbauer, Prêtre Profès de la Congr. du T.-S.-Rédempteur.

10 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Cyrille Mogabgab, Ev. grec-melchite de Zahle; — Mgr Clément Pagnani, Ev. de Kandy, aux Indes Orientales; — ainsi que le T. R. Père Frediano Giannini, Custode de la Terre-Sainte.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Cardinal Ange Di Pietro est nommé Protecteur des Religieuses Sacramentines de Marie Auxiliatrice.

11 Jeudi.

S. G. Mgr Théodore Kohn, Arch. d'Olmütz, est reçu en audience.

12 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Raymond da Silvo Britto, Ev. d'Olinda; — et Mgr Léon Haid, Ev. Tit. de Messène, Vic. Ap. de la Caroline Septent.

13 Samedi.

Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Charles Montagnini est nommé Auditeur de la Nonciature Apost. en France.

16 Mardi.

Congr. Particulière des S. Rites tenue au Vatican pour examiner la question du martyre etc. des Vén. Marc Crisino, Chanoine de Strigonie, Etienne Pongraczi et Melchior Grodeczi, Prêtres de la Compagnie de Jésus, tués par les hérétiques à Cassovie, en haine de la Foi; — ainsi que la ques-

tion des vertus héroïques du Vén. Joseph Pignatelli, Prêtre Profès de la Compagnie de Jésus.

18 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG Mgr Frédéric Rooker, Ev. de Jaro; — et Mgr Dougherty, Ev. de Nuova-Segovia, aux Iles Philippines.

19 Vendredi.

Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Dominique Ferrata est nommé Protecteur de la Congrégation des Petits Frères de Marie.

20 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Hubert-Antoine Fischer, Arch. de Cologne; — et Mgr Jules Drohobetzky, Ev. Grec-Ruthène de Kreutz.

— S. Em. le Cardinal Herbert Vaughan, Arch. de Westminster, succombe à minuit à une maladie de cœur. Il était né le 15 avril 1832 à Gloucester, diocèse de Clifton. Dans le Consistoire du 27 sept. 1872 il fut préconisé Ev. de Salford; le 8 avril 1892 il fut promu à l'Archevêché de Westminster; et dans le Consistoire du 16 janvier 1893 il fut créé Cardinal-prêtre du titre des Sts-André-et-Grégoire au Cœlius. Il faisait partie des Congrégations suivantes: Concile, Propagande, Index, Cérémonial, Commission Pontificale pour la réunion des Eglises dissidentes.

22 Lundi.

Consistoire secret (*Voir aux Anal. Nova, p. 240*).

24 Mercredi.

Le St-Père impose la Barrette Cardinalice aux Emes Card. Nocella, Cavicchioni et Fischer, créés dans le Consistoire de lundi.

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat le St-Père assigne aux susdits Emes Card. les Congrégations suivantes:

Au Card. Nocella: Concile, Rites, Cérémonial, Etudes;

Au Card. Cavicchioni: Ev. et Rég., Concile, Index, Indulgences;

Au Card. Fischer: Ev. et Rég., Cérémonial, Indulgences, Etudes.

25 Jeudi.

Consist. Public et Secret. (V. *Anal. Nova*, p. 242).

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Gaëtan de Lai est nommé Pro-Secrétaire de la S. C. du Concile.

26 Vendredi.

Le S. Pallium est imposé selon le cérémonial d'usage aux Archevêques préconisés dans les deux précédents Consistoires, ou à leurs Procureurs respectifs.

27 Samedi.

Le St-Père reçoit en audience S. Exc. Mgr Janvier Granito Pignatelli di Belmonte, Arch. Tit. d'Edesse, Nonce Apost. en Belgique.

30 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Rooney, Ev. Tit. de Sergiopolis, Coadjuteur du Vic. Apost. du Cap-de-Bonne-Espérance; — Mgr Fiorini, Ev. de Pontremoli; — Mgr. Fiandaca, Ev. de Nicosie; — et Mgr Sturgo, Ev. de Piazza Armerina.

— Congr. Prép. des S. Rites, tenue au Vatican pour l'examen des deux miracles proposés pour la Béatif. du V. Serv. de Dieu Gaspar del Bufalo, Chan. de la Basilique de St-Marc à Rome, et Fondateur de la Congrégation des Missionnaires du Précieux Sang. F. C.

BIBLIOGRAPHIA

Operum quorum exemplar ad nos fuerit transmissum, lectorum editorumque intuitu, elenchum ponemus; praecipuorumque accurata fiet recensio, quatenus, duplici exemplari accepto, expedire videbitur.

Tractatus de Deo Uno, P. I. *de pertinentibus ad divinam Essentiam*, auctore ALEXIO MARIA LÉPICIER, Ord. Serv. B. M. V. in Collegio Urbano de Propaganda Fide Theologiae Professore. Parisiis, sumptibus et typis P. Lethielleux, pp. I – XL. 567.

Hoc est secundum volumen cursus INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM, quas auctor in praefato Urbano Collegio tradidit, et quarum primum volumen, TRACTATUS DE BMA VIRGINE MATRE DEI, paucis abhinc mensibus publici iuris factum est. Ita autem in praesenti Tractatu *de Deo Uno* auctor procedit, ut vestigiis S. Thomae Aquinatis pressius inhaerens, recentiora etiam scientiarum inventa dogmatibus nostris illustrandis adiiciat, haud omittens, quoties necessitas aut opportunitas id suadeat, errores sive antiquos sive modernos, ex tutissimis Angelici Doctoris principiis, confodere. Id etiam praetereundum non est auctorem, dum theologicas propositiones scholasticis rationibus, sive ex ipsa *Summa Theologica*, sive ex caeteris S. Thomae operibus, aut etiam ex aliis probatis auctoribus, demonstrat, partem quoque traditionalem sedulius expendere, collatis inter se, ubi necessitas id postulare videatur, textibus orientalibus, quemadmodum videre est maxime in quaestionibus de *simplicitate Dei*, de *existentia Dei in rebus*, de *cognitione Dei* et de *divinis Nominibus*.

Tractatus de *Sanctissima Trinitate*, auctore F. Alexio M. Lépicier, Ord. Serv. B. M. V., in Pontificio Collegio Urbano de Propaganda Fide Theologiae Professore. — Parisiis, Lethielleux, 1902. — In-8, pag. XLIII, 483. Pret. 7 fr.

Hic tertius est tomus illarum Institutionum Theologiae dogmaticae quae ab Auctore concinnatae ad S. Thomae summam, traduntur in scholis Urbani Collegii de P. F. Nuper enim editi fuerant tomus primus de Deo uno et tractatus de B. V. M. Matre Dei. Praesenti itaque opere evolutam habemus scholastico usui, totam materiam de Trinitate, eodem ordine eademque methodo quibus utitur S. Thomas in prima parte a questione 27.ª ad 43.ᵐ Praecipua Auctoris laus in summa perspicuitate reponenda est qua difficillimas etiam Theologiae speculativae quaestiones puta de relationibus divinis, sobrio simul ac proprio, dilucido ac facili eloquio illustrat ac resolvit. Neque positiva ac dogmatica deficit mysterii demonstratio ex fontibus revelationis, ratione aliqua etiam habita, in PP. citandis, ad historicam explicationis dogmatis evolutionem; id tamen parcius et quasi ex supposito, uti magistrum Theologiae decet, non historiae expositorem. In textibus ex verbo Dei scripto seligendis, Auctor traditionali sed solide fundatae, interpretationi libentius insistit quam nonnullorum hypercriticae haesitans haereat; quamvis ab hac nequaquam praescindat si quid boni ab ea mutuandum ipsi occurrat. Aptissime iuvat hoc opus tyronum menti informandae atque in altissimas mysterii divini rationes paulatim introducendae, nequaquam vero mentem eorumdem innumeris obruit notitiis aut confundit disputationibus; nihilominus locum amplum magistro relinquit ulteriori explicationi atque opportunae particularium quaestionum expositioni. Specialem sibi vindicat mentionem tractatio de Spiritus Sancti processione, de qua, monographia historica extat ab eodem Auctore edita in huiusce Ephemeridis bibliotheca. Optamus igitur fore ut Auctor ad hunc cursum eadem ratione ac methodo complendum, in scholarum emolumentum, scientiam suam didacticamque artem diuturno magisterio iam excultam impendere prosequatur. Unum notare liceat quod in posterum facile supplebitur: discipulis opportunum esset ad manum habere, praeter indicem analyticum qui operi praemittitur, ad calcem eiusdem alphabeticum indicem rerum et verborum, tertiumque etiam locorum S. Scripturae. *G. A.*

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister.
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Arch. Myren. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente*.

Roma, 1903. — Tip. Editr. Romana, via della Frezza, 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS UNDECIMUS

FASCICULUS SEPTIMUS - JULIUS 1903

SUMMARIUM

ANALECTA NOVA

EX ACTIS LEONIS XIII ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Leo XIII ad Episcopos Provinciae Mediolanensis rescribit.

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Communes litteras, quas Raudi in solemnem congregati coetum tu caeterique Mediolanensis provinciae Praesules ad Nos dedistis, haud mediocri animi oblectatione iam pridem legimus. Luculenta enim significatio ibi continebatur tum vehementis studii, quo vestrarum Ecclesiarum bono vigilantes prospicitis: tum constantis obsequii, quo cum Romani Pontificis documentis plane sentitis. Quod a vobis nunciatum est in eo vos pro viribus adlaborare ut christiana plebs, divinae sapientiae exculta praeceptis, melior in dies evadat, id sacerdotalis muneris maximam excipit partem idemque Nobis valde probatur: porro quum magis ovile luporum patet incursibus eo maior industria in prohibendis periculis est adhibenda pastori. Quum vero certum compertumque sit populum in pastores tamquam in exemplar intueri eorumque mores plus quam praecepta valere, illud in primis earum commendare libet, scilicet quod vobis sancta et esse et futura profiteamini, quae superiori anno de sacrorum alumnis rite instituendis decrevimus. Quippe in tanto bello contra catholicum ministerium undique inflato, curare ut clerici in sacris ephebeis ad omnem optimam artem compositi, in spem Ecclesiae veluti in viridario succrescant: eo spectare ut sacerdotes a se ipsis exculti se tales impertiant qualem Paulus voluit se praebere Titum « *in omnibus teipsum praebe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate* » (1); haec officia praestantissima Episcoporum sunt, quae effuso complectimur animo quibusque magnopere delectamur. Deo

(1) Ad Titum c. II. 5.

igitur confisi pergite incoepta: quod simul seruistis uberem ferat fructum, auspice Apostolica Benedictione, quam paternae benevolentiae Nostrae testem tibi dilecte fili, caeteris venerabilibus fratribus gregique christiano uniuscuiusque curis commisso peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die III Iunii ann MCMIII, Pontificatus Nostri vigesimo sexto.

LEO PP. XIII.

Dilecto Filio Nostro Andreae Tit. S. Anastasiae S. R. E. Presb. Card. Ferrari, Archiepiscopo Mediolanensi.

II.

Conceduntur ad decennium indulg. Sodalibus Consociationis a Bona Morte, de Civitate Placentina.

LEO PP. XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum sicuti accepimus in Ecclesia S. Vincentii Martyris Civitatis Placentinae pia quaedam et devota Christifidelium Consociatio sub titulo Smi Crucifixi S. Andreae Avellino canonice erecta existat cuius praecipuus finis est Bonam Mortem sibi suisque a Domino exorare: Nos quo huiusmodi Sodalitas maiora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius Auctoritate confisi omnibus ex utroque sexu Christifidelibus qui dictam Sodalitatem in posterum ingredientur die primo eorum ingressus si vere poenitentes et confessi sacraque Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore si potuerint sin minus corde devote visitaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint etiam plenariam; nec non eisdem nunc et pro tempore existentibus in huiusmodi Sodalitate qui vere item poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti supramemoratam Ecclesiam die festo S. Andreae Avellino, diebus festis sacrorum Stigmatum D. N. Iesu Christi et S. Iosephi Deiparae Virginis Sponsi a primis Vesperis, nec non feria sexta infra hebdomadam Passionis ab ortu usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitaverint ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo praefatorum die id egerint plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iisdem vero Sodalibus saltem contritis qui supradictam Ecclesiam, quacumque anni feria sexta ut supra visitaverint ibique oraverint septem annos totidemque quadragenas; quolibet autem anni die SSmum Crucifixum in eadem Ecclesia ut supra deprecantes visitaverint trecentos dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse indulgemus. Praesentibus ad decennium tantum valituris. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 1 Iulii 1903, Pontific. Nostri anno vigesimo sexto.

ALOIS. Card. MACCHI.

III.

Nonnullae conceduntur indulgentiae sodalibus cuiusdam Consociationis a temperantia, de Dioecesi Nannetensi.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam,

Cum sicut accepimus in Parochiali Ecclesia loci dicti « Plessé » in Dioecesi Nannetensi pia quaedam Consociatio a temperantia sub invocatione B. M. V. a perpetuo succursu canonice ut asseritur erecta vel erigenda existat cuius Sodales praeter abstinentiam a poculis complura pietatis et charitatis opera exercere consueverint seu intendant, Nos ut huiusmodi Consociatio maiora quotidie capiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius Auctoritate confisi omnibus et singulis Christifidelibus qui dictam Sodalitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, Plenariam, ac tam descriptis quam pro tempore describendis in dicta Sodalitate Sodalibus in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi ac S. Communione refecti vel quatenus id facere nequiverint saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam, nec non eisdem nunc et pro tempore existentibus dictae Sodalitatis Sodalibus qui praefatae Sodalitatis Ecclesiam seu capellam vel oratorium die festo principali dictae Sodalitatis per eosdem Sodales semel tantum eligendo et ab Ordinario approbando, vel uno quo cuique eorum libeat, ex septem diebus continuis immediate sequentibus singulis annis devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis Sodalibus saltem corde contritis Ecclesiam seu Capellam vel Oratorium huiusmodi in quatuor aliis anni feriatis, vel non feriatis seu dominicis diebus per memoratos Sodales semel tantum eligendis et ab eodem Ordinario approbandis ut supra visitantibus et ibidem orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas; quoties vero quodcumque aliud pietatis seu charitatis opus iuxta Societatis Institutum peregerint, toties sexaginta dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse indulgemus. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI Februarii MDCCCCIII, Pontificatus nostri anno vigesimo quinto.

Pro Dno Card. MACCHI.
N. Marini, *Substit.*

IV.

Leo XIII probat cogendum Salesianorum conventum

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cogendum proxime significabas Salesianorum ex omni terrarum orbe conventum, eumque, Deiparae Adiutricis ope suffultum, solemniis iri conclusum declarabas eiusdem Magnae Dei Matris insigni corona induendae. Laetabile Nobis hoc facinus accidit, quippe et dilecti Filii Nostri Ecclesiae Cardinales et dioecesum Pastores, et viri e sacro Clero ac fideles, quorum pietas ac virtus ad conferenda vobiscum consilia est advocata, non unam praebent sperandorum causam bonorum. Nostram autem expectationem summopere alit Opiferae Virginis praesidium, quam sodalicio maxime Salesiano adspirantem propitie novimus; planeque idcirco confidimus magno cum Religionis commodo atque quidem cum institutae a vobis iuventutis emolumento id omne fore extiturum quod Maria Mater et Virgo tueatur ac muniat.

Auspicem interea coelestium gratiarum Apostolicam Benedictionem tibi ac caeteris, qui in coetum una tecum convenient, peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XII Maii MCMIII, Pontificatus Nostri anno vicesimo sexto.

LEO XIII.

Dilecto filio Michaëli Rua
Moderatori Generali Sodalitatis Salesianae
Augustam Taurinorum.

V.

Leo XIII Archiepo Cameracen. gratulatur de felici exitu solemnitatum pro incoronatione Nostrae Dominae vulgo *Des Dunes*.

A NOTRE VÉNÉRABLE FRÈRE ETIENNE-MARIE-ALPHONSE, ARCHEVÊQUE DE CAMBRAI.

LÉON XIII, PAPE.

Vénérable Frère, Salut et Bénédiction apostolique.

L'éclatant exemple de foi et de piété donné publiquement, ces jours derniers, par la ville de Dunkerque, au milieu des démonstrations les plus variées de joie provoquées par le couronnement de Notre-Dame des Dunes, Nous a très profondément touché.

Nous avons vu que plusieurs évêques de France et une foule immense de peuple, accourue de tous côtés, y avaient à l'envie rivalisé de piété, pour offrir à la très auguste Vierge toutes sortes d'hommages. Nous avons aussi constaté que ces actes de religion n'allaient pas sans une grande dévotion envers Notre Seigneur Jésus-Christ et sans la vénération due à son Vicaire sur la terre.

Ainsi, plus les efforts de l'Enfer redoublent d'audace, plus aussi nous avons de gages assurés du salut de la société!

Pour guérir, en effet, les plaies sociales, il n'y a pas de remède plus efficace que l'invocation de Celle qui, après avoir, par son divin Fils, procuré le salut du genre humain, a mérité d'être appelée le très puissant *Secours des chrétiens*. De même, pour calmer les flots soulevés, rien de mieux que d'avoir les yeux constamment fixés sur la divine chaire de saint Pierre, d'où tant de bienfaits ont découlé sur la France.

C'est donc à bon droit que vous relevez vers Dieu votre espérance; vers ce Dieu qui sait tirer du mal lui-même une abondance infinie de biens. C'est à bon droit que vous tourniez vos regards vers la Mère de Miséricorde, la Patronne de la France, afin que, grâce à Elle, les ennemis du nom chrétien, éclairés des lumières d'En-Haut, reviennent dans le sein de l'Eglise, comme au port très sûr de la vérité.

En attendant, comme gage de Notre bienveillance et comme présage des faveurs célestes, Nous vous donnons très affectueusement dans le Seigneur la Bénédiction apostolique à vous, à tous nos vénérables frères qui ont assisté aux fêtes de Dunkerque, à tout le clergé et à tout le peuple confié à vos soins.

Donné à Rome, près Saint-Pierre, le 10 juin 1903, de notre Pontificat la vingt-sixième année.

LÉON XIII, PAPE.

VI.

E.mus Card. Kopp, E.pus Wratislavien., deputatur in Legatum Ap. pro benedicendis valvis Ecclesiae Cathedralis Metensis.

LEO PP. XIII.

Dilecte Fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Opera non minus cultu quam arte insignia quaeque Christianorum pietatem pariter ac munificentiam luculenter ostendunt; omni studio de more institutoque Romanorum Pontificum prosequi et complecti solemus. Horum in numerum quum iure nova cathedralis Ecclesiae Metensis porta adscribi queat, hoc praecipue nomine glorianda, quod eam excelsus Vir, Gulielmus secundus, potentissimus Germanorum Imperator, extruendam curaverit, Nos consecrationi conspicui illius monumenti, propediem celebrandae, augustiorem pompam adiicere decrevimus. Optatis igitur celsissimi eiusdem Imperatoris, quae in suo observantiae ad Nos aditu recens significavit, libentissime exceptis, Tibi, Dilecte Fili Noster, hoc deferimus officium, ut in solemni huiusmodi caeremonia Nostram geras personam. Quare Tibi, dilecte Fili Noster, praesentium tenore potestatem facimus cuius vi in cathedralis Ecclesiae Metensis, quam supra memoravimus, valvis consecrandis, Nostri Legati munere fungaris, eisque iuxta formulam ac ritum Ecclesiae consuetum Nostro nomine et auctoritate benedicere licite possis ac valeas. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die V Maii MDCCCCIII, Pontificatus Nostri Anno vigesimo sexto.

ALOIS. Card. MACCHI.

Dilecto Filio Nostro Georgio S. R. E. Presbytero Cardinali Kopp, titulo Sanctae Agnetis extra moenia, ex dispensatione Apostolica Episcopo Wratislaviensi.

E S. R. UNIV. INQUISITIONE

Dubium de cautionibus exigendis in matrimoniis mixtis.

Beatissime Pater,

....Cautionibus ab Ecclesia requisitis de conditionibus implendis ad hunc usque diem scriptis satisfactum est. Attamen magna oritur difficultas pro obtinendis hisce cautionibus, quando mulier catholica matrimonium inire intendit cum milite acatholico in gradu saltem maiore constituto. Viget enim in N... regionibus decretum regium sub gravibus poenis prohibens quominus milites ullas cautiones praestent per litteras reversales, sive per iuramentum, sive per simplicem promissionem. Quare ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus Ordinarius N. directionem certam hisce in casibus expostulat, et quidem quaerit:

I. An ab impedimento mixtae religionis dispensari possit, si pars acatholica (quaecumque est) cautiones requisitas per litteras reversales, sive per iuramentum, sive per promissionem saltem omnimode recuset?

II. An sufficiat assertio partis catholicae sub iuramento data, partem acatholicam de conditionibus implendis sibi fidem praestasse?

III. An permitti possit, ut ante vel post matrimonium pars catholica etiam coram ministello acatholico ad praestandum consensum matrimonialem se sistat, si pars catholica in scriptis declaraverit mere passive se gerere et nullo modo ritui protestantico adhaerere velle?

Et Deus....

Feria IV, 10 Decembris 1902.

In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis, Emi ac Rmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores, propositis suprascriptis dubiis, ac praehabito voto RR. DD. Consultorum, respondendum decreverunt:

Ad I. *Negative, et detur Instructio 15 Novembris 1858* (1).

Ad II. *Per se et generatim negative, et ad mentem.* Mens est: Quod si in aliquo casu extraordinario talia concurrant adiuncta, ut Episcopus valeat sibi comparare moralem certitudinem tam de huiusmodi cautionum sinceritate pro praesenti, quam de earum adimplemento pro futuro, specialesque omnino adsint rationes impedientes ne consueto modo cautiones praestentur, ipsius conscientiae et prudentiae. Caeteroquin non obstante decreto regio, opportunae exhibeantur in scriptis cautiones, sicut hucusque factum est; neque detur dispensatio nisi Episcopus moraliter certus sit eas impletum iri.

Ad III. *Negative, et detur Instructio 17 Februarii 1864* (2).

Feria VI die 12 Decembris 1902, facta autem a R. P. D. Adsessore S. O. relatione de his omnibus SSmo D. N. Leoni PP. XIII, idem SSmus D. N. Emorum Patrum resolutionem approbavit.

J. Can. Mancini, *S. R. et U. I. Not.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. IX, p. 16.
(2) Cfr. Collectanea S. C. Prop. Fide, n. 1431, p. 533.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 18 Iulii 1903, in Palatio Apostolico Vaticano fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta Dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda:

A. — Per Summaria precum.

I. S. Miniatis. — Congruae parochialis. — R. *Dilata et ad mentem.*

II. Victorien. — Legati missarum. — R. *Ad mentem.*

B. — In Folio.

I. Parisien. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

II. Parisien. — Nullitatis matrimonii. R. *Sententiam esse confirmandam.*

III. Cracovien. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative ad cautelam.* (Sub-secreto).

IV. S. Deodati. — Dispensationis matrimonii. — R. *Dilata et compleantur acta iuxta instructionem dandam.*

V. Lugdunen. — Suspensionis et remotionis ab officio. — R. *Prohibitionem et suspensionem sustineri.* (Reservata).

VI. Valven. — Remotionis a paroecia. — R. *Sententiam esse confirmandam et ad mentem.* (Sub-secreto).

VII. Sypontina. — Iurium.

R. *Ad 1.um Sententiam esse confirmandam iuxta modum et ad mentem.*

Ad 2.um Negative ad 1.am partem ; — affirmative ad 2.am.

VIII. Asculana in Apulia. — Crediti. — R. *Ad E.mum Praefectum cum Secretario.* (Extra-ordinem).

1690/2

B. — In Folio.

I.

Parisien. — Nullitatis matrimonii.

Duo haeretici, nati et educati in haeresi, domicilium habentes Parisiis, matrimonium coram ministello clandestine inierunt in Anglia. Non obstantibus argutis Defensoris Vinculi animadversionibus, S. C. confirmavit sententiam Curiae Parisien. circa nullitatem Matrimonii ex cap. Clandestinitatis. Uti patet, Causa haec maximum prae se fert momentum.

F., minor natu filiorum Domini Isaac, qui e vivis excesserat in loco vulgo *Paignton* mense Iulii 1875 ad finem vertente, matrem, adhuc adolescens, sequutus fuerat in Galliam, ubi ipsa morabatur Parisiis, usque ab eo tempore, quo novas nuptias contraxerat cum domino. N. Quum F., studiorum causa athenaeum frequentaret, familiariter uti coepit cum Alphrido, cui soror erat, nomine Blanca, eximia venustate praedita. Hinc F. amore captus erga Blancam, cum ea cogitare coepit de matrimonio contrahendo. Huic iuve-

num desiderio haud obstitit F. mater, quae solummodo a filio petiit, ne se coniugali vinculo obstringeret, antequam maiorem aetatem attigisset.

Et revera F. vota matris obsecundavit. Post itaque diuturna sponsalia F. et Blanca, ambo sectae protestanticae addicti, domicilium, uti asseritur, adhuc Parisiis foventes, die 12 Ianuarii 1901 Angliam petierunt, ibique coram ministello acatholico, in loco vulgo: *Paignton*, matrimoniali foedere iuncti sunt die 14 mensis Februarii. At hae nuptiae, licet fausto viderentur omine celebratae, adeo infelicem exitum habuerunt, ut, quamvis trina soboles ex eis fuisset procreata, undecim post annos ab inito matrimonio vita coniugalis abrupta fuerit Deinde civile Tribunal adiit Blanca, ac petiit obtinuitque in suum favorem sententiam divortii.

Postea vero cum F. cogitaret de novis nuptiis ineundis cum quadam puella catholica nomine C., cumque huic secundo coniugio obstaret ligamen prioris coniugii initi cum Blanca, hinc F. supplicem misit libellum ad Curiam Parisien., declarationem nullitatis dicti matrimonii ob defectum formae Tridentinae enixe efflagitans.

Heic vero praestat referre quae scripsit H. S. C. Archiepiscopalis Curia Parisiensis: « Curia Parisiensis istiusmodi causam inter haereticos non accepit nisi quia orator sponte affirmaverat se in eo esse ut haeresim abiuraret et catholicus fieret, ad puellam catholicam in matrimonium ducendam, si liber esset coram Ecclesia catholica; et postquam ille, nedum promissum impleverit, matrimonium cum ea coram ministro protestante contraxit, haec Curia istam causam non resumpsit nisi instante misera muliere, quae ad meliorem frugem redire exoptabat.

Quod si in hoc processu ineundo et perficiendo Curia Parisiensis erraverit, humiliter et instanter petit ut melius edoceatur quid in pari casu agendum deceat in posterum ».

Iudex Parisiensis, absoluto processu, omnibusque rite perpensis, die 30 Octobris 1902 sententiam edidit, qua matrimonium inter F. et Blancam initum, nullum declaravit ex capite clandestinitatis.

Cum autem ab hac sententia vinculi defensor appellaverit ad H. S. C., hodie Vestro sapienti iudicio causa definienda proponitur.

Qui actoris iura tuetur contendit sententiam Curiae Parisiensis confirmandam esse in casu; et ad hunc finem iuris tractationem sequentibus propositionibus perstringit:

1). F. et Blanca quamquam haeretici lege Tridentina, ratione domicilii, quod unus et altera Parisiis habebant, tenebantur;

2). Matrimonium celebratum fuit in Anglia coram ministro acatholico, ac proinde non coram parocho proprio alterutrius coniugis;

3). Nulla adfuit delegatio ex parte parochi proprii alterutrius coniugis;

4). Attamen cum Concilium Tridentinum in Anglia publicatum non sit, matrimonium ibi valide contractum fuisset, si demonstrari posset unum vel alteram, tempore matrimonii ibi domicilium vel quasi domicilium habuisse;

5). Sed Blanca, eo tempore, nullum alibi domicilium quam apud parentes Parisiis habebat, nec quasi domicilium in Anglia acquisierat;

6). F. vero, domicilium iuris et facti apud matrem Parisiis habebat, et non à Paignton, ubi ne domicilium quidem habere poterat;

7). Nullum autem quasi domicilium à Paignton habebat, et dato etiam, et minime concesso, quod ibi quasi domicilium, labente anno 1890 acquisivisset, tempore matrimonii illud amiserat; ac proinde;

8). Coniuges ambo capite « *Tametsi* » tenebantur; matrimonium igitur nullum est.

Hisce praehabitis, gradum facit advocatus ad singulas propositiones demonstrandas. Et sane quod F. et Blanca, quamquam haeretici subiecti fuerint praescriptionibus Concilii Tridentini ratione domicilii, quod unus et altera Parisiis habebant, sequitur, ait orator, ex declaratione H. S. C. data sub die 8 Ian. 1678 probante Innocentio XI. Etenim H. S. C. declaravit: *haereticos quoque, ubi decretum est promulgatum, teneri talem formam observare* ac propterea etiam ipsorum matrimonia absque forma Concilii, quamvis *coram ministro haeretico* vel magistratu civili contracta, *irrita et nulla esse.* Eamdem declarationem dederat eadem S. C. die 8 Ian. 1663. Et die 3 Sept. 1772 in instructione ad Episcopum Genevensem.

Quum igitur, arguit orator, Concilium Tridentinum in Gallia publicatum fuerit, sequitur quod et Blanca ambo domicilium Parisiis habentes, quamvis haeretici, capite « Tametsi » tenerentur.

Coniuges autem domicilium Parisiis habuisse eruitur, prosequitur patronus, ex documentis et testimoniis quae in actis prostant.

Et sane Blanca nullum aliud domicilium habuit quam illud parentum, apud quos, et cum quibus ipsa morabatur. Iamvero eius parentes commorabantur, et commorantur adhuc Parisiis, iuxta declarationem explicitam Blancae patris:

« Monsieur l'Official,

« En réponse à vos deux questions, j'ai l'honneur de vous faire savoir que: 1° mon domicile à l'époque du mariage de ma fille était au 8, rue de Berry. J'habite Paris depuis 1887, et je suis resté dans l'appartement de la rue de Berry jusqu'à ce jour, c'est-à-dire *quatorze ans sans interruption;* 2° je n'avais à cette époque *aucune autre résidence*, ni en France, ni à l'étranger ».

Quod attinet ad F. eadem est ratio. Is adhuc minor, domicilium necessarium apud matrem cum qua degebat Parisiis, habebat. Quapropter et ipse ex lege Tridentina, sub poena nullitatis tenebatur matrimonium contrahere coram parocho proprio.

E contra, matrimonium in Anglia coram ministro acatholico celebratum fuit. Id nemo in dubium revocare potest. Ergo, concludit advocatus, matrimonium locum non habuit coram parocho proprio alterutrius coniugis.

Neque minus evidens est, iuxta patronum, nullam delegationem a parocho proprio coniuges petiisse. Agitur enim in casu, inquit, de personis quae in Angliam se conferunt matrimonii celebrandi causa, non quia ipsis impossibile sit, in Gallia matrimonium contrahere, sed quia hoc ipsis magis commodum, magis gratum videtur. Agitur de haereticis, quibus parum interest, coram hoc vel illo proprii cultus ministro nubere, qui numquam cogitarunt utrum matrimonium nullum esse posset coram Ecclesia catholica vel non, qui ne suspicabantur quidem, eorum matrimonium nullum esse posse, quia contractum non fuerat coram parocho catholico. Quare haec delegatio nequidem concipi potest. Et quod magis est, urget orator, etiamsi haec delegatio extitisset, nulla prorsus fuisset, quia parochus delegare non potest nisi alium sacerdotem, et minister anglicanus non est verus sacerdos.

Sed matrimonium, addit orator, celebratum fuit in Anglia, ubi decretum « Tametsi » cum publicatum non fuerit, matrimonia ibi valide contrahuntur praesente cuiuslibet cultus ministro, dummodo contrahentes legi Tridentinae subiecti non sint vel subiectos esse desierint, quod fit per acquisitionem domicilii vel quasi domicilii. Quapropter si F., vel Blanca domicilium, vel quasi domicilium, *à Paignton*, aut alibi in Anglia acquisivissent, hoc ipso decreto « Tametsi » teneri desiissent, eorumque matrimonium validum fuisset.

Sed haec hypothesis omnino iuxta patronum excludenda

est; nam coniuges nec domicilium, nec quasi-domicilium in Anglia acquisierunt.

Heic tamen obiter adnotat patronus, quod ut quis a praescriptionibus Concilii Trid. immunis fiat, domicilium in loco ubi ea lex non viget acquirere debet. Nec audiendi sunt, iuxta patronum, illi auctores, qui accipientes verba « *cum fraude* » in sensu malae fidei, seu fraudis intentionalis, existimarunt bonam fidem sufficere ad matrimonium valide contrahendum. Etenim, iuxta patronum, verba « *cum fraude* » in sensu fraudis iuridicae intelligi debent. Quod ut probet affert quae tradit Gasparri de Matr. 11, n. 985: « Si autem dicas nullam in casu fraudem adesse, respondemus: cum partes teneantur ex dictis contrahere coram proprio parocho aut ordinario in Gallia, nuptias clandestinas in Anglia ineuntes *ipso facto fraudem committunt*, idest proprium parochum, aut ordinarium fraudant iure suo assistendi matrimonio per se vel per alium sacerdotem delegatum, *et hoc sensu fraus in subiecta materia sumitur, praecisione facta ab interna contrahentium intentione*. Hinc Ben. XIV in Inst. Eccl. 33, n. 9 ait: « Si quis domicilium suum minime relinquens e civitate vel oppido in quo degit, in alium locum proficiscatur, ibique matrimonium ineat, quin antea domicilium sibi, vel quasi-domicilium comparaverit, illud omnino irritum est, quia cum fraude in proprium parochum coniungitur. Hic est sensus responsionis Sacr. Congr. de Propaganda Fide supra citatae. His positis in praxi si agitur de matrimonio ineundo, matrimonium in Anglia fieri non debet nisi coram parocho aut ordinario proprio in Gallia, aut coram alio sacerdote de eorum licentia, et duobus saltem testibus; sed etiam si agitur de matrimonio contracto, et ad forum contentiosum deducto, Officialis debet ob auctoritatem SS. CC. *pro nullitate* pronuntiare ».

Ex quo patet, inquit orator, neminem a lege Tridentina exemptum fieri, nisi per acquisitionem domicilii vel quasi domicilii in loco ubi ea lex non viget, nulla habita ratione de intentione contrahentium, sed admissa dumtaxat in ipsis fraude iuridica.

Hisce adnotatis, demonstrandum assumit orator, nec F. nec Blancam domicilium vel quasi domicilium in Anglia acquisivisse. Et sane inquit, Blanca nec domicilium nec quasi domicilium in Anglia acquisivit.

Quod attinet ad domicilium, res adeo evidens est, iuxta patronum, ut non egeat demonstratione.

Quoad quasi domicilium, ait orator, res non minus evidens est.

Etenim, Blanca, in Anglia et praesertim à Paignton commorata est, causa omnino transeunte, quae non solum sufficere non poterat ad verum domicilium constituendum, sed quae quasi domicilium excludebat. Et sane ipsa bis dumtaxat in Anglia commorata est, ut ipsamet enarrat: « J'ai passé à Paignton, chez le frère de M. F., l'été qui a précédé le mariage. J'y étais *en visite*; j'y suis restée environ *deux mois* ». Altera commoratio, ad nuptiarum celebrationis tempus se refert. Sponsi, magno propinquorum et amicorum comitatu, Parisios reliquerunt die 12 Ianuarii 1891. Post aliquot dies, ob levem puellae morbum (*bronchite*) Londini transactos ad pagum Paignton pervenerunt, ubi matrimonium illico celebratum fuit seu die 14 Februarii, et advesperascente coelo in Galliam reversi sunt.

Quum ita se res habeant nemo profecto cogitare poterit, ait orator, Blancam in hoc secundo itinere in Anglia quasi domicilium acquisivisse. Agitur enim de brevi commoratione unius mensis, matrimonii celebrandi causa, quae causa animum permanendi per maiorem anni partem excludit.

Quod si quis obiicere velit praesumptionem quasi domicilii (de qua Benedic. XIV in sua epistola « *Paucis abhinc* ») ex commoratione unius mensis ante matrimonium deprom-ptam, respondet orator: 1° ibi agi de praesumptione iuris tantum et non iuris et de iure, quae nempe admittit contrariam probationem; iamvero, 2° haec contraria probatio satis superque ex eo colligitur, quod nos minime sumus in hypothesi a Benedicto XIV facta qui loquebatur de catholicis alio transeuntibus, ne in propria sede matrimonium contraherent. Sed hic animus admitti nequit in duobus haereticis, Tridentinae legis omnimode ignaris, nullumque animum habentibus eam effugiendi, vel servandi. Praeterea 3° abest etiam commoratio *unius mensis* in aliquo loco determinato, siquidem sponsi, Parisiorum urbe relicta, die 12 Ianuarii, per *plures dies* Londini commorati sunt antequam ad pagum *Paignton* se conferrent, ubi postero mense, seu die 14 Februarii matrimonium celebratum fuit.

Nec, iuxta patronum, de quasi-domicilio in prima commoratione, loqui potest. Etenim causa huius commorationis non ultra *duos menses* protractae, *essentialiter* fuit transitoria, *visitationes*, *rusticatio*, *mare* et alia huiusmodi. Postremo, dato etiam et nullimode concesso, quod per hanc commorationem Blanca quasi-domicilium in Anglia acquisivisset, hoc quasi-domicilium omnino desiit ob rationem discessus, veluti quodlibet quasi-domicilium desinit, duobus elementis, ex quibus ortum duxit, cessantibus.

Patet igitur, concludit orator, Blancam nec domicilium, nec quasi-domicilium, matrimonii tempore, in Anglia habuise.

Deinde advocatus eamdem demonstrationem instituit quoad F. Et re quidem vera, inquit, F. cum matrimonium contractum fuit nullum in Anglia domicilium canonicum habebat propter quod a lege Tridentina eximeretur.

Ipse enim non habebat nec habere poterat domicilium in Anglia, quia eius domicilium *necessarium* erat apud matrem Parisiis.

Et sane, inquit, explorati iuris est, filias vel filios minores non emancipatos a potestate paterna, usque ad maiorem aetatem, domicilium *verum* retinere in domo paterna vel materna, quod libere pro suo arbitrio relinquere non possunt, nisi postquam pervenerunt ad aetatem maiorem aut emancipationem consecuti sunt (quae nulla adfuit in casu, ut patet ex eo quod F. maiorem aetatem expectaverit, ut Blancam in uxorem duceret).

Iamvero, inquit orator, certum est (et testes omnes non exceptis iis, quos in aliis quaestionibus adversos experimur, usque ad abundantiam id confirmant), actoris matrem, secundis nuptiis contractis, domicilium Parisiis fixisse; certum est eam huiusmodi domicilium numquam deseruisse; certum est F. cum matre, sub cuius potestate erat, semper et constanter habitavisse, ergo certum etiam est domicilium iuris seu *necessarium*, immo et *facti* apud matrem Parisiis eum habuisse, quod domicilium sufficit per se ad excludendum quodlibet domicilium in Anglia.

Quod si obiiciatur, F. fuisse « *Ward Chancery* » seu sub protectione Curiae Cancellariae britannicae, ac proinde habuisse in Anglia domicilium canonicum; respondet advocatus, hoc nullimode admitti posse, primo quia domicilium minorum *necessario* est apud parentes, quae quidem ratio sufficit ad excludendum quodlibet domicilium in Anglia; et secundo quia ut hoc fieri posset, necesse esset ut persona minoris sub potestate Cancellariae constituta esset. Sed hoc, iuxta patronum, absurdum est in iure et falsum in facto. Absurdum *in iure*, etenim usque dum patria potestas viget, persona minoris sub patria potestate manet; falsum *in facto* quia actio Cancellaria in casu ad bonorum administrationem exclusive se retulit, immo ad curatorum seu fidei commissariorum (*trustees*) qui bona administrarent designationem, quae quidem designatio, ut evidens est, iura personalia matris nullimode laedere poterat. Quod autem Cancellariae actio bona minoris dumtaxat respexerit, mirifice patet,

iuxta patronum, ex eo quod doctore Pridham demortuo, nominarentur curatores, qui illum surrogarent postquam etiam F. maiorem aetatem attigerat. Et revera Dr. Alexander et Dominus Woodrouff nominati fuerunt mense Iulii 1891, seu quinque post menses a matrimonii celebratione, idest cum iam F. e minoribus iamdudum excesserat.

Postremo, animadvertit orator, F. *improprie* pupillum Curiae Cancellariae seu Ward Chancery dictum fuisse. « Quod spectat *ad personam*, inquit testis Rendell, Dominus F. erat *civis Americanus*, commorans extra iurisdictionem Curiae Britannicae. Factus est quod vocaretur pupillus Curiae Cancellariae solummodo propter processus legales institutos in hac Curia afficientes negotia proprietatis eius in Anglia ».

Praeterea, ait patronus, secundum ipsas britannicas leges domicilium Domini F. in Gallia statuendum est. « Testis asseruit, inquit Curiae Westmonasteriensis, quod secundum legem britannicam domicilium prolis, cuius pater est defunctus, quamdiu mater prolis vixerit, idem ac matris domicilium est et mutatur una cum matris domicilio; et probavit assertionem suam ex auctore Dicey in opere anglice scripto « de legibus domicilii » quod produxit. Secundum legem britannicam mater etiam post alteras nuptias remanet naturalis tutrix puerorum, et ut talis agnoscitur a lege, exceptis casibus, in quibus lex formaliter nominat alium vel alios ut tutores. Lex numquam nominavit alium ut tutorem pro D.no F.

Neque pariter movet oratorem aliud argumentum, quod in medium affertur ad probandum domicilium Actoris in Anglia, tempore celebrationis matrimonii, scilicet animus seu intentio quam illi nonnulli testes tribuunt, effugiendi militiae onus in Gallia. Hoc enim argumentum, iuxta patronum, nullius ponderis est. Et in primis advertit orator, testes loqui potius de *intentione* Actoris figendi domicilium in Anglia ad evitandam conscriptionem, quam de vera electione domicilii. Iamvero haec intentio, quamvis extitisset, quod absolute negat orator, cum nullum executionis initium habuerit, numquam sufficere potuisset etiam ex lege civili, de qua heic quaestio est, ad acquirendum domicilium in Anglia. Etenim ut domicilium acquiratur, etiam ex lege civili, praeter animum manendi, necessaria est commoratio seu electio effectiva domicilii et huiusmodi elementum deest in casu. Immo cum F. adhuc minor esset, non poterat ex sua tantum voluntate sibi domicilium proprium constituere. Unde recte testis Rendell inquit: « Si etiam F. venisset in Angliam cum intentione mutandi Gallicum suum domicilium, hoc non potuisset facere, siquidem hoc tempore pupillus erat, et pupillus secundum legem britannicam non potest eligere suum domicilium quamdiu est pupillus et suo motu proprio ». Praeterea lex obligat eos, qui in Gallia commorantur *maiori aetate ineunte*, quapropter F. tunc domicilium figere in Anglia debuisset, et non anno praecedenti, cum nempe adhuc minor esset. Iamvero is fuit in Anglia praecedente anno, et post duos dies a maioris aetatis initio, Galliam repetiit, domum instruxit, ibique post iter nuptiale permansit. Huiusmodi agendi ratio, iuxta patronum, etiam umbram intentionis figendi domicilium in Anglia ad conscriptionem effugiendam excludit. Sed quod maximum est, urget advocatus, cum F. natus esset in Gallia, anno 1870 ex patre americano, in tabulis consulatus Statuum Foederatorum inscriptus fuerat, non in actis civilibus Municipii, ac proinde *immunis* erat ex lege a servitio militari. Nulla igitur necessitas intererat figendi domicilium in Anglia, ad evitandas leges quibus nullimode tenebatur. Et reapse numquam in militia deserviit.

Huc perducta oratione, demonstrandum assumit advocatus, F. nec quasi-domicilium in Anglia habuisse tempore celebrationis matrimonii; et dato etiam, inquit, et nullimode concesso, quod ibi quasi-domicilium vertente anno 1890 acquisivisset, illud nuptiarum tempore amisisse.

Et sane, inquit, quasi-domicilium duobus elementis conficitur, seu *commoratione*, et *animo* permanendi per maiorem anni partem in aliquo loco. Doctrina quae hanc materiam regit, ad duo principia reduci potest, scilicet:

1° Quod commoratio ad sex menses producta, vehementissimam acquirendi quasi-domicilium praesumptionem constituat, quia commoratio sex mensium, grave indicium est intentionis permanendi per maiorem anni partem. Attamen haec praesumptio est iuris tantum, et non iuris et de iure, seu contrariam probationem recipit, excepto casu, in quo evaserit praesumptio iuris et de iure, veluti Parisiis ob decretum S. C. S. Officii anni 1899.

2° Quod factum commorationis unius mensis sit praesumptio intentionis acquirendi quasi-domicilium, quando quis in aliquem locum se confert matrimonii celebrandi causa, qui matrimonium contrahere non vult in loco ubi Concilium Tridentinum viget.

Haec praesumptio oritur ex celebri Constitutione Benedicti XIV, *Paucis abhinc*. Sed in casu, iuxta patronum, non agitur nec de prima, nec de altera praesumptione. Non de prima, quia *in facto* F. ante matrimonium numquam in Anglia *sex menses* consecutivos transegit, et dato etiam, sed minime concesso, quod per sex menses, labente anno 1890, ibi commoratus fuerit, nihil inde consequeretur, nam probari deberet, tempore celebrationis matrimonii, seu in ultima commoratione quasi-domicilium ibi habuisse. Neque agitur de altera praesumptione: 1° quia nemo sanae mentis cogitare poterit F. in Angliam se contulisse matrimonii celebrandi causa, ne illud contraheret in loco ubi decretum « Tametsi » vigebat, nam si etiam Parisiis nupsisset, certo certius, ait orator, matrimonium coram parocho proprio non contraxisset; 2° quia unius mensis spatio à Paignton commoratus non est, quod per se applicationem praesumptionis benedictinae excludit.

Quoad vero intentionem permanendi per maiorem anni partem, haec colligitur, inquit patronus, a ratione commorationis.

Hoc posito, uti probatum haberi debet, ait advocatus, F. quasi-domicilium in Anglia non acquisivisse, si ex una parte demonstretur eo venisse, labente anno 1890, rationibus sua natura transitoriis, et si ex altera parte probetur sex mensium spatio ibi commoratum non fuisse. Iamvero, urget, ex actis eruitur, ipsum in Angliam venisse, annis 1890 et 1891 ob causas omnino transitorias, ibique sex mensibus *in toto*, a fortiori sex mensibus consecutivis non permansisse.

Et re quidem vera commorationes actoris ut colligitur ex eius et mulieris iurata fide, testiumque melius res noscentium depositionibus, consistunt in nonnullis visitationibus ad fratres ab ipso factis: « Je suis allé en visite à Paignton chez mon frère à Steartfield pendant *dix jours* environ en mars 1890. Puis encore *deux mois* (juin et juillet) en été 1890 (quando ipsa Blanca commorabatur à Paignton). Puis encore environ *trois semaines* en octobre pour les chasses ».

Ultima commoratio locum habuit matrimonii celebrationis tempore, seu a die 12 Ianuarii, usque ad diem 14 Februarii 1891.

Quod postrema haec commoratio haud sufficere potuisset ad acquirendum quasi-domicilium, iuxta advocatum, nec demonstratione indiget. Huius affirmationis probatio evidentissima habetur in facultate « *licence* » concessa intuitu matrimonii ab Episcopo Anglicano d'Exeter. Haec « licence » est permissio contrahendi matrimonium, quamquam contrahentes, tempus commorationis requisitum a lege anglicana, quod est, trium hebdomadarum, non habuerint. Quod probat

inquit patronus, nec in animo F., nec in animo eius advocati, nec in animo Episcopi Anglicani, nec in animo ministri unquam fuisse, quod commoratio antecedens actoris, quaelibet fuerit eius perduratio, aliquam relationem habere potuerit cum commoratione, tempore matrimonii facta. Hac igitur commoratione de medio sublata, disserendum superest, ait patronus, de commoratione labente anno 1890 facta.

Quia vero ex testimoniis aliquis forsan colligere posset F. *ante matrimonium*, commoratum fuisse in Anglia *annum circiter*, ex qua commoratione unius anni, quasi-domicilium acquisivisset, hinc orator antequam demonstret supradictorum testium affirmationes erroneas esse, peropportunum ducit nonnulla animadvertere.

In primis, ait patronus, facile negari posset F. per commorationem sex mensium, et etiam ultra, quasi-domicilium in Anglia acquisivisse. Etenim si agebatur de commoratione simpliciter *voluptuaria* apud unum vel alterum fratrem, deerat omnino causa seu ratio *necessaria* ad determinandum animum commorandi per maiorem anni partem. Iamvero, urget orator, certum est, ut omnes fatentur, F. commoratum fuisse à Paignton anno 1890 *apud unum vel alterum fratrem* Washington, et Paris, ergo nullum ibi quasi-domicilium acquisivisset, etiam per commorationem ultra sex menses productam.

Praeterea, prosequitur advocatus, testimonium actoris sororis, quae contra nullitatem matrimonii, deliberato animo, acerrime dimicat, et fratres contra fratrem succendit, erroribus omnigenis falsisque insinuationibus redundat. Et sane ipsa nobis fratrem exhibet veluti a matre alienatum, in Angliam euntem ut ibi domicilium figeret, dum mater solemniter affirmat nullam unquam simultatem inter eam et filium intercessisse (ut fidem facit imago photographica ad filium in Angliam transmissa cum scripto amorem exprimente) et solummodo ab eo petiisse ne matrimonium, ante maiorem aetatem celebraretur. Tanta benevolentia mater erga filium ferebatur, ut eum semper apud se habuerit, et caeremoniae nuptiali adstiterit. Addit quod frater domicilium habere noluerat Parisiis maiori aetate adveniente, ne servitio militari teneretur, et obliviscitur fratrem in Galliam venisse maiori aetate ineunte, quando nempe incipit militiae ónus. Ipsa inquit: « Il cessa, à partir de cette époque, m'a-t-on dit (sic), de payer pension chez sa mère » sed hoc falsum est, ait orator, ut patet ex documentis a D.no Rendell officialitati Westmonasteriensi exhibitis. Ipsa inquit etiam, « son départ pour l'Angleterre eut lieu *seize ou dix-huit mois* avant son mariage. Il habitait chez mon frère, mais il faisait des absences de quelques jours, soit à Londres, soit à Paris ». Iamvero, inquit orator, nemo, non excepto Domino W., loquitur de commoratione anno 1890 praecedenti; nemo asserit F. pensionem fratri persolvisse; nemo asserit illum commoratum fuisse à Paignton labente hyeme, quae matrimonium cum Blanca praecessit, neque apud matrem commorari desiisse, velut affirmat Domina de P.: « Je ne crois pas que depuis cette époque il soit revenu chez sa mère ».

Igitur, concludit patronus, nullo in pretio habendum erit huiusmodi testimonium, et omnino reiiciendum est.

Praeterea, ait orator, testimonia fratrum pugnant inter se et cum testimonio sororis, nec maiorem fidem merentur. Et sane quoad commorationes F. in Anglia, soror affirmat: « Au moment du mariage, mon frère F. nous invita tous, et ce fut dans cette maison (au Wigwam) que nous nous réunimes. Lui-même à ce moment habitait chez notre frère à Steartfield, qui est à un kilomètre de là, *parce que sa fiancée était descendue au Wigwam*... Mon frère a habité à Steartfield à Paignton *un an ou dix-huit mois* avant son mariage ».

W. vero ait: « F. a vécu dans ma maison à Paignton *environ pendant un an en 1890*, et il alla ensuite *habiter au Wigwam* ».

Et M.: « (F.) e Parisiis venit in Angliam *probabiliter* circa aestatem anni 1889 et degit cum fratre W. apud privatam eius domum in Paignton *et ibi* commoratus est cum futuro suo socero eiusque familia tamquam hospitibus, usque ad mensem Februarium anni 1891, quando matrimonium locum habuit ».

Denique Dominus Paris ait: « Il s'est marié à Paignton, en 1891, et je sais qu'il y était venu environ un an avant son mariage, *mais je ne puis rien préciser*. Pour connaître *exactement* les dates et la durée de son séjour, il faudrait interroger notre homme d'affaires, M. Rendell ».

Hisce omnibus testimoniis nullam fidem adhibendam esse contendit orator; etenim, inquit, unus loquitur de commoratione *anni cum dimidio*, alter *circiter anni*, unus loquitur de commoratione incoepta anno 1889, alter de commoratione facta perdurante anno 1890, unus affirmat F. e domo fratris se ad Wigwam contulisse, ibique mansisse usque ad matrimonium, alter negat eum umquam Wigwam habitavisse, « parce que sa fiancée était descendue au Wigwam, les mœurs anglaises n'admettant pas que des fiancés habitent sous le même toit ».

Unus tantum ex ipsis, iuxta patronum, veritati studet, et est Dominus Paris quando ait: « Je ne puis rien préciser. Pour connaître exactement les dates et la durée du séjour de M. F., il faudrait interroger notre homme d'affaires, Mr Rendell ».

Iamvero, urget orator, Dominus Rendell, qui res probe noverat, quique familiae F. negotia gerere consueverat, factis documentisque certis et non cerebrosis inventionibus innixus, plura nos edocet, quae extra controversiam ponunt naturam, et diuturnitatem commorationum actoris in Anglia: « Accurate, is inquit, perlustravi rationes fiduciariorum proprietatis in Anglia sitae patris Domini F. *prout ordine extant in Curia Cancellariae*, sed *nullam* invenio in his mentionem, quod Dominus Fr., anno praevio ad matrimonium, residentiam suam constituerit apud Wigwam, vel solverit fiduciariis ullum locationis pretium. Prima mentio pretii locationis soluti ab ipso fiduciariis quantum ad quampiam occupationem loci dicti « Wigwam » apparet in *coordinatis rationibus* pro *an. 1894*, et istud pretium solutum fuit iuxta resolutionem captam in conventu familiae, qui locum habuit apud Paignton mense Novembris 1891 octo mensibus postquam Dominus F. factus fuerat sui iuris.

« Fructus inquisitionum mearum *per ordinatas rationes et acta* confirmat Domini F. declarationem mihi factam, quod revera *numquam* commoratus sit apud locum dictum « *Wigwam* » ex quo tempore illum reliquit cum matre sua, anno 1879 (mense Ianuario), usque ad tempus subsequens suum matrimonium.

« Visitationes eius ad Paignton *praeviae* ad eam quam fecit tempore, quo illic matrimonium contraxit, fuerunt *visitationes ad unum alterumve fratrem*, qui ibi degebat et ibi habebat privatam domum (aliam praeter Wigwam). Wigwam ipsum numquam permanenter occupatum fuit *ab ullo* ex fratribus, donec fidei-commissum ad terminum deductum fuerit, et proprietas vendita. Commoratio Domini F. apud Wigwam circa tempus sui matrimonii fuit *temporanea*, non diuturnior quam *unius mensis* aut circiter. Postridie matrimonii, reliquit Angliam et immediate Parisiis domum sumpsit, quam exinde semper occupavit tamquam suam praecipuam et permanentem sedem. »

Et alibi etiam: « Je me suis rapporté *aux comptes* des fidéicommissaires de la succession tels qu'ils sont enregistrés à la cour *de la Chancellerie* anglaise, et je ne puis y

trouver aucune note indiquant que Mr F. ait demeuré personnellement au Wigwam à Paignton avant octobre ou novembre 1891, soit environ 8 mois *après* son mariage ».

Quod attinet ad testimonium doctoris Medici D.ni W., refutatione nostra non eget, ait orator, refutatur enim ab ipsa Actoris sorore. Et sane ipse ait: « F. habita à Steartfield Paignton avec son frère W. pendant environ un an, puis pendant *six mois* au Wigwam en l'année 1890-1891, précédant son mariage ». Iamvero omnes sciunt, inquit patronus, F. non solum non *per sex menses*, sed *numquam* a Wigwam commoratum fuisse, nec anno praecedenti matrimonium, nec eo tempore quo matrimonium contraxit.

Praeterea advocatus contra adversariorum testium depositiones affert praeter iuratam actoris fidem et spectatissimorum virorum testimonium, facta certissima quorum cumulus, ut ipse ait, probationem apodicticam constituit. Hoc temporis spatio, scilicet a Mense Martii 1890, usque ad matrimonii celebrationem 14 Februarii 1891 in quo affirmatur F. commoratum fuisse a Steartfield et a Wigwam, patronus ostendit eum degentem Parisiis *cum matre*, eamdem vitam, quam antea, ducentem, excipientem amicos et medicum, quando aegrotat, etc.: « Je l'ai soigné, ita medicus, à Paris au mois de février 1890, le premier février, le trois, le huit, et le treize février. Je l'ai revu *l'été 1890 chez sa mère à Blosseville;* j'ai soigné sa mère dans sa propriété de Blosseville. F. *était là.* Je l'ai soigné lui personnellement *du trois au dix novembre 1890,* pour un mal de gorge chez sa mère à Paris ».

Insuper patronus ostendit F. redeuntem ab Anglia post duos menses (Iunium et Iulium 1890) transactos apud fratres a Paignton, degentem cum matre in Castello de Blosseville, locantem navem « yacht » qua praesertim utitur ut sponsam visitet. Eius commoratio *à Blosseville* mense Augusti ac Septembris 1890, confirmatur, uti in actis videre est pag. 111 et pag. 105, a Syndico loci, a custode Castelli, necnon ab eius medico.

Item orator ostendit F. labente hyeme 1890, invisentem sponsam Parisiis, illum ostendit euntem cum sponsa apud mercatores, et acquirentem monilia resque pretiosas mense Decembris et Ianuarii, ut ipsi testantur eorumque libri fidem faciunt, etc. Postremo illum ostendit, Parisios relinquere una cum sponsa eiusque parentibus, seque ad Wigwam conferre, ibique matre, sororibus fratribusque adstantibus, matrimonium celebrare, et die ipsa Galliam versus proficisci. Ex quibus omnibus infert patronus, F. labente anno 1890 nullum extra Parisios quasi-domicilium acquisivisse.

Sed dato etiam et nullimode concesso, urget patronus, quod F., ob commorationem sex mensium apud fratrem, perdurante anno 1890 quasi-domicilium *à Paignton* acquisivisset, nihil exinde sequeretur, in ordine ad matrimonium, et hoc esset, aequo modo, nullum. Etenim, inquit, ut matrimonium sit validum, idest ut parochus competens sit, vel quis a lege Tridentina immunis fiat, necesse est ut quasi-domicilium existat et perduret momento matrimonii. Quasi-domicilium antea acquisitum et postea amissum nihil valet. Quapropter impune admittere possemus, ait advocatus, existentiam quasi-domicilii antecedentis, dummodo probetur illud matrimonii tempore desiisse.

Et hoc in facto accidisset, prosequitur patronus, dato etiam et *nullo* pacto concesso, quod F. quasi-domicilium a Paignton aestate anni 1890 acquisivisset. Nam, inquit, cum ex actis *amplissime* pateat, eum duobus mensibus, (Iunii et Iulii) *à Paignton* transactis, Galliam repetiisse, ut reliquum aestatis tempus in Castello de Blosseville absumeret, hyememque, Parisiis, prope sponsam transigeret, gereret, ex hoc ipso huiusmodi quasi-domicilium hypotheticum confestim desiisset. Cessante enim commoratione et causa commorationis, desinit quasi-domicilium.

Unde Curia Parisiensis recte advertebat: « Attendentes caeterum quod etiamsi admitteretur acquisitio quasi-domicilii ab actore in loco dicto Paignton circa medium anni 1890 antecedentis matrimonium, hoc quasi-domicilium interruptum et tempore matrimonii amissum fuisse constat ex pluribus testimoniis, quae affirmant actorem apud matrem adesse in loco dicto Blosseville mense Septembris 1890 et Parisiis mense Novembris 1890 ».

Quapropter concludit advocatus: « 1° F. et Blancam, domicilium, facti et iuris, Parisiis habuisse; 2° Nec unum nec alteram domicilium vel quasi-domicilium in Anglia acquisivisse; 3° Unum et alteram, decreto « Tametsi » adstrictos ratione domicilii parisiensis, exemptos fieri non potuisse nisi per acquisitionem domicilii vel quasi-domicilii a Paignton; 4° Quapropter eorum matrimonium esse nullum atque irritum coram Ecclesia catholica, ac proinde sententiam archiepiscopalis Curiae Parisiensis esse confirmandam ».

Ex adverso Sacramenti vindex contendit, non constare de matrimonii nullitate in casu proindeque infirmandam esse sententiam Curiae Parisiensis. Et ad suam thesim demonstrandam quatuor in quaestionibus proponendis enucleandisque insistit, nempe: 1) *an expediat* IN GENERE *causas de matrimoniis inter haereticos initis cognoscendas suscipere in ecclesiastico foro;* 2) *an* IN GENERE *quoad haereticorum matrimonia, et* IN SPECIE *quoad matrimonium, quo de agitur, difficultates exoriri possint ex baptismatis capite;* 3) *quo sensu sit intelligenda* IN GENERE *fraus quoad eos, qui ex loco ubi urget disciplina tridentina de clandestinitate se transferunt in loca ubi ea non urget;* 4) *an* IN SPECIE *huiusmodi fraus cadere possit in haereticis sectis adscriptos et an in protestantibus F. et Blanca ea sit agnoscenda vel non.*

Vinculi defensor movet quaestionem praeiudicialem: an nempe expediat in genere causas de matrimoniis inter haereticos initis cognoscendas suscipere in foro Ecclesiastico, quia haeretici, inquit, (dummodo valide baptizati), quamvis Ecclesiae potestati et iurisdictioni omnimodo *de iure* subiiciantur, tamen *de facto* in ea conditione versantur, ut non facile, et certe non absque apostolica facultate videantur admittendi ad lites instaurandas in foro nostro; quo posito, causa qua de agitur, veluti per se excideret, nec ad ulteriora esset procedendum.

Et re quidem vera, ait, omnes profecto norunt quanta adversione Ecclesia Christi, haereticos semper fuerit prosequuta. Cuius rei invictissima argumenta habemus v. g. *a)* in exemplo et verbis S. Ioannis Evangelistae, qui, quamvis charitatis fraternae Apostoli nomen sit meritus, tamen ita haereticos detestabatur, ut eos appellaret *antichristos et seductores*, mandaret, ut eis nec *ave* diceretur, imo noluerit nec eodem cum eis balneo uti; *b)* in facto Ecclesiae, quae semper summo odio habuit matrimonia a fidelibus cum haereticis contrahenda.

Quod si Ecclesiae doctrinae et disciplinae plenissime congruit *haereticos devitare,* ut mandabat S. Paulus, nemo non videt grave exinde recte depromi argumentum ad obsistendum, quominus in foro nostro causae matrimoniales haereticos attingentes excutiendae suscipiantur.

Idque eo magis, urget orator, si attendatur haereticos tunc, quum ad forum Ecclesiae confugiunt, veram comoediam agere videri, quum in casu concreto et particulari illi auctoritati se subiiciant, quam in abstracto et in genere prorsus ac ex animo spernunt! Notissimum quippe est, nihil tam in odio haereticis esse quam auctoritatem Ecclesiae in genere te R. Pontificis in specie.

Aliud vero argumentum adversus haereticos in casu, deducit orator, ex eo quod haeretici, utpote excommunicatione perculsi, forensi communione privantur. Et quamvis generatim saltem, haud sint spectandi ut excommunicati vitandi, qui absolute privantur forensi communione, attamen verum semper est, minus congruum videri tribunalium aditus illis libenter reserare, quos ex lege ab agendo repelluntur, una interiecta excommunicationis exceptione.

Nec satis, nam, iuxta vinculi defensorem, alia incommoda in casu urgent: v. g.: *a)* quod huiusmodi causae fere excuti nequeant, quin et admittantur ad testimonium ferendum haeretici, seu ii, quos lex canonica generatim repellit ab attestatione facienda... itemque: *b)* quod huiusmodi causae in praxi saepe fere semper inextricabilibus ambagibus et tricis obvolvuntur exinde repetitis, quod HODIE de valore baptismatis ab haereticis collati prudentissime valde saepe dubitari debet, prouti uberius inferius dicetur, etc.

Quod si quis dicat permittendum esse ut curiae episcopales causas matrimoniales haereticos attingentes cognoscant, saltem quando, ut v. g. in casu nostro, subintrat ratio boni aut fidei aut fidelium, seu quando v. g. aut spes est, ut haereticus ad fidei veritatem redeat, aut solum hoc modo consuli valeat saluti alicuius fidelis, neque hoc admittit vinculi defensor, nam, inquit, incommoda supra indicata plus minusve semper manent etiam hisce in hypothesibus. Accedit causam ex favore fidei desumptam haud raro facile nutare, ob haereticorum inconstantiam et perfidiam, ut contingit proprie in casu, quo de agimus. Nam quamvis Curia Parisiensis acta transmittendo edixerit, se istiusmodi causam non admisisse «*nisi quia orator sponte affirmaverat se in eo esse, ut haeresim abiuraret et catholicus fieret ad puellam catholicam in matrimonium ducendam, si liber esset coram Ecclesia catholica*»; in facto tamen est sponsum huiusmodi nihil horum praestitisse, adeo ut eadem Curia Parisiensis addere debuerit de sponso «*ille, nedum promissum impleverit, matrimonium cum ea* (seu mox dicta puella catholica *coram ministro protestante contraxit* ».

Quod attinet vero ad alteram quaestionem, nempe: AN IN GENERE QUOAD HAERETICORUM MATRIMONIA ET IN SPECIE QUOAD MATRIMONIUM, DE QUO AGITUR, DIFFICULTATES EXORIRI POSSINT EX BAPTISMATIS CAPITE; duo potissimum principia recolit orator, quorum unum ad effectus baptismi haud rite collati pertinet, alterum vero ad modum, quo penes protestantes saepe consuevit baptisma ministrari.

Ad primum quod pertingit, quum baptismum non rite idest invalide collatum, nullius prorsus roboris sit, hinc, infert orator, quum invalide baptizatus, sit essentialiter *in eadem conditione coram Ecclesia* ac nullo modo baptizatus, legibus Ecclesiae minime per se et in se obstringitur; unde casu v. g. contingente, ut duo ita, prouti hypothesis est, male baptizati matrimonium contrahant, haud obtenta dispensatione super vinculo, quod esset quoad eos impedimentum, si vere essent baptizati, coniugium hoc plenissimo robore frui sit dicendum.

Quoad alterum principium, adnotat orator, penes protestantes baptisma saepissime ita conferri, ut nullius prorsus roboris sit dicendum; unde consectarium: taliter baptizatos *reapse* minime esse *baptizatos*, et hinc penitus esse a legibus Ecclesiae renunciandos immunes.

Ad rem, affert orator, quae scribit Scavini in sua Theologia Morali. L. III. Edit. XIII, p. 184, n. 218... *Ex persuasione de nulla baptismi necessitate, quae apud protestantes vulgata est, fit ut eorum ministri adeo oscitanter hoc sacramentum administrent, ut grave dubium ortum sit de valore baptismi ab illis collati. Hinc receptum est, ut passim non solum in Anglia, Gallia, Germania, verum etiam Romae sub conditione iis, qui ex diversis sectis redeunt ad Ecclesiam catholicam, iterum baptismus conferatur...* Et paucis interiectis: *Nel 1845 a Zurigo parecchi ministri protestanti, conversando insieme piacevolmente in un albergo, si ridevano della superstiziosa pratica del Battesimo,* CONFESSANDO A VICENDA, CHE ESSI NON LO CONFERIVANO CHE IN APPARENZA PER ACCONDISCENDERE ALLA BESTIALITÀ DI COLORO, CHE ANCORA NE CREDEVANO LA EFFICACIA. *Una protestante, che li intese, ne fu sì scandalizzata e spaventata, che volò a Friburgo e là si fece istruire nella religione cattolica e ribattezzare sotto condizione.*

Iamvero, urget vinculi defensor, hisce duobus suppositis principiis, seu baptismum substantialiter male collatum aequipollere non baptismo, reapse autem penes protestantes saepissime baptismum esse aut nullum aut saltem dubium, nemo non videt gravissima exinde oriri consectaria in ordine ad matrimonia haereticorum in genere, necnon ad causam hanc nostram matrimonialem in specie.

Revera, inquit, si supponamus, v. g. Titium et Caiam, e protestantium coetu, esse nulliter baptizatos, ii impedimentis matrimonialibus iure ecclesiastico inductis certissime non tenebuntur. Unde matrimonia ipsorum, v. g. clandestine celebrata, dubio procul firmissima erunt.

Itemque, si supponamus v. g. eumdem Titium eamdemque Caiam fuisse aut utrumque aut alterutrum dubie baptizatos, v. g. adhibita dubia materia, matrimonium ipsorum, quamvis spretis ecclesiasticis impedimentis initum, ita erit aestimandum, ut ii saltem dubie sint dicendi vinculo matrimoniali constricti.

Et ut abstractis hypothesibus fiat finis, insistentes in specie nostra, supponamus F. et Blancam fuisse aut *certe* aut saltem *probabiliter* invalide baptizatos... In prima hypothesi, matrimonium ipsorum erit validissimum renunciandum; in secunda vero, nullo modo procedi poterit ad decernendum de nullitate, nisi antea eliquatis dubiis, quae circa sponsorum baptismum, ut supponimus, habentur.

Quod si advocatus obiiciat testimonium collati sponso baptismatis, id valde parum existimat vinculi defensor, ad liquanda dubia ab ipso proposita quoad baptismum a protestantibus collatum. Imo, quia F. proprie IN ANGLIA baptizatus est, affert orator, rursum auctoritatem Scavini.

« *Quoad Anglicanos* NON RARO EST, UT PUERI APUD IPSOS ETIAM SINE AQUA BAPTIZENTUR. *Caeterum en quomodo* HISCE NOSTRIS TEMPORIBUS VEL AB IPSIS EPISCOPIS *conferatur baptisma, prout refert* LA CIVILTÀ CATTOLICA Ser. 2, Vol. I. « *Il ministro pone in ordine attorno a sè i fanciulli da battezzare; e poi, per far più presto, bagna le dita in un poco d'acqua, gitta uno spruzzo in aria, che va dove può andare, e dice: Io ti battezzo, ecc., una volta sola e in numero singolare, benchè i fanciulli sieno otto o dieci. È bene che si sappia. Io so questo da un ministro presbiteriano scozzese. E voi saprete che la Scozia è ancora il paese, dove si dice che il battesimo sia meglio conferito dai protestanti* ».

Nec itidem obiiciat patronus: *omne factum praesumitur recte factum...* Nam, respondet vinculi defensor, adagium hoc iuridicum tum obtinet, quum *ex communiter contingentibus* aliquid rite factum fuisse iure merito coniicere possumus, prout esset verissimum, si v. g. dubia moverentur, num baptisma a presbytero catholico, qui semper consuevit rite baptizare, invalidum fuerit ex defectu intentionis. Praesumendum enim esset, nisi contrarium sat probaretur, rite illum baptizasse.

Nec tamen subsumat adversarius: ex principio, quod ab ipsis etiam SS. Cong. Romanis retinetur, baptisma, si reapse collatum, semper validum est praesumendum in ordine ad matrimonium... Nam, respondet orator, hoc principium iustis-

simis rationibus inductum et retentum tum valere, quum agitur DE MATRIMONIO CONSERVANDO, seu, ut dicunt iuristae, *manutenendo*, minime vero gentium quando agitur, ut in casu nostro, DE MATRIMONIO DISSOLVENDO. Matrimonii enim causa una est ex iis, quas canonistae et iurisperiti appellant: FAVORABILES. Hinc, semel constito de eius celebratione, pro eius valore pronunciandum est. Iamage principium hoc penitus subverteretur, si in coniugium, quod forsan non est aut CERTE aut PROBABILITER nisi matrimonium-naturale ex defectu validi baptismatis, non alia de causa, occasione arrepta ex facto collationis, traduceretur ut matrimonium-sacramentum, nisi ut subiiciatur potestati ecclesiasticae; non ad illud tuendum et conservandum, sed ad ipsum evertendum et nullum decernendum!!!

Gradum deinde faciens orator ad aliam quaestionem nempe: QUO SENSU SIT INTELLIGENDA IN GENERE FRAUS QUOAD EOS, QUI, EX LOCO UBI VIGET DISCIPLINA TRIDENTINA DE CLANDESTINITATE, SE TRANSFERUNT IN LOCA, UBI EA NON VIGET; animadvertit quod quamvis leges per se generatim haberi debeant uti territoriales, idque in vim principii a Bonifacio VIII solemniter traditi et religiosissime semper custoditi: *Extra territorium ius dicenti impune non paretur;* tamen haec regula de legum, ut inquiunt, territorialitate, quamvis generalis sit, non tamen semper est constans. Et reapse, inquit, falli ea incipit, quando legislator iustis de causis vetat, quominus, quis ne legem servet, seu ad legem declinandam, alio concedat.

Casu autem hoc contingente, si quis, lege non obstante, alio reapse concedat, ut eam effugiat, dicitur *agere in fraudem legis;* idque meritissimo, nam, quamvis ita agens videatur legem revereri, quia se confert, ubi ea non viget, eam tamen reapse infrangit, quum contra eius voluntatem nitatur.

Celebratissima exempla huiusmodi prohibitionum, ne fraus legi fiat, nobis suppeditant canonicae leges, tum in Litteris apostolicis *Superna*, quibus Clemens X die 21 Iunii 1670 prohibuit, ne quis ad eludendam legem conservationis (quoad Sacramentum poenitentiae) e territorio suo discederet; ac potissimum Breve: *Exponi Nobis*, quo Urbanus VIII die 14 Augusti 1627 interdixit, ne quis ad eludendam legem clandestinitatis (quoad matrimonium) item alio concederet.

Nam in vim harum Clementis et Urbani dispositionum nequit quis, qui ad reservationis vel clandestinitatis leges declinandas alio fraudulenter concedit, ibidem aut valide absolvi aut valide matrimonium inire, nisi, ut par est, penitus purgata fuerit fraus per adquisitionem domicilii aut saltem quasi domicilii.

Fraudulenter tamen diximus, pergit vinculi defensor, seu eo animi consilio, ut legi reapse non fiat satis, quamvis fiat satis apparenter, seu se transferendo ubi non viget. Hoc enim in suo conceptu importat fraus, ut quis verbum legis videatur servare, sed adversum eius spiritum revera conetur. iuxta celeberrimam utriusque iuris regulam a Bonifacio VIII relatam in Tit. *De regulis iuris* N. 88: *Certum est quod is committit in legem, qui, legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.*

At numquid, quaerit orator, et huiuscemodi fraudis reus dici debebit ille, qui, alio quidem concedit, at non eo animo proprie ut legem declinet, sed v. g. rusticationis aut peregrinationis gratia, ac ibidem, opportuna arrepta occasione, vel confitetur vel celebrat? Aliis verbis numquid praeter veram proprieque dictam fraudem, quae certissime in eo est, qui EXPRESSE VULT legem eludere, admittenda ne est fraus mere facti, in eo consistens, quod quis alibi confitetur vel contrahit ac in suo territorio, sed id non facit directe ad legem eludendam, sed alia quacumque causa, v. g. commoditatis, id ei suadente?

Plurimi admittunt, pergit orator, fraudem facti aequipollentem fraudi iuris, et in eo consistentem, ut, dum quis debebat coram parocho suo matrimonium celebrare, coram alio celebrat, iam censendus est et parochum et legem simul fraudare. Sed Sacramenti vindex illorum sententiae adhaeret, qui etiam hodie mordicus contendunt huiusmodi fraudem facti non esse nisi vanissimum commentum non solum a verbis Urbani VIII, sed et a sensu communi, et regularum iuris prorsus alienum.

Et re quidem vera, inquit, Urbanus probans celeberrimam responsionem a S. V. C. datam a. 1626 ad Archiep. Coloniensem aperte loquitur, de iis, qui quum lege tridentina teneantur, *se transferunt seu transeunt* alio, ubi non viget, CUM FRAUDE... Ergo, infert orator, qui se transfert seu transit sine fraude sub prohibitione non cadit. Quo sensu etiam S. C. de Prop. Fide rescribens ad Ep. Hieliopolitanum a. 1670. ad 3 dubium sic conceptum: *An qui in propria parochia Concilii decretum circa matrimonia audivit, possit in aliis locis, in quibus non est publicatum decretum, sine parocho matrimonium contrahere;* reposuit: *Ad 3 licere iuxta decretum eiusdem S. C. C.* MODO NON FIAT IN FRAUDEM.

Insuper, prosequitur vinculi defensor, omnes qui animum a praeconceptis opinionibus liberum habent, tunc quum vocabulum: FRAUDEM, vel phrasim: IN FRAUDEM LEGIS AGERE audiunt, profecto naturaliter intelligunt de vera fraude, seu de ea, quae in illo est agnoscenda, qui VULT legem eludere.

Huius autem sensus communis responsum solidissime firmatur per ea, quae in iure traduntur, quum de fraude est sermo. Semper enim *conatus... nisus... animus faciendi contra legem* requiritur. Et reapse, si Paulum interrogaveris, tibi respondebit: *In fraudem* (legis facit), *qui salvis verbis legis sententiam eius* CIRCUMVENIT (Fr. 28, Dig. *De legibus).* Et Papinianus scribit: *Fraudis interpretatio* SEMPER *in iure civili* NON EX EVENTU DUMTAXAT, SED EX CONSILIO QUOQUE DESIDERATUR? (Frag. LXXIXD. *De diversis reg. iuris*). Iamvero quis, clamat orator, in conspectu talium textuum, et potissimum posterioris consilium exigentis, *fraudem facti* non amandabit inter fabulas, imo et inter absurda, quum non minus repugnet FRAUS MERE FACTI ac repugnent triangulus rotundus aut circulus quadratus?

Et praeterea, iuxta oratorem, haec sententia fraudis conceptum ad fraudem facti amplians haud componi potest cum principiis iuris, iuxta quae dispositio Urbani, eo quia derogans facultati, quae ex ipsa natura quibuslibet competit alio concedendi ni expresse prohibeantur, ut a legibus patriis se subtrahant, est odiosa, et hinc potius strictae quam latae interpretationis.

Quod si obiicias auctoritatem Sacr. Congr., quae alias visae sunt per responsiones suas dare dispositioni Urbani interpretationem, eam extendendo ad fraudem meri facti; respondet vinculi defensor, unam vel aliam responsionem per se ius non facere, nec probari posse iurisprudentiam Curiae in hac interpretatione sustinenda, talem fuisse ut ex repetitis decisionibus efformata fuerit vera iudicialis consuetudo.

Neque movet oratorem auctoritas Bened. XIV in suis Inst. XXXIII. n. 9 allata ab advocato, nam auctor harum Institutionum non est, inquit, Benedictus XIV Romanus Pontifex ut legislator, verum Prosper Lambertini, privatus doctor.

Tandem Sacramenti vindex ad casum nostrum deveniens, sermonem instituit de postrema quaestione, nempe: AN IN SPECIE HUIUSCEMODI FRAUS CADERE POSSIT IN HAERETICIS SECTIS ADSCRIPTOS, ET AN IN PROTESTANTIBUS F. B. IN CASU EA SIT AGNOSCENDA VEL NON.

Huic quaestioni ita propositae negative respondet vinculi

defensor, quia, inquit, si plenissime licet theoriam de fraude meri facti in genere impugnare, id tanto magis praestare fas erit, tunc quum agitur de haereticis, seu de protestantibus in secta acatholica natis et enutritis, quales erant F. et Blanca.

Et sane, inquit, ut supra dictum est, aliena a *verbo dispositionis* Urbani est interpretatio fraudem agnoscens meri facti. Verum, eo vel magis id repetendum, quum agitur de haereticis, qui certissime non se transferunt seu transeunt in loca ubi viget *Tametsi*, ut parochum suum declinent. Nam, nullimode potest alio ex fraude concedere, ad parochi forum declinandum, ille qui nullo prorsus modo scit (ut omnino praesumendum est de talibus haereticis in secta natis et educatis) se parochum habere!

Quod quidem argumentum tantae evidentiae est, pergit orator, ut, ex ipsius patroni, in sua oratione concinnanda felici fato haud sibi plene consentientis, haec (*p. 10-11*) exciderint aurea verba: *Nos* (in casu) *minime sumus in hypothesi a Benedicto XIV facta, qui loquebatur de catholicis alio transeuntibus, ne in propria sede matrimonium contraherent.* SED HIC ANIMUS ADMITTI NEQUIT IN DUOBUS HAERETICIS TRIDENTINAE LEGIS OMNINO IGNARIS, NULLUMQUE ANIMUM HABENTIBUS EAM EFFUGIENDI VEL SERVANDI ». Qui dicendi modus quomodo concilietur cum Brevi Urbani, alii viderint!

Praeterea, urget vinculi defensor, si theoria de fraude facti explodenda est eo quia fraus facti est aliquid abnorme, imo et absurdum, pugnans cum sensu communi et cum elementaribus iuris principiis, semper in fraude animi consilium desiderantibus, id eo vel magis verum est quum de haereticis agitur, qui legem tridentinam penitus ignorantes, nullo prorsus modo consilium fovere possunt eam violandi, et, tanto minus, eam CIRCUMVENIENDI EX ANIMI CONSILIO, ex dolo procedente!

Caeterum, inquit orator, etiam dato et non concesso, dispositionem Urbani per consuetudinem iudicialem extensam fuisse etiam ad fraudem facti (quod hucusque non est probatum) nemo potest asserere sine temeritate interpretationem hanc, etiam haereticos attingere, quos profecto primaeva Urbani dispositio non attingebat, quum esset concepta de agentibus in fraudem, cuius quidem fraudis haeretici (in subiecta materia) incapaces esse solent, quippe plene legem ignorantes.

Hisce omnibus praemissis, Sacramenti vindex tria petit: 1°) ut *praeiudiciali responso, in quaestionem de causis matrimonialibus, haereticos attingentibus, in foro nostro instaurandis vel non sententiam edatis:* 2°) ut *dilatorio responso, mandetis S. V. C. uberius edoceri de collatione et legitimitate baptismatis ab utroque sponso suscepti:* 3°) ut *dilatorio responso mandetis solvi antea quaestionem in puncto iuris: An lege Urbani, vetantis ne in fraudem matrimonium contrahatur comprehendantur etiam haeretici in secta acatholica nati et enutriti.*

Modo, EE. PP., Vestrum est, omnibus mature perpensis, decernere quomodo dimittendum sit

DUBIUM

An sententia Curiae Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Emi Patres edixerunt: *sententiam esse confirmandam.*

529/2

II.

Sypontina — Iurium

Vertitur controversia inter Confraternitatem illiusque ex-capellanum, circa nonnullorum sacrorum utensilium proprietatem. Quod non accidisset, si Conf. habuisset legitimum inventarium propriarum utensilium. Consulatur, in posterum, ab omnibus interesse habentibus.

In oppido vulgo S. Giovanni Rotondo archidioecesis Sypontinae extat Ecclesia Sanctae Catharinae dicata in eaque ab antiquo erecta est Confraternitas a *SSmo Sacramento.* Porro Ecclesia et Confraternitas rectorem habuit Canonicum Michaelem Limongelli usque ad annum 1900, quum hic muneri renuntiavit, ut rectoratum alterius Ecclesiae eiusdem loci nempe Ecclesiae Sancti Ioannis Baptistae susciperet. Huius renuntiationis occasione inter Can. Limongelli et Confraternitatem SS.mi Sacramenti nata lis est, quae hodie H. S. O. diiudicanda proponitur.

Obiectum litis sunt sacra quaedam suppellectilia quorum ius proprietatis utraque pars sibi vindicat; sunt nempe 1.° *Ostensorium argenteum,* 2.° *Corona argentea.* 3.° Liber manuscriptus nuncupatus « *platea* » notitias continens circa reditus et administrationem Confraternitatis SS.mi Sacramenti, exscriptas ex antiquis chartis modo deperditis. 4.° Velum calicis.

Verum Sacerdos Limongelli aliam movet quaestionem, de proprietate nempe *Statuae* S. Agnetis V. et M. confectae pro Pia Unione — *Delle Figlie di Maria* — cuius spiritualis rector idem Canonicus Limongelli olim existebat; et ius proprietatis sibi vindicat adversus ipsam Piam Unionem.

Obiecto utriusque quaestionis sic definito, praestat ulterius, quaedam referre quoad factorum notitiam. Supra enumerata obiecta, quae hodie sibi arrogat in dominium sodalitas a SS.mo Sacramento, Canonicus Limongelli domi retinere solebat, eaque ad Ecclesiam Sanctae Catharinae tantum deferre solebat alicuius coeremoniae peragendae causa, qua expleta, iterum illa domum secum asportabat. Edita igitur anno 1900 renuntiatione praedicto muneri, Canonicus Limongelli eas res sibi iure proprietatis spectare contendebat adeoque eas tradere recusabat. Quapropter Confraternitas a *SS.mo Sacramento* ad istas res sibi repetendas, Curiae Archiepiscopali instantiam obtulit.

Ad statuam S. Agnetis quod attinet, praenotandum, Piam Unionem — *Filiarum Mariae* — fundatam fuisse *die 21 Ianuarii 1898,* primamque habuisse sedem in Ecclesia S. Catharinae. Die vero *10 Maii 1900,* auctoritate Archiepiscopi eadem Pia Unio ad Ecclesiam S. Nicolai fuit translata, Confraternitate a septem doloribus, in ea Ecclesia erecta, annuente per deliberationem *die 23 Septembris 1900* habitam. Porro Pia Unio *Filiarum Mariae* ut suae coelestis patronae cultum proveheret, deliberavit sibi Statuam comparare S. Agnetis quae, uti patet ex litteris Raphaelis della Campa artificis Neapolitani, versus finem mensis Aprilis 1900 confecta fuisse videtur, atque partim, uti asserunt, piis fidelium oblationibus, ecclesiae S. Catharinae vicinorum, contradicente autem canonico Limongelli, qui asserit suis impensis statuam confecisse cum eo animo ut et fideles et, in primis, sorores Sodales Piae Unionis stipem conferrent prouti sponderunt et facere intendebant, quamvis de facto hoc non praestiterint, nisi in minima parte. Equidem ista statua, a suo primordio, mansit domi apud canonicum Limongelli, eamdemque inibi invisit Archiepiscopus et sua benedictione sacravit. — Posthac Canonicus Limongelli cum sorore Magdalena directrice Piae Unionis, nonnullisque statuam ad Ecclesiam S. Nicolai e

Domo illius transferre deliberarunt. At quum translationi operam darent, tumultus excitati sunt ex parte mulierum, quae statute comparandae concurrisse dicuntur, adeo ut Syndicus loci *S. Giovanni Rotondo* cum militibus occurrerit ad sopiendam turbam et interim praeceperit statuam in sacristia Ecclesiae S. Nicolai asservari, atque postea transferri iussit ad Ecclesiam Matricem, in qua hucusque asservatur. Qua de causa Piam Unionem, sibi, expensas pro dicta statua factas, iam nolle refundere asserit Canonicus Limongelli, nihilo secius contendere statuam iure proprietatis sibi spectare.

Die vero *17 Ianuarii 1901*, Vicarius Foranens Rever. D.nus Angelus Maria Merla, iussu et auctoritate Archiepiscopi, Piam Unionem Filiarum Mariae suspendit, atque reliquas res litigiosas, expetitas a Sodalitate SS.mi Sacramenti, Canonicum Limongelli Archipresbytero tradere iussit. Cui mandato sequenti die Can. Limongelli obtemperavit.

Die autem *24 Iunii 1901*, Archiepiscopus Sypontinus, cum in locum — *S. Giovanni Rotondo* — visitationis pastoralis instituendae causa, venisset, res sibi traditas secum tulit easque Vicarii Foranei curae deposito dedit. Interim satagere non praetermisit discordiarum fomitem sopire, exhortatus Canonicum Limongelli ut relicta Ecclesia S. Ioannis Baptistae, iterum assumeret rectoratum Ecclesiae S. Catharinae atque Confraternitatis SS.mi Sacramenti. At frustra. Tandem *die 15 Iulii 1901*, Archiepiscopus Canonicum Limongelli ab excipiendis fidelium confessionibus suspendit, qua suspensione adhuc ipse teneri fertur.

Quum vero controversiae et tumultuum occasiones non cessarent, Ordinarius Sypontinus rem definiendam suscepit, atque *die 8 Ianuarii 1902*, post summariam processus instructionem, contrariam Canonico Limongelli protulit sententiam, iubens res litigiosas Confraternitati SS.mi Sacramenti restituere. — De proprietate autem Statuae S. Agnetis sententia nihil edixit.

Huic sententiae haud acquievit Canonicus Limongelli, atque *die 16 Ianuarii 1902*, appellationem apud S. Sedem interposuit, et appellationis instantia hodie definienda est.

Quamobrem quaeritur *utrum sententia Curiae Sypontinae sit confirmanda vel infirmanda in casu;* necnon cuinam spectet ius proprietatis Statuae Sanctae Agnetis.

Quapropter rationes, quae hinc inde afferuntur, breviter exponam. De documentis vero potioribus, quae a Limongelli deducta sunt et ab eius adversariis, *summarium* confeci *ex officio.*

Canonicus Limongelli imprimis conqueritur de eo quod ante latam sententiam iniuste sua possessione fuerit spoliatus, et post sententiam, interposita appellatione, Archiepiscopus contra ipsum suspensionis decretum tulerit, quasi in poenam instauratae appellationis, contra scitissimam regulam: *ne lite pendente aliquid innovetur.*

Deinde gradum facit Orator ad legitimum ius proprietatis vindicandum. Ad *Ostensorium* et *Coronam* quod attinet, primum argumentum deducit ex facto quod nomen « *Michele Can. Limongelli* » dictis obiectis iampridem seu ab a. 1886 existat incisum, atque notulam exhibet qua constat 4,30 libellas a se fuisse solutas D.no Ciotola qui nomen ostensorio insculpsit, necnon testimonium Nicolai Pirro testantis, a se nomen Canonici Limongelli coronae fuisse insculptum. Atqui, arguit canonicus eius adversarios cognoscentes hanc affirmationem *dominii*, factam a Canonico illorum utensilium possessore eosdemque non reclamantes impliciter et luculenter fassos esse, proprietatem illarum rerum canonico pertinere, adeo ut hodie audiendi non sint quum sibi ipsis contradicant neque valeant destruere factum tam diuturnae et pacificae possessionis unde proprietas, saltem ex praescriptione, ipsi vindicanda esset.

Exhibet deinde Orator notulam D.ni Ciotola artificis, qui anno 1886 Ostensorium confecit, quae notula ad 175 libellas ascendit.

Porro adnotat dicta obiecta semper, nemine contradicente a se domi fuisse retenta seque ipsis sodalibus pro suo arbitrio, ad sacras caeremonias peragendas praebuisse.

Insuper complurium exhibet scriptum testimonium ex quo eruitur praedicta suppellectilia a Canonico Limongelli propriis sumptibus fuisse comparata, atque in ipsius possessione et usu semper extitisse; immo denegatas ab ipso fuisse fidelium oblationes quas ad illa emenda isti conferre volebant.

Haec testantur Canonicus Miscio et Antonius Massa *(Summ. ex officio sub n. V, 1, 3).*

Insuper Raphaëlla Tamburrano et Constantia Tortorelli testantur Canonicum Limongelli noluisse accipere oblationes, quibus concurrere volebant ad Ostensorium emendum *(Summ. ex off. sub n. V, 2).*

Adest etiam testimonium quinque sociorum Confraternitatis *a septem doloribus* qui affirmant, Canonicum Limongelli saepesaepius etiam in ipsorum Ecclesia S. Nicolai dictum Ostensorium adhibuisse *(Summ. n. V, 6).*

Item Ludovica Barbano et Philumena Lombardi asserunt ostensorium et coronam iure spectare ad Can. Limongelli (V, 8). Plurium tandem exhibet orator testimonium, qui ius proprietatis Canonici Limongelli deducunt ex eo quod nomen illius controversis obiectis sit incisum (V, 7, 9, 10).

Ultimum demum Orator urget argumentum. Sciendum est anno 1895 Ecclesiam S. Catharinae ab Archiepiscopo Sypontino fuisse interdicto suppositam eaque de causa *universa* sacra supellectilia Confraternitatis a SS.mo Sacramento custodiae titulo, Canonico Limongelli fuisse commissa. Atvero mense Septembri 1896 eadem supellectilia restituta sunt, atque modo profert orator receptionis syngraphas ipsi traditas a sociis dictae Confraternitatis, quibus omnia ad se pertinentia recepisse testantur. Porro in catalogo dictorum supellectilium res litigiosae non recensentur *(In actis).*

Ad *librum administrationis* et *velum calicis* quod spectat, simpliciter asserit actor ea semper in sua possessione extitisse, velum ab ipso propriis sumptibus fuisse comparatum, librum vero a seipso fuisse conscriptum, suo usui destinatum, uti vel ipsa libri inscriptio denotat: « ad uso del Canonico Michele Limongelli ».

Gradum deinde facit orator ad quaestionem circa *statuam* S. Agnetis. Varias vicissitudines supra exponens, iam notavi statuam illam, mandato Syndici ab Archiepiscopo confirmato, in Ecclesia Matrici asservari. Quare cum in sententia Sypontina unice sermonem fecit Archiepiscopus de suppellectilibus quae « *Rever. Nostro Vicario Foraneo D.no Angelo Mariae Merla commissa fuere* » non reperitur statua inter res de quibus ipsa sententia ius dixit.

Porro de illa statua haec refert Limongelli: « Stabilito così le cose.... le Figlie di Maria progettarono di farsi la statua di S. Agnese. All'uopo pregarono caldamente il loro Direttore Can. Limongelli di volersi benignare di effettuare il loro desiderio, cioè di comprare una statua di S. Agnese; e siccome denaro non ne avevano in cassa, così lo supplicarono di volerlo anticipare lui, e che poi col tempo glielo avrebbero rimborsato ». Item Canonicus Limongelli de suo impendit pro emendis vestibus et statuae ornamentis.

Supervenerunt deinde iam memorati tumultus unde statua, iussu Syndici deposita fuit in Ecclesia Matrice et serius ab ecclesiastica auctoritate ipsa Pia Unio suspensa fuit. Quocirca factum est ut puellae Piae Unioni inscriptae nihil amplius solvere voluerint Can. Limongelli in satisfactionem susceptae obligationis.

Exinde notulam, pro sua parte, exhibet Limongelli expen-

sarum quas ipse nomine Piae Unionis fecit a mense Decembri 1899 ad mensem Decembris 1900, quae expensae ad 340 libellas attingunt, inclusis 160 libellis pro statua S. Agnetis et 100 pro eiusdem statuae vestibus. – Ex altera parte Antonia Fiorentino thesauraria Piae Unionis notulam profert oblationum quas inter socias collegit, ad 83,75 libellas, e quibus 8 libellas exsolvit pro exsequiis 3 sociarum, reliquas vero 75,75 libellas aliis expensis consumptas fuisse contendit, iuxta declarationem editam ab Antonia Fiorentino relatam *(in Summario, pag. 14, 15)*.

Quare, concludit Limongelli, si a 340 libellis detrahantur illae 75,75 libellae, sibi a Pia Unione solvendae, supersunt 264,25 libellae. Unde deducit ipsi spectare statuam cum ipse eam solverit. Quaestio autem hodie sub eo aspectu proponitur ut decernatur an canonicus Limongelli sit Statuae dominus vel potius dumtaxat ius habeat ad sibi repentendas impensas quas, *nomine Piae Unionis*, fecit in emenda Statua.

Ex adverso Confraternitas a SS.mo Sacramento contendit, neque coronam argenteam neque ostensorium pertinere canonico Limongelli, iure proprietatis.

Nam asserit, acquisitioni horum utensilium fidelium oblationes concurrisse. Verum Limongelli ad coronam argenteam quod attinet, respondet, fideles oblationes contulisse ad emendam aliam coronam anno 1892; et ipsum sibi vindicare coronam acquisitam a. 1894 et in fidem huius assertionis attestationes exhibet illorum qui *a. 1892* pecuniam in hunc scopum contulerunt.

Verum reponit Confraternitas, attestationes a Limongelli exhibitas, rem non evincere quia « nella controdichiarazione esibita dal Limongelli non figurano *tutti* gli oblatori che hanno dichiarato innanzi al Vicario Foraneo: vi mancano Massimiano Mischitelli (L. 10), Bambina Pennelli (L. 12,50), Bambina Leone (L. 25) » qui nempe videntur oblationes dedisse ad emendam coronam de qua agit Limongelli.

Ipsum vero Canonicum Limongelli, asserunt sodales, ad ostensorium quod attinet ne tentasse quidem contradicere declarationi quam dederunt fideles oblatores coram Vicario Foraneo; unde eruitur Antonium Bucci lib. 70; Teresinam Lombardi lib. 13 contulisse.

Deinde ait Confraternitas, ipsum canonicum declarasse non obscuris verbis, istam coronam acquisitam fuisse per fidelium oblationes, dum ipse Canonicus functionem peragebat solemnem apponendi coronam fronti Sacrae Imaginis. Et hoc probare nititur Confraternitas per attestationes in *Summario* relatas (pag. 17) ubi refertur, canonicum se dixisse fidelium *Haraldum* seu mandatarium in apponenda hac corona in fronte S. M. Virginis, imo canonicus Merla refert, Limongelli tunc gratias retulisse fidelibus, utpote oblatoribus.

Quod si locupletiores et numerosiores testes non habentur, asserit Confraternitas, hoc tribuendum esse ipsi Canonico Limongelli, qui vel testes corrumpere sategit vel timore cohibere quominus attestarentur.

Deinde advertunt Sodales sane ne concipi quidem posse, quod Sacerdos sibi in proprietatem acquirat eiusmodi utensilia, nempe coronam argenteam et ostensorium, quae inservire debent publico divino cultui in Ecclesiis. Neque iuvat, notant sodales, nomen Canonici Limongelli fuisse insculptum tum in corona tum in ostensorio; nam advertunt, hoc *factum* esse arbitrarium et reprobandum, postquam probationibus evictum est haec utensilia fuisse comparata fidelium oblationibus. Quod si hi fideles passi sunt et siverunt, hanc perpetrari usurpationem hoc factum fuisse quia Canonicus asserebat, hac ratione eiusmodi res subtractas esse a periculo direptionis fiscalis.

Quia canonicus Limongelli obiicit attestationem datam a moderatoribus Confraternitatis, qua fassi sunt se recepisse utensilia Confraternitatis deposita apud Canonicum Limongelli, et in his utensilibus, non recenseri neque ostensorium neque coronam, Sodales haec reponunt:

« Basta conoscere come andò il fatto per convincersi che l'eccezione è priva di consistenza. Il Limongelli, in vero, nel 1896, quale Cappellano della Confraternita, era depositario di tutti gli arredi ad essa pertinenti. Avvenne, appunto nel 1896, che la Confraternita si trovò in bisogno di danaro, e non avendo altro modo di procurarselo ottenne, dalla competente autorità ecclesiastica, la facoltà di vendere alcuni oggetti, i quali furono effettivamente ritirati dal Limongelli che li aveva in deposito; ed egli stesso scrisse la ricevuta, della quale ora si vale, che i superiori della Confraternita in piena buona fede firmarono senza leggere. Orbene, il Limongelli scrisse essere stati ritirati « *tutti gli oggetti d'oro, d'argento ed arredi sacri* » che erano depositati presso di lui; mentre furono invece ritirati solo quegli oggetti che dovevano vendersi e che furono effettivamente venduti come attesta lo stesso Limongelli nel suo scritto ».

Quia canonicus Limongelli attestationes offert quibus asseritur, ipsum respuisse nonnullas fidelium oblationes, declarata sua intentione emendi suis impensis et in suam proprietatem ostensorium et coronam, respondet confraternitas, ad summum, tale repudium, ex parte canonici, *probare* oblationes iam collectas fuisse sufficientes et superabundantes uti testatur Constantia Tortorelli aiens: « che gli oggetti erano già acquistati e quindi non era possibile ricevere per essi nuove oblazioni ».

Nullimode vero posse proprietatem vindicari Canonico Limongelli eruit Sodalitas ex ipsa istarum rerum natura. Etenim in dubio iuristae rerum proprietatem arguunt ex harum destinatione, veluti ex fine.

Ostensorium autem et corona argentea sunt ad publicum cultum in usum confraternitatis. Quod argumentum est fortius in casu quippe corona est veluti *tertia* corona seu complementum affabre adiectum coronae iampridem appositae in fronte B. M. Virginis, vulgo *Incoronata*, accessorium autem sequitur principale.

De ostensorio advertunt Sodales, iam satis explicatam esse eius destinationem et acquirentis intentionem, si attendantur quae retulit Vicarius Foranens asserens: « che quando esso *(ostensorium)* fu commesso dal Limongelli alla ditta fabbricante, questi era già cappellano della Confraternita la cui chiesa difettava di un ostensorio ».

Postremo loco sodales sibi vindicant proprietatem quoque *veli* ad obtegendum calicem et *plateae;* et ita argumentantur: « Quanto al velo il Limongelli due volte nei suoi scritti in atti, spiega come egli ne sia proprietario, e lo spiega in due diversi modi apertamente tra loro contraddittorii. Nello scritto intitolato *Restrictus facti et iuris* dice che fu comprato da lui con denaro proprio e per suo uso. In un altro scritto egli dice che gli fu dato insieme ad un calice per la celebrazione di messe. La cosa non è esattamente identica. Ma che lasciando da parte ciò, risulta che l'Arcivescovo in S. Visita nell'inventario degli arredi della chiesa di S. Caterina rinvenne il velo in questione, ed anzi disse di venderlo essendo esso di un certo valore.

« Quanto alla *platea*, essa fu copiata da un antico libro che era in possesso della Confraternita. Ma fu copiata dal Limongelli di proprio arbitrio ed a scopo di lucro, per la speranza di poter cedere ad altri quanto risulta da quell'antico libro, come egli dichiara apertamente nel primo paragrafo del suo *Restrictus facti et iuris* in atti. È giusto che egli facesse ciò senza l'autorizzazione di chi aveva la proprietà della *platea*, vale a dire senza autorizzazione della

Confraternita? Se lucro dalle notizie di tal libro può ricavarsi, è incontestabile che esso deve spettare al proprietario. E perchè non avvenga altrimenti è necessario che la copia della *platea* fatta dal Limongelli venga consegnata alla Confraternita che sola ha il diritto di disporne ».

Concludunt suas animadvertiones Sodales, recolentes hodiernam quaestionem tribuendam esse culpae Canonici Limongelli, qui acquiescere noluit transactioni quam nomine Episcopi conciliare studuit Sacerdos Ioseph Principe quamque sodales acceptaverant et ipse Canonicus Limongelli. At hic praetexens suorum iurium laesionem stare transactioni renuit, uti narrat Sacerdos Principe in *ultimo* documento relato *in Summario.*

Hactenus de summa animadversionum a partibus deductarum.

Hodierna quaestio EE. PP. tota consistit in aestimandis documentis hinc inde, a partibus, exhibitis ut aestimetur an magis probata sit intentio Canonici Limongelli sibi asserentis proprietatem, aut Confraternitatis contradicentis. Siquidem confraternitas non videtur habere aliquod *inventarium* de suis bonis patrimonialibus et *utensilibus* (si *velum* excipias) legitime ab Archiepiscopo recognitum; quod equidem fidem facit in iudicio quousque, in contrarium, evidenter aliquid non pertinere demonstretur ei, cui suffragatur inventarium. — Hac de causa confeci Summarium *ex officio* quo retuli, in utramque partem, potiora documenta.

Can. Limongelli vero absque ambagibus asserit, se eiusmodi utensilia, quibus et confraternitas et aliae Ecclesiae indigebant, eo consilio acquisivisse ut eadem locaret et Confraternitati et aliis Ecclesiis certa pacta mercede, unde ipse et eius sorores nubiles, secus in unam familiam commorantes, nummos retraherent necessarios eorum vitae sustentandae.

Sint itaque

DUBIA

I. *An sententia Archiepiscopi diei 8 Ianuarii 1902, sit confirmanda vel infirmanda in casu.?*

II. *An statua S. Agnetis V. et M. sit restituenda Sacerdoti Limongelli, seu potius eidem sit restituenda summa, pro emenda statua, impensa in causa.?*

Emi Patres rescripserunt: *ad 1um sententiam esse confirmandam iuxta modum et ad mentem.*

Ad 2um. Negative ad 1am partem; Affirmative ad 2am.

E SACRA CONGREGATIONE
EPISCOPORUM ET REGULARIUM

Die 24 Aprilis 1903, in palatio Apostolico Vaticano habita fuit Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis de iure resolvenda.

I. IMOLEN. — Iuris-Patronatus.

D. 1.° *An decretum Episcopi Imolensis die 30 Ianuarii 1902 sit confirmandum vel infirmandum in casu;* et quatenus affirmative ad secundam partem et negative ad primam;

2.° *An pertineat Confraternitati S. Onophrii, independenter ab omni iure activo vel passivo familiae Malerbi, ius nominandi proprium Capellanum in casu.*

3.° *An praedictae Confraternitati exclusive spectet ius nominandi Clericum Custodem.*

4.° *An Confraternitas disponere possit de reliquis cubiculis pro habitatione Custodis eiusque familiae; aut assignare ea debeat Capellano.*

R. Ad 1um. *Affirmative ad primam partem, seu confirmandum esse decretum iuxta modum; modus est ut in sequentibus:*

Ad 2um. *Affirmative: aequum tamen esse ut in casu vacationis, si adsit Sacerdos ex familia Malerbi, Confratres, coeteris paribus eum praeferant.*

Ad 3um. *Placere de concordia et ad mentem; mens est: quod nominatio Clerici Custodis fiat communi consensu a Confraternitate et a Capellano, et in casu dissensus pro videat Episcopus.*

Ad 4um. *Episcopus iura utriusque partis ex bono et aequo componat.*

II. S. MINIATI. — Onerum.

D. *An et quomodo decretum Curiae Sanminiatensis die 15 Maii 1902 sit confirmandum vel infirmandum in casu.* — R. *Decretum non sustineri.*

III TAURINEN. — Iuris-Patronatus — R. *Dilata.* (sub-secreto).

5098/15 I.

PONENTE E.MO AC R.MO
CARDINALI SAMMINIATELLI
Die 24 Aprilis 1903

Sancti Miniati — Onerum.

Decretum Epi non sustinetur in casu, nam onera capellaniae a fundatore taxative enumerata, non possunt ab Ordinario augeri, nec per consuetudinem, quae de cetero satis probata non videtur, modificari; nam agitur de actibus facultativis.

Comitissa Ioanna De Castaldi, vidua Comitis Francisci Del Testa, in publico Oratorio SS. Nominis Mariae et S. Ranieri prope villam suam vulgo *Belvedere*, intra fines paroeciae loci *Crespino* dioecesis S. Miniati positam, Beneficium perpetuo erigebat, die 3 Maii 1780.

Tabulae fundationis *(art. 7)* statuunt: « quod Capellanus *pro tempore* Missam in Oratorio vel per se vel per alium quotidie applicet ac celebret; item *(art. 8)* quotannis festum SS. Nominis Mariae magna cum solemnitate recolat; necnon omnibus aliis diebus festivis Evangelium et Catechesim explicet aut ab alio explicare faciat, exercitium *Viae Crucis,* non omittat, sacras ducat Processiones ab Ordinariis Dioecesanis concessas etc.; quod *(art. 9)* ad spirituale plebis bonum servitio dicti Oratorii *totaliter* sit addictus; demum *(art. 10)* quod iuspatronatum activum huiusce Capellaniae ad fundatricis haeredes, aut ad illam personam vel personas, quibus Comitissa ipsa per quemcumque sive *inter vivos* sive ultimae voluntatis actum illud conferret; necnon eadem ratione ad Archiepiscopum Pisanum *pro tempore* existentem pertineat; ita tamen ut, deficientibus et extinctis lineae masculinae haeredibus, iuspatronatus et nominatio ad Archiepiscopum *pro tempore* Pisanum omnino et in perpetuum spectet ».

Quum autem, circa iura et onera Capellani loci *Belvedere* nuncupati, exorta esset controversia Capellanum ipsum Torquatum Grifoni inter et Francalanci, Praepositum paroeciae vulgo *Crespino*, Causa proposita fuit solvenda Curiae Sancti Miniati, quae die 15 Maii 1902 inter alia decrevit: « Capellanum villae vulgo *Belvedere* quoad infirmorum adsistentiam duos Parochos locorum *Crespino* et *Tripalle* coadiuvare, necnon in festis a Sacris Canonibus et praecipue a Synodo dioecesana statutis ad matricem ecclesiam loci *Crespino* intervenire debere ».

Capellanus Oratorii SS. Nominis Mariae ad S. Sedem ab hoc decreto recursum habuit. Quapropter causa huic Sacrae EE. et RR. Congregationi definienda proponitur sub rogandi formula « *An et quomodo decretum Curiae Sanminiatensis die 15 Maii 1902 sit confirmandum vel infirmandum in casu* ».

Jamvero Curia S. Miniati sententiam suam, ideoque supradictam Capellani Oratorii SS. Nominis Mariae obligationem, pluribus defendere nititur argumentis.

Imprimis Curia ad verba citati art. 9, fundationis confugit.

Postea demonstrare adlaborat praxim constantem servitii parochialis, praestiti ab omnibus pagi *Belvedere* nuncupati Capellanis. Nam, ait Curia, hoc testantur duo testes, nempe Leopoldus Donati a. 53 et Attilius Casati a. 43 loci *Crespino*, qui sub iuramenti vinculo deponunt duos praedecessores actualis Capellani Grifoni, sacerdotes nempe Nuti et Paolicchi quoad sacramentales confessiones aliasque parochiales functiones diebus praesertim solemnioribus, necnon quoad infirmorum curam in ecclesia *Crespino* semper libenterque operam suam praestasse. Imo iidem testes subdunt, se a maioribus accepisse quod Capellanus S. Ranieri ad ecclesiam matricem diebus saltem solemnioribus ac in gravibus paroeciae necessitatibus accedere teneatur.

Curia addit testimonium Cancellarii episcopalis dioecesis Sanminiaten. qui asserit quod ex duobus documentis inter beneficialia acta a. 1885 existentibus, quorum unum Gustavi Iacoponi Prioris pagi *Tripalle* diei 16 Iunii 1868, alterum vero Francisci Citi Oeconomi Spiritualis ecclesiae *Crespino* diei 17 eiusdem mensis et anni, spectat, constat Capellanos SS. Nominis Mariae ab ipsa beneficii fundatione usque in praesens in coadiuvandis parochis locorum *Crespino* et *Tripalle*, necnon in adsistendis infirmis operam suam semper praestasse.

Hoc idem testantur septuagenarius Laurentius Ferri, parochus loci *Tripalle*, necnon parochus loci *Crespino*; qui ultimus, dum ad coelum extollit duos hodierni Capellani antecessores, diris verbis lamentabatur de mala eiusdem agendi ratione.

Ex quo, subsumit Curia, constans praxis non solum citatum art. 9 interpretata est, sed etiam consuetudinem vim legis habentem induxit.

Praeterea eadem Curia argumentationem suam desumit ex indole Capellaniae *Curatae-succursalis* in legem deducta (etiam coram Gubernio) a facto constanti ministerii parochialis praestiti. Etenim, quum per suppressionis legem a. 1867 Gubernium italicum revendicationis taxam exigeret a patronis Capellaniae, quasi ipsa non esset beneficium curatum, Curia S. Miniati historicum protulit documentum, ostendens dictis Capellanis sive ex erectionis tabulis sive ex consuetudine non interrupta, parochos finitimos locorum *Crespino* et *Tripalle* coadiuvandi onus incumbere. Immo quia R. Gubernium opponebat Coadiutoriae exercitium fuisse arbitrarium nec ab auctoritate civili et ecclesiastica sancitum, ostensum fuit quod, quum exercitium hoc in ipsis erectionis tabulis ab utraque potestate approbatis fundetur, implicite saltem necessaria sanctio aderat. Caeteroquin, pergit Curia, auctoritatis ecclesiasticae sanctio desumi potest, tum ex eo quod ipsa Capellano S. Ranieri munia parochialia exercendi permissio non dedisset, nisi hoc constasset ex fundationis actu vel ex tacito Ordinarii consensu; tum ex eo quod viget consuetudo a. 84, plus quam sufficiens ad tribuendum Coadiutoris ius aut privilegium Capellano SS. Nominis Mariae; tum denique ex praxi constanti Curiae Sanminiatensis, quae dictum Capellanum uti Curatum semper habuit sive ob communicationes ipsi factas et solis parochis fieri solitas, sive ob Curati qualitatem eidem semper recognitam. Hisce omnibus perpensis, concludit Curia, R. Gubernium die 7 Martii a. 1869 decrevit Capellaniam S. Ranieri minime subiacere legi suppressionis.

Tandem, prosequitur Curia, Cappella SS. Nominis Mariae sive in ipsius Curiae actis sive in institutionum Bullis semper appellata fuit *Curata succursalis*, uti videre est in respectivis Bullis institutionis actualis Capellani Grifoni eiusque decessoris Paolicchi.

Ex adverso, advocatus Capellani sustinet decretum Curiae S. Miniati nullo modo sustineri posse. Sane, inquit, iuxta doctrinam communiter receptam, absque Apostolicae Sedis dispensatione fundatorum voluntas mutari nequit; eoque magis nova onera beneficiis ecclesiasticis imponi non possunt. In casu autem fundatrix Capellaniae S. Ranieri, explicitis verbis, suam expressit voluntatem, Capellano plures praescribendo obligationes. Adest quidem officium ministrandi populo, qui ruri commoretur aut ad Oratorium accedat, uti ex ipsa obligatione Capellano imposita continue penes Oratorium residendi desumitur; item explicatio Evangelii et Catechismi imponitur, quod est parochorum proprium; sed tantummodo in Oratorio. At in erectionis tabulis ne verbum quidem invenitur de munere pro Capellano adiuvandi duos finitimos parochos, sive in adsistentia infirmorum, sive in sacris functionibus. Alias enim, pergit orator, quomodonam posset Capellanus operam suam *totaliter* praestare in utilitatem plebis praedii *Belvedere*, uti ipsa Fundatrix iussit? Caeterum, nec obtenta fuit a Pontifice gratia, nec habitus fuit, imo nec quaesitus patroni consensus; qui requirebatur, quum sermo sit de beneficio iurispatronatus.

Insuper, prosequitur patronus, minime prodest Curiae appellatio ad consuetudinem, iuxta quam Capellani Grifoni praedecessores parochum auxiliassent. Etenim, omisso examine testimoniorum a Vicario Foraneo Caesare Lenzi allatorum, vulgatum est iuris principium, hanc consuetudinem gignere non posse veram obligationem, quum de actibus mere facultativis agatur: « In facultativis non datur praescriptio... Actibus mere facultativis non inducitur consuetudo praeter legem »; *(Reiffenstuel ad tit. I, dec. ut IV, n. 130)*. Imo, etiamsi hoc certum non esset, ad hoc ut consuetudo vim legis habere possit, ostendere necesse est Capellanos S. Ranieri nec *invitatos* nec *sponte* sed *iussos* parochum coadiuvasse, dum e contrario de hoc ne verbum quidem in testimoniis a Curia collectis invenitur. Caeterum, ait advocatus etiam admissis veluti veris hisce depositionibus, semper tamen manet dubium, an Capellani Parochos coa-

diuverint cum animo sese obligandi vel potius ex spontaneo zelo moti: in dubio autem animus sese obligandi excluditur: « In dubio an consuetudo ex devotione dumtaxat vel animo se obligandi sit; introductam praesumendum est consuetudinem potius esse devotionis quam obligationis, sicque continere actus mere facultativos » *(Reiffenstuel ibi, n. 130)*.

Atvero quid dicendum, pergit orator, si praetensa consuetudo non existeret? Capellanus Grifoni plures profert testes, inter quos nonnulli numerantur sacerdotes in dignitate constituti, qui sub iuramento deponunt, *fere nunquam* Capellanos SS. Nominis Mariae coadiuvasse parochos locorum *Crespino* et *Tripalle*, et si aliquando hoc accidit, nonnisi libere omnino ac sponte ita egerunt.

Haec omnia, subdit advocatus, confirmantur ex eo quod, uti fidem facit Archiepiscopus Pisanus in sua relatione ad S. Congregationem EE. et RR., in Oratorio loci *Belvedere* nunquam extiterint vasa sacra nec coetera supellectilia pro SS. Viatici et Extremae Unctionis administratione, quemadmodum liquet ex inventario ipsius Capellae quod in Curia Pisana reperitur.

Minime certo, prosequitur orator, prodesse poterit Curiae Sanminiatensi, quod Capellania uti *Curata* ab auctoritate civili habita sit, atque uti talis in collationis Bullis a. 1885 et a. 1892 denotata sit. Primum enim factum in foro canonico ius constituere nequit; multoque minus si consideretur, quod Capellania uti *Curata* habita sit cum solis muneribus in tabulis erectionis contentis, explanandi videlicet Doctrinam Christianam ac Evangelium in Oratorio, quum haec ad officium parochiale pertineant et in paroeciae bonum atque parochi sublevamen redundent. Eo vel magis quod ad mutationem naturae beneficii inducendam omnino requiritur consensus patroni, qui eum nunquam praestitisse nec praestiturum protestatur. Eodem sensu intelligenda sunt Bullarum verba, ubi sermo est de Capellania *Curata:* in ipsis enim habetur quod Capellanus ministerium Capellaniae praestare tenetur; hoc autem ministerium aliud esse nequit nisi illud, cui fundationis tabulae alludunt.

Postremo patronus thesim suam confirmat ex *voto informativo*, quod die 24 Novembris 1902 requisitus Archiepiscopus Pisanus, tamquan beneficii Patronus, ad S. Congregationem misit, et in quo ipse ostendit Capellanum loci *Belvedere* minime teneri ad officium coadiuvandi duos parochos finitimos locorum *Cresino* et *Tripalle*.

Quibus omnibus ex utraque parte relatis, propositum fuit enodandum sequens

DUBIUM

An et quomodo decretum Curiae Sanminiaten. die 15 Maii 1902 sit confirmandum vel infirmandum in casu?

Porro Emi Patres, re mature perpensa responderunt die 24 Aprilis 1903: *Decretum non sustineri.*

II.

Indultum conceditur Ministro Gen. Capuccinorum pro translatione domorum Novitiatus pro Provinciis Galliae.

Beatissime Pater,

Fr. Iucundus a Montorio, Ordinis Min. Capuccinorum Procurator Generalis, ad pedes S. V. humiliter provolutus, de pleno consensu Generalis Ministri, exponit: quod nuper Religiosi Cappuccini sub ditione Gubernii Gallici e suis Coenobiis fere omnes vi expulsi sunt, et alii in Helvetiam, alii in Italiam, alii alio perrexerunt; et consequenter Novitios ipsos secum duxerunt. Circa quod S. Congregatio Episcoporum et Regularium sub die 23 Iunii 1880 ad preces P. Commissarii Generalis Francisci de Villa-Franca, Ministris Galliarum, Corsicae et Sabaudiae concessit gratiam, cuius vigore Novitii transferri possent alio, absque eorum novitiatus, seu probationis interruptione. Cum eaedem nunc militent circumstantiae, orator idem implorat Indultum ab Apostolica benignitate, pro earumdem Provinciarum Novitiis, et si qui Novitii iam translati fuerint, eadem gratia, opportuna sanatione gaudere valeant.

Et Deus, *etc.*

Vigore specialium facultatum a SSmo Dno Nostro concessarum, Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis precibus P. Procuratoris Generalis Ordinis Min. Capuccinorum, necessarias et opportunas facultates P. Ministro Generali benigne tribuit, quarum vi indulgere valeat, ut Novitii sui Ordinis in Gallia existentes e domibus Novitiatus, mutato etiam in alium decentem habitu religioso, si necessitas id exigat, alio extra Galliam transferri possint, in locum tamen ubi omnia habeantur quae pro novitiatu requiruntur, in eoque novitiatum, quin per praemissa interruptus censeri debeat, perficiant, facta vero a singulis novitiis ante professionem declaratione in scriptis sese hoc indulto uti velle, quae declaratio adnotanda erit in libris professionum et caute asservanda. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae 16 Maii 1903.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. † S.

Ph. Giustini, *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I

Neo-ordinati recitent impositum Nocturnum, omissis Invitatorio, Hymno et Lectionibus.

DUBIUM.

Sacra Rituum Congregatio in *Granatensi* 11 Augusti 1860 ad XIV declaravit: « Verba Pontificalis Romani *Nocturnum talis diei* intelligi de unico Nocturno in feriali, vel de prima dominica, ut in Psalterio, id est duodecim Psalmorum cum suis antiphonis de tempore, quem Episcopus ordinans designare potest vel ipsius diei quo habet ordinationem, vel alterius pro suo arbitrio. Quando vero Episcopus nihil aliud exprimit, quam id quod verba Pontificalis referunt, dicendum esse Nocturnum feriae, quae respondeat illi diei in qua facta est ordinatio ». Insuper ex decreto eiusdem Sacrae Congregationis N. 4042 *Urbis* 27 Iunii 1899 ad I

« *Pro Nocturno talis diei* intelligendus est Nocturnus ferialis, vel primus Festi, aut dominicae in Psalterio, prouti Ordinatio in Feria., Festo aut dominica habita sit ». Nunc autem alia quaestio exorta et pro opportuna solutione proposita fuit; nempe: « Utrum ad hunc Nocturnum etiam Psalmus *Venite exultemus*, Hymnus et Lectiones addendae sint, vel potius sufficiant Psalmi cum respectivis Antiphonis ad talem Nocturnum spectantes? ».

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae omnibusque accurate perpensis, propositae quaestioni respondendum esse censuit: « Negative ad primam partem; affirmative ad secundam ».

Atque ita rescripsit, die 10 Iulii 1903.

Ita reperitur ex Actis et Regestis Secretariae Sacrorum Rituum Congregationis, in fidem, etc.

Ex eadem Secretaria, die 10 Iulii 1903.

† D. Panici, Archiep. Laodic. *S. R. C. Secr.*.

II.

ORDINIS FRATRUM MINORUM

Duo solvuntur dubia

Rev. P. Paschalis a Perusia, sacerdos professus Ordinis Fratrum Minorum, de consensu sui Rmi Procuratoris Generalis, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia, pro opportuna solutione, humillime exposuit, nimirum:

I. An infra octavam alicuius Sancti octavam habentis, cuius nec officium recitatur, nec fieri commemoratio per accidens potest, caput inclinari debeat, quando dicti Sancti nomen occurrit in Missa?

II. Quaenam praefatio dicenda sit in Missa votiva conventuali, quando alia celebretur Missa de die infra octavam vel eius fiat commemoratio in Missa de officio occurrente, an scilicet praefatio communis vel praefatio de octava?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative*. Ad II. *Affirmative ad primum, Negative ad secundum*.

Atque ita rescripsit die 19 Iunii 1903.

S. Card. CRETONI, *Praef.*

L. ✠ S.

† Diomedes Panici, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Sec.rius*.

III

SANCTI DEODATI — DECRETUM

Beatificationis et canonizationis ven. servi Dei Petri Ioseph Formet, Eremitae nuncupati.

Saeculo decimoctavo exeunte, in pago *Ventron*, dioeceseos Sancti Deodati piissime obiit eremita quidam Petrus Iosephus Formet cuius nomen in omnium ore et corde laudis et memoriae testimonio cohonestatur. Ortus in dioecesi Vesontii, die 7 februarii anno 1724 a parentibus conditione humili sed pietate praestanti Stephano et Catharina Perrin christianae Fidei rudimenta agnoscere et praecepta servare didicit. Aetate ac virtute accrescens vix decimum et primum aetatis annum attigit, caelesti convivio refectus est. Quatuor post annos genitrice orbatus, ut patri egenti et ad novas nuptias transeunti subsidium ferret in famulatum honesti viri se sponte addixit atque per biennium boni ac fidelis servi munia adimplevit. Militiae adscriptus religione et moribus admirabile exemplum commilitonibus ipsisque ducibus praebuit. Ad pristinum vitae statum post quinquennium reversus, ita famuli officia gessit ut non obliterentur ea quae ad filium spectant. Namque patri morbo laboranti, statim, dimisso domino, opem tulit maxime sollicitus ut extrema Ecclesiae sacramenta reciperet. Votis compos factus demortuum parentem sacro funere expiari eiusque corpus in ipso tumulo matris poni curat. Postea paterna haereditate consanguineae sorori tradita, oppidum natale relinquit secum afferens crucifixum et parvulam B. Mariae Virginis statuam. Peregrinus primo solitarium locum *Pairis* prope coenobium cisterciensium adit, dein in oppido *Tête de Fortgoutte* prope *Bussang* consistit, ubique orationibus, ieiuniis sanctisque operibus assidue vacans. In solitudine detectus a Ioanne Valroff, oblata ab eo cibaria renuit profitens sibi in adiutorio Altissimi et in protectione Dei coeli commoranti nihil deesse. Probi viri Thomae Colin cura, aere collato, alia habitatio decentior in loco *Les Buttes* pagi *Ventron* aedificata est Servo Dei qui ibidem ab anno 1751 usque ad vitae exitum mansit. Dilectus Deo et hominibus Petrus Iosephus quotidie in Ecclesia sacrificio Missae adstabat, angelorum pane saepe roboratus. In oratione perseverans, rudi amictu, modico cibo brevique somno utebatur; neque eremum deserebat, nisi ad sanctuaria invisenda, ad infirmos atque egenos consolandos, ad infantes puerosque christiana Fide ac Lege imbuendos. Hanc vitam solitariam et actuosam bonis operibus plenam egit usque ad annum 1784. Tunc enim gravi morbo correptus et omnibus morientium sacramentis refectus, die 30 Augusti ad aeternam patriam migravit. Eius corpus ad Ecclesiam delatum, magno comitante populi concursu, sacro funere persoluto, in coemeterio ipsius Ecclesiae repositum fuit. Interim opinio sanctitatis Servi Dei in vita et post mortem clara, intra et extra illam regionem diffusa maiora in dies accepit incrementa. Quare adornato super ea in ecclesiastica Curia Sancti Deodati Processu Ordinario Informativo et Sacrorum Rituum Congregationi exhibito, ad humiles enixasque preces Rmi Dni Alberti D'Armailhacq, Urbani Antistitis et Causae Postulatoris, attentis decretis eiusdem Sacrae Congregationis 23 Iulii 1900 et 7 Novembris 1902, pro Causa Introducenda, una cum Litteris Postulatoriis quorundam Emorum S. R. E. Cardinalium, plurium Rmorum Sacrorum Antistitum ac praesertim Rmi Episcopi Sancti Deodati cum suo Capitulo Cathedrali, et Seminario et Rectoribus ecclesiarum parochialium *Ventron* et *De Lamont*, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Vincentius Vannutelli, Episcopus Praenestinus et eiusdem Causae Relator, in Ordinario S. R. C. coetu, subsignata die, ad Vaticanum coadunato, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* ». Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem eiusdem Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, omnibusque ma-

ture perpensis ac discussis, rescribere rati sunt: « *Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit* ». Die 21 Aprilis 1903.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit, propriaque manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praedicti Ven. Servi Dei Petri Iosephi Formet, Eremitae nuncupati, die 22 eisdem mense et anno.

S. Card. CRETONI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

INFORMATIO

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?

Eme ac Rme Domine,

1. Non proponimus equidem apostolum qui regiones innumeras peragrans, fidem incredulis annuntiaverit, non sacerdotem aut parochum qui animarum saluti se totum addixerit, non denique Religiosum qui regularem in claustro vitam egerit votaque diligenter servaverit; sed virum, Amplissimi Patres, proponimus genere natum pauperrimo, virtute insignem, supernis mirabilem donis: virum, inquam, qui famulus, miles, eremita, in quibuslibet hisce vitae conditionibus, in adiunctis difficilioribus, in mediis periculis, in quavis hominum conversatione, universos in sui traxit admirationem suoque exemplo quamplurimos ad bonos mores virtutemque convertit ac tantam sanctitatis famam et miraculorum gloriam, vivens adhuc et post obitum, adeptus est, ut de Processu instituendo pro Eius Beatificationis Causa introducenda, fuerit consensu unanimi constitutum.

2. Nobis itaque concreditum defensionis officium pro viribus aggredimur brevi praemisso commentario de sancta vita egregiisque Dei Famuli virtutibus.

SYNOPSIS VITAE DEI SERVI.

3. Natus est Dei Servus in Dioecesi Vesontii e Stephano Formet et Catharina Perrin conditione quidem pauperrimis, sed christiana pietate summopere praestantibus: dies erat Februarii *septima* anno a Redemptoris ortu 1724. Postridie nativitatis Eius genitores sacris baptismatis acquis ablui puerum apprime curarunt eique *Petri Josephi* nomen in ea caeremonia imposuerunt. Genitoribus, qui tanta, ut innuimus, religione praestabant, nihil fuit antiquius quam ut edocerent filium principia fidei nostrae sanctissimae eiusque animae amorem Christi iam illis annis infunderent. Et revera Dei Servus dilectioni, sollicitudini, curis parentum singulari obsequio respondit et, veluti in iis contingere solet, quos Dominus ad praeclara servavit, iam ex eo tempore Ipse a ludis solatiisque abhorruit et praecipua bonitatis indicia perhibens, tantummodo res divinas amavit: puerumque illum vidisses, qui Ecclesiam adibat etsi procul a domo sua distaret, qui de conditione pauperrima laetabatur, qui obedientissimus erat subditusque parentibus, qui puerilem aetatem suam praematura pietate exigebat « pratiquant déjà dès l'enfance toutes les vertus chrétiennes ».

4. Crevit virtute crescentibus annis; ita ut veluti pueritia, Eius adolescentia quoque suavem sanctitatis odorem undique effunderet « l'adolescence du Serviteur de Dieu fut, comme « son enfance, parfumée de sainteté. » Vix undecimum attigit aetatis annum, ad Sacram caeli mensam admissus, primo Iesum in suo corde recepit Eique Confirmationis sacramentum administratum est. At quatuor circiter post annos matre amatissima orbatus est adolescens eiusque pater novas iniit nuptias ex quibus puella deinde exorta est. Per idem fere tempus domesticam Dei Servus videns egestatem, ut aliquod afferret genitori subsidium constituit se famulatui apud dominum aliquem addicere. « Frère Joseph demanda respectueusement à son père de le quitter pour se mettre en service et subvenir ainsi par ses gages à la pauvreté du ménage ».

5. Novus hic status occasio fuit ut alia virtutis Ipse specimina traderet. « Le jeune Pierre-Joseph Formet se conduisit dans cette nouvelle condition d'une manière très édifiante ». Tunc enim obsequio in dominos, diligentia in laboribus, observantia in implendis officiis exemplo aequalibus fuit. Singularis insuper pietate nedum diebus festis ad Ecclesiam ivit, sed quaevis momenta temporis a laboribus vacua, piis exercitationibus, maxima cum devotione, intendit: dominus enim diligentia sui famuli contentus ei libenter concessit ut adiret quotidie templum divinoque adesset sacrificio. « Tout son temps libre était donné à Dieu ». Neque tamen oblitus est parentes queis omne quod lucraretur omnino remittere consuevit dicens: « Nourri et vêtu, je n'ai besoin de rien; il est juste que je vous rende tout ce que vous avez fait pour moi dans mon enfance ». Legimus de eo tempore in Actis: « en service il se montra l'exemple accompli de ceux de sa condition par son respect envers ses maîtres, son ardeur au travail, sa fidélité à remplir ses devoirs de chrétien et à se rendre à l'église non seulement les dimanches et les jours de fête, mais quand il en avait le loisir. Loin d'abandonner ou de négliger ses parents, il les assistait autant qu'il le pouvait et leur remettait le prix de ses gages »: iamque ex iis diebus solitudinem ac tranquillitatem Ipse diligebat et mortificationum desiderio flagrans, se ieiuniis afflixit, cilicium induit, humi noctu requievit.

6. Duos circiter annos hoc vitae genus exegit: postea cum attigisset aetatem a lege communi statutam, ad militiam advocatus est. Postquam itaque propinquis valedixerit, adiit genitricis tumulum in coemeterio ibique in genua provolutus apud eum terrae pugillum collegit ut sibi in illius memoriam diligenter ac religiose asservaret. Ad similitudinem solis qui splendidissimae suae lucis radiis, per nubila quoque tempora ad terram descendit ac undique effulget, clarissima Dei Servi sanctitas in quolibet suae vitae statu prodiit, enituit, omnibus illico nota fuit. « Il se montra dans l'état militaire ce qu'il avait toujours été ». Et enimvero arduum est in militum exercitu cordis innocentiam morumque integritatem perfecte servare! Ibi pericula parantur innumera, licentia vivendi dominatur, sociorum irrisiones insidiantur, eorum iniquitates et vitia alios miserabiliter excitant. At vero Dei Famulus in horrido hoc mari minacibusque fluctibus Dei et Ecclesiae mandata adimplevit, Sanctuaria visitavit, piis exercitationibus piisque operibus assidue atque animose intendit. Tradidit identidem aliis hortationes, suaviter blasphemantes admonuit, consilia quandoque praebuit sanctisque sermonibus milites alloquutus est. « Il resta 5 ans sous les drapeaux. Pendant ce temps, il fut dans les camps ce qu'il avait été à la campagne ». Et revera in sordido privatum coeno, tali Dei Servus sanctimonia praefulsit, ut Eum duces ex militia dimittentes, dixerint: « *Va te faire saint où tu voudras* ».

7. Ad parentes ideo reversus, ut eis auxilio esset iterum se famulatui addicit in eodem insigni virtutum exercitio perdurans: at cum postea cognosceret patrem gravi correptum esse infirmitate, dominum Ipse relinquit, suumque ad genitorem advolat, ut ei postremis vitae momentis in animae et corporis necessitatibus assisteret: quod ingenti sollicitudine

operatus est. « Ayant appris la maladie grave de son père il quitta aussitôt le maître qu'il servait, pour venir l'assister, lui faire recevoir les derniers Sacrements et lui fermer les yeux ». Dum demortui patris corpus in eodem tumulo apud illud matris poneret, prodiit istius calva, quam Dei Servus in memoriam amatissimae illius mulieris retinuit atque ad suam usque mortem servavit: deinde haereditatem paternam consanguineae sorori tradidit et patriam illico reliquit. « Quitta son village natal, n'emportant avec lui qu'un crucifix, une petite statue de la sainte Vierge et le crâne de sa mère ». Peregrinabundus itaque Dei Famulus contulit se primo *Paivis* in solitarium locum prope coenobium Religiosorum Cistercensium, in quo, cum vivendi licentia aliquantulum dominaretur, Ipse profectus quamprimum est ad saltus Vosegos et per arduas montium semitas ad vicum perventus nomine *Menil* appellatum, nemoribus circumdatum, animadvertit sacellum dilapsum, in quo suam Ille moram constituit sanctis inibi intendens operibus et mortificationibus ieiuniisque assidue vacans. Cum autem per ea loca perditi homines aliquando vacati essent cumque eremus ille refugium tunc latronibus fuisset, habitatores loci qui istorum adhuc iniquitates meminerant, vehementer timuerunt ne novus incola esset alter ex iis ipsumque ex eo territorio statim expulerunt. Tunc ivit prope *Bussang* in locum « *Tête de Fortgoutte* » nuncupatum in eoque constitit. Ibi, in placida silvarum solitudine atque in silentio illo amoenissimo totum se Domino tradidit vitamque in continua oratione traduxit.

8. Contigit per ea tempora quod homini per montis itinera peragranti (cui nomen Valsoff) cantus e longe pervenerit qui eum mirifice commovit: suum hic gressum dirigit ad locum ex quo Ei vox illa procedere videbatur et eremum seu tugurium invenit in quo solitarius aderat Ioseph. « Cette reconnaissance fut très cordiale; Jean Jacques Valsoff ne se retira qu'après avoir obtenu de Frère Joseph que sa visite lui serait rendue le dimanche suivant ». Et revera statuta die venit Dei Servus ad amicum a quo Ei oblata sunt cibaria pro advenienti hebdomanda: at Ioseph ea renuit inquiens, se iis non indigere: « Je n'ai besoin de rien, Dieu a soin de moi, chaque jour ramène son pain ». Dictus insuper Valsoff, consensu eremitae ipsius, decentiorem pro Eo quaerit habitationem in territorio *Bussang* Ecclesiae propinquiorem, et Municipio quoque annuente, locus inventus est: at habitantes contradixerunt. « Les habitants les plus rapprochés objectèrent qu'au départ de l'ermite son habitation pourrait devenir un repaire de brigands »: res ideo suspensa est.

9. Tempore progrediente, quidam Thomas Colin, appellatus *Petit Thomas* gregem suum per pascua ducens, pervenit ad eremum solitarii, quocum familiarem iniit amicitiam et, quoniam hic ab eo cognovisset omnia quae evenerant, promittit rem habituram fore meliorem exitum in pago *Ventron;* et revera istius cura collatis insimul cum aliis, pecuniis, habitatio aedificatur in loco dicto « *Les Buttes* » quam Dei Famulus ingreditur anno 1751, ibique per aliquod tempus vixit. Facto interim cognito, habitantes *Bussang* qui Iosepho, in principio domicilium denegaverant Eum plurimum obsecrarunt ut apud ipsos rediret, at incassum: etenim ille respondit quod: « la reconnaissance qu'il devait aux habitants de Ventron ne lui permettait pas d'accéder à leurs désirs ».

10. At sanctissimum suae vitae genus causa fuit quod quamcito fama virtutum Eius undique propagaretur Eumque omnes aestimarent *sanctum.* Tunc humillimus vir ut laudes hominum et gloriam effugeret, se in abscondito silvarum procul ab omnibus abdidit. Nihilominus habitantes *Ventron* summopere de Ipsius discessu moerentes tanta diligentia tantoque desiderii affectu Illum quaesiverunt ut « finirent par retrouver le fugitif. Ils le pressèrent si instamment et si affectueusement de revenir chez eux, qu'il se rendit à leurs instances en leur promettant de ne jamais plus les quitter ».

11. Et revera « *le solitaire y passa le reste de ses jours* » quos sanctissime duxit. Quotidie in Ecclesia aderat sacrificio missae, saepissime caelesti Angelorum dape se reficiebat, precibus per integrum fere diem vacabat: quin immo ex eremo descendens ad eumque rediens sanctificabat iter gressum consistens et orans ante cruces quas Ipsemet aequali inter se spatio distantes immiserat solo. Neque desistebat a precibus noctu: per artificiosum enim instrumentum e sommo identidem excitabatur, Deoque ardentes sui cordis affectus in communi animantium quiete fundebat. Saevis insuper mortificationibus innocentissimum afflixit corpus. Quiescebat in incommodo feretro suoque capiti rudis supponebat petra, vescebatur cibo vilissimo, eoque ita corrupto ut moveret stomachum; eius autem talis erat quantitas ut Dei Servi ieiunium posset vere dici perpetuum « il ne faisait qu'un seul repas par jour, vers le soir, de sorte que son jeûne fut perpétuel ».

12. Quandoque Dei Famulus e solitaria sua habitatione discessit vel ut pias institueret ad sanctuaria peregrinationes, vel ut lectulum infirmorum adiret, quos hortationibus excitabat atque in aegritudine solabatur, vel ut alios in laboribus adiuvaret. Infantes maxime dilexit quos principia fidei nostrae edocebat eosque ad fundendas insimul preces, suo exemplo invitabat. Vitam hanc sanctitate heroicam, supernis donis gloriosam, mortificatione mirabilem ad annum usque 1784 Dei Famulus egit. Tunc autem brevi correptus infirmitate quam patientissime sustinuit, Sacramentis Ecclesiae refectus, ex misera illa et solitaria habitatione ad caeleste regnum aeternamque patriam hilaris evolavit. Ita evanuit Vir ille qui in hominum conversatione vivens « *a répandu autour de lui l'édification et la bonne odeur de N.-S. Jésus-Christ à ce point qu'on l'a regardé comme un saint* ».

DE VIRTUTIBUS S. D. IN GENERE.

13. Christianas virtutes omnes Dei Famulum gradu heroico exercuisse Testes universi fatentur; ita ut pientissimis quoque hominibus innocentia vitae praestiterit. « Je sais d'une manière générale que le serviteur de Dieu a pratiqué les vertus théologales et cardinales ». « Le Serviteur de Dieu (subdit alius) a pratiqué toutes les vertus à un degré héroïque »; « j'affirme (inquit alius) que le Serviteur de Dieu a pratiqué toutes les vertus dont il a été question à un degré héroïque ».

14. Et mirabilis certe fuit constantia Eius quem in arduis rerum adiunctis, in vitae discriminibus, in obstaculis omnibus, in vehementibus hominum et daemonis tentationibus gloriosum semper victorem evadere vidisses atque virtutibus eo magis effulgere, adeo ut omnes Eius actus queant heroici iudicari. « Il pratiqua ces vertus pendant toute sa vie malgré les épreuves et les tentations qu'il eut à subir, soit de la part des hommes, soit du démon ». « C'est ainsi (confirmat Testis alter) que, de l'aveu de tous, Frère Joseph la pratiqua jusqu'à sa mort. Je parle de toutes les vertus ». At haec quae tantum indicavimus, nunc per singula quaeque capita ostendere, pro viribus, aggredimur.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGALIBUS ET PRIMO DE FIDE.

15. Sive in adhaesione firma intellectus, sive in externa confessione, sive in operibus omnibus, quae ex fide proficiscuntur, haec aliarum princeps et magistra virtutum consideretur, omnia eo mirifice tendunt ut Dei Servus in eius exercitatione heroicus habeatur. Et revera testis I declarat: « Il croyait fermement à toutes les vérités révélées et en-

seignées par la Sainte Eglise ». « Certainement (addit alius) il croyait de la manière la plus parfaite à tous les mystères essentiels de la religion », et alius adhuc affirmat: « Sa foi était admirable en ce qui concerne la Sainte-Trinité, l'Incarnation, la présence de N. S. Jésus-Christ au Saint Sacrement ». Ardentissima ea pietas in SS. Eucharistiam, diuturnae illae preces, quas ad Altare SSmi Sacramenti provolutus effundebat, angelicus ille fervor, quo ad caelestem excipiendum cibum quavis fere die accedere solebat, eam certe fidem ostendunt, qua intus in corde Joseph incendebatur. Eadem hac virtute motus, Redemptoris passionem summo devotionis instinctu venerabatur ac in eius memoriam plures collocaverat cruces prope semitam, quae ab Ecclesia ad eremiticam domum Eius ducebat. « Il était très dévot à la Passion de N. S. J.-C., comme le témoignent les croix établies le long de son chemin de l'ermitage à l'église ». Fide vehementer excitatus, Sanctissimam Christi matrem singulari dilectione adamavit: hinc in Ecclesia ante Eius aram suum eligere locum consuevit, Rosarium Eius assidue recitabat, coronas componebat, pias peregrinationes ad Eius Sanctuaria aggrediebatur, denique ut amorem suum in Virginem indelebili signo omnibus ostenderet, super Eius brachium impressa ea verba legebantur: « *Marie, mère de mon cœur* ». Neque his contentus, pietatem, qua intus in pectore erga sanctam Dei genitricem Ipse commovebatur, aliis quoque totis viribus atque omni industria insinuare sategit.

16. « *Sa foi était véritablement une foi vive* » quae ex modo ipso, quo Domino inserviebat, clare splendideque prodibat. Ex fide profecto illud oriebatur quod diebus dominicis et in quibus angelorum dape reficiebatur meliores indueret vestes, quod genibus assidue flexis in oratione diutina perseveraret, quod in perfecta semper unione cum Domino viveret constans in bello, quod contra naturam suam Ipse magnanime indixerat. « Toutes les relations de Frère Joseph avec le prochain et tous les exemples de sa vie étaient une manifestation de la foi la plus élevée et la plus pure ».

17. Cum autem ex operibus praesertim praestantissima haec virtus ostendatur « *Ego ostendam ex operibus fidem meam* » (1) laetamur quamplurimum; integra enim Eius vita mirabile fuit virtutis huius exemplum, « Elle (refert alter e Testibus) s'est traduite dans toute sa conduite depuis sa première enfance jusqu'à sa mort ». Et revera omnia quae vir ille dicebat atque omnia quae Ipse operabatur ex interno fidei spiritu indubitanter manabant. « On savait (legitur) que ses paroles, que ses démarches, ses œuvres étaient inspirées par son esprit de foi »: Ita ut singuli actus internae suae virtutis ardorem omnibus declararent. « La vivacité de sa foi apparaissait dans tous ses actes ».

18. Ferventi hac fide excitatus, omnes ad Dominum perducere voluisset, et verbis, hortationibus, exemplo praesertim, in alios ea quae sentiebat transfundere conabatur, omniaque ad hoc media adhibebat quae suae conditionis erant. « Il fut très zélé pour la propagation de la foi par ses exhortations, ses exemples, s'efforçant de porter à Dieu tous ceux qu'il approchait et par tous les moyens en son pouvoir ». Sermones Eius veluti apostolatus erant queis ad Deum trahere audientes procurabat. « Cette foi se manifestait par ses conversations au moyen desquelles il s'efforçait de porter à Dieu ceux qui l'entendaient ». Pueri autem praecipua Eius cura erant, quos apud se frequenter colligere solebat, eosque Religionis principia edocens ad recitandas preces invitabat atque ut inservirent Domino mirabili eloquentia hortabatur. « Il apprenait à prier, à connaitre les vérités de la Religion et à servir Dieu ». Accedit quod vir hic magnanimus, qui tot ac tanta operatus est, nullo ministerio, nullo officio, nulla denique obligatione ad haec peragenda tenebatur, sed omnia, fide singulari impulsus et divino instinctu commotus Ipse peregit; quod virtutem longe splendidiorem efficit et prae viris apostolicis mirabilem.

(1) Jacob. Ap. Epist. Cath. V. 18.

19. Pulcherrimum insuper argumentum fidei operatio prodigiorum est, ut edocet S. Thomas et Suarez quoque confirmat. Iamvero suo postea loco videbimus quomodo Dei Famulus noster superna fretus ope et ardenti excitatus fiducia, infirmos gravissimos ad perfectam valetudinem restituerit et demortuos usque pueros ad vitam saepissime revocaverit. Haec autem talia sunt quae fidem heroicam valeant in homine comprobare Ipso dicente Christo: « *Si potes credere omnia possibilia sunt credenti. Signa autem eos qui crediderint, haec sequentur* » (1).

20. Revocem in fine, vitam Eius innocentissimam in difficillimis etiam sui status adiunctis, pietatem Eius eximiam, eremiticum quem elegit vivendi modum ut melius Domino inserviret et iure meritoque cum altero ex Testibus concludam. « Sa vie tout entière a été la manifestation d'une foi extraordinaire et qu'on ne rencontre à ce degré que chez les Saints ».

DE SPE.

21. Virtus haec mirabilis quae depressos erigit animos in angustiis eosque in tribulationibus consolatur tamquam splendidissima lux quae in media tenebrarum obscuritate miseris viatoribus appareat, quamvis in interno animi actu consistat, cum ex operibus quoque externis plerumque se prodat, ex iis dignosci optime potest, hac enim tantummodo excitati, difficillima et molesta homines aggrediuntur, in adversis animo non decidunt, a mundo contempti laetantur.

22. Hoc de Servo Dei revera contigisse legimus, etenim in Actis videmus: « L'espérance du Serviteur de Dieu se manifesta dans toute sa conduite. . . . . le Serviteur de Dieu pratiqua la vertu d'espérance à un très haut degré ». « Je sais (confirmat alius) que le Serviteur de Dieu pratiqua à un haut degré la vertu d'Espérance ». Neque miramur equidem; Iosephum enim, qui tanta excelluisse fide probavimus, hac quoque virtute summopere praestitisse oportebat dicente Cornelio a Lapide « *Quo maior est fides eo maiorem gignit spem* » (2).

23. Benedictus XIV praestantissimus in re nostra magister aliqua tradidit inquirentibus indicia ad hanc virtutem absque erroris periculo cognoscendam et ponit primo loco perfectum mundi contemptum et voluntariam temporalium rerum abdicationem. Quae cum ita sint, laetamur acta legentes: videmus enim quomodo Dei Famulus familiam suam suaque omnia animose reliquerit ut Domino suo totum se traderet, Eique procul mundi rumoribus in solitudinis tranquillitate inserviret. « Il quitta les siens sans rien emporter avec lui. Il abandonna son petit patrimoine à sa sœur, n'ayant pour lui que sa confiance en la Providence » et ab Eo quaerentibus quomodo viveret omnibus indigens, respondebat: « *Dieu pourvoit à mes besoins* ». Alius Testis inquit: « Il donna des preuves de cette vertu en renonçant à tous les biens du monde, pour vivre uniquement pour Dieu », et alius adhuc de hac virtute dicens, affirmat: « Il en fit preuve en renonçant aux choses du siècle pour n'aspirer qu'aux choses éternelles ».

(1) Epist. Iacobi.
(2) Lib. cap. 23.

24. Alterum heroicae Spei argumentum iuxta laudati Pontificis doctrinam, est in firma fiducia vitam aeternam per merita Iesu assequendi. Iamvero integra Petri vita hoc ostendit: morum innocentia, omnia quae gessit, omnia quae Ipse operatus est mirabili modo hac virtute praeditum Eum clare demonstrant. « Le Serviteur de Dieu (legimus) était animé d'une espérance bien vive, toute sa vie en est la preuve, son espérance était fondée sur les mérites de N. S. J.-C. et non sur ses œuvres ». Quin imo spes illa mirabilis, qua Dei Servus excitabatur, prodiit eo magis in obitu, nedum e serenitate, sed ex laetitia qua totus Ipse gestiebat cupiens dissolvi et esse cum Christo. « Il vit venir la mort avec une grande sérénité par la pensée du bonheur que Dieu lui réservait dans le Ciel. Je sais (inquit alius) qu'aux approches de la mort, son esprit était calme et même joyeux parce que c'était l'espérance des biens éternels qui le soutenait », et alius adhuc addit; « S'il souhaita la mort, ce ne fut pas pour être délivré des misères de cette vie, mais pour être avec Jésus-Christ ». Hoc autem vitae aeternae desiderium est signum aliud a Praeceptore nostro clarissimo tantopere commendatum ut Spei virtutem in Dei Famulis absque dubio arguamus.

25. Praestantissimi tradunt auctores quod habitus heroicae spei nostrum inclinet animum ad perferendum alacriter cum imperturbata constantia quaevis, etiam externa mala propter gloriam aeternam (1). Quamobrem iure meritoque virtutis huius praestantiam in nostro Iosepho argumentamur ex patientia illa mirabili, qua Ipse, nunquam animo deiectus, adversitates, poenas, persecutiones passus est: sanctissimum enim illud vivendi genus quod Dei Servus elegerat plurimas Ei vexationes comparavit quas invicte sustinuit. « Il accepta toujours avec une très grande soumission et une très grande confiance en la divine Providence toutes les adversités qu'il eut à souffrir ». « Il donna (subdit alius) des preuves de cette vertu... supportant avec joie toutes les adversités, les persécutions... » « Il supporta (sequitur alius) toutes les adversités, les persécutions, auxquelles il fut en butte, s'abandonnant en tout à la divine Providence », et alius denique confirmat quod Ipse hanc virtutem ostendit « en supportant avec patience les tribulations et les persécutions qu'il plut à Dieu de lui envoyer ». Prodiit insuper eadem haec virtus in toleranda vita tot plena mortificationibus atque in vehementibus daemonis aggressionibus gloriose superandis. « Ce n'est évidemment (ait Testis alter ex officio) qu'une solide et inébranlable espérance des biens de la vie future qui put le soutenir pendant 33 ans dans une vie si rigoureuse et qui l'a fait triompher des violentes attaques du démon dont nous avons quelques rares indices bien prouvés ».

26. Fiduciam qua Dei Servus in corde incendebatur, aliis quoque infundere sategit omnesque hortabatur iis verbis: « la prière est notre grande consolation, et qu'elle ne reste jamais à terre ». « Priez, priez: la prière ne tombe jamais à terre, il s'en relève toujours quelque chose vers le Ciel »: preces autem pulcherrimum nobis argumentum exhibent ut heroicam in Eo spem arguamus, quemadmodum enim Dominus « *nos non hortaretur ut peteremus nisi dare vellet* » (2), sic neque homines peterent, nisi spem ipsi foverent, sibi quod efflagitant, concessum iri.

27. At alia supersunt adhuc argumenta: si ad ea veniamus enim quae implicite atque indirecte spem in Deum ostendunt, nunquam finis erit inquirenti: namque omnia opera bona hanc virtutem supponunt. Quae autem quantaque ista sint tum ex dictis tum ex dicendis patet splendidissime atque mirifice confirmatur.

(1) Card. de Lauraea in 3 Lib. Sent.
(2) Augustinus de Verb. Dom. serm. 5.

DE CHARITATE IN DEUM

28. Christus Ipse nos edocet in quo consistat charitas: ait enim: « *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me* » (1). Hinc est quod in Causis nostris singularis innocentia vitae singularisque morum integritas praecipuum constituunt virtutis de qua loquimur argumentum.

29. Quae cum ita se habeant, merito laetamur AA. PP. et Iosephum nostrum iam charitate heroicum aestimare possemus, omnes enim testes Eum Dei et Ecclesiae praecepta diligenter servavisse fatentur, Eumque omnes a quavis etiam minima labe immunem semper fuisse confirmant. « Pour les commandements de Dieu et de l'Eglise, je n'ai entendu citer aucune infraction même la plus légère, et je sais au contraire qu'il avait un tel éloignement du péché, qu'il l'inspirait à tous ceux qui l'approchaient ». « C'est cet amour de Dieu (ait alius) qui lui inspirait une horreur profonde pour le péché ». Talis inerat Eius animo peccati horror ut « Il s'accusait en confession comme de fautes très graves de simples imperfections et répandait des larmes en abondance ». Et alius adhuc e testibus asserit: « Il observa toujours scrupuleusement les commandements de Dieu et de l'Eglise, et je n'ai jamais entendu dire qu'il ait commis quelque péché ». Nil igitur mirum quod totus afficeretur moerore si quando ab aliis blasphemias aut obscoena verba audivisset ita ut, omnibus quandoque adstantibus militibus, inenarrabili suavitate blasphemantes hortari conaretur talesque zelus Eius generaverit fructus ut sola viri illius praesentia impia quaevis verba et sermones horridos abrumperet illico atque impediret « sa seule apparition arrêtait instantanément toute parole déshonnête ou impie sur les lèvres de ceux qui les proféraient ». Quin immo ut tantam averteret iniquitatem aliquando mirabilia usque facta operatus est: legimus enim in actis quod Ipse: « entraîna à lui seul une énorme bille de bois que des hommes s'efforçaient en vain de déplacer, tout en jurant pour s'exciter. Après les avoir tirés d'affaire, il les supplia de ne plus blasphémer le nom du bon Dieu ».

30. Petrum Iosephum, qui tanto in Deum amore flagrabat, Eum oportebat assidue cogitare, verbis exorare, contemplatione absorptum meditari: Eumque revera vidisses quodvis temporis spatium ab officiis suae conditionis vacuum in Ecclesiis exigere piis intentum exercitationibus. « Il en donna des preuves (seu charitatis in Deum) en fréquentant l'église dans ses moments libres, soit dans son pays natal, soit à l'armée, soit chez les différents maîtres où il fut en service ». Et alius quoque Testis dicens de charitate Ipsius affirmat: « Cet amour de Dieu faisait qu'il n'avait de goût et d'autre occupation que de s'entretenir avec lui par la prière »: ex quo factum est, quod Petrus integram vitam Domino intime coniunctus traduceret. « Il passait sa vie en union avec lui par la prière vocale et par la méditation ». Ex hac autem unione cum Deo et orationis assiduitate divinae charitatis excellentiam argumentantur Card. de Lauraea (2), Scacchus (3), Auditores Rotae (4). Immo ne somno indulgens immemor Dei sui noctu maneret, artificiosum excogitaverat instrumentum quod Ipsum dormientem potuisset excitare.

31. Insuper cum fieri nequeat quod vehemens amor tacitus atque absconditus in corde servetur sed necesse omnino sit ut aliquo modo se prodat, hinc sapientissime animadvertit S. Laurentius Iustiniani hoc amantium esse ut de illo quem diligunt frequenti sermone eloquantur, eum apud alios com-

(1) Ioann. XVI, 21.
(2) Disput. 32 de Virt. heroic. art. II.
(3) De Not. et Sig. Sanct. sect. 3, cap. 3

memorent, ipsum laudibus efferant (1). Nos autem de Iosepho legimus in actis: « Il aimait à s'entretenir des choses de Dieu »: quod alio in loco confirmatum iis verbis videmus: « en société, Joseph aimait à ramener la conversation sur les choses de Dieu et de la religion et même qu'il n'y mettait pas d'affectation ». Sed praeterea illud etiam studium amplificandae gloriae divinae pulcherrimum est charitatis indicium; edocet enim Thomas benevolentiam esse actum voluntatis, quo sic aliquem amamus, ut ei bonum velimus (2). Hoc autem bonum Domino velle non possumus nisi gloriam Ipsius procuremus, quae consistit in eo, ut ab hominibus nempe cognoscatur, ametur, omni obsequio colatur. Et universi referunt Testes quam Petrus noster, qui nullo tenebatur apostolico officio, hac in propagatione praestiterit. « Il aimait (legimus) à s'entretenir des choses de Dieu et à le faire connaître et aimer de tous ceux qu'il rencontrait, grands et petits », et paullo post legimus adhuc: « Il avait certainement du zèle pour la propagation de la foi et la sanctification des âmes ». In omnibus enim quae Ipse per totum vitae decursum peregit, tantummodo Dei honorem Eiusque nominis gloriam prae oculis habuit ac totis animi viribus procuravit. « Toutes ses actions tendaient à procurer la gloire de Dieu »; « il n'avait en vue que de procurer la gloire de Dieu ». « En toutes choses, il n'eut jamais en vue que le bon plaisir et la gloire de Dieu ».

32. Petrus Ioseph tanto dilectionis ardore SS. Eucharistiam prosequutus est ut optime dici possit « *qu'il était l'amant du Saint Sacrement* ». Tempestatum perversitas, virium debilitas, corporis defatigatio talia certe non erant quae Eum impedirent quominus in Ecclesiam a sua solitudine quotidie veniret seque coelesti Angelorum dape reficeret. Conveniebant homines ad templum ut Ipsum viderent qui immobilis, in genua provolutus, vultu succensus per horas in contemplatione manebat ita ut Seraphim videretur. « On allait de loin à l'église de Ventron pour le voir en adoration, immobile, agenouillé et tellement recueilli qu'on le voyait tout absorbé dans la contemplation du Saint Sacrement ».

33. Alia nunc praetereo signa charitatis, quae aliis sub titulis exponentur et dicam tantummodo intimam Eius Domino coniunctionem, assiduum de Illo sermonem, constantem praeceptorum Eius et Ecclesiae observantiam, sollicitudinem illam ad gloriam Eius propagandam talia tantaque esse ut cum Teste I *ex officio* affirmare nos etiam possimus: « *Sa vie toute entière ne fut qu'un acte d'amour de Dieu* ».

DE CHARITATE IN PROXIMUM

34. Iudicantes ex verbis S. Gregorii Pontificis: « *Per amorem Dei amor Proximi gignitur et per amorem Proximi amor Dei nutritur* (3) », hac virtute Petrus excelluisse quamplurimum dicendus est, Eum enim in superiori capite charitate divina praestantissimum demonstravimus. Et revera Testis alter affirmat: « Je sais que le Serviteur de Dieu pratiqua toujours envers le prochain la vertu de la charité, et cela pour l'amour de Dieu »; et alius addit: « Il avait pour le prochain une grande charité qu'il puisait dans l'amour de Dieu ». Astipulatur his alius qui dicit: « le Serviteur de Dieu pratiqua la charité envers le prochain à un degré héroïque ». Praecipua tamen atque nobilior christianae charitatis ea est pars quae spirituali proximorum utilitati deservit. Iamvero piae hortationes, consilia, egregia virtutum exempla, totidem erant opera queis Ipse gentes ad Dominum perducere conabatur, ita ut integra Eius vita veluti apostolatus dici possit, quo omnes ad sanctitatem piasque exercitationes tamquam ex vi trahere satagebat « par les conseils et les bons exemples à l'aide desquels il portait au bien ».

35. Sed alia, et maxima quidem, Ipse operatus est: scilicet eos inter se conciliavit, qui summa atque inveterata inimicitia separabantur, acerrimas composuit lites, duellatores ad invicem sibi mortem minitantes, qui aliorum verbis non acquieverant, Ipse sancto suo zelo sedavit. « Le Serviteur de Dieu fut pendant sa vie un ange de paix »: ita ut omnes ad Eum pro pace obtinenda confugerent. « On recourait à lui dans les cas de rixes ou de disputes, et on cite une mémorable intervention couronnée de succès, alors que deux jeunes gens allaient s'engager dans un duel à mort ». Neque operibus tantum atque hortationibus usus est ut peccatores ad Deum converteret, sed assiduis Dominum precibus exoravit ut illos a vitio retraheret eorumque corda emolliret. « Il priait souvent pour la conversion des pécheurs » et preces etiam effundebat pro infidelibus ut veram Christi fidem veramque religionem amplecterentur. « Il priait d'une façon toute particulière pour la conversion des païens, des hérétiques, afin qu'il n'y ait plus qu'un seul troupeau et qu'un seul pasteur »

36. Sollicitudini amantissimae qua spiritualibus aliorum necessitatibus consulere Ipse consuevit, illa accessit eximia charitas qua corporalibus omnium indigentiis assidue subveniebat, ita ut pater pauperum dici optime potuisset. Exquirebat igitur pauperes, eos levabat, iis meliorem partem tradebat ex illis quae ab aliis forte excepisset. « Il aimait ellement les pauvres, qu'il partageait avec eux les aumônes qu'il recevait, leur donnant toujours la meilleure part ». Charitate motus eis, qui agrariis laboribus intendebant opem saepe ferebat vel eorum filios domi custodiendos adibat. Et vivit adhuc in locis ubi Ipse commoratus est egregiae charitatis Eius memoria. Viva permanet recordatio pietatis qua vir ille miseros in angustia hortabatur, qua pauperibus subveniebat, qua aegrotis aderat. Hi enim eximiam Dei Famuli virtutem modo singularissimo experti sunt: eos Ipse sollicitus visitabat, eorum corporis et animae necessitatibus occurrebat, eos ad subiectionem divinae voluntati hortabatur atque ad gloriae et pacis aeternae desiderium, ardentibus verbis, excitabat; ita ut ipsi faterentur: « *Quand on a vu Frère Joseph, on est toujours content* ». Neque erga vivos tantum, sed etiam erga cadavera pietatem ostendit apud quae usque ad eorum sepulturam vigilare Ipse suevit: « Cette charité s'étendait à tous sans exception, aux vivants comme aux défunts, près du corps desquels il se faisait un devoir de veiller avant leur inhumation ». At praesertim animas in Purgatorio detentas precibus, mortificationibus, mediis omnibus adiuvare sategit ut e piacularibus flammis liberatae caeli beatitudinem assequerentur « il employait tous moyens, prières et mortifications, pour leur ouvrir le ciel ».

37. Perdifficilem illam charitatis partem, quae dilectionem inimicorum respicit et quam tantopere Dominus, commendavit iis verbis « *Benefacite his qui oderunt vos* » suisque ipsis exemplis illustrare non destitit, diligentissime Dei Famulus observavit. « Jamais je n'ai entendu dire qu'il eût rendu le mal pour le mal », et alius asserit: « Je n'ai jamais entendu dire qu'il eût rendu le mal pour le mal, *mais ce fut toujours le contraire* ». Quibus adiicitur alius adhuc inquiens: « Il a rendu toujours le bien pour le mal et n'a jamais eu aucun sentiment d'amertume pour ceux qui avaient pu le blesser et l'offenser ». Et revera novercam quae Ipsum haud multum dilexit, beneficiis cumulavit, habitatores vici *Ménil* et illius *Bussang* quorum primi Eum expulerunt alii Eumdem inurbane exceperunt, omni bonorum genere replevit, perversis iuvenibus qui, Eum prope ecclesiae ianuam

(1) In Lib. de Signo vitae super Charitate cap. II.
(2) 2. 2. quaest. 27, art. 2.
(3) Lib. VII, Moral.

contumeliis obrutum inique percutieruut, singulari suavitate respondit: « *Mes amis, je vous pardonne* ». Quin immo pro illis qui poenarum causa ei forte fuissent ferventer Dominum adprecatus est, « il priait pour ceux qui lui avaient causé quelque peine. » Tot autem tantaque pulcherrima charitatis exempla adeo insignia fuerunt, ut neque longus annorum cursus consumere illa valuerit. « *Le souvenir de cette charité est encore vivant à Ventron* ». Et illud enimvero elogium Dei Servo congruere apprime videtur quo Ioannes Chrysostomus Paulum Apostolum prosequutus est: « *Talis erat illa anima: omnes complectebatur; de omnibus sollicitior, quam quivis pater* (1): etenim operibus, precibus, verbis, quovis Ipse poterat modo, animos erigere, miseros consolari, egenos levare sategit et veluti Jesus qui transiit benefaciendo, « *Il passa toute sa vie en faisant le bien* ».

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS EARUMQUE ADNEXIS.

DE PRUDENTIA.

38. Praeclara illa et praecipua virtus quae moderatur alias ac dirigit, ita in Iosepho praefulsit, ut ipsum ea praeditum Testes universi voce unanimi iudicent. « Je sais (ait alter ex iis)... que le Serviteur de Dieu fut doué pendant sa vie de la vertu de prudence surnaturelle. Je sais (inquit alius) que le Serviteur de Dieu eut à un très haut degré la vertu de prudence », et paullo post legimus: « La prudence chrétienne régla et dirigea toujours toutes ses actions ». Et sane ea virtus Prudentia est « qua *homo disponit et ordinat media et actiones ad consequendum ultimum finem scilicet aeternam beatitudinem* » (2). Hoc autem Dei Servum egisse ex Actis abunde docemur, Eumque videmus qui, vix patre demortuo, parva pecuniae copia sorori omnino relicta, se mundi rumore subduxit et montium semitas peragrans, solitarius deserta loca exquisivit ut totum se Domino traderet Eique inserviret usque ad obitum in solitudine. Neque inconsulte Ioseph aut inconsiderato animi impetu hoc vitae genus elegit, sed quia ad eremiticam vitam se divinitus vocatum agnoverat illiusque id egit audito prius consilio, qui suam conscientiam moderabatur. « Je sais (refert nobis Testis) qu'après la mort de son père, Frère Joseph profita de la liberté que cette mort lui donnait pour suivre sa vocation érémitique »; et alius fatetur: « Je regarde comme une marque de la plus haute prudence au point de vue surnaturel que le Serviteur de Dieu ait embrassé et pratiqué un pareil genre de vie pour assurer son salut ». Quam caute autem haec omnia sit Ipse operatus, asserit primus ex officio Testis qui ait: « Ce n'est pas sans avoir pris conseil de ceux qui avaient autorité sur son âme qu'il embrassa le genre de vie dans lequel il vécut jusqu'à sa mort ». In hac autem vita quam fuerat amplexus ad mortem usque constantissime perseveravit.

39. « *Frère Joseph a montré beaucoup de prudence dans toute la conduite de sa vie* ». Et revera si vitam Eius integram inspiciamus, totidem profecto inveniemus egregia prudentiae specimina quasvis enim peccandi occasiones fugere procuravit: « La prudence a éclaté... par les précautions qu'il prenait pour éloigner les occasions d'offenser Dieu ». Et enimvero in difficillimis quandoque adiunctis, in media hominum perversitate, in tot tantisque daemonis insidiis quum militiam egit, quum in solitudine moratus est innocentiam cordis mirifice servavit et morum integritate praefulsit.

(1) In Epist. ad Rom.
(2) S. Thom., 1. 2. quaest. 65, art. 1.

40. Qui tanta prudentia semetipsum in ardua perfectionis via direxit, optime alios potuit suis iuvare consiliis. « Très prudent dans sa propre conduite Frère Joseph était aussi un homme de bon conseil pour les autres ». Veniebant ideo ad ipsum nedum loci illius habitatores, sed etiam ex aliis Regionibus cuiusque conditionis homines Eum adibant ut de negotiis difficilioribus Eumdem consulerent, ut levarentur in angustiis, ut Ei conscientiam suam omnesque anxietates animi sincere aperirent. Summopere enim omnes confidebant in Eo, Eiusque hortationes et consilia libentissime sequebantur. « *On avait grande confiance dans ses avis et on les suivait habituellement* ». Insuper tantae viri illius prudentiae, simplicitas admirabilis accedebat quae longe pulchriorem splendidioremque praestantissimam virtutem Eius efficiebat. « A une grande simplicité de cœur, il joignit toute sa vie une grande sincérité ».

41. Forent ad hunc titulum revocanda omnia Eius opera bona, assiduum orationis studium, mira in aerumnis alacritas et patientia, iis enim usus est Dei Servus tamquam mediis aptissimis ad ultimum finem assequendum Eiusque Prudentiae heroicae nobilissimum perhibent argumentum.

DE IUSTITIA.

42. Perdifficilem equidem virtutem illam quae tribuit suum unicuique, ita Dei Famulus dilexit, ut nihil Ei esset antiquius quam debita cunctis officia persolvere. Redundant testimoniis Acta, quae nobis hoc certe confirmant. « Le Serviteur de Dieu a été exact à accomplir tous les préceptes de la justice, qui est la base de toutes les autres vertus ». « Je sais (asserit alius) que le Serviteur de Dieu pratiqua toute sa vie la vertu de justice. Je sais (alius affirmat) que le Serviteur de Dieu fut doué de la vertu de justice, *vertu qu'il pratiqua pendant toute sa vie* ». Porro violatae iustitiae argui profecto nequit ille, qui leges omnes, quibus tenebatur, perfecte constanterque servavit. Atqui hoc praestitit egregie Petrus; si enim de ea dictae virtutis parte loquamur quae Deum respicit, iam agentes de Fide atque de Charitate divina vidimus quo amore, quo obsequio, qua veneratione, Ipse Dominum prosequeretur, vidimus quomodo Eius gloriam tantummodo quaesierit, vidimus quanta sollicitudine animam suam a quavis labe immunem servare procuraverit. Ne iterum igitur iam dicta dicamus, illuc legentes remittimus ubi amplissima erit messis inquirentibus colligenda. Accedunt his pulcherrima ea omnia quae Testes hac re desuper affirmant: « Il n'avait en vue (alii dicunt que de procurer la gloire de Dieu »; referunt alii quod Ipse Iustitiam « l'a pratiquée envers Dieu par une religion sans défaillance »; astipulantur his omnibus alii qui testantur: « Frère Joseph a pratiqué la vertu de justice en rendant à Dieu avec une fidélité rare les devoirs que la religion nous impose ».

43. Qui tanta inclaruit iustitia erga Dominum, in semetipsum quoque virtutem hanc diligentissime implevit iamque plus quam semel innuimus quomodo Ipse innocentissimam traduxerit vitam mediisque aptissimis sit usus ut virtutum perfectionem assequeretur, et verum bonum veramque felicitatem tandem aliquando animae comparare quivisset. Hinc Testis *ex officio II* asserit: « J'ai toujours entendu constater avec admiration l'accomplissement de tous ses devoirs envers Dieu, envers le prochain et envers lui-même ».

44. Virum hunc qui tanta iustitia in Deum ac semetipsum praefulsit, in alios etiam iustissimum fuisse oportebat. Et revera legimus: « Il pratiqua cette vertu envers le prochain, rendant toujours à chacun ce qui lui était dû *et au delà* », et alio quoque loco videmus: « A l'égard de ses égaux on sait qu'il n'a jamais nui à personne et qu'il a toujours rendu à chacun les services qui étaient en son

pouvoir ». Caeterum quomodo dubitare possumus illum observasse iustitiam in proximos, qui se persequentes, despicientes, calumniantes et usque percutientes, amavit eisque ex corde pepercit? Quomodo proximum laedere ille potuisset qui aliorum bonum omni studio quaesivit?... quomodo alios ille quivisset offendere qui omnes adiuvare pro viribus procuravit? « Il n'a jamais fait de tort à personne et a fait le plus de bien possible à tous »; quod alius etiam fatetur iis verbis: « Je sais que le Serviteur de Dieu ne fit jamais le moindre tort à son prochain ».

45. Observantia debita illis qui dignitate, honore, potestate Ipsi praeerant nullum habuit unquam sui cultorem qui Dei Servo antecelleret. Revera quanto obsequio patrem et matrem suam usque a pueritia prosequeretur iam alio in loco cognovimus iamque vidimus qnomodo quae e suis laboribus comparabat traderet genitori. In quavis insuper conditione esset, superioribus humiliter est subiectus; hinc merito obsequio novercam veneratus est, dominos ad quorum famulatum admissus est, eos omnes quos habuit in militia duces. « Il a pratiqué tous ses devoirs envers ses supérieurs, tant spirituels que temporels, c'est-à-dire ses père et mère, ses maîtres quand il était domestique, et ses chefs quand il était militaire »; et alius adiicit: « Je n'ai jamais entendu dire qu'il se fût plaint de sa belle-mère.

46. Hic propitia nobis sese praebet occasio de OBEDIENTIA dicendi quae partem iustitiae in Superiores ipsa quoque constituit. Iamvero a primis vitae annis obedientissimus genitoribus fuit et praeterea in quovis constitutus statu, virtute hac singulari modo praefulsit, ita ut vere admirabilis in ea queat iudicari. « Sa pauvreté et son *obéissance* furent admirables ». Et alius affirmat: « Il se montra dès sa plus tendre enfance plein d'amour pour Dieu, de respect et d'obéissance envers ses parents »; et alius adhuc clarius explicat quod per totum vitae decursum Dei Servus obedientiam egregie adimpleverit. « Frère Joseph (hic ait) a été juste et plus que juste envers ses parents, envers ses maîtres lorsqu'il était domestique, envers ses chefs lorsqu'il était soldat, pratiquant envers tous la plus stricte obéissance ». Etenim Ipse in omnibus illis qui auctoritate qualibet praestitissent Deum agnoscebat Eumque ipsum venerabatur. « Il fut soumis toute sa vie à l'autorité quelle qu'elle fût, car elle représentait Dieu pour lui ».

47. Nihil de liberalitate dicemus; agentes enim de charitate in proximum vidimus quomodo vir hic magnanimus ea quae ab aliis exciperet in egenorum levamen omnia distribueret. In illo igitur orationis titulo hanc aliam iustitiae partem legentes abunde demonstratam invenient. Ad sequens ideo caput nostra progreditur disquisitio.

DE FORTITUDINE.

48. Edocet Sanctus Thomas duplex esse virtutis huius officium; ardua videlicet aggredi, ea insuper animose constanterque ad finem sustinere. Iamvero in utroque praestitit egregie Dei Famulus. Nonne ardua ac difficillima Petrus aggressus est quum domum ac patriam deseruit et per itinera ignota solitudinem peregrinabundus exquisivit ut vocationem Domini sequeretur et ipsi tantummodo intenderet? Quot vir ille tunc obstacula invenit, quot sustinuit persecutiones, quot et quanta pericula adortus est! « Comment aurait-il pu embrasser un tel genre de vie et y persévérer sans un courage tout à fait surnaturel? ». Testis ex *officio secundus* ob fortitudinem qua Petrus praeditus est, Eum celebrioribus anachoretis comparare non dubitavit. « Relativement à la vertu de force dont Frère Joseph fut doué, je le regarde comme l'émule des anachorètes de la Thébaïde »; et alius etiam Testis virtutem hanc in Dei Servo fuisse ad mirabilem asserit, « soit pour embrasser un pareil genre de vie, soit pour y persévérer *jusqu'à la fin de sa vie*, et enfin dans toutes les circonstances où il a été en butte aux mauvais traitements des hommes ».

49. Petrus enim ut divinae obsecundaret voluntati, difficultates, contumelias, vexationes innumeras perpessus est quas Ipse fortissime toleravit. De loco in locum expulsus, ab ipsis habitantibus feiectus, a perditis hominibus quandoque iniuriis obrutus ac inique percussus est, et vir ille sanctissimus ad eos humaniter conversus iisdem pepercit. « *Mes amis, je vous pardonne* ». Accedebant gentes perversae quae virtutem Dei Famuli penitus evertere conabantur quas Ioseph zelo incensus et singulari fortitudine praeditus ad intentionem rectam mirabili modo convertit. « Les personnes de mauvaise vie essayèrent même d'ébranler sa vertu; mais au lieu de se laisser entraîner, il sut les ramener à de meilleurs sentiments et les convertir ».

50. Sanctum insuper illud vitae genus quod Petrus elegerat maligno haud arriserat animarum hosti qui acerrimum ideo Ei bellum indixit assiduisque tentationibus, angustiis, animi anxietatibus ab heroico illo virtutum exercitio, Eum retrahere totis viribus expertus est: at Ipse gloriosissime vicit et victoriam ex iniquo certamine magnanime retulit. « Je sais que le Serviteur de Dieu a été en butte dans son ermitage à différentes tentations, mais qu'avec la grâce de Dieu, il en a toujours triomphé ». Et alius confirmat Ipsum virtutis huius egregium praebuisse exemplum, « en subissant courageusement les vexations qui lui vinrent du démon ou des autres créatures ». Vehementibus hisce persecutionibus internis adiecit daemon vexationes externas et refertur quod olim Ioseph ad eremum noctu revertens, improviso, crudeliter percussus fuerit quin aliquem apud se Ipse videret. « Malgré la réserve extrême qu'il observa à ce sujet, on croit (Testis addit) qu'il fut souvent en butte aux vexations du démon ».

51. Denique huiusmodi virtutis habitus, quae heroës a vulgaribus apprime secernit, adeo Petri animo inerat, ut neque duriora certamina Eum labefactare valuissent, qui in sancto perfectionis itinere constanter ad obitum perseveravit omnia obstacula vincens atque animose despiciens. « Sa vie toute entière a été une preuve de sa vertu de force ». « Je sais (legimus alio loco) que le Serviteur de Dieu pratiqua avec héroïsme la vertu de force ». « Sa vie toute entière (confirmat alius) a été un acte de courage et de constance tout à fait extraordinaire.

(Sequetur).

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

Conceditur indulg. 300 dierum recitantibus precem in honorem S. Blasii.

Preghiera a S. Biagio V. e M.

O glorioso S. Biagio, che, con una breve preghiera, restituiste la perfetta sanità ad un bambino, che, per una spina di pesce attraversata nella gola, stava per mandare l'ultimo anelito, ottenete a noi tutti la grazia di esperimentare l'efficacia del vostro patrocinio in tutti i mali di gola; ma più di tutto, di mortificare, con la fedele pratica dei precetti di

S. Chiesa, questo senso tanto pericoloso. E Voi, che col vostro martirio lasciaste alla Chiesa un'illustre testimonianza della Fede, impetrateci di conservare questo dono divino, e di difendere senza umano rispetto con parole e con opere le verità della stessa Fede, tanto combattuta e denigrata ai giorni nostri. Così sia (1).

Ex Audientia SS.mi.

Die 16 Augusti 1902.

SS.mus Dominus noster Leo, d. p. Papa XIII, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide pro NN. R. P. D. Secretario, attentis expositis, omnibus Christifidelibus utriusque sexus et cuiuscumque ritus, devote recitantibus praedictam orationem in honorem S. Blasii Episcopi et Martyris Sebasteni, Indulgentiam 300 dierum semel in die lucrandam, et etiam animabus in Purgatorio detentis per modum suffragii applicabilem, benigne concedere dignatus est. Praesentibus *in perpetuum* valituris. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus dictae S. Congregationis, die et anno uti supra.

Pro R. P. D. Secretario

L. ✠ S. HIERONYMUS ROLLERI.

Oratio in honorem S. Blasii Ep. et Mart.

O gloriose S. Blasi, qui, brevi oratione, perfectam restituisti sanitatem puerulo, qui, ob piscis spinam gutturi inhaesam, extremum erat emissurus spiritum, concede nobis omnibus gratiam tui patrocinii efficaciam in omnibus gutturis infirmitatibus sentiendi; potissimum autem, fideli praeceptorum S. Ecclesiae exercitio, hunc tam periculis obnoxium sensum mortificandi. Qui tuo martyrio Ecclesiae praeclarum testimonium fidei reliquisti, fac possimus hunc divinum donum servare, ac citra vanum hominum metum, verbis et operibus, veritates eiusdem fidei tam, nostra aetate, oppugnatae et obscuratae defendere. Amen.

Huius Rescripti exemplar exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem...

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 13 Maii 1903.

L. ✠ S,

Pro R. P. D. FRANCISCO, Archiep. Amiden., *Secret.*

Iosephus M. Can. Coselli, *Substit.*

II.

VIENNENSIS.

Sacerdotes, etsi ad confessiones Monialium audiendas non approbati, possunt, ex delegatione Ordinarii, iis absolutiones generales et benedictiones apostolicas impertiri.

Episcopus Orthosiensis, Auxiliaris E.mi Archiepiscopi Viennensis in Austria, relate ad Decretum S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae in una *Bononiensi* a. d, 11 Februarii 1903, (1) eidem S. Congregationi sequens dubium solvendum proposuit:

« Utrum Ordinarius, sub cuius iurisdictione Moniales Tertiariae degunt, ad absolutiones generales et benedictiones apostolicas eisdem Monialibus impertiendas, delegare possit Sacerdotem sibi benevisum ad audiendas Monialium confessiones non approbatum? »

Porro S. Congregatio ad praefatum dubium respondendum mandavit:

« *Affirmative* ».

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis die 27 Maii 1903.

A. Card. Tripepi, *Praef.*

L. ✠ S.

† Franciscus Sogaro, Archiep. Amiden., *Secr.*

(1) Latina versio:

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* fasc. praec. p. 127.

E SACRA CONGREGATIONE
SUPER NEG. ECCL. EXTR.

Praefectura Apl. “ La Intendencia Oriental „ erigitur in Columbiana Republica, et committitur Congregationi “ La Compagnie de Marie „

Ex Audientia SSmi. Die 23 Iunii 1903.

Cum perplures gentis Indicae tribus in territorio Columbianae Reipublicae, in America Meridionali, diffusae inveniantur, quae sine religionis lumine et sine regula morum vivunt, optimo sane consilio inter S. Sedem et Gubernium Columbianum, die 29 Decembris anni 1902, Conventio inita est eum in finem, ut earundem tribuum evangelizationi christianaeque institutioni faciliori ac promptiori modo provideri possit. Idcirco in praedicta Conventione nonnullae apostolicae Praefecturae proponuntur erigendae, quas inter, et magni quidem momenti, missio vulgo « *La Intendencia Oriental* » nuncupata: cui Praefecturae, in appendice ad eandem Conventionem, sequentes limites adsignantur: « Partiendo del punto en que el tercer meridiano al E. de Bogotà corta el rio Meta, sigase la corriente de este rio hasta el Orinoco; yendo contra corriente del Orinoco (limite con Venezuela) hasta la Piedra del Cocuy, que es un extremo de la frontera entre la dicha Republica de Venezuela y el Brasile; recorranse los limites de Colombia con el Brasil y el Perù, hasta llegar al referido tercer meridiano al E. de Bogotà ».

Cum vero eiusmodi Praefectura Apostolica curis missionariorum demandanda sit, expediens visum est illam committere Congregationi « La Compagnie de Marie » nuncupatae. Quae omnia Sanctissimo Domino Nostro Leoni divina Providentia PP. XIII per me infrascriptum Secretarium S. C. Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae relata, Sanctitas Sua benigne approbare et confirmare dignata est: ea tamen lege, ut Praefectus Apostolicus ab hac S. Congregatione sit nominandus caeterique religiosi sacerdotes eiusdem religiosae societatis, Apostolicae Praefecturae addicti, quoad regularum observantiam, a suo Superiori Generali immediate dependeant. Super quibus eadem S. Sua mandavit hoc edi decretum et in acta praelaudatae S. Congregationis referri.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae e Secret. eiusdem S. Cong. die, mense et anno praedictis.

L. ✠ S.

† Petrus, Archiep. Caesariensis, *Secretarius.*

ANALECTA VETERA

Nonnulla documenta inedita S. Congr. Episc. et Reg. (An. 1677-1690).

283. Senen. — Functionum.

E.me et Rev.me Domine. — Sub die 14 Novembris 1684 Confraternitas Laicalis S. Catharinae Senensis Adversaria obtinuit decretum ab hac Sacra Congregatione faciendi functiones solemnes Maioris Hebdomadae in Ecclesia seu Oratorio ipsius Confraternitatis, accedente tamen consensu Parochi, et sine praeiudicio iurium parochialium super eadem Ecclesia et oratorio Confraternitatis.

Consensit Parochus S. Antonii Abbatis de Senis meus Principalis sub cuius Parochia situm est dictum oratorium, reservatis tamen sibi iuribus parochialibus; sed quia modo Confratres Adversarii praetendunt eligere sibi presbyterum qui celebret et faciat easdem functiones solemnes independenter a Parocho meo Principali supplicantur propterea Emi. Domini mei declarare celebrationem omnium functionum ac ipsarum solemnium spectare ad dictum Parochum adeo ut dictae functiones celebrari nequeant nisi ab eodem Parocho, vel a Presbytero per ipsum mittendo et quod dicti Confratres Adversarii nullum ius habeant eligendi presbyterum ad hunc effectum.

Indubitati enim iuris est quod Laici non habent nec habere possunt rectoriam Ecclesiae, cum sint incapaces connubiis spiritualibus, ut firmavit Rot. in decis. 340 n. 18, p. 15; decis. 227 n. 7, p. 16, rec. et.; Priol. decis. 338, n. 16 et 389, n. 12. Et proinde Ecclesiae Confraternitatum Laicalium ne sint Acephalae in spiritualibus totaliter subiacent Parocho earum vero rectori, ut in decis. 124 § etenim; et 214 n. 6, p. 12; et decis. 231 n. 2, p. 13, rec.

Sacra haec Congregatio Episcoporum in causa *Forolivien.* sub die 22 Septembris 1679, ad relationem Emi Domini mei Casanatae Ponentis, ibidem Sacra Congregatio Concilii sub die 16 Martii 1680, ita responderunt ad dubium in causa *Romana* inter Parochum et Oratorium Hospitalis Laicalis. Eadem ratione pertinet ad Parochum cantare missas et officia funeralia et facere alias functiones in Ecclesia seu Oratorio Confraternitatum Laicalium, ut censuit haec Sacra Congregatio, relat. per. Samuel de Sepulturis tract. primo disquisit. 5 controv. 10, concl. 4, pag. 260; rursus per Murg. de sepult. tom. 1°, tract. 8, disquisit. 2, sub. 25, n. 5, pag. 353; per Donat. in prax. regul. tom. 3, trac. 8, q. 30; et per Passerin. de Stat. hom. 2, q. 187, sub. art. 4, n. 194, in fin. — Quin immo specialius ad rem nostram extant duo decreta Sacrae Congregationis Rituum de annis 1602 et 1612, quibus Sacra Congregatio demandavit pertinere ad Parochum et non ad Capellanum Confraternitatis celebrare functiones solemnes in Ecclesia seu Oratorio eiusdem Confraternitatis, salvo tamen si Parochus vel Episcopus licentiam concedat, ut possint vocare quem maluerint Presbyterum, quae decreta adsunt impressa apud Gavant. in Manual. Episcop. verb. Confraternitates in add. n. 3, et verb. Parochorum munera n. 21 ad maius commodum dantur in calce.

Nec obstat praetensio Laicorum quod clausula sine praeiudicio iurium parochialium importet tantummodo praeservationem Decimarum, et Emolumentorum funeralium, quia haec praetensio militat solum ad favorem Regularium, erigentium Conventus in districtu Parochiae, isti enim possunt celebrare functiones solemnes, non autem refragrantur quoad Confraternitates laicorum quae nullum habent ius faciendi tales functiones, ut apud Roderic. quaest. canonical. tom. 3, q. 28 sub. art. p°; et apud. Carped. de regular. Exempt. cap. 24 dub. 375 n. 2. Quare etc.

Hieronymus Letus.

Rescriptum fuit die 30 Augusti 1685: *Licere Confraternitati exercere functiones de quibus agitur in propria Ecclesia independenter a Parocho.*

284. Senen. — Prioratus Servitarum.

Eme et Rme Domine. Mensibus elapsis P. Jo. Bapta Fanelli, Prior Conventus Servitarum Senen., ad corrigendos duos fratres Religiosos sibi subiectos contumaces, de consensu ac licentia sui Provincialis Adversarii, ut ex fide iurata in manibus Emi Ponentis constat, introduxit aliquos satellites in dictum Conventum, qui tamen nihil de ordine eiusdem P. Provincialis attentarunt, recursum habuerunt ad eumdem Provincialem qui clam omnino non citato, neque certiorato, Praetendentes dicti Fratres indebite birruarios ad claustra vocatos, de gestis ab eodem P. Priore, Processum contra ipsum terminavit. Et postea nullis praeviis notitiis inditiis, nec praetensi delicti, vocavit illum ad se examinandum, sed recusavit P. Prior, se alicui examini exponere. Sicque cum sibi assignatus foret terminus trium dierum, et elapso, P. Provincialis contra ipsum sententiam privationis Prioratus praecipitanter tulit.

Supplicamus igitur, hac sententia reiecta, pro reintegratione dicti de Fanellis ad suum Prioratum, prout ex iustitia et humanitate huius sacrae Congregationis firmiter speramus etiam ex infrascriptis.

Omissis enim nullitatibus, etiam inter Regulares, ac in iudiciis summariis insanabilibus, ob defectum scilicet citationis Rei, interrogationis eiusdem, nominum et depositionum Testium ipsi reo non exhibitorum, de quibus Clem. Pastoralis de re iudic. et docte Tambur. in prax. enim Abbat. tom. 3, quaesit. 3, n. 18, et 24, et quaesit. 14, n. 5. sententia a nullitate, atque iniustitia salvari non potest cum non constet de delicto. Introductio enim dictorum birruariorum facta fuit de consensu superioris, ut supra dictum est, et agens de consensu, et mandato Praelati indubitatum est non posse ab eo imputari. Fagnan. in Cap. ad audien-

tiam n. 28. de Cleric. non residen. Ulterius potestas Provincialis tanquam habens superiorem, non se extendebat ad sententiam privationis, cum privatio huiusmodi tamquam poenae capitali aequiparatur, Cardinalis De Luca, de regul. disc. 55. n. fieri nequeat nisi ab ipsomet Generali, vel de speciali mandato, dictus Cardinalis De Luca, de Benefic. disc. 77. sub n. 14.

Praeterea cum in termino dictorum trium dierum P. Priori assignato, iste Copiam Capitulorum, et Processus petiisset, ac denegata fuit, ut pariter iustificatum est Emo Ponenti contra Regulam trad. a Roderico in prax. Crim. tit. 21, cap. p.° n. 2, et Tambur. ubi supra quaesit. 3, n. 21; rursus cum notum Iudici foret constitutiones Communes Religionis in cap. 37, ordinare expresse, ne quilibet praetensus Reus inauditus condemnetur, his tamen neglectis ad condemnationem processit.

Tandem P. Provincialis processit absque monitione, et nullo iuris ordine servato, contra text. in cap. monachi de Stat. Monach. in § Priores ibi. Priores autem etc. cum Canonice fuerint instituti, nisi pro manifesta, et rationabili causa, videlicet si fuerint dilapidatores, si incontinenter vixerint non priventur etc., ut similiter tradunt. Gabriel. cons. 196, lib. 1°; et Roderic. in dicta prax. crim. regal. tit. 28, cap. 6, n. 21, firmantes sententiam privationis dari non posse nisi in casibus a iure expressis, et docte etiam Fagnan. in cap. cum ad Monialium de stat. Monach. n. 24, p. 5, fol. 192. Quae etc.

Mathias Ioseph de Lippis.

Edictum fuit, die 8 Augusti 1687: *Reintegrandum Fanellum ad munus Prioris.*

Nota Emi Casanata: — Audiatur Provincialis. Privatio enim Prioris facta, ut narratur, ex causa introductionis satellitum in Conventum de iure non subsistit, cum nullibi de iure habeatur, Priorem privandum quia satellites introduxit in Conventum etiam ad carcerandos subditos, praesertim cum nulla sequuta fuerit carceratio, et nisi de iure inducatur praetensa privationis, illa non sustinetur, ut in d. 279, n. 12, p. 16 rec.

285. **Senigallien. — Celebrationis Missae hora opportuna.**

Emi. e Rev.mi Signori. — Li Pastori et altri Lavoratori della Torre Feltresca, Diocesi de Sinigaglia, ricorsero alcuni anni sono alla Serenissima Gran Duchessa Madre alla quale s'appartiene la soprannominata tenuta, dolendosi, che celebrandosi una sol messa in giorni festivi nella vicina Parochiale di Montignano, e quella sempre in hora tarda, e vicino a mezzo giorno non potevano perciò adempiere il precetto di S. Chiesa, che volevano attendere alli pascoli de bestiami, et all'altre rustiche faccende; stimò perciò la Serenissima Gran Duchessa, che convenisse alla sua pietà l'edificare una cappella, e di farvi celebrare una messa a sue spese in tutti i giorni festivi a levata di sole, come si è pratticato per lo spatio di molti anni, con soddisfatione de' popoli, e con profitto dell'anime. Fin che essendo ultimamente insorte alcune gare particolari tra il cappellano del suddetto Oratorio, et il curato dell'accennata Parochia di Montignano, questi usurpato il nome di Priori del luogo ricorse alla Sacra Congregatione instando, che si osservasse un certo decreto Sinodale fatto dal Cardinale S. Onofrio, già Vescovo di Sinigaglia, nel quale si proibisce il celebrar le messe prima delle chiese parochiali, senza esser citato. Il Cappellano Oratore estorse dall'EE. VV. il rescritto sopra l'osservanza dell'allegato Decreto, e successivamente il precetto, che l'oratore non ardisse di celebrare prima del Paroco Avversario.

Ma perchè il tutto è fondato sopra ciò che erroneamente suppose alla Sacra Congregatione il Paroco contrario, o sopra l'informatione di quel Vicario Apostolico suo partiale, per tanto si supplicano humilmente l'EE. VV. di scrivere per miglior informatione al nuovo Monsignor Vescovo, o vero a recedere dalla prima determinatione per li seguenti fondamenti:

Primo. perchè è opinione inconcussa di questo Supremo Tribunale che non si può prohibire il celebrar la messa in un Oratorio di Villa edificato dalli laici prima che si celebri nella Chiesa parochiale, o Matrice secondo hanno molte volte decretato l'EE. VV., et anche la Sacra Congregatione del Concilio, e specialmente in una *Caietana* alli 18 settembre *1627*, in un'altra *Capuana* alli 31 maggio 1629, a relatione della chiar. me. del signor Cardinal Pio Sen.ze, come attesta il Barbosa, de Paroc. cap. 11, n. 23, e nella somma dell'Aplic. decis. Collect. 474, n. 23. E però la Costitutione Sinodale, e tutte l'altre cose che si possono allegare dalla parte potranno bene haver luogo in quelle messe che devono celebrarsi in publiche Chiese è per obligo particolare de Beneficiati o Cappellani, ma non già nelle messe che si celebrano per mera e volontaria devotione de' Laici, et in Oratorii da loro edificati a tal'effetto, come nel caso nostro.

Considerando particolarmente gl'inconvenienti che derivano dalla perniciosa osservanza di simili Decreti, mentre celebrandosi la messa in hora tarda, e doppo l'unica del Paroco che ascende all'altare sempre vicino al mezzo giorno, molte anime fedeli ne' giorni festivi restano prive del santo sacrificio come è seguito per il passato, per il qual motivo la somma pietà dell'EE. Loro altre volte in una *Vestana*, alli 18 di febraio del 1592 rescrisse essere espediente anzi necessario, che in quei luoghi dove si celebrano due messe sole ne giorni festivi, se ne celebri una all'aurora per commodità de rustici, e de poveri, secondo attesta il Nicolio, Ministro invecchiato nella Segreteria della Sacra Congregatione, nei suoi Flosc. in verbo Missa, al n° 31.

Senza che possa ostare il motivo che se i fedeli non vanno ad udire la messa parochiale non rimarranno istrutti de digiuni e delle feste occorrenti, poichè a ciò si può facilmente dar rimedio ordinando, che il Sacerdote a cui tocca il peso di celebrare all'aurora, publichi onninamente le feste, et i digiuni occorrenti fra settimana, come providamente pratticorno l'EE. VV. nella causa *Vestana* sopr'allegata ibi: — Quotidie ubi sufficiens numerus Sacerdotum in Ecclesia aderit ubi vero ad minus, saltem in Dominicis, et festis de praecepto, missa una in aurora celebrat per hebdomadam pro pauperum, et rusticorum commoditate, sicut, et viduarum, ac nobilium condignis vestibus carentium in qua celebrans partes essentiales Doctrinae Christianae omnino explicet, et missam ante ortum solis incipiat. S. C. Episcoporum, *Vestana* 18 Februarii 1592. Arg. C. Necesse de Consecr. dist. 1.

Per le quali ragioni si spera che l'EE. Loro devino lasciar godere al Cappellano Oratore la libertà di celebrare all'hora piu opportuna per la salute dell'anime come si è osservato fin ora. Che il tutto ecc.

Die 24 Maii 1686, Emi Patres edixerunt: *Arbitrio Episcopi.*

Nota Emi Casanata: — Audiatur novus Episcopus Senogallien. super necessitate rusticorum, et maiori commodo in Oratorio de quo agitur quam in Ecclesia Parochiali.

286. Senogallien. — Horarum.

Havendo Monsignor Vescovo di Senigaglia avvertito, che nella Cathedrale l'hore canoniche si recitavano molto tardi, mentre per tutto il corrente mese si voleva cominciare il Matutino sonate le 16 hore, il quale non poteva terminarsi sino alle 17 passate, quattr'hore dopo nato il giorno, e ricercando il Maestro di Cerimonie di dove procedeva tal disordine, le disse che ciò avveniva a cagione d'una nuova tabella già pochi mesi fatta dal Capitolo, e sottoscritta dal Vicario generale, ma che l'avanti s'era osservata la tabella di Roma, e dolendosi pure alcuni Canonici della troppa tardanza, Monsignor Vescovo fece anticipare una mezza hora, et ordinò che si dovesse osservare il rito Romano, al che oppostosi l'arciprete Romagnoli col suo solito cervello torbido, et inquieto, Monsignor Vescovo li mandò a mostrare il Sinodo Diocesano, il quale ordina, che matutinum albescente die solis ortu incipiatur. Cio non ostante l'Arciprete, radunato il Capitolo, fece la proposta che si debba litigare in Roma per lo mantenimento dell'ultima tabella con far deputare alla Lite se stesso, et il Canonico Cavalli suo adherente; ma tal risolutione, e deputatione non può sussistere, perchè di 16 Canonici che si trovarono presenti, otto si protestarono di voler obedire, non intendendo di sostenere questa ingiusta pretensione e partirono, onde i rimasti non potevano determinare cosa alcuna, mentre non arrivano ai duc terzi, conforme dispone il medesimo Sinodo, §. 19, cap. 31. Il Sinodo si fece dalla glo. me. del signor Cardinal Sant'Onofrio; è stato confermato dall'E.mo Fachenetti, da tutt'i successori pro tempore e da Monsignor Vescovo medesimo. È bellissimo e santissimo, fondato tutto ne' Sacri Canoni e ne' Sacri Concilii. – Il Nicolio, ne' flosculi verbo horae canonicae, adduce le precise parole: « Ex resolutionibus Sacrae Congregationis: A prima die Novembris usque ad primam Maii exclusive Matutinum incipiat cum hora diei, scilicet apparente sole supra nostrum emispherum in Oriente. A die vero prima Maii usque ad ultimam Octobris exclusive per horam ante solem », e tutti gli Autori concordemente, come è ben noto, fermano, che in materia dei diurni officii conviene stare alle costitutioni particolari de Luoghi. Ed il Barbosa, lib. p°, Iur. Eccl. Univ., cap. II, de potest. Episcopi, n° 37, avverte esser incombenza de Vescovi il procurare, che « horae canonicae suis horis, et secundum canonum impositionem celebrentur, abusus omnes circa hujusmodi profligandos », come avvenne nel presente caso. In ogni modo Mons. Vescovo si dichiarò bastarli, che lo celebrino un'hora dopo levato il sole, e ne anche di questo si contenta l'Arciprete, o pure non si trova che nè la S. Congregatione, nè i Dottori habbino mai permesso che possano celebrarsi più tardi. A Monsignor Ill.mo, Secretario della medesima Sacra Congregatione, si mandano tre fedi, una del Maestro di Ceremonie, e l'altre di due sacerdoti, che sempre hanno servito la Cathedrale, colle quali attestano essersi per lo passato osservata la tabella Romana, et anche la Copia autentica d'un Capitolo, in cui bona parte dei Canonici si dichiararono di voler obedire agli ordini di Monsignor Vescovo da loro stimati giustissimi.

D'un altro Capitolo, che dopo fu fatto sopra questa materia, non può inviarsi la copia, perchè l'Arciprete nega di dare il Libro e la Copia del medesimo, benchè vi sia la Dottrina del Nicolio, V. Capitulum, n° 18, che « licet Episcopus se ingerere non debeat in administratione Bonorum Capitularium, Capitulum tamen tenetur ei dare authenticam omnium notam », 2602. *Castellaneta*, 23 Iulii, 1675, n° 13. 1577. *Gubbio*, 8 Iulii, 182.

L'Arciprete tiene la chiave dell'Archivio; tiene presso di sè il sigillo del Capitolo, e scrive a suo capriccio a nome del medesimo. Fa tutti gli Ufficiali a suo modo, perchè pretende che a lui solo tocchi intimare il Capitolo, e piglia la congiuntura d'intimarlo quando i Canonici migliori, e che possono contradirli sono assenti, o impediti.

S. C. respondit, die 12 Februarii 1677: *Serventur statuta capitularia arbitrio Episcopi et consignentur libri ad omne mandatum eiusdem Episcopi.*

Nota E.mi Casanata: — Servetur Synodus bo. me. Cardinalis Sancti Honuphrii non obstante Decreto Capituli; quia Capitulum non habet facultatem, praecipue contradicente Episcopo, alterandi disposita in Synodo in iis, quae fuerunt executioni demandata.

287. — Sypontina. – Processionis.

Manfredonia. – Nell'anno 1680, il Vicario Generale di Manfredonia chiamò li Frati Francescani Conventuali alla Processione dell'Ottava del SS.mo Sacramento, sotto pena d'interdetto personale, e non essendo detti Frati intervenuti, il Vicario fece affigere nella loro Chiesa il cedulone dell'interdetto, eccettuando due soli per servizio della Chiesa, e successivamente havendo altri due Frati defisso il cedulone, scommunicò li medesimi due. – Dopo alcune assoluzioni date per ordine di questa Sacra Congregazione con reincidenza, hoggi detti Frati fanno istanza, *Censuras non sustineri*, et allegano diverse nullità del processo, particolarmente che sia stato fatto l'esame de' Testimonij senza citazione di essi Regolari; allegano ancora l'ingiustizia, perchè già è stato determinato a quali processioni sono obligati li Regolari intervenire, e fra queste non è la processione dell'ottava del SS.mo, ma solo della festa, come si vede appresso al Barbos. decis. apost. collectan. 607, n° 23; al Nicol. Lucubrat. canon. lib. p.° tit. 31, n° 22, §. Quaenam vero. Ne osta l'asserta consuetudine, perchè questa non s'induce per atti volontarii, o semplici inviti, come dice il Felin. nel c. Dilectus. n° 7, in fine de off.° Iudicis ordinarii pag. 1146, seguendo il Consiglio 8. del Calderino de Regular., e nota il Novar. in summa Bullar. par. p.ª Comment. 103, n° 18, vers. Tum etiam quia.

Il Vicario Generale di Manfredonia, in assenza dell'Arcivescovo riferisce il fatto, e trasmette il processo, nel quale si è ricevuto l'esame de' Testimonii senza citazione della Parte *ad modum informationis Curiae* sopra la contumacia de' Frati in venire alla processione e non sonar le campane quando passava detta processione avanti al loro Convento, come in d.° processo, p.° 6, q. 12, 15 e 18, et anco si è ricevuto l'altro esame de' Testimonii nell'istesso modo come sopra la defissione del cedulone fatta da Fra Giuseppe di Manfredonia, e Fra Salvatore di Vesti, come in detto processo pag. 26, 28 e 31. Soggiunge il Vicario haver proceduto alla scommunica perchè nel cedulone dell'interdetto vi era la solita clausula « Amoventes, Lacerantes, etc.

sint ipso facto excommunicati », come in processo pag. 22. – In quanto alla giustizia si puol dire che non costando di consuetudine obligatoria non poteva il Vicario fulminare l'interdetto contro li Regolari, e ne anco si prova che nientemente essi tralasciassero sonar le campane in passar la processione, oltre che è controverso se possa l'Ordinario procedere a censure contro Regolari senza prender l'oracolo di questa Sacra Congregazione, atteso il Decreto del 1616 che riporta il Barbos., Iuris ecclesiastici, lib. p°, cap. 43, n° 163, §. Qua de re, e nota il Diana in Coordinatis, tom. 7, tract. p°, resolut. 36 e 37, l'istesso Barbosa in Collectan. ad Concilium, sess. 25, de Regularibus, cap. 13, n° 18 e seguente, decis. apostolic. collect. 607, n° 24.

In quanto poi alla pretesa nullità dell'esame dei testimoni si puol dire che non sia eccezione rilevante, mentre de stylo non si procede formiter in materie d'attentati, ma sommariamente. Ben è vero che già è finito l'anno, e perciò si puol dire che detti frati satis luerint, anco per quel che tocca la defissione del cedulone.

Emi Patres rescripserunt, die 27 Iunii 1681: *Quatenus processio fuerit factu die solemnitatis SS. Sacramenti vel alio die infra octavam, censuras non substineri; quo vero ad Fratres excommunicatos, Episcopus ad cautelam absolvat secreto.*

288. **Sorana. — Nullitatis Intrusionis**

E.mi e R.mi Signori. Le 18 Monache vocali del Monastero di S. Chiara di Sora, Oratrici humilissime, essendo ricorse fin da sette mesi fa a questa Sacra Congregazione con esporre la dolorosa intrusione di Anna Maria Memmi nel detto Monastero, procurata da quella Abbadessa con partecipatione dell'Ordinario, ottennero il favorevole rescritto che li medesimi facessero fare nuovo scrutinio, e capitolo. — Ma perchè a gl'ordini con tutto che più volte dall'EE. VV. reiterati non solo dalli detti Ordinario et Abbadessa non si è con quella dovuta riverenza obedito, ma più tosto sono stati quelli vilipesi, e disprezzati (come può con facilità giustificarsi), anzi di più le povere zelanti Oratrici per il ricorso havuto sono state rigorosamente ristrette, mortificate, penate e con scommunica prohibite a non poter scrivere nè accostarsi alle grate e parlare ai loro parenti, e congionti in primo grado, acciò in tal guisa togliendosi alle Oratrici ogni sorta di difesa, e particolarmente il nuovo ricorso à questa Sacra Congregatione potessero con ogni agilità e senza alcuna contradittione l'avversarie, ét intrusa Giovine estorcere dall'EE. VV. qualche rescritto favorevole, e giornalmente dal Vicario Generale, et altri ministri secolari vengono l'oratrici concusse, minacciate con l'indignatione, e disgratia delli Superiori Ecclesiastici, e secolari di quel paese.

Supplicano pertanto le povere Oratrici con ogni humiltà l'EE. VV. per la total effettiva esecutione degl'ordini già dati come effetto di buona et ordinata giustitia, acciò l'intrusa giovane legitimamente esclusa con 18 voti eccedenti di gran lunga la 3ª parte delli 39 in tutti venga secondo la forma delle Regolari Costitutioni, norma prescritta da questa Sacra Congregatione et ordini reiterati dell'EE. VV. ad esser messa fuori del detto Monastero. Tanto più che due altre volte la medesima giovane nel tempo del precedente Vescovo, e precedente Abbadessa a pieni voti fu capitolarmente esclusa senza entrare nelle qualità e nascita della giovane.

Non dovendosi in conto alcuno attendere le false oppositioni dell'avversarie, che per ritardare l'esecutione degl'ordini più volte havuti hanno falsamente esposto, che le 18 Oratrici siano tutte giovani, mentre queste oltre l'essere vocali sono la maggior parte vecchie di veneratione, altre sono state Abbadesse, et altre Maestre di Novitie come D. Maria Gabrielli già annotate e sottoscritte nelle prime suppliche date a Nostro Signore et all'EE. VV.

Supplicano in oltre per qualche opportuno espediente rimedio intorno a gl'aggravii, pene, prohibitioni illecite, mortificationi, minaccie, e concussioni, che l'Oratrici hanno patite, e tuttavia patiscono per esser ricorse a questa Sacra Congregatione et haver manifestata la detta dolosa intrusione. Che il tutto. Quas Deus, etc.

E.mi Patres rescripserunt, die 7 Maii 1677: *Episcopus denuo exploret per suffragia nova voluntatem monialium cum sui assistentia et duabus ex antianis monialibus.*

Nota E.mi Casanata: — Posset committi Episcopo viciniori qui iterum proponat receptionem Educandae, accipiens suffragia monialium, et certioret Sacram Congregationem.

289. **Sorana. — Imperfectae celebrationis.**

E.me et Rev.me Domine. Sacerdos Franciscus Tutius, qui sacrificium Missae inchoavit, illudque non perfecit, incidit in poenas contentas in Concilio Toletano, et in Synodo Romana. Concilium Toletanum registratum est in cap. Nihil 7. p.ª p.ª Synodus vero Romana in cap. Nullus Episcopus de consecrat. Dist. p. p. in Cap. Nihil apponitur poena excommunicationis. In Cap. Nullus Episcopus poena suspensionis.

Et quamvis ad incurrendas poenas praedictas requiratur quod temere inchoatum sacrificium sacerdos non perficere praesumpserit, ut notatur in dictis textibus, ut ex illis Pasqualig. de sacrif. novae Legis tract. p.° de continuat. missae q.ª 188. n. 3. non potest Tutius a temeraria praesumptione excusari tum, quia monitus a Sacrista ne exiret ad celebrandum, cum in promptu non adesset vinum pro celebratione (defecerat enim prae multitudine sacerdotum, qui in die festo Sancti Mathiae accesserant ad celebrationem, et celebraverant) nihilominus spreta monitione Tutius impatiens exivit ad celebrandum absque vino necessario ad sacrificium, et missam inchoavit, quam tamen post hostiae oblationem imperfectam reliquit. Egit ergo temere Tutius, cum monitionem Sacristae spreverit, velut regulam dirigentis, ut bene notat D. Thomas 22. q.ª 53. art. 3. ad secundam, tum quia, etsi monitus non fuisset, non debuisset exire ad celebrandum absque specie vini, et sic se exponere periculo non perficiendi sacrificium ut accidit, bene Pater Suarez in 3. p. tom. 3. disp. 8. art. 6. vers. 2.ª regula. Tum denique quia post oblationem hostiae non debebat discedere ab Altare, sed ibi expectare vinum, quod paulo post a Clericis asportatum fuerat, ut bene constat ex processu.

Probata ergo Tutii temeritate, reus evasit peccati mortalis, quod ad se trahit et excommunicationem, et suspensionem, ut notat Pasqualig. d.ª q.ª 188. n° 2. Et quamvis excommunicatio secundum veriorem opinionem non sit latae

sententiae, sed ferendae, suspensio tamen secundum pariter veriorem opinionem est latae sententiae, ut tenet idem Pasqualig. q.° 189. n. v. cui adde Thesaurum in praxi poenit. p. 2. cap. 3. vers. Missam Sacerdos non perficiens; et propterea Tutius, sic suspensus celebravit, absque dubio irregularitatem incurrisse dicendus est, Maiol. de irregul. lib. 3. cap. 19. n° p.° et per multos Thesaur. d^a praxi p. 2^a cap. 15. n° p°. — Nec excusari potest ex eo quod non devenerat ad consecrationem, quia ad incurrendas poenas praedictas, sufficit quod Sacerdos incoeperit Missae confessionem, quamvis ad altare non accesserit, ut bene idem Pasqualig. d.^{a} q.° 188. n. 4. vers. Verum. Sed in casu isto considerandum est quod Tutius processit ad oblationem hostiae, quae oblata non debebat sic irreverenter asportari, sed vel debebat ab alio sacerdote sumi, vel servari inter caeteras, quae consecrandae erant, vel reponi in Sacrario, ut notat Tambur. in methodo celebrandae missae Lib. 2. cap. 7. § V. vers. hostia reverenter.

Ex quibus Episcopus Soranus supplicat Sacram Congregationem, ut recedat a decisis, hoc est, ut non solum Tutius acriter moneatur, sed mandet quod contra praedictum procedat ad poenas a iure statutas, eo maxime quia ex relicta missa imperfecta gravissimum ortum est scandalum in Populo.

Lucius Ant., Adv.

E.mi Patres rescripserunt, die 22 Decembris 1673: *Episcopus suspendat Tutium ab exercitio suorum ordinum per aliquos dies.*

290. Spoletana. — Praestationis obsequiorum matrimonialium.

E.me et Rev.me Domine. Usque et de mense Novembris 1683 Dominus Ludovicus Butius, maritus Dominae Agnetis De Romanis coactus fuit discedere a civitate Spoleti propter inimicitias contractas cum Domino Didaco Romano eius socero et dominis Antonio, Carolo, Iosepho, et Vincentio De Romanis eius cognatis, qui absque ulla legitima causa procurarunt quod Domina Agnes uxor dicti Domini Ludovici et filia et soror respective dictorum Dominorum De Romanis reliquerit dictum Dominum Ludovicum virum ut rediret ad domum paternam. — Et ex causa dicti coactivi discessus dictus Ludovicus se contulit ad Urbem ubi semper moram traxit et adhuc moratur. — Cumque dicta Agnes recusaverit et recuset praestare hic in Urbe solita obsequia matrimonialia eidem dicto Ludovico viro, iste supplicat ordinari quod accedat ad cohabitandum cum eodem viro hic in Urbe et obtinere sperat. Quando quidem habemus regulas claras in iure quod uxor teneatur sequi virum, sicuti in terminis firmavit Rota in decis. 300, n. p° et seqq., part. 13 recent., ubi aliae decisiones referuntur, et assignatur ratio quod uxor fit subdita viro ratione matrimonii et coniuges tenentur ad mutua obsequia, quae alioquin ad invicem sibi praestare non possent, et ista conclusio est adeo vera, ut etiamsi concurreret pactum in contrarium de semper permanendo in eodem loco, adhuc intelligitur nisi superveniat viro nova causa mutandi domicilium, ut firmatur in dd. decis. 300, n. 10, part. 13, recent. — Hinc applicando praefatas conclusiones ad factum praesentis causae latius recensitum in memoriali confecto ab eodem Ludovico Viro et mediante summario iustificato quod datur ad partes, dicta Agnes non potest ullo modo recusare accessum ad cohabitandum in Urbe cum viro, non solum quia nullum adest pactum in contrarium de semper permanendo in eodem loco quod nec etiam veniret attendendum utpote iudicatum perpetuae servitutis.

Verum etiam quia non deficeret legitima causa deinde exorta occasione inimicitiae contractae cum socero et cognatis et aliis latius recensitis in eodem memoriali, quod datur ad partes dum haec omnia remittuntur Iudicis arbitrio et sufficit quod causa non sit turpis vel inhonesta, ut in dd. decis. 300, n. 11 et 12, part. 13, recent. — Accedit quod agitur de mutatione Domicilii a Civitate subdita, ad civitatem dominantem et orbis Reginam et si in casu dict. decis. agebatur de discessu Urbis ad oppidum Barbarum, quanto magis ista mutatio permittenda venit de Civitate Spoleti ad Civitatem Dominantem.

Hinc nil valet dicere quod Dominus Ludovicus non possit praestare alimenta dictae Agneti hic in Urbe, quoniam habet consanguineos et affines obligatos ad illa praestanda sicuti praestant de praesenti et praestabunt quando dicta Agnes accedet ad Urbem et ipse potest incumbere aulae et aliter sibi victum quaerere. Quare etc.

Io.es Fran.cus Marianus.

Fuit rescriptum, die 29 Ianuarii 1689: *Uxor sequatur virum praestita per ipsum fideiussione de bene tractando more maritali, et quatenus renuat, recludatur in conservatorio, et Gubernator Spoleti mandet dari a proximioribus hinc inde fideiussiones de non offendendo, nec non fieri praeceptum De Romanis de non accedendo ad domum viri.*

Nota E.mi Casanata. — Audiatur Agnes. Quia non tenetur uxor extra patriam sequi virum, causa non legitime probata, ut in d. 473. caram Roxas. Nec in d. 300. p. 13, firmatum fuit uxorem teneri sequi virum extra patriam, sed tantum si velit ad patriam redire.

291. Tarentina. — Licentiae celebrandi in Oratorio particulari.

E.mi e Rev.mi Signori. Gio. Antonio Ciraci delle Grottaglie, Diocesi di Taranto, havendo eretto nel suo palazzo un Oratorio privato per non potersi dare la porta pubblica immediatamente in strada, et ivi collocata una sua statua della Madonna del Carmine di gran veneratione in quel luogo, et adornato competentemente conforme all'informatione pienamente data da Monsignore Arcivescovo di Taranto, che a quest'effetto l'ha visitata personalmente, desidera per sua devotione e per maggior gloria di Dio, e della Beatissima Vergine, di farci celebrare la santa messa almeno nelle festività della Madonna, et in un giorno della settimana ad arbitrio dell'Oratore.

Supplica perciò l'EE. VV. concederli potersi ottenere tal gratia da Nostro Signore, e spedirne il Breve. Che il tutto etc. Edictum fuit die 22 Junii 1674: *Nihil.*

Nota E.mi Casanata: — Nihil. Quia oratoria privata non conceduntur nisi principibus viris; et causa in precibus allegata obstat concessioni petitae, nam ex praetensa devotione fieret concursus in domo privata. Unde multa possent oriri scandala.

ANALECTA VARIA

Summaria Indulgentiarum et Privilegiorum; Kalendarium; aliaque nonnulla pietatis exercitia, Ordinis Servorum B. Mariae Virginis propria.

Haec publici iuris fieri censuimus ut, cognito thesauro Indulgentiarum a Summis Pontificibus concesso, devotio in Beatissimam Virginem magis ac magis propagetur, cum aliunde, haec saluberrima devotio ipso redemptionis nostrae die, sub cruce Domini orta sit, necnon apprime opportuna in Christifidelium necessitatibus sublevandis inveniatur.

NOTANDA

a) Conditiones et alia opera requisita ad Indulgentias acquirendas, clarissimo modo in proprio loco adnotantur.

b) Indulgentiae omnes Fratribus et Monialibus Ordinis Servorum B. M. V. concessae, per modum suffragii animabus in Purgatorio detentis applicari possunt. (*Benedictus XIV. Brevi In supremo, 4 Septemb. 1745; Leo XIII. Decreto S. Congreg. Indulg. 26 Maii 1883).*

c) Idem omnino dicendum est de Indulgentiis omnibus, tum Tertiariis eiusdem Ordinis concessis *(Leo XIII. Rescript. S. Congreg. Indulg. 15 Decembris 1883)*; tum Confratribus et Consororibus Societatis septem Dolorum B. M. V. *(Innocentius XI. Brevi Commissae Nobis, 1 Septembris 1681).*

d) Indulgentia plenaria ad instar Portiunculae, pro Festo septem Dolorum B. M. V. Dominica tertia Septembris concessa, acquiritur eodem modo ac indulgentia Portiunculae die 2 Augusti, hac tamen facta exceptione quod illam Christifideles lucrari possunt non a primis Vesperis Festi usque ad occasum solis diei sequentis, sed *a media nocte ad mediam noctem*, iuxta responsum *S. Congreg. Indulg. 12 Ianuarii 1878.* Praeterea eadem Indulgentia, translata festivitate, pariter transfertur. (*S. Congreg. Indulg. 2 Iulii 1902*).

e) Quoad Indulgentias a s. m. Pio IX concessas, peragentibus pium opus *mensis Septembris*, conditio illa: " *dummodo in recolendis tum publice, tum private Doloribus B. M. V.* ALIQUO LIBRO AD HOC APPROBATO CHRISTIFIDELES USI FUERINT " sublata fuit, *Decreto 23 Iulii 1898.*

f) Benedictiones cum Indulgentia plenaria (*Absolutiones Generales*) statutis festis Tertiariis impertiendae, dari possunt in eorumdem mensili Conferentia immediate praecedente vel subsequente diem Festum cui adnectuntur. (*Leo XIII. Rescript. S. Congreg. Indulg. 20 Decembris 1884*).

g) Indulgentiae certis diebus festis affixae translata externa celebritate festorum, pariter transferuntur. (*Decreto Generali S. Congreg. Indulg. 9 Augusti 1852*). Vide etiam supra *littera d.*

h) Benedictio Papalis semel in anno (*Benedictus XIV. 12 Aprilis 1747*) populo impertitur in omnibus Ecclesiis Ordinis Servorum B. M. V. extra Urbem, et bis in anno (*Leo XIII. 16 Decembris 1882*) Tertiariis eiusdem Ordinis Servorum B. M. V. secundum formulam Benedicti XIV.

i) In omnibus Ecclesiis Servorum B. M. V. loco Rosarii B. M. V., Corona septem Dolorum eiusdem recitari potest quotiescumque Rosarii recitatio iniungetur cum acquisitione omnium Indulgentiarum huic Rosarii recitationi concessarum. (*Leo XIII. Rescript. Cardin. Urbis Vicarii, 12 Septembris 1885*). Mense autem Octobri, in fine Coronae B. M. V. oratio ad S. Ioseph purissimum B. M. V. Sponsum recitanda est.

j) Cum ad acquirendas Indulgentias eidem Coronae concessas, necessaria sit enunciatio et meditatio Dolorum principalium B. M. V., Leo XIII concessit quod Indulgentiae relatae in subsequenti Summario V. nn. I. II. III. VI. VII. VIII, acquiri possint etiam ab iis fidelibus qui praedictam Coronam recitantes, neque lectioni, neque meditationi ipsorum Dolorum incumbunt, dummodo tamen reliquas adimpleant conditiones. (*Rescript. S. Congreg. Indulg. 15 Maii 1886*).

k) Ad easdem Indulgentias acquirendas requiritur:

1° ut Coronae benedicantur a Superioribus Ordinis Servorum B. M. V., aut ab aliis eiusdem Ordinis Sacerdotibus deputatis ab ipsis Superioribus.

2° ut qui Coronam recitat eam prae manibus habeat. Si autem duo aut plures eam simul recitent, satis est ut qui recitationem moderatur Coronam teneat, ceteri vero, amotis occupationibus quae animi applicationem impediunt, ipsi in recitatione socientur. (*Leo XIII. Rescript. S. Congreg. Indulg. 8 Iunii 1898).*

Non vero poterunt Coronae benedictae venumdari aut commodari ad Indulgentias aliis communicandas, alioquin Indulgentiae statim cessabunt. (*Benedictus XIII. Brevi Redemptoris Domini, 26 Septembris 1724*).

l) Reverendissimus Pater Generalis eiusdem Ordinis, omnibus Sacerdotibus, etiam saecularibus facultatem Coronas benedicendi tribuere potest.

(*Leo XIII. 19 Ianuarii 1884*). Sed hoc in casu Fideles nequeunt lucrari Indulgentias sub nn. VIII. et IX. Summarii V. relatas. (*Clemens XII. Brevi Unigeniti Filii Dei. 12 Decembris 1734*).

m) Confraternitates septem Dolorum B. M. V. in posterum erigi nequeunt nisi requisitis et obtentis a Priore Generali Ordinis Servorum B. M. V. litteris facultativis pro earundem erectione, habito tamen prius consensu Ordinarii. (*Leo XIII. Rescript. S. Congreg. Indulg. 16 Iulii 1887*).

n) Privilegia etiam tum Fratribus et Monialibus, tum Tertiariis Ordinis Servorum B. M. V., tum Confratribus et Consororibus Societatis septem Dolorum B. M. V. concessa, in fine proprii Summarii adnotata habentur.

o) Quando in Kalendario dicitur *Indulgentiae Stationum Urbis*, hoc intelligendum est tum pro Fratribus, Monialibus (*Paulus V. 23 Maii 1606*) et Tertiariis Ordinis Servorum B. M. V. (*Leo XIII. 12 Ianuarii 1884*); tum pro adscriptis Confraternitati septem Dolorum eiusdem B. M. V. (*Innocentius XI. 1 Septembris 1681*),

Igitur materia tota hisce capitibus continetur:

I. Summarium Indulgentiarum et Privilegiorum Fratribus et Monialibus Ordinis Servorum B. M. V. concessorum.

II. Summarium Indulgentiarum et Privilegiorum Tertiariis Ordinis Servorum B. M. V. concessorum.

III. Summarium Indulgentiarum Confratribus et Consororibus Societatis septem Dolorum B. M. V. concessarum.

IV. Summarium Indulgentiarum Christifidelibus utriusque sexus, Ordinis Servorum B. M. V. Ecclesias visitantibus concessarum.

V. Summarium Indulgentiarum Coronam septem Dolorum B. M. V. recitantibus concessarum.

VI. Kalendarium SS. et BB. referens dies in quibus Fratres, Moniales et Tertiarii Ordinis Servorum B. M. V. et adscripti Confraternitati septem Dolorum B. M. V. Indulgentias lucrari possunt.

VII. Appendix prima.

VIII. Appendix altera continens Privilegia perpetua quibusdam Ecclesiis Ordinis Servorum Mariae a Sancta Sede Apostolica concessa.

I.

Summarium Indulgentiarum et Privilegiorum Fratribus et Monialibus Ordinis Servorum B. M. V. concessorum.

INDULGENTIÆ PLENARIÆ.

I. Omnibus Christifidelibus qui habitum Ordinis a legitimis Superioribus causa profitendi in illo susceperint, die primo eorum ingressus in ipsam Religionem, si vere poenitentes et confessi SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint (*Paulus V. Constit. Romanus Pontifex, 23 Maii 1606*).

II. Cuilibet Novitio, qui poenitens et confessus ac S. Communione refectus, post completum probationis annum, professionem emiserit (*Paulus V. loco cit.*).

III. Quibuslibet Fratribus vel Monialibus intra claustra sui Monasterii viventibus, qui in festo principali Ordinis, confessi, ac S. Communione refecti fuerint, aut Missam respective recitaverint et pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint (*Paulus V. loco cit.*).

IV. In cuiuslibet vero Fratris vel Monialis mortis articulo, si pariter vere poenitens et confessus ac S. Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus, nomen Iesu, ore si potuerit, sin autem corde, devote invocaverit (*Paulus V. loco cit.*).

V. Fratribus qui ad Presbyteratus Ordinem canonice promoti, et confessi primam Missam celebrabunt, nec non etiam iis Fratribus et Monialibus qui pariter confessi ac S. Communione refecti eidem Missae interfuerint, aut ipso die Missam respective similiter celebraverint (*Paulus V. loco cit.*).

VI. Fratres vel Moniales, qui de suorum Superiorum licentia a negotiis per decem dies alieni, in cella commorabuntur, aut ab aliorum conversatione separati, in piorum librorum et aliarum rerum spiritualium animos ad devotionem et spiritum inducentium lectionibus operam suam dederint, addendo saepe considerationes et meditationes mysteriorum Fidei catholicae, divinorum beneficiorum, quatuor novissimorum, Passionis D. N. I. C., et aliorum exercitiorum, orationum iaculatoriarum, aut vocalium saltem per duas horas in diem et noctem orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem, aut annualem vel ordinariam, SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint, aut Missam respective celebraverint, quoties pro quolibet praedictorum exercitiorum Plenaria Indulgentia gaudebunt (*Paulus V. loco cit.*).

VII. Quotiescumque Fratres de licentia Summi Pontificis, aut suorum Superiorum, in ditiones et terras infidelium, aut haereticorum ad concionandum, aut catholicos docendum, vel infideles et haereticos ipsos ad Fidem catholicam convertendum, et Ecclesiae gremio reducendum missi fuerint, si poenitentes et confessi, ac SS. Communione refecti fuerint, vel Missam celebraverint ut melius ad huiusmodi opus sese parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri sese accingent, et quando in provinciam ubi praedicta opera exercenda erunt, ingressi fuerint, Plenaria omnium peccatorum suorum Indulgentia perfruuntur (*Paulus V. loco cit.*).

VIII. In Visitationibus generalibus, cum Superior orationes quadraginta horarum pro bono Visitationis progressu collocare voluerit, si Fratres vel Moniales dictis orationibus, saltem spatio duarum horarum in diverso tempore interfuerint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, necnon disciplinae et observantiae regularis augmento, pias ad Deum preces, ut supra dictum est, effuderint, confessi ac S. Communione refecti fuerint, aut Missam celebraverint, Plenariam similiter Indulgentiam consequuntur (*Paulus V. loco cit.*).

IX. Eisdem Fratribus et Monialibus expresse professis vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, Ecclesias Ordinis in festivitatibus Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis et Assumptionis

B. Mariae V. a primis Vesperis usque ad occasum solis visitantibus, ibique pias ad Deum preces pro S. Matris Ecclesiae exaltatione effundentibus: infirmitatis vero aut gravis senii causa hoc facere impeditis aliquod tamen aliud pium opus peragentibus ad arbitrium Superioris Regularis localis, singulis sex festivitatibus supradictis conceditur Plenaria Indulgentia (*Clemens XII. Unigeniti Filii Dei, 9 Decemb. 1734*).

X. Indulgentia Plenaria omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi ac S. Communione refecti, dummodo id commode fieri poterit, secus saltem contriti, antequam ex hac vita migraverint in mortis articulo, vel etiam post illorum obitum in signum interioris poenitentiae humiliter petierint, si viri deferre habitum Fratrum, si autem mulieres habitum Tertiariarum (*Clemens XII. loco cit.*).

INDULGENTIAE PARTIALES.

I. Iidem Fratres et Moniales intra claustra viventes, qu suam Ecclesiam devote visitaverint, et, ut praefertur, oraverint, consequuntur easdem Indulgentias quas visitantes Ecclesias Urbis et extra eam diebus Stationum consequerentur in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Urbis Ecclesias personaliter visitaverint (*Paulus V. loco cit.*).

II. Omnibus item Fratribus et Monialibus intra claustra, ut supra, viventibus, qui quinquies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam ante Altare suae Ecclesiae dixerint, in quolibet die Indulgentia quinque annorum et totidem quadragenarum (*Paulus V. loco cit.*).

III. Fratribus, qui de suorum Superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes tamquam Praedicatores et Lectores quinquies eamdem Orationem Dominicam, et toties Salutationem Angelicam ante quodlibet Altare similiter dixerint, Indulgentia quinque annorum et totidem qua dragenarum (*Paulus V. loco cit.*).

IV. Eisdem Fratribus et Monialibus, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediae horae orationem mentalem fecerint, ac confessi, et S. Communione ultima Dominica mensis huiusmodi refecti fuerint, Indulgentia sexaginta annorum et totidem quadragenarum (*Paulus V. loco cit.*).

V. Fratribus et Monialibus, qui vere contrito corde, et poenitentes suas culpas et peccata ac imperfectiones in capitulis culparum accusabunt, et spiritualiter communicabunt, et exercitium virtutum facient, Indulgentia trium annorum et totidem quadragenarum (*Paulus V. loco cit.*).

VI. Fratribus et Monialibus confessis ac S. Communione refectis, ieiunantibus de Superiorum licentia in omnibus et singulis vigiliis festivitatum B. M. V. in pane et aqua, aut hoc facere nequeuntibus in pane et vino, et etiam id facere nequeuntibus, ultra panem et vinum, addito ad arbitrium Superioris uno ex ferculis in communi mensa appositis, et per dimidium horae de eadem B. Maria V. devote meditantibus, Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum quoties id egerint (*Clemens XII. Unigeniti Filii Dei, 9 Decembris 1734*).

Omnes Indulgentiae tam Plenariae quam Partiales Ordini concessae, sunt applicabiles per modum suffragii animabus Christifidelium defunctorum (*Benedictus XIV. Brevi In Supremo, 4 Septembris 1745; Leo XIII. Decreto S. Congreg. Indulg. 26 Maii 1883*).

PRIVILEGIA.

Omnes Missae Defunctorum a Sacerdotibus Ordinis celebratae, iuxta statuta Ordinis pro animabus Fratrum et Monialium in Ecclesiis tantum eiusdem Ordinis privilegiatae existunt (*Clemens XII. Unigeniti Filii Dei, 9 Decembris 1734*).

Fratres et Moniales in casu verae impotentiae integram Coronam septem Dolorum B. M. V. recitare nequeuntes, Plenariam Indulgentiam etiam consequuntur recitantes tantummodo aliquem hymnum in honorem B. M. V. (*Clemens XII. loco cit.*).

Fratres et Moniales de omnibus et singulis Indulgentiis Confratribus Societatis septem Dolorum B. M. V. concessis et concedendis vere participant et illas valide lucrari possunt, servatis tamen operibus dictis Confratribus iniunctis (*Clemens XII. loco cit.*).

Altare B. Mariae V. Dolorosae in omnibus Ecclesiis Ordinis gaudet privilegio quotidiano perpetuo pro omnibus Fidelibus defunctis, etiamsi aliud Altare existat eodem gaudens privilegio (*Benedictus XIII. 24 Ianuarii 1725*).

Paulus PP. V. per Breve *Cum certae*, datum die 14 Februarii 1607, concessit Reverendissimo Patri Generali Ordinis facultatem erigendi et instituendi Confraternitates septem Dolorum B. M. V. laicorum utriusque sexus in Ecclesiis Ordinis ubi sunt Conventus saltem sex, aut quinque Fratrum professorum Sacerdotum, de Ordinariorum licentia et consensu, atque illis communicandi omnes Indulgentias ac gratias spirituales Confraternitati concessas, servata tamen forma praescripta in Constitutione *Quaecumque*, fel. rec. Clementis PP. VIII.

Idem vero Pontifex, alio Brevi *Cum Nos nuper*, die 28 Iulii 1607, dictam facultatem concessit etiam Vicario Generali, absente tamen ipso Generali, eamque ita ampliavit ut Confraternitas huiusmodi etiam erigi possit in Ecclesiis in quibus non sunt praedicti sex vel quinque Fratres Sacerdotes professi.

Urbanus PP. VIII, per Breve *Pastoris aeterni*, datum die *18 Septembris 1628*, facultatem fecit Reverendissimo Patri Priori Generali erigendi, ut supra, dictam Confraternitatem etiam in Ecclesiis saecularibus de expresso tamen Ordinariorum locorum ac Rectoris Ecclesiae consensu; et semel tantum ibidem designandi septem Altaria pro lucrandis Indulgentiis concessis visitantibus septem Altaria in Ecclesia S. Petri in Vaticano.

Tandem Leo Papa XIII. facultatem fecit Moderatori Generali eiusque Vicariis erigendi et benedicendi iuxta ritum a S. Congregatione Rituum approbatum stationes *Viae Matris Dolorosae* nuncupatae cum adnexis Indulgentiis, omnibus in Ecclesiis vel publicis Oratoriis, privatisque Sacellis nec non in Coemeteriis aut viciniis ipsorum, et in publicis viis, quae vel ad Coemeteria vel ad Sanctuaria ducunt (*Leo XIII. Brevi Dilectus filius, 22 Ianuarii 1900*) locorum Ordinariis, Parochis aliisque Moderatoribus scripto annuentibus, in quorum iurisdictione *Via Matris* erigi contigerit, sub poena nullitatis ipsiusmet erectionis ipso facto incurrendae; cum potestate communicandi facultatem erectionis et benedictionis praefatae *Viae Matris* aliis ecclesiasticis viris sibi benevisis (*Brevi Deiparae Perdolentis, 8 Maii 1883*).

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita Summarium denuo recognovit typisque imprimi permisit.

Ex Secretaria eiusdem S. Congr. die 12 Ianuarii 1884.

L. ✠ S.

Franciscus Della Volpe *Secretarius.*

II.

Summarium Indulgentiarum et Privilegiorum Tertiariis Ordinis Servorum B. Mariae Virginis concessorum.

INDULGENTIAE PLENARIAE.

Tertiarii ex utroque sexu singuli, qui vere poenitentes, confessi, ac sacra Communione refecti fuerint, Plenariam Indulgentiam consequentur: (*Leo XIII. Rescripto S. C. Indulgentiarum 15 Decembris 1883*).

I. Die, quo Ordini nomen dederint.

II. Quo die singuli primitus Ordinem profitentur.

III. Diebus festis 1. Corporis Christi; 2. Conceptionis Immaculatae B. M. V.; 3. Nativitatis; 4. Annuntiationis; 5. Purificationis; 6. Assumptionis eiusdem B. M. V.; 7. B. M. Perdolentis (Feria sexta Passionis); 8. S. Ioseph Sponsi B. M. V. (19 Martii); et 9. S. Peregrini Latiosi (30 Aprilis), dummodo, uti supra dispositi, Ecclesiam aliquam, vel publicum Oratorium visitaverint, ibique iuxta mentem Summi Pontificis devote aliquandiu oraverint.

IV. Semel in anno, si per octo dies continuos spiritualibus exercitiis operam dederint.

V. In mortis articulo, si, rite dispositi uti supra, vel sin minus contriti, Iesu nomen voce, aut, si loqui posse desierint, corde saltem invocaverint.

VI. Item diebus Stationum in Missali Romano descriptis, si suam Ecclesiam, vel Oratorium, vel Cappellam visitaverint, ibique rem christianam Deo commendaverint, easdem Indulgentias consequentur, quas consequerentur praefatis diebus personaliter visitantes Ecclesias Urbis et extra eam.

VII. Semel in mense, si qui Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam cum *Gloria Patri*, quinquies recitaverint, pro incolumitate Sanctae Matris Ecclesiae semel ad mentem Summi Pontificis, Indulgentias Stationum Urbis, Portiunculae, locorum Ierusalem, S. Iacobi in Compostella consequentur.

VIII. Bis in anno Benedictionem Summi Pontificis nomine accepturi, si iuxta mentem ipsius Summi Pontificis, pias ad Deum preces effuderint; itemque, hac ipsa lege preces effundendi, accepturi Benedictionem diebus infrascriptis — 1. Natali D. N. I. C. — 2. Die solemni Paschatis Resurrectionis. — 3. Die solemni Pentecostes, — 4. In festo solemni Virginis Perdolentis (mense Septembri). — 5. In festo septem SS. Fundatorum. — 6. In festo S. Philippi Benitii. — 7. In festo S. Iulianae de Falconeriis.

IX. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus, vere poenitentibus, confessis, ac sacra Communione refectis qui aliquam Ecclesiam Ordinis etiam Monialium, vel Ecclesiam sive Tertii Ordinis sive Confraternitatis septem Dolorum in solemnitate Dolorosae Matris Ordinis Fundatricis et Patronae, Dominica tertia Septembris celebranda *toties quoties* visitaverint, ibique ad mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces aliquo temporis spatio pie effuderint, applicabilis etiam animabus in Purgatorio detentis (*Leo XIII. Rescript. S. Congreg. Indulg. 27 Ianuarii 1888*).

INDULGENTIAE PARTIALES.

Quo die Fratres et Sorores ad menstruam concionem, seu conferentiam convenient, Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum perfruuntur (*Leo XIII. Rescript. S. C. Indulg. 15 Decembris 1883*).

PRIVILEGIA.

Missae, quae ubivis celebrabuntur in suffragium Fratrum et Sororum, erunt privilegiatae (*Leo XIII. loco citato*).

Fratres et Sorores existentes in locis in quibus nulla adest Ecclesia sive primi sive tertii Ordinis lucrari possunt Indulgentias concessas et adnexas visitationi Ecclesiae Ordinis, visitando propriam Ecclesiam Parochialem, dummodo reliquas conditiones adimpleant (*Leo XIII. Rescript. S. C. Indulg. 17 Ianuarii 1888*).

Omnes supra enumeratae Indulgentiae per modum suffragii applicari poterunt animabus Christifidelium in Purgatorio detentis (*Leo XIII. Rescript. S. C. Indulg. 15 Decembris 1883*).

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, facto verbo cum Sanctissimo, praefatum Summarium, nunc primum ex diversis concessionibus excerptum, imprimi, ac publicari posse permisit.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, 7 Martii 1888.

S. Card. VANNUTELLI, *Praefectus.*

† A. Episcopus Oensis, *Secretarius.*

L. ✠ S.

III.

Summarium Indulgentiarum Confratribus et Consororibus Societatis septem Dolorum B. Mariae Virginis concessarum.

INDULGENTIAE PLENARIAE.

I. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus die quo parvum habitum B. Mariae Virg. Dolorosae suscipientes Confraternitatem fuerint ingressi, dummodo vere poenitentes, confessi ac S. Communione refecti fuerint. (*Paulus Papa V. Brevi Cum certas, die 14 Februarii 1607*).

II. Confratribus et Consororibus, uti supra dispositis, dictae Confraternitatis, qui Ecclesiam in qua huiusmodi Confraternitas erecta fuerit, in festo principali huiusmodi Confraternitatis, a primis Vesperis usque ad occasum solis festivitatis huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione oraverint (*Item Paulus V. loco cit.*). Quam Indulgentiam SS. Dominus N. Leo PP. XIII. Per *Rescrip. S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae diei 16 Iulii 1887,* benigne indulsit ad preces Rmi P. Prioris Generalis Ordinis, ut lucrari valeant praedicti Confratres et Consorores etiam in uno ex septem diebus immediate sequentibus supra memoratum festum, servatis omnibus quae iniuncta sunt pro lucranda supradicta Indulgentia, et dummodo legitime impediti fuerint quominus eam lucrari valeant in die festo.

III. Confratribus et Consororibus in mortis articulo constitutis, qui poenitentes et confessi, ac S. Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem vere poenitentes, nomen Iesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint (*Item Paulus V. loco cit.*).

IV. Confratribus et Consororibus vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui solemni Processioni de Ordinarii loci licentia in una ex cuiuslibet mensis diebus Dominicis, peragendae, devote interfuerint, et pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint (*Paulus V. Volentes Nos, 7 Iunii 1611; et Urbanus VIII. Pastoris aeterni, 18 Septembris 1628*).

V. Confratribus et Consororibus, qui vere poenitentes, confessi ac S. Communione refecti, qui suae respective Confraternitatis Ecclesiam, seu Cappellam, vel Oratorium, Dominica Passionis a primis Vesperis usque ad occasum solis eiusdem Dominicae, annis singulis, devote visitaverint, ibique pias considerationes Septem Dolorum B. Virginis et praecipue Passionis D. N. Iesu Christi fecerint, ac pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione oraverint (*Innocentius Papa XI. Brevi Commissae Nobis, 1 Sept. 1681*).

VI. Omnibus Christifidelibus utriusque sexus, vere poenitentibus, et confessis, ac S. Communione refectis, *toties* lucranda *quoties* ipsi Dominica tertia Septembris aliquam Ecclesiam Ordinis, sive Fratrum sive Monialium, vel Ecclesiam Tertii Ordinis aut Confraternitatis septem Dolorum devote visitaverint, ibique ad mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces aliquo temporis spatio pie effuderint (*Leo XIII. Rescrip. S. Congreg. Indulgent. diei 27 Ianuarii 1888*).

INDULGENTIAE PARTIALES.

I. Septem annorum totidemque quadragenarum Confratribus et Consororibus, qui poenitentes et Confessi ac S. Communione refecti, Confraternitatis Ecclesiam, sive Oratorium, vel Cappellam in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, et Assumptionis B. Mariae Virg. festivitatibus, similiter a primis Vesperis usque ad occasum solis festivitatum huiusmodi visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint (*Paulus Papa V. Cum certas, 14 Febr. 1607*).

II. Septem annorum totidemque quadragenarum Confratribus et Consororibus, qui singulis sextis feriis, in memoriam et honorem Passionis D. N. Iesu Christi, quinquies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam recitaverint, dummodo poenitentes, confessi ac S. Communione refecti fuerint. (*Item Paulus V. loco cit.*)

III. Quinque annorum totidemque quadragenarum iisdem Confratribus et Consororibus, qui SSmum Eucharistiae Sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint, et pro eorum salute preces Deo effuderint (*Item Paulus V. loco cit.*).

IV. Centum dierum quando officium B. Mariae Virginis in Ecclesia, seu Oratorio dictae Confraternitatis insimul recitaverint (*Item Paulus V. loco cit.*).

V. Sexaginta dierum quoties Antiphonae B. Mariae Virg. *Salve Regina*, et Litaniis eiusdem B. M., quae singulis diebus Sabbati sub Vesperis decantantur interfuerint; aut eodem die septies Orationem Dominicam, et toties Salutationem Angelicam in honorem Septem Dolorum eiusdem B. Mariae V. recitaverint; aut Missis et aliis divinis Officiis per dictos Confratres in Ecclesiis, vel Oratoriis eiusdem Confraternitatis pro tempore celebrandis et recitandis, aut Congregationibus publicis, vel privatis dictae Confraternitatis ubivis faciendis similiter interfuerint; aut corpora defunctorum tam Confratrum quam aliorum, ad sepulturam comitati fuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus egerint (*Item Paulus V. loco cit.*).

VI. Centum dierum per annum exercentibus se in piis meditationibus septem Dolorum B. Mariae V. et Passionis D. N. Iesu Christi, ac praesertim Oratione Dominica et Salutatione Angelica cum cantico *Stabat Mater Dolorosa*, etc. in Ecclesiis praedictis recitari, aliisque spiritualibus exercitiis ibidem fieri solitis, ac orantibus iuxta mentem Summi Pontificis (*Innocentius Papa XI. Commissae Nobis, 1 Septembris 1681.*).

VII. Indulgentiae Stationum Urbis prout describuntur in Missali Romano, ac si ipsi Confratres et Consorores personaliter Ecclesias tam intra, quam extra eamdem Urbem positas ad id destinatas diebus Stationum devote visitaverint, dummodo Ecclesiam, sive Cappellam vel Oratorium suae respectivae Confraternitatis devote adeant (*Item Innocentius XI. loco cit.*).

DIES STATIONUM URBIS.

Die 1 Ianuarii, in Circumcisione Dni
Die 6 Ianuarii, in Epiphania Domini
Dominica Septuagesimae
Dominica Sexagesimae
Dominica Quinquagesimae
} Indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum.

Feria quarta Cinerum — Indulgentia quindecim annorum totidemque quadragenarum.

Feria quinta et sexta
Sabbato post Cineres
Dominica I. Quadragesimae
Feria secunda, tertia, quarta, quinta, sexta et Sabbato
Dominica II. Quadragesimae
Feria secunda, tertia, quarta, quinta, sexta et Sabbato
Dominica III. Quadragesimae
Feria secunda, tertia, quarta, quinta, sexta et Sabbato
} Indulgentia decem annorum totidemque quadragenarum.

Dominica IV. Quadragesimae — Indulgentia quindecim annorum totidemque quadragenarum.

Feria secunda, tertia, quarta, quinta, sexta et Sabbato
Dominica Passionis
Feria secunda, tertia, quarta, quinta, sexta et Sabbato
} Indulgentia decem annorum totidemque quadragenarum.

Dominica Palmarum — Indulgentia viginti quinque annorum totidemque quadragenarum.

Feria secunda
Feria tertia
Feria quarta
} maioris Hebdomadae } Indulgentia decem annorum totidemque quadragenarum.

Feria quinta in Coena Domini, praemissa Confessione et Communione, — Indulgentia Plenaria.

Feria sexta in Parasceve
Sabbato Sancto
} Indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum.

Dominica Resurrectionis, praemissa Confessione et Communione, — Indulgentia Plenaria.

Feria secunda, Feria tertia, Feria quarta, Feria quinta, Feria sexta post Pascha . . . . Sabbato in Albis . . . . Dominica in Albis . . . . Die 25 Apr., in festo S. Marci Evang. Feria secunda, Feria tertia, Feria quarta Rogationum	Indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum.

In die Ascensionis D. N. Iesu Christi, praemissa Confessione et Communione, — Indulgentia Plenaria.

In Vigilia Pentecostes — Indulgentia decem annorum totidemque quadragenarum.

In Dominica Pentecostes . . . . . . Feria secunda et tertia . . . . Feria quarta . . . (Quatuor Temp.) Feria quinta. . . . . Feria sexta . . . , Sabbato . . . . . (Quatuor Temp.)	Indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum.
Feria quarta, sexta et in Sabbato Quat. Temp. mensis Septembris. . . . . In Dominica I. Adventus . . . . . . In Dominica II. Adventus	Indulgentia decem annorum totidemque quadragenarum.

Dominica III. Adventus — Indulgentia quindecim annorum totidemque quadragenarum.

Feria quarta, sexta et in Sabbato Quat. Temp. mensis Decembris . . . . . Dominica IV. Adventus.	Indulgentia decem annorum totidemque quadragenarum.
In Vigilia Nativitatis D. N. I. Christi Die Natali D. N. I. Christi ad primam Missam in nocte . . . . Ad secundam Missam in aurora . .	Indulgentia quindecim annorum totidemque quadragenarum.

Ad tertiam Missam, et eadem reliqua die, praemissa Confessione et Communione, — Indulgentia Plenaria.

In festo S. Stephani Protomartyris . — S. Ioannis Apost. et Evang. — SS. Innocentium Martyrum.	Indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum.

PRIVILEGIA.

Omnes Confratres et Consorores Confraternitatis septem Dolorum B. Mariae Virginis etiam Regulares utriusque sexus cuiuscumque Ordinis, qui ob infirmitatem, vel aliud legitimum et grave impedimentum nequeant Ecclesiam Confraternitatis visitare, possunt Indulgentias omnes lucrari, dummodo visitatio de qua supra a respectivo Confessario in aliud pium opus commutetur (*Clemens Papa XIII. per Decretum S. Congregat. Indulgent. 17 Augusti 1762*).

Omnes Confratres et Consorores supradictae Confraternitatis in locis in quibus nulla adest Ecclesia Ordinis Servorum B. Mariae Virginis neque Confraternitatis septem Dolorum, acquirere possunt omnes Indulgentias dicti Ordinis Ecclesiis adnexas, visitando respectivam Ecclesiam Parochialem (*Decretum S. Congregat. Indulgentiarum in una Monasteriensis De Scapularibus die 27 Aprilis 1887*).

Omnes praefatae Indulgentiae Confratribus et Consororibus concessae, sunt applicabiles per modum suffragii animabus Fidelium Defunctorum (*Innocentius PP. XI. per Breve Commissae Nobis 1 Septembris 1681*).

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, facto verbo cum Sanctissimo, praefatum Summarium nunc primum ex diversis concessionibus excerptum, imprimi ac publicari posse permisit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congreg. die 7 Martii 1888.

S. Card. VANNUTELLI, Praefectus.

L. ✠ S.

† Alexander Episcopus Oensis, *Secretarius*.

IV.

Summarium Indulgentiarum omnibus utriusque sexus Christifidelibus visitantibus Ecclesias Ordinis Servorum B. M. V. concessarum.

INDULGENTIÆ PLENARIÆ.

I. A primis Vesperis usque ad occasum solis omnibus qui vere poenitentes, confessi, ac S. Communione refecti, Ordinis Ecclesiam visitaverint in una ex solemnitatibus D. N. Iesu Christi, et in duabus ex septem festivitatibus B. Mariae Virg. a Superioribus localibus semel tantum eligendis, et in festivitate septem Dolorum nuncupata, Dominica tertia mensis Septembris celebrari solita, etiamsi illa in aliam diem canonice transferri contingat, dummodo tamen septies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam aut Vesperas Defunctorum recitent, atque preces Deo effundant pro S. Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, haereticorum et infidelium conversione, ac inter christianos Principes concilianda et fovenda pace, concordia et unione, ac pro tempore existentis Romani Pontificis salute; et quoad ultimam dictam festivitatem apud Altare seu Capellam septem Dolorum B. M. V. nuncupatae etiam devote orent (*Clemens XII. Unigeniti Filii Dei, 19 Decembris 1734*).

Quae tamen Indulgentia, caeteris supradictis adimpletis conditionibus, lucrifieri potest a Christifidelibus vel visitantibus aliquam Ecclesiam Ordinis, vel etiam solemniorem supplicationem comitantibus, quae in praefata festivitate locum habet in Ecclesiis Ordinis (*Benedictus XIV. Decreto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae diei 3 Augusti 1748*).

Dies vero quibus Indulgentiae supradictae acquiri possunt erunt in posterum, quoad primam, solemnitas Paschatis Resurrectionis, quoad alteras, festa Assumptionis et Nativitatis B. Mariae Virg. (Haec designatio facta fuit a Rmo P. Generali approbante S. C. I. Rescripto diei 15 Martii 1884).

II. Eisdem utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, et confessi ac S. Communione refecti, Orationi quadraginta horarum continuatarum, non autem interpolatarum, de locorum Ordinariorum licentia, in qualibet ex dictis Ecclesiis semel in anno tantum instituendae, per aliquod temporis spatium devote interfuerint, et pias ad Deum preces effuderint (*Item Clemens XII. loco cit.*).

III. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac S. Communione refectis, qui aliquam Ecclesiam Ordinis, etiam Monialium, in uno ex septem diebus ante vel post festum B. Mariae Virg. septem Dolorum diversis tamen temporibus pro commoditate locorum celebrari so

litum, a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, singulis annis, devote visitaverint et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die ex praedictis, ad sui libitum eligendo, praescripta adimpleverint *(Benedictus XIV. In supremo, die 6 Septembris 1745).*

IV. Omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, ac S. Communione refectis, qui aliquam Ordinis Ecclesiam in una tantum festivitate, vel die cuiuslibet anni in singulis Ecclesiis huiusmodi per respectivum illarum Superiorem Provincialem designanda, devote visitaverint, ibique iuxta mentem Summi Pontificis pie oraverint. Insuper in una tantum festivitate vel die cuiuslibet anni uti supra, in singulis Ecclesiis Ordinis, Prior cuiuslibet Conventus, extra Urbem tantum, vel alius Sacerdos per dictum respectivum Superiorem Provincialem pariter eligendus, Benedictionem nomine Summi Pontificis impertire poterunt Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, ac S. Communione refectis, et orantibus per aliquod temporis spatium iuxta mentem Summi Pontificis *(Benedictus XIV. Decreto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae diei 12 Aprilis 1747).*

Dies designata visitationi Ecclesiae ad acquirendam hanc Indulgentiam erit in posterum Festum SSmi Corporis Christi. Quoad vero Benedictionem Papalem, servetur consuetudo cuiuslibet Conventus (Haec designatio facta fuit a Rmo P. Generali approbante S. C. I. Rescripto 15 Martii 1884).

V. Omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac S. Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis tam Fratrum quam Monialium dicti Ordinis, die 23 Augusti in festo S. Philippi Benitii a primis Vesperis usque ad occasum solis festivitatis huiusmodi devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint (*Clemens X. Redemptoris et Domini, 4 Iulii 1673).*

VI. Omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, ac S. Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Conventuum tam Fratrum quam Monasteriorum Monialium Ordinis, die festo S. Peregrini Latiosi (quod celebratur die 30 Aprilis) a primis Vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint *(Benedictus XIII. Redemptoris et Domini, die 30 Septembris 1727).*

VII. Omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, ac S. Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcumque Conventuum tam Fratrum quam Monasteriorum Monialium Ordinis, die festo S. Iulianae Falconeriae (quod celebratur die 19 Iunii) a primis Vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint *(Clemens XII. Redemptoris et Domini, die 3 Iulii 1737).*

VIII. Omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac S. Communione refectis, qui Expositioni SS.mi Eucharistiae Sacramenti de licentia Ordinariorum respective locorum in Ecclesiis Fratrum Ordinis Servorum B. Mariae Virginis ubicumque existentibus feria sexta vel alia die, cuiuslibet hebdomadae, per eosdem Ordinarios, prout opportunitas locorum id exigere contigerit, etiam respective, semel tantum designanda in honorem septem Dolorum B. Mariae Virg. ac in memoriam Passionis Iesu Christi D. N. fieri solitae, seu faciendae per aliquod temporis spatium devote interfuerint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam semel dumtaxat quolibet mense in una ex feriis sextis, seu diebus supradictis per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligenda lucrifaciendam *(Clemens Pp. XIII. Ad augendam fidelium religionem, 30 Decembris 1762).*

IX. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, ac S. Communione refectis, qui aliquam ex praefatis Ecclesiis in feria sexta post Dominicam Passionis devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium uti supra oraverint. *(Pius Pp. VI, Brevi, 8 Iulii 1785).*

X. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, ac S. Communione refectis, qui aliquam ex supradictis Ecclesiis semel in anno, die ab Ordinario loci eligenda, devote visitaverint, et uti supra oraverint *(Item Pius VI. loco cit).*

Dies electa ad Indulgentiam consequendam, est solemnitas Ascensionis D. N. Iesu Christi (S. C. I. 30 Aprilis 1888).

XI. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, ac S. Communione refectis, die ab Ordinario loci eligenda, qua solemne anniversarium defunctorum Confratrum et Consororum Confraternitatis septem Dolorum B. Mariae Virginis celebratur, Ecclesiam Ordinis devote visitaverint *(Item. Pius VI. loco cit.).*

Dies anniversaria pro Commemoratione defunctorum Confratrum et Consororum, est (Bononia excepta) prima dies ferialis immediate sequens Commemorationem omnium Fidelium Defunctorum. Bononiae vero dies octava omnium Fidelium Defunctorum.

XII. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, ac S. Communione refectis, prima et ultima die Novemdialium Natalis D. N. Iesu Christi dummodo in Ecclesiis Ordinis dictis Novemdialibus precibus devote interfuerint *(Item Pius VI. loco cit.).*

XIII. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus, vere poenitentibus, confessis, ac S. Communione refectis, qui aliquam Ecclesiam Ordinis etiam Monialium, vel Ecclesiam sive Tertii Ordinis, sive Confraternitatis septem Dolorum in solemnitate Dolorosae Matris Ordinis Fundatricis et Patronae, Dominica tertia Septembris celebranda *toties quoties* visitaverint, ibique ad mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces aliquo temporis spatio pie effuderint, applicabilis etiam Animabus in Purgatorio detentis (*Leo XIII. Rescripto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae diei 27 Ianuarii 1888*).

XIV. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, ac S. Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis tam Fratrum, quam Monialium dicti Ordinis die 11 Februarii in festo septem Sanctorum Fundatorum, a primis Vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, devote visitaverint, ibique ad mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium, pie oraverint (*Leo XIII. Rescript. S. Congreg. Indulg. 7 Martii 1888*).

INDULGENTIAE PARTIALES.

I. Indulgentia quinquaginta dierum Christifidelibus, qui saltem contriti Ecclesias Ordinis quocumque anni die devote visitaverint, inibique saltem Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam pro Christifidelibus tam viventibus, quam in Christi charitate defunctis per modum suffragii semel recitaverint (*Clemens XII. Brevi Unigeniti Filii Dei, 19 Decembris 1734*).

II. Indulgentia centum dierum iis, qui horis canonicis in Ecclesiis Ordinis huiusmodi decantandis, seu recitandis, et qui antiphonae *Salve Regina* inibi pariter singulis anni diebus decantari, seu recitari solitae, respective devote interfuerint et pro S. Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, haereticorum et infidelium conversione, ac inter christianos Principes concilianda et fovenda pace, concordia et unione, ac pro temporis existentis Romani Pontificis salute, pias ad Deum preces effuderint (*Item Clemens XII. loco cit.*)

III. Indulgentia pariter centum dierum illis, qui Ecclesias Ordinis in earum Dedicationum respective diebus a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi devote visitaverint. (*Item Clemens XII. loco cit.*)

IV. Indulgentia centum dierum illis, qui vere poenitentes, confessi, singulis Sabbati diebus respective devote visitaverint et ibi, uti supra oraverint (*Item Clemens XII. loco cit.*)

V. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum omnibus ut supra, qui vere poenitentes, et confessi ac S. Communione refecti, a Dominica Septuagesimae usque ad Dominicam Palmarum inclusive, ac feria quarta et quinta maioris hebdomadae, et feria sexta in Parasceve, semel in unoquoque die, Ecclesias Ordinis visitaverint, ac septies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam recitaverint (*Item Clemens XII. loco cit.*).

VI. Indulgentia pariter septem annorum totidemque quadragenarum illis, qui vere poenitentes, et confessi ac S. Communione refecti, praefatas Ecclesias visitaverint singulis tertiis cuiuslibet mensis sextis feriis, exceptis illis quae intra Septuagesimae et Palmarum Dominicas huiusmodi inclusive occurrunt, inibique septies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam, sive Vesperas Defunctorum devote recitaverint (*Item Clemens XII. loco cit.*).

VII. Indulgentia similiter septem annorum totidemque quadragenarum illis, qui adimplentes omnia opera superius praescripta, Ordinis Ecclesias visitaverint diebus festis S. Joseph, S. Augustini, et omnium Sanctorum Ordinis, quorum festivitas celebratur Idibus Novembris (*Item Clemens XII. loco cit.*).

VIII. Indulgentia similiter septem annorum totidemque quadragenarum illis, qui Ordinis Ecclesias visitaverint a primis Vesperis usque ad occasum solis, diebus Inventionis et Exaltationis S. Crucis et in diebus totius Octavae respective dummodo adimpleverint omnia ut supra, atque aliquam eleemosynam impertiverint (*Item Clemens XII. loco cit.*).

IX. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum illis, qui vere poenitentes, confessi, ac S. Communione refecti, Ecclesias praedictas visitaverint in omnibus aliis festivitatibus D. N. Iesu Christi, et in reliquis quinque B. Mariae Virg. et per octo dies festivitatum eiusdem B. M. V. Dolorosae in Dominica tertia mensis Septembris celebrari solitam sequentes, etiamsi illa ad aliam diem canonice transferri contingat (*Item Clemens XII. loco cit.*).

X. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum illis, qui vere poenitentes, confessi, ac S. Communione refecti, Expositioni Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti de licentia Ordinarii respective locorum in Ecclesiis Fratrum Ordinis Servorum B. M. V. ubicumque existentibus, feria sexta vel alia die cuiuslibet hebdomadae per eosdem Ordinarios, prout opportunitas locorum exigere contigerit, etiam respective semel tantum designanda in honorem VII Dolorum B. Mariae V. ac in memoriam Passionis Iesu Christi D. N. fieri solitae, seu faciendae per aliquod temporis spatium devote interfuerint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac S. M. Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, singulis feriis sextis, seu diebus supradictis, ea excepta qua Plenariam fuerint consequuti, per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligenda. (*Clemens XIII. Ad augendam fidelium religionem, 20 Decembris 1762*).

XI. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum quolibet die lucranda precum Novemdialium Natalis Domini N. Iesu Christi ab iis, qui dictis precibus in Ecclesiis Ordinis peragendis corde saltem contrito ac devote interfuerint (*Pius Papa VI. Breve 8 Iulii 1785*).

XII. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum omnibus Christifidelibus quoties tempore primae Missae in Ecclesiis Ordinis publicae recitationi Coronae septem Dolorum B. Mariae Virg. devote interfuerint (*Gregorius Papa XVI. Rescript. S. Congreg. Indulg. 11 Iulii 1831*).

N. B. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus qui publice vel privatim per integrum mensem Septembris ad honorem Perdolentis Virginis, pia exercitia ex quocumque libello deprompta, qui de Doloribus eiusdem Virginis agat, et sit ex approbatis, peregerint, Indulgentia 300 dierum in quolibet die (*Pius IX. Brevi 3 Aprilis 1857, et Rescripto S. Congreg. Indulg. 26 Novembris 1876*); et Indulgentia Plenaria illis eisdem, qui quolibet die praefati mensis dictum exercitium, modo supra expresso, expleverint, semel in eodem mense, die eorum arbitrio eligendo, dummodo poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti, devote per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint ad mentem Sanctitatis Suae (*Leo XIII. Rescripto S. Congreg. Indulg. 27 Ianuarii 1888*).

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, facto verbo cum Sanctissimo, praefatum Summarium nunc primum ex diversis concessionibus excerptum imprimi ac publicari posse permisit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congr. die 7 Martii 1888.

S. Card. VANNUTELLI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† ALEXANDER Episcopus Oensis, *Secretarius*.

V.

Summarium Indulgentiarum Coronam septem Dolorum B. M. V. recitantibus concessarum.

Summi Pontifices Benedictus XIII Brev. Redemptoris Domini, *26 Septembris 1724; Clemens XII Brev.* Unigeniti Filii Dei, *12 Decembris 1734; et Pius IX Rescripto*

S. Congr. Indulg. 18 Iulii 1877, concesserunt, aut confirmarunt, omnibus Christifidelibus recitantibus Coronam VII Dolorum B. M. V. infrascriptas Indulgentias, prout in authentica collectione precum, piorumque operum, quibus recitandis seu peragendis Romani Pontifices Indulgentias adnexuerunt, Romae typis S. Congreg. de Propag. Fide 1898, reperiuntur.

I. *Indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum*, quando quis integram Coronam recitabit vel solus vel cum socio (*Bened. XIII*).

II. *Indulgentiam centum dierum* pro qualibet Oratione Dominica, et totidem pro qualibet Salutatione Angelica integram Coronam recitantibus (*Bened. XIII*).

III. *Indulgentiam ducentorum dierum* pro qualibet Oratione Dominica, et totidem pro qualibet Salutatione Angelica integram Coronam recitantibus in Ecclesiis Ordinis Servorum B. M. V., vel quovis alio loco, omnibus tamen feriis sextis, in Quadragesima, ac in festo et tota octava VII. Dolorum B. M. V., dummodo sint rite confessi, vel saltem verum propositum habeant confessionis peragendae (*Benedictus XIII*).

IV. *Indulgentiam ducentorum annorum* iis qui, peracto suae conscientiae examine et rite confessi, Coronam recitaverint et oraverint ad mentem Summi Pontificis (*Clem. XII*).

V. *Indulgentiam Plenariam semel in anno* die ad arbitrium eligenda, qua vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, Coronam devote recitaverint, dummodo piam consuetudinem habuerint quater in singulis hebdomadibus illam recitandi (*Clem. XII*).

VI. *Indulgentiam Plenariam semel in mense* die ad arbitrium eligenda, Coronam quotidie recitantibus per mensem, dummodo vere poenitentes ac confessi, et S. Communione refecti, preces effuderint ad mentem Summi Pontificis (*Clemens XII*).

VII. *Indulgentiam decem annorum* illis, qui, retinentes apud se aliquam ex dictis Coronis, eamque frequenter recitantes, vere poenitentes, confessi et S. Communione refecti, Missae sacrificio aut sacris Concionibus interfuerint, aut comitati fuerint SS.mum Sacramentum quando ad infirmos defertur, aut inimicos reconciliaverint, aut peccatores ad poenitentiam reduxerint, aut devote recitaverint septies Orationem Dominicam, et toties Salutationem Angelicam, aut aliquod misericordiae opus, spirituale sive temporale, egerint in honorem D. N. Iesu Christi, aut B. Mariae Virg., aut alicuius Sancti eorum Patroni (*Clem. XII*).

Christifideles, qui possident Coronam ab aliquo Religioso Ordinis Servorum B. M. V. benedictam, possunt insuper lucrari sequentes Indulgentias:

VIII. *Indulgentiam centum annorum* quoties, rite confessi aut firmum propositum confessionis peragendae habentes, illam recitaverint (*Clem. XII*).

IX. *Indulgentiam centum quinquaginta annorum* quoties rite confessi illam secum detulerint et recitaverint feriis secunda, quarta et sexta, ac diebus festis de praecepto (*Clemens XII*).

VI.

Kalendarium SS. et BB. referens dies in quibus Fratres, Moniales et Tertiarii Ordinis Servorum B. Mariae V. et adscripti Confraternitati septem Dolorum B. M. V. Indulgentias lucrari possunt.

IANUARIUS.

1. Circumcisionis D. N. Iesu Christi. *Indulgentiae Stationum Urbis tum pro Fratribus, Monialibus et Tertiariis, tum pro adscriptis Confraternitati.* – S. Bonfilii Monaldi primi ex septem SS. Fundatoribus Ordinis Nostri.

6. Epiphaniae Domini. *Indulgentiae Stationum Urbis.*

14. Anniversarium pro parentibus Fratrum et Monialium Ordinis Nostri.

17. Dedicationis Nostrae Basilicae SS. Annuntiatae de Florentia. *Indulgentia centum dierum, et insuper Indulgentia plenaria pro omnibus Christifidelibus hanc Basilicam visitantibus a primis Vesperis usque ad occasum solis huius diei.*

FEBRUARIUS.

2. Purificationis B. M. V. *Indulgentia plenaria pro Fratribus, Monialibus et Tertiariis.*

10 Vigilia septem SS. PP. Ordinis Nostri Fundatorum. *Ieiunium pro Fratribus, Monialibus et Tertiariis. Indulgentia plenaria pro omnibus Christifidelibus visitantibus Ecclesias Ordinis a primis Vesperis usque ad occasum solis diei sequentis.*

11. Solemnitas SS. septem PP. Fundatorum Ordinis Nostri. *Benedictio pro Fratribus, Monialibus et Tertiariis cum Indulgentia plenaria.*

19. B. Elisabeth Picenardi Virginis Tertii Ordinis Nostri.

27. S. Alexii Falconieri unius ex septem SS. Fundatoribus Ordinis Nostri.

Dominica Septuagesimae. }
» Sexagesimae. } *Indulgentiae Stationum Urbis.*
» Quinquagesimae. }

Feria quarta Cinerum et omnibus diebus usque ad Dominicam in Albis. *Indulgentiae Stationum Urbis.*

MARTIUS.

19. S. Ioseph Sponsi B. Mariae Virginis, totius Ecclesiae Patroni et Compatroni Ordinis Nostri. *Indulgentia plenaria pro Tertiariis; septem annorum et totidem quadragenarum pro visitantibus Ecclesias Ordinis.*

25. Annuntiationis B. M. V. *Indulgentia plenaria pro Fratribus, Monialibus et Tertiariis; septem annorum et totidem quadragenarum pro adscriptis Confraternitati.*

Feria sexta Passionis. Commemoratio septem Dolorum B. Mariae Virginis. *Indulgentia plenaria pro Fratribus, Monialibus et Tertiariis.*

Dominica Passionis. *Indulgentia plenaria pro adscriptis Confraternitati.*

APRILIS.

9. B. Ubaldi Adimari Confessoris Ordinis Nostri.

16. B. Ioachimi Piccolomini Confessoris Ordinis Nostri.

18. S. Amidei de Amideis unius ex septem SS. PP. Fundatoribus Ordinis Nostri.

25. Rogationes Maiores. *Indulgentiae Stationum Urbis.*

30. S. Peregrini Latiosi Confessoris Ordinis Nostri. *Indulgentia plenaria pro omnibus Christifidelibus a primis Vesperis usque ad occasum solis huius diei.*

Feria sexta in Parasceve. *Devote peragentes pium opus vulgo* « Ora di Maria Desolata ». *Indulgentiam plenariam consequuntur.*

Sabbato Sancto. *In Ecclesiis Ordinis Nostri sub sero be-*

nedicuntur flores, et Corona imponitur imagini B. M. V. Dolorosae.

Dominica Resurrectionis. *Benedictio cum Indulgentia plenaria. Haec est solemnitas adsignata ad Indulgentiam plenariam acquirendam ab iis qui Ecclesias Ordinis visitaverint in una ex solemnitatibus D. N. I. C. Vide Summarium IV. n. I. Pariter Indulgentia plenaria pro omnibus Christifidelibus a primis Vesperis usque ad occasum solis huius diei.*

Dominica secunda post Pascha. Dedicatio N. Ecclesiae Montis Senarii. *Indulgentia centum dierum pro visitantibus hanc Ecclesiam.*

Dominica tertia post Pascha. Festum Patrocinii S. Ioseph, Ordinis Compatroni.

MAIUS.

3. SS. Sostenei Sostegni et Uguccionis Uguccioni, duorum ex septem SS. PP. Fundatoribus Ordinis Nostri. Inventio S. Crucis. *Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum pro visitantibus Ecclesias Ordinis.*

28. B. Iacobi Philippi Bertoni Confessoris Ordinis Nostri.

Rogationes Minores. Feria secunda, tertia et quarta. *Indulgentiae Stationum Urbis.*

Feria quinta. Solemnitas Ascensionis Domini. *Indulgentiae Stationum Urbis. Insuper Indulgentia plenaria pro visitantibus Ecclesias Ordinis. Vide Summarium IV. n. X.*

Vigilia Pentecostes. *Indulgentiae Stationum Urbis.*

Dominica Pentecostes. *Benedictio Fratribus, Monialibus et Tertiariis cum Indulgentia plenaria, et Indulgentiae Stationum Urbis quotidie usque ad sequens sabbatum.*

Feriis IV, VI. et Sabbato Quatuor Temporum. *Indulgentia Stationum Urbis.*

IUNIUS.

8. B. Francisci Patrizi Confessoris Ordinis Nostri.

18. Vigilia S. Iulianae Falconieri. *Ieiunium pro Monialibus et Tertiariis. Indulgentia plenaria pro omnibus Christifidelibus a primis Vesperis usque ad occasum solis diei sequentis.*

19. Festum S. Iulianae Falconieri Virginis Fundatricis Monialium Mantellatarum. *Benedictio cum Indulgentia plenaria pro Tertiariis.*

20. B. Benincasae Confessoris Ordinis Nostri.

Solemnitas SS. Corporis Christi. *Indulgentia plenaria pro Tertiariis. Haec est insuper solemnitas adsignata pro acquirenda Indulgentia plenaria a visitantibus aliquam Ecclesiam Ordinis in una tantum festivitate, vel die cuiuslibet anni. Vide Summarium IV. n. IV.*

IULIUS.

1. Vigilia Visitationis B. M. V. *Ieiunium pro Fratribus et Monialibus.*

2. Visitationis B. M. V. *Indulgentia plenaria pro Fratribus et Monialibus a primis Vesperis usque ad occasum solis huius diei.*

21. B. Thomae Corsini, Confessoris Ordinis Nostri.

AUGUSTUS.

Dominica prima. Festum Apparitionis B. Virginis in Monte Berico prope Vicentiam.

14. Vigilia Assumptionis B. M. V. *Ieiunium. Indulgentia plenaria pro omnibus Christifidelibus a primis Vesperis usque ad occasum solis diei sequentis.*

15. Assumptionis B. Mariae Virginis. *Indulgentia plenaria pro Fratribus, Monialibus et Tertiariis. Haec est insuper prima solemnitas adsignata ad Indulgentiam plenariam acquirendam ab iis qui Ecclesias Ordinis in duabus ex septem solemnitatibus B. M. V. visitaverint. Vide Summarium IV. n. I.*

20. S. Manetti Antellensis, unius ex septem Sanctis Fundatoribus Ordinis Nostri.

22. Vigilia S. P. N. Philippi Benitii. *Ieiunium pro Fratribus, et Monialibus. Indulgentia plenaria pro omnibus Christifidelibus visitantibus Ecclesias Ordinis. Ante Vesperas benedicitur aqua in honorem S. Philippi.*

23. Solemnitas Sancti Patris Nostri Philippi Benitii, Inclyti Propagatoris Ordinis Nostri. *Benedictio cum Indulgentia plenaria pro Fratribus, Monialibus et Tertiariis. Ante Missam benedicuntur panes pro infirmis.*

28. S. Augustini Episcopi, Doctoris et Legislatoris Nostri. *Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum pro visitantibus Ecclesias Ordinis.*

31. S. Bonaiunctae Manetti unius ex septem Sanctis Fundatoribus Ordinis Nostri.

SEPTEMBER.

1. B. Ioannae Soderini Virginis Tertiariae Ordinis Nostri.

3. B. Andreae Dotti Confessoris Ordinis Nostri.

7. Vigilia Nativitatis B. M. V. *Ieiunium pro Fratribus et Monialibus. Indulgentia plenaria pro omnibus Christifidelibus a primis Vesperis usque ad occasum solis diei sequentis.*

8. Nativitatis B. Mariae Virginis. *Haec est secunda solemnitas adsignata ad Indulgentiam plenariam acquirendam ab iis qui Ecclesias Ordinis in duabus ex septem solemnitatibus B. M. V. visitaverint. Vide Summarium IV. n. I.*

Sabbato ante Dominicam tertiam. Vigilia septem Dolorum B. Mariae Virginis. *Ieiunium pro Fratribus, Monialibus et Tertiariis.*

Dominica tertia. Solemnitas septem Dolorum B. Mariae Virginis coelestis Fundatricis et Principalis Patronae Ordinis Nostri. *Benedictio cum Indulgentia plenaria pro Fratribus, Monialibus et Tertiariis.*

Indulgentia plenaria TOTIES QUOTIES *ad instar Portiunculae, a media nocte ad mediam noctem, quae Indulgentia, translata solemnitate, pariter transfertur. (S. Congreg. Indulg. 2 Iulii 1902). Pariter Indulgentia plenaria pro omnibus Fidelibus a primis Vesperis usque ad occasum solis huius diei quam lucrari etiam possunt septenario vel praecedenti vel sequenti. Insuper Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, singulis diebus pro visitantibus Ecclesias Ordinis septenario hanc solemnitatem sequenti.*

Feriis IV, VI. et Sabbato Quatuor Temporum *Indulgentia Stationum Urbis.*

14. Exaltatio S. Crucis. *Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum pro visitantibus Ecclesias Ordinis.*

17. Anniversarium omnium Benefactorum defunctorum Ordinis Nostri.

26. Translatio Corporis Sancti Patris Nostri Philippi Benitii quod asservatur Tuderti.

OCTOBER.

7. B. Iacobi Eleemosynarii, Tertiarii Ordinis Nostri.

Dominica secunda. Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis Nostri.

25. B. Ioannis Angeli Porro, Confessoris Ordinis Nostri.

NOVEMBER.

Prima die feriali post Commemorationem omnium Fidelium defunctorum, Anniversarium Confratrum et Consororum Sodalitati septem Dolorum B. M. V. adscriptorum. *Indulgentia plenaria pro adscriptis eidem Confraternitati.*

Dominica infra octavam omnium Sanctorum. Festum Sanctorum quorum Reliquiae in Ecclesiis Ordinis Nostri asservantur.

13. Festum omnium Sanctorum et Beatorum Ordinis Nostri.

14. Commemoratio omnium Fratrum et Sororum Ordinis Nostri defunctorum.

21. Praesentationis B. M. V. *Indulgentia plenaria pro Fratribus et Monialibus. Insuper Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum pro visitantibus Ecclesias Ordinis.*

DECEMBER.

Dominica Prima, Secunda, Tertia et Quarta Adventus. *Indulgentiae Stationum Urbis.*

7. Vigilia Immaculatae Conceptionis B. M. V. *Ieiunium pro Fratribus et Monialibus.*

8. Solemnitas Conceptionis Immaculatae B. Mariae Virginis. *Indulgentia plenaria pro Tertiariis.*

12. B. Hieronymi Ranutii, Confessoris Ordinis Nostri.

14. B. Bonaventurae Bonaccorsi, Confessoris Ordinis Nostri.

Feriis IV, VI. et Sabbato Quatuor Temporum, *Indulgentiae Stationum Urbis.*

25. Solemnitas Nativitatis Domini: *In prima, secunda et tertia Missa Indulgentiae Stationum Urbis. Benedictio cum Indulgentia plenaria pro Fratribus, Monialibus et Tertiariis Ordinis Nostri.*

26. S. Stephani Protomartyris. *Indulgentiae Stationum Urbis.*

27. Sancti Ioannis Evangelistae. *Indulgentiae Stationum Urbis.*

28. Sanctorum Innocentium. *Indulgentiae Stationum Urbis.*

Semel in mense die ad arbitrium eligendo, praevia recitatione sex Pater, Ave *et* Gloria, *secundum mentem Summi Pontificis, Tertiarii lucrari possunt Indulgentias Stationum Urbis, Portiunculae, Locorum Sanctorum et Sancti Iacobi de Compostella.*

VII.

Appendix prima.

1. Stabat Mater.

Pie recitantibus Hymnum *Stabat Mater*, Innocentius XI Indulgentiam *100 dierum* largitus est, pro qualibet vice, quam Pius IX die 18 Iunii 1876 confirmavit.

2. Stationes viae Matris Dolorosae.

a). Gregorius XVI, die 13 Iulii 1837 fidelibus tum publice tum private, has stationes canonice erectas, visitantibus, Indulgentiam *septem annorum* totidemque *quadragenarum* semel in die concessit. Quam Indulgentiam Leo XIII, die 28 Iulii 1898 confirmavit.

b). *Indulgentia plenaria* die eligendo ab ipsis visitantibus Stationes supradictas si tamen eas septem diversis diebus visitaverint. Conditiones autem sunt: confessio, communio et oratio ad mentem Summi Pontificis.

Nonnulla alia pietatis exercitia in honorem B. Mariae Virginis Perdolentis Indulgentiis ditata, habentur in « *Raccolta di orazioni e pie opere indulgenziate, pp. 312 seqq.* » Romae. Tipogr. Poliglotta. 1898.

Appendix altera.

PRIVILEGIA PERPETUA

quibusdam ecclesiis Ordinis Servorum Mariae a Sancta Sede Apostolica concessa.

I. Ecclesiae S. Mariae Gratiarum de Pisauro.

Pius VI. P. M. *per Decretum S. R. C. 7 Iunii 1794*, indulsit ut in iis diebus in quibus, occurrente aliqua gravi necessitate, Imago B. M. V. titulo Gratiarum Pisauri in ecclesia Ordinis Servorum Mariae existens publice fidelium venerationi detecta maneat, possit in ipsa ecclesia celebrari una Missa votiva cum cantu de B. Virgine Maria, nec non in Missis privatis fieri commemoratio de eadem B. M. V., dummodo non occurrat duplex primae, vel secundae classis.

II. Ecclesiae S. Mariae Servorum Senarum.

Gregorius XVI. P. M. *per Decretum S. R. C. 11 Aprilis 1834, indulsit ut* quotannis, Dominica infra Octavam Ascensionis D. N. I. C. *in ecclesia S. Mariae Servorum Senarum* celebrari valeat unica Missa solemnis in honorem Beati Francisci Patrizi, dummodo non occurrat duplex primae classis.

III. Ecclesiae S. Mariae Montis Berici Dioec. Vicentinae.

Leo XIII. P. M. *per Decretum S. R. C. 13 Maii 1880, indulsit ut* quilibet Sacerdos in Sanctuario seu ecclesia B. M. V. de Monte Berico sacrum facturus, Missam de B. M. V. votivam de tempore celebrare valeat cunctis per annum diebus, exceptis tamen duplicibus primae et secundae classis, quocumque Deiparae Festo, nec non Dominicis, Feriis, Vigiliis et Octavis privilegiatis.

IV. Ecclesiae B. M. V. Thaumaturgae *Waldrast.* Dioec. Brixinensis.

Leo XIII. P. M. *per Decretum S. R. C. 30 Augusti 1883, indulsit ut* Sacerdotes ex longinquis etiam regionibus ad ecclesiam sub titulo B. M. V. Thaumaturgae in loco vulgo Waldrast intra limites Dioeceseos Brixinensis peregrinantes, primo et altero commorationis die Missam votivam B. M. V. de tempore ibidem celebrare valeant, dummodo non occurrat duplex tum primae tum secundae classis, vel aliquod Deiparae Festum, aut Festum de praecepto servandum, nec non Feria, Vigilia vel Octava, quae sit ex privilegiatis.

V. Eidem ecclesiae.

Leo XIII. P. M. *per Decretum S. R. C. 9 Septembris 1883, indulsit ut* tribus primis Sabbatis mensis Octobris occasione peculiaris extrinsecae festivitatis, quae in ecclesia sub titulo B. M. V. loci vulgo Waldrast intra fines Dioeceseos Brixinensis celebratur, Sacerdotibus advenis Missam B. M. V. votivam de tempore celebrare, et, ob magnum fidelium concursum, etiam Missam solemnem votivam Deiparae cum *Gloria* et *Credo* decantare liceat, dummodo non occurrat duplex primae classis, vel aliquod Deiparae Festum quoad Missam solemnem, et duplex etiam secundae classis quoad lectas.

VI. Ecclesiae B. M. V. *Weissenstein* Dioec. Tridentinae.

Leo XIII. P. M. *per Decretum S. R. C. 14 Februarii 1884, indulsit ut* in ecclesia sub titulo B. M. V. vulgo Weissenstein sita intra fines Dioec. Tridentinae, a Sacerdotibus, qui illuc devotionis causa peregrinantur, Missa

eiusdem B. M. V. votiva de tempore celebrari valeat, tribus tantum hebdomadae diebus, dummodo non occurrat duplex primae vel secundae classis, aut aliquod Deiparae Festum, Festum de praecepto servandum, nec non Feria, Vigilia vel Octava privilegiata.

VII. Ecclesiis Provinciae Tyrolensis.

Leo XIII. P. M. *per Decretum S. R. C. 3 Iulii 1884, indulsit ut* in ecclesiis Ordinis Servorum B. M. V. Provinciae Tyrolensis qualibet tertia cuiusque mensis Dominica unica Missa votiva de septem Doloribus B. M. V. cum *Gloria* et *Credo* cantari valeat, dummodo non occurrat duplex primae classis vel Dominica privilegiata itidem primae classis, aut aliquod eiusdem Deiparae Festum, nec omittatur Missa conventualis Officio diei respondens.

VIII. Basilicae Sanctissimae Annuntiatae de Florentia.

Leo XIII. P. M. *per litteras in forma Brevis sub die 11 Maii 1886, indulsit ut* in Basilica Sanctissimae Annuntiatae de Florentia ad aram eiusdem Virginis ab Angelo salutatae, Missa B. M. V. votiva de tempore celebrari queat, dummodo non occurrat duplex primae vel secundae classis, aut aliquod Deiparae Festum, Festum de praecepto servandum, nec non Feria, Vigilia vel Octava quae sit ex privilegiatis, et dummodo color Officii occurrentis sit albus. Idem Leo XIII. P. M. *per Decretum S. R. C. 14 Martii 1903, indulsit ut* Missa votiva de tempore diebus de quibus supra, celebrari possit nedum ad altare B. M. V. ab Angelo Deiparae salutatae, verum etiam ad alia duo altaria semel ac fixe designanda in eadem ecclesia, licet color diei non sit albus.

IX. Ecclesiae sacri Conventus Montis Senarii Archidioec. Florentinae.

Leo XIII. P. M. *per Decretum S. R. C. 11 Martii 1899, indulsit:*

a) ut cuilibet Sacerdoti ad ecclesiam sacri Conventus Montis Senarii peregrinanti, vel peregrinorum duci, ad altare in quo sanctorum Fundatorum corpora asservantur Sacrum facturo Missam de eorumdem Festo liceat more votivo cebrare;

b) ut occasione quoque vestitionis vel professionis alicuius ex alumnis Ordinis Servorum Mariae hoc privilegio uti liceat, exceptis tamen, in utroque casu, duplicibus primae vel secundae classis, Dominicis, Feriis, Vigiliis privilegiatis, et Festis de praecepto.

ROMANAE INSTITUTIONES

Casus Liturgicus propositus et solutus Romae, in Academia Liturgica.

VII.

De die octava festorum Domini et festi secundarii.

Die 22 Aprilis 1903, hora 4 1/4 a meridie.

In Dioecesi P. ex peculiari indulto Festum Patrocinii S. Ioseph, Dom. III post Pascha, sub ritu dup. I. cl. cum octava, recolitur. Nunc autem saepe accidit, ut octava dies eiusdem Patrocinii occurrat et concurrat cum aliquo duplici minori vel maiori, sed tamen primario. Hinc quaestio, num duplex istud primarium praevalere iuxta rubricas debeat diei octavae Patrocinii utpote secundariae. Similiter dies octava Dedicationis Ecclesiae Cathedralis agitur die 14 Decembris, dum die 13 ritu maiori celebratur S. Lucia, et S. Albina sub eodem ritu die 16 eiusdem mensis. Eapropter concurrente die octava Dedicationis cum die octava Immaculatae, illa huic cedere videtur integras Vesperas, quod sit Festum solemnius quidem sed locale: dum interim concurrente eodem die octava Dedicationis cum praecedenti S. Lucia, haec certo certius anteferri debet. Ita pariter dies octava Immaculatae, quae Dedicationis diei octavae praevalet, Vesperas indubie cedit S. Albinae sequenti. *Quaeritur:*

1° *Utrum ex notione Festi* primarii *et* secundarii *liquido profluat ut habeantur quoque dies octavi primarii et secundarii, et num dies octava secundaria immutationem aliquam passa sit circa privilegia propria octavarum.?*

2° *Utrum dari possit in concursu casus, in quo Festum aliquod praevaleat duplici superioris ritus, simulque alteri cedat ritus inferioris?*

3° *Quomodo tam in occursu quam in concursu ordinari debeant officia dierum octavorum in utroque casu, uti expositum est.?*

SOLUTIO

In conventu Academiae habito die 22Aprilis 1903, super casu proposito disseruit R. D. Benedictus Aloisi-Masella, Alumnus e Collegio Capranicensi; atque Epitomem egit R. D. Calcedonius Mancini, Congr. Miss.

Ad 1.um. Nota est distinctio festorum inter primaria et secundaria, uti traditur in S. R. C. decreto 22 Augusti 1893 (1) Festa natalitia, vel quasi-natalitia, Sanctorum primaria dicuntur et sunt; alia festa, si quae habeantur eiusdem Sancti, secundaria vocantur. Itaque sicut S. Ioseph B. Mariae sponsus, festum primum natalitium habet die XIX Martii, hoc est eius festum primarium. Patrocinium autem eius, uti patet, est secundarium. In hoc nulla habetur controversia.

Quoniam vero hoc in regulis liturgicis principium ponitur quod dies octava alicuius festi naturam retinet festi ipsius, liquido profluit, quod si festum sit primarium, dies quoque octava primaria erit; si secundarium fuerit festum, secundaria quoque erit octava.

Hinc oritur quaestio: dies octava Patrocinii S. Ioseph, quae est officium duplex secundarium, si concurrat cum alio duplici minori, sed primario, cuius erunt Vesperae?

Leges concurrentiae, quae traduntur in reformatis Rubricis *Tit. XI, n. 7*, hae sunt: *Concurrente* die octava, *cum festo duplici Vesperae erunt vel de die octava, vel de duplici cum commemoratione alterius prouti de octavis inter se concurrentibus dictum est...* Scilicet: *Vesperae integrae fiunt* de festo potioris ritus, aut primario, aut digniore ratione personae. Cum ergo in casu duplex concurrens sit primarium, et dies octava sit secundaria, necessario vesperae erunt de duplici concurrente, cum commemoratione diei octavae.

In casu autem quo huiusmodi dies octava Patrocinii S. Ioseph *occurrat* simul cum duplici minori, primario vel cum duplici maiori quid erit agendum? Certo certius dies octava primaria in occurrentia praefertur duplici minori, imo et maiori; num et dies octava secundaria? In *Ephemeridibus Liturgicis*, anno 1902, pag. 449-553, hanc quaestionem fusius pertractavimus; ibique probavimus, iisdem iuribus gaudere in occurrentia tam dies octava primaria quam secundaria; quia etiam post distinctionem festorum in primaria et secundaria, immutata remansit Rubrica (*Tit. X, n. 2*) quae dicit: *Si in die octava alicuius festi habentis octavam occurrat aliquod festum duplex.... si non fuerit ex praedictis* (I aut II classis) *fiat de octava et festum transferatur*, etc.

Igitur ordo praelationis inter officia varia simul una die occurrentia, ex hac Rubrica servandus, sequens est: 1. dupl. I clas. 2. duplex II clas. 3. dies octava. 4. duplex maius 5. duplex minus, etc. Inter vero festa eiusdem ritus et ordinis, qualitas primarii praevalet, sicut et dignitas personalis in paritate.

Quapropter, cum in ordine praelationis dies octava (primaria vel secundaria) tertium locum occupet, et duplex maius quartum, dicendum est quod in occurrentia, dies octava Patrocinii S. Ioseph, etsi secundaria, praeferri debeat et duplici maiori, et duplici minori primario.

Ratio est, 1° quia dies octava in ordine concurrentiae constituit quodammodo ritum specialem inter duplicia II

(1) Cfr. Anal. Eccl. Vol. I p. 295, ubi habetur etiam egregium votum R.mi D.ni Caprara. *N. D.*

classis, quibus cedit, et duplicia maiora quibus praevalet. 2° Quia dies octava ex natura sua *intransferibilis* est, duplex vero maius transfertur.

Itaque ad I. Academia Liturgica recognovit *a*) dari dies octavos *primarios* et *secundarios* iuxta naturam festorum ad quae spectant; *b*) diem octavam primariam vel secundariam in novis Rubricis reformatis, nullam iacturam fecisse in occurrentiae iuribus circa privilegia propria dierum octavorum; c) diem vero octavam secundariam, in concurrentia, iuxta novas Rubricas non iisdem iuribus gaudere sicut dies octavi primarii; ipsa enim cedere debet vesperas in concursu cum duplici minori primario.

Ad 2.um. In casu proposito haec festa diebus continuis sibi concurrunt nempe:

Die 13. S. Lucia V. M. *dupl. mai.*

» 14. Octava Dedicationis Eccl. *dupl.*

» 15. Octava Immac. Concept. *dupl.*

» 16. S. Albinae V. *dupl. mai.*

Quomodo ordinabuntur Vesperae diebus 13 et 14?

Ante annum 1897, priusquam Rubricae emendarentur, procul dubio ita erant ordinandae.

Die 13... *In Vesp.* (S. Luciae) *comm. seq.* (oct. dedicat.) quia S. Lucia est dupl. mai. quod in concurrentia praeferebatur diei octavae non privilegiatae.

Die 14... *Vesp. seq.* (Oct. Imm. Conc.) com. *praec.* (Oct. dedic.), quia dies octavi B. M. V. praecedentia gaudebant in concursu cum duplicibus minoribus.

Die 15. *Vesp. de seq.* (S. Albinae) *com. praec.* (diei oct. Imm. Concept.), quia dies octavi festorum B. M. V. ex Rubrica 3 post tabellam concurrentiae, praeferentia non gaudebat super duplicia maiora.

Hodie vero res valde immutata est, post Rubricarum reformationem; etenim in notis ad Tabellam concurrentiae haec hodie leguntur ... *In primis Vesperis diei octavae ... Festorum primariorum Domini totum officium fit de octava cum commemoratione praecedentis Festi duplicis nisi fuerit... I aut II classis. In secundis Vesperis diei octavae Festorum Domini si primaria fuerint et solemniora... de sequenti duplici, si concurrat fit tantum commemoratio, nisi hoc fuerit I vel II classis.* Cum autem nunc Dedicatio Ecclesiae propriae declarata fuit esse *festum Domini* (S. R. C. *dec. n. 3881*), eius octava dies recensenda est inter illas quae in concursu praeferuntur duplicibus omnibus, quae I aut II classis non sint; ergo praecedit etiam duplicibus maioribus, uti explicite dicitur in Rubricis generalibus *(Tit. XI, n. 7)*. Quamobrem dictis diebus nunc vesperae sic erunt disponendae:

Die 13 ... *Vesp. de seq.* (diei oct. Dedicationis) *com. praec.* (S. Luciae) quia haec non est dupl. saltem II classis.

Die 14... *Vesp. de seq.* (diei oct. Imm, Conc.) *com. praec.* (diei oct. Dedic.) Propter duo, 1° quia est *duplex minus*; 2° quia Dedicatio, licet sit festum Domini, est tamen locale, et duplex 1. classis secundi ordinis; Immaculata vero Conceptio, utpote festum universale est duplex I classis primique ordinis.

Die 15... *Vesp. de seq.* (S. Albina) *com. praec.* (diei oct. Imm. Concept.) quia duplex maius praevalet huic octavae.

Ex qua Vesperarum ordinatione hoc exurgere videtur inconveniens, quod dies octava Dedicationis praevalens in concursu duplici maiori, cedit diei octavae Immaculatae Conceptionis, quae eidem duplici maiori non praevalet.

A. fortior est B., et B. fortior est C., ergo A. fortior est et C. In casu autem nostro e contra A. (oct. Dedic.) fortior est B. (dupl. mai.) et B. fortior et C. (oct. Imm. Conc.) nihilominus C. fortior est A. Quomodo ergo dari possit casus, quo minor superet maiorem?

Videtur ergo sicut hodie Rubricae disponunt, quod dari possit in concursu casus, in quo festum aliquod praevaleat duplici superioris ritus, simulque alteri cedat ritus inferioris (1).

(1) Hoc non obstante nos in nostra *Expositione Rubricarum*, Tit. XI, n. 7. probavimus, cum Gavanto quod dies octavae Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis et Corporis Christi, licet signentur cum ritu *duplici*, gaudent tamen toto iure, ritu *duplici maiore*. Cum autem Rubricae noviter reformatae, omnes dies octavi Festorum Domini eadem privilegia in concursu habeant, dies quoque octava Dedicationis Ecclesiae ritu pollet duplici maiori. Ergo in casu proposito die 14 Decembris vesperae erunt de die octava Dedicationis cum commemoratione diei octavae Immac. Conceptionis. Sic autem eliminatur omne inconveniens, et manet A. maior B., B. maior C. ergo A. maior C.

Ad IIIum. Academia sic ordinanda esse tenet officia dierum octavorum in utroque casu; scilicet:

1. Dies octava Patrocinii S. Ioseph, *in concursu* cedit concurrenti festo duplici minori primario, in *occursu* autem non cedit neque duplici minori, neque duplici maiori primario aut secundario.

2. Primae vesperae diei octavae Dedicationis praevalent praecedenti duplici maiori (S. Luciae); et secundae cedunt sequenti diei octavae Immac. Conceptionis; cuius tamen secundae vesperae cedere debent sequenti duplici maiori (S. Albinae) (1).

Doct. PETRUS PIACENZA.

(1) Vide quae diximus in nota praecedenti. Ex rationibus enim quas retulimus in loco ibi citato, dies octava Dedicationis revera est *duplex maius*, ergo praevalet diei octavae Immac. Conceptionis.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ
NE PEREANT

Juillet 1903

1 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Tacci-Porcelli, Evêque de Città della Pieve; — Mgr Novelli, Evêque de Colle di Val d'Elsa; — Mgr Scaccia, Evêque de Tivoli; — et Mgr Terroni, Evêque de Borgo S. Donnino.

2 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Fischer, Arch. de Cologne; — ainsi que le Comte et la Comtesse de Pesqueira.

3 Vendredi.

Le St-Père fait une promenade dans les jardins du Vatican. Au retour, il reçoit dans la Salle Clémentine le 8e Pèlerinage Hongrois, composé de 100 étudiants Hongrois appartenant alla Société de St-Louis de Gonzague de Budapest.

4 Samedi.

Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. François de Sales Della Volpe est nommé Préfet de l'Economat de la S. Cong. de la Propagande, et Président de l'Administration Générale de la Rév. Chambre des Dépouilles.

— Le St-Père suspend toutes ses audiences, pour prendre un repos absolu jusqu'à nouvel ordre.

5 Dimanche.

L'état de santé de Léon XIII s'aggrave subitement.

20 Lundi.

Après seize jours de maladie, Léon XIII s'endort dans le Seigneur. Dieu seul est grand... immortel!



In proximo fasciculo, colligentur Acta et Documenta praecipua, tum circa morbum et mortem Leonis XIII f. r., tum circa Congregationes E.morum Cardinalium, Novendiales, et Conclave, usque ad electionem futuri Summi Pontificis.

F. C.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister.
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Arch. Myren. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente*.

Roma, 1903. — Tip. Editr. Romana, via della Frezza, 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS UNDECIMUS

FASCICULUS OCTAVUS - AUGUSTUS 1903

Diarium Curiae Romanae

A die 3 Julii, in quo LEO PP XIII lethaliter decubuit, ad diem 9 Augusti, in quo SSmus Dnus N. PIUS P.P. X fuit solemniter in Basilica Vaticana coronatus; continens acta et documenta praecipua accurate digesta a Rmo Dno Felice Cadène, Ephemeridis moderatore.

Hocce *Diarium* lectoribus gratum iri putamus, ad perennandam tantorum eventuum, seu acerborum, seu faustorum, memoriam. Trifariam dispertitur, juxta seriem factorum : — I. De morbo et obitu LEONIS P.P. XIII ; — II. SEDE VACANTE ; — III. Ab electione ad coronationem Summi Pontificis PII P.P. X Haec omnia contractis verbis indigitantur, documentisque suis comprobantur.

(IN PROXIMO FASCICULO UNIENTUR MENSES SEPTEMBRIS ET OCTOBRIS)

De morbo et obitu Leonis P.P. XIII



Die 3 Iulii.

Leo XIII repentino corripitur morbo, audientiisque omnibus postpositis, de consilio Illmi Dni Lapponi, quo medico utebatur et amico, quieti cedit, lectoque recumbit.

*

Die 5 Iulii.

Ingravescente morbo, tota in trepidatione Urbs est ; hinc diurnae peritorum circa Pontificis valetudinem tabellae frequentiores eduntur, sollicitèque per totum Orbem circumferuntur. Illas omnes, iuxta ordinem, infra ponemus. Sitque :

Preoccupato delle condizioni del Santo Padre, il professor Lapponi stamane ha tenuto un consulto col prof. Mazzoni. Questi ha confermato la diagnosi già fatta dal collega di epatizzazione polmonare senile, approvando l'indirizzo curativo già istituito in conseguenza.

« Da questi beni vanno detratti quei già donati al Conte Riccardo, altro nostro nepote in occasione del suo matrimonio, giusta l'istrumento 13 febbraio 1886 in atti del Franchi. Egualmente dalla suddetta disposizione sono esenti tutti quei beni esistenti in Carpineto Romano, che sono proprietà della Santa Sede, secondo la dichiarazione contenuta nel nostro chirografo 8 febbraio 1900.

« In questa nostra testamentaria disposizione non abbiamo contemplato l'altro nepote Camillo e le due nepoti Anna e Maria — figlio e figlie del nostro fratello Giov. Battista. Ad essi abbiamo in vita convenientemente provveduto in occasione del loro matrimonio un decoroso mantenimento.

« Dichiariamo che nessuno di nostra famiglia potrà far valere diritto alcuno in tutto ciò che da Noi non è stato contemplato nel presente atto, perchè qualunque altro bene di qualsiasi natura è a Noi provenuto come investiti del Pontificato e conseguentemente è, ed in ogni modo vogliamo che sia di proprietà assoluta della Santa Sede.

« Affidiamo la esatta esecuzione di queste nostre disposizioni ai Cardinali

— Mariano Rampolla, Nostro Segretario di Stato;

— Mario Mocenni;

— Serafino Cretoni.

Queste dichiariamo essere le nostre ultime volontà.

Roma, Vaticano, questo dì 8 luglio 1900.

GIOACCHINO PECCI LEO PP. XIII.

Ho restituito alla prelodata Eminenza Sua il suddetto testamento che lo ha ritirato, restando con ciò chiuso il presente atto, il quale previa lettura e conferma è stato sottoscritto come appresso.

Firmati: LUIGI Card. OREGLIA DI S. STEFANO, Decano del S. Collegio e Camerlengo di S. Romana Chiesa.

RAFFAELE MERRY DEL VAL, Arcivescovo di Nicea, testimonio.

CARLO PATRIARCA, testimonio.

Così è — VINCENZO NUSSI, Decano dei Protonotarii Apostolici.

Per copia conforme alla prima copia autentica depositata nell'Archivio dei Protonotarii Apostolici che si ritorna a richiesta del Conte Ludovico Pecci.

Roma, questo dì 26 luglio 1903.

Firmato: VINCENZO NUSSI, Decano del Collegio dei Protonotarii Apostolici.

L. ✠ S.

Il testamento, contenuto in foglio di grande formato, è tutto scritto di proprio pugno da Sua Santità.

Il carattere, piccolo, nitidissimo, di una regolarità estrema (come del resto si è mantenuta sempre la scrittura di Leone XIII), non presenta la minima traccia di incertezza, e si potrebbe quasi scambiare a prima vista per una litografia, tanta è la precisione che presenta nell'insieme e nelle singole parti.

Il sigillo del rogito, in rosso, porta nel centro la figura del Papa San Clemente (che secondo il *Liber Pontificalis* istituì i Notarii della Chiesa Romana) con pallio ed àncora appesa al collo: nel contorno leggesi, in alto: *S. Clemens*, e quindi; *Collegium Protonotariorum Apost. Part.*

◆

Die 27 Iulii

— Quinto solemnia funebria celebrantur in Vaticana Basilica.

— In septima 52 E.morum Cardinalium Congregatione, fit sortitio cellarum pro Conclavi Exceptio fit pro nonnullis Patribus, adversa valetudine laborantibus.

— Magister Caeremoniarum intimationem vulgat circa exequias in Sixtino Sacello celebrandas :

INTIMATIO

per Cursores facienda, Domi dimisso exemplari.

Feria III^a die 28 Iulii 1903, hora decima matutina, in Sacello Sixtino, Palatii Apostolici Vaticani in exequiis pro anima s. m. Leonis XIII Missam cantabit E.mus et R.mus D. Card. Seraphim Vannutelli.

Post Missam fiet solemnis Absolutio circa castrum doloris cum assistentia E.morum et R.morum DD. Cardinalium :

Agliardi Antonii,
Vannutelli Vincentii,
Satolli Francisci,
Richard Francisci Mariae.

Feria IV^a die 29 Iulii eadem hora et in eodem Sacello Missam cantabit E.mus et R.mus D. Card. Georgius Kopp et in solemni Absolutione assistent E.mi et R.mi DD. Cardinales :

Goossens Petrus Lambertus,
Gruscha Antonius Iosephus,
Perraud Adulphus,
Svampa Dominicus.

Feria V^a die 30 Iulii loco et hora praedicta, Missa celebrabitur ab R.mo et E.mo D. Cardinali Vannutelli Vincentio. Expleta Missa recitabitur oratio in laudem defuncti Summi Pontificis et postea fiet Absolutio solemnis cum assistentia E.morum et R.morum DD. Cardinalium :

Ferrari Andreae,
Gotti Hieronymi Mariae,
Manara Achillis,
Ferrata Dominici.

E.mi et R.mi DD. qui in actu Absolutionis induere debent Pluviale cum Stola, si ex Ordine Episcoporum, deferre faciant Superpelliceum, Amictum, Mitram simplicem ex serico damasceno et formale : qui vero ex Ordine Presbyterorum Amictum et Mitram damascenam tantum.

Pro Caudatariis vero Superpelliceum et Velum pro sustinenda Mitra deferetur.

Intimentur omnes et singuli E.mi ac R.mi Domini S. R. E. Cardinales, qui vestibus et cappis laneis violaceis induti intererunt.

Intimentur quoque Vice Camerarius, Auditor R. C. A. Antistes pontificiae domui praepositus, Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, Abbates et Generales Ordinum, Auditores Rotae, Clerici Camerae Apostolicae, Signaturae Votantes, Abbreviatores, Advocati Concistoriales, et Procuratores Ordinum Regularium.

Praelati cappas non induent, sed mantellettum et vestem nigram cum rocchetto simplici assument.

De mandato Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Decani.

FRANCISCUS RIGGI.
Protonot. et Apost. Sedis Caerem. Praefectus.

E.mus Cardinalis Urbis Vicarius sequentes emanavit ordinationes circa preces publicas tempore Sedis Vacantis fundendas:

PIETRO del Titolo de' SS. Quattro Coronati della S. R. C. Prete Cardinale RESPIGHI, Vicario Generale e Giudice Ordinario di Roma e suo Distretto.

Prima di eleggere gli Apostoli, Gesù Cristo si ritirò su di un monte a pregare, e passò l'intera notte in oratione: *et erat pernoctans in oratione Dei* (Luc., VI, 12). — Seguendo l'esempio del Divino Maestro, e amorosamente sollecita del bene spirituale dei fedeli, la Santa Chiesa fa precedere all'ordinazione de' Sacri Ministri preghiere pubbliche, affinchè Iddio versi abbondanti su di loro i suoi celesti carismi, onde possano compiere santamente e proficuamente i loro Ministeri. Ma in modo particolare lo inculca per ottenere dallo Spirito Santo, suo Sposo diletto, lumi ed assistenza nel grande atto dell'elezione del Sommo Pontefice, Successore di Pietro, Padre e Pastore della Chiesa universale.

L'importanza di tale atto nessuno è che non vegga, e sarebbe inutile intrattenersi a dimostrarla ai Romani. In quella vece con tutto l'ardore vi scongiuriamo, o dilettissimi, a mettere mano all'opera, a darvi cioè alla preghiera; insistete in essa con viva fede e con ardente pietà; fate dolce violenza al Divino Spirito: Egli ascolterà le vostre suppliche, imperocchè nulla più desidera che di esaudirle, e ci concederà un Pontefice fatto secondo il suo cuore.

Inerendo alle disposizioni contenute nella Costituzione del Beato Gregorio X *Ubi periculum* (Cap. III, de Elect. in 6), ordiniamo che incominciando dal giorno 31 del corrente luglio in cui gli E.mi Signori Cardinali entreranno in Conclave, fino al termine di esso Conclave, in tutte le Patriarcali Basiliche, nelle Collegiate e nelle altre Chiese dei Secolari e Regolari, nelle quali si celebra la Messa conventuale, dopo la medesima si recitino dal celebrante le preci prescritte, che a tale effetto si trasmettono.

Ordiniamo inoltre che nelle infrascritte Chiese, nei giorni ad esse assegnati, si esponga il *Santissimo Sacramento*, dalle ore otto della mattina fino a circa l'*Ave Maria* della sera, nel modo e nella forma che si pratica nell' Orazione delle Quarant'Ore, ma senza Processione, e che nel deporlo si cantino le Litanie de' Santi colle preci per la Sede Vacante, ed infine si comparta al popolo la Benedizione.

Dato dalla Nostra Residenza, il 27 luglio 1903.

P. Card. RESPIGHI, Vicario.
P. Can. Checchi, Segretario.

Venerdì 31 luglio, S. Giovanni in Laterano.
Sabato 1° agosto, S. Pietro in Vaticano.
Domenica 2, S. Maria Maggiore.
Lunedì 3, S. Maria in Trastevere.
Martedì 4, S. Maria in Cosmedin.
Mercoledì 5, S. Maria in via Lata.
Giovedì 6, S. Marco.
Venerdì 7, S. Eustacchio.
Sabato 8, S. Maria sopra Minerva.
Domenica 9, S. Carlo al Corso.
Lunedì 10, S. Ignazio.
Martedì 11, S. Maria ai Monti.
Mercoledì 12, S. Giovanni dei Fiorentini.
Giovedì 13, S. Maria in Vallicella.
Venerdì 14, S. Maria in Traspontina.
Sabato 15, S. Stimate di S. Francesco.
Domenica 16, S. Carlo a' Catinari.
Lunedì 17, S. Agostino.
Martedì 18, S. Apollinare.
Mercoledì 19, Chiesa di Gesù e Maria al Corso.
Giovedì 20, S. Cuore, al Castro Pretorio.

Preces recitandae post missam conventualem a clero saeculari et regulari et a monialibus tempore Apostolicae Sedis vacantis.

Celebrans flexis genibus intonat Antiphonam:

Sub tuum praesidium, etc.

Quam Chorus prosequitur, eaque finita, Cantores alternatim cum eodem dicunt Litanias B. M. Virginis.

Kyrie eleison.
Christe eleison, etc.

Deinde alternatim cum Choro recitatur a Cantoribus Psalmus 131.

Memento Domine David, * etc.

HYMNUS.

Veni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum, etc.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabitur.
℟. Et renovabis faciem terrae.
℣. Memento Ecclesiae tuae.
℟. Quam possedisti ab initio.
℣. Suscita, Domine, Sacerdotem acceptum tibi.
℟. Qui iuxta cor tuum et voluntatem tuam faciat.
℣. Tu, Domine, qui corda nosti hominum.
℟. Ostende quem elegeris.
℣. Electores tui induantur iustitiam.
℟. Et Sancti tui exultent.
℣. Ut Ecclesiae tuae Sanctae DOMNUM APOSTOLICUM acceptum concedere digneris.
℟. Te rogamus, audi nos.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Celebrans surgit.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gaudere.

Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis, et corporis sanitate gaudere, et gloriosa Beatae Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

Supplici, Domine, humilitate deposcimus; ut Sanctae Romanae Ecclesiae concedat Pontificem illum tua immensa

pietas, qui et pio in nos studio semper tibi placitus, et tuo populo pro salubri regimine sit assidue ad gloriam tui nominis reverendus. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Celebrans genuflectit, et Cantores dicunt:

℣. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.

℟. Et custodiat nos semper. Amen.

◆

Die 28 Iulii.

Hora 10 1|2 matutina, iuxta praefatam Intimationem, celebratae fuerunt exequiae pro anima b. m. Leonis XIII. Sitque sacri ritus enarratio:

I funerali hanno avuto luogo nella Cappella Sistina al Vaticano. Nel mezzo del vasto presbiterio sorgeva un ricco tumulo alto sei metri, (1) eseguito su disegno del Cav. Schneider, Architetto dei SS. PP. Il tumulo, intorno al quale ardevano molti ceri, avea in alto la coltre di ganzo rosso con frangie e sopra di essa, posta su di un cuscino, poggiava la Tiara. Intorno al tumulo, di forma ottagona, erano dai lati più stretti le armi del defunto Sommo Pontefice, e nei quattro lati più larghi leggevansi le seguenti epigrafi, dettate da Mons. Sardi:

ARBITER · HOMINVM · ET · SERVATOR · CHRISTE
LEONI · XIII · PONT · MAX
CVIVS · VITAE · SANCTIMONIA
MAGNITVDINE · ANIMI
SVAVISSIMA · IN · AGENDO · DEXTERITATE
PONTIFICII · NOMINIS · MAIESTAS
VBIQUE · AVCTA
AEVI · SEMPITERNI · BEATITATEM
BONIS · PRECANTIUM · PRECIBUS
PROPERATAM · IMPERTITOR

═

TVENDAE · PROPAGANDAEQVE · FIDEI · STVDIO
NVLLI · DECESSORVM · SECVNDVS
DISSIDENTIVM · ANIMOS
AD · CONIVNCTIONEM · CVM · PETRI · CATHEDRA
ASSIDVE · EXCITAVIT
ORIENTALIBVS · ECCLESIIS
AD · VETEREM · SPLENDOREM · REVOCANDIS
SANCTITATI . MORVM
KLERI · ET · RELIGIOSAR · FAMILIAR · SECVRITATI
VIRES · OMNES · IMPERTIIT

—

VIRGO · MATER · SANCTISSIMA
SI · TE · LEO · ADAMAVIT · VNICE
SI · TIBI · HONORES · AVXIT
SI · MARIALIS · ROSARII
RELIGIONE · VBIQVE · GENTIVM · PROLATA
CATHOLICVM · NOMEN
FIDERE · TVO · NVMINI · VOLVIT
TV · ILLUM · MORTALITATI · EREPTVM
VICEM · REPENDENS · BONA
SIDERIBUS · INSERE

—

REI · PVBLICAE · VTILITATI · PROSPICIENS
STATVENDAE · TEMPERANDAEQ · CIVITATIS
RATIONEM
SAPIENTISSIME · EDIXIT
POPVLARES · CVPIDITATES · AD · LICENTIAM · PROIECTAS
COHIBVIT
OPIFICVM · CONDITIONEM · IN · MELIVS · PROVEXIT
MATRIMONII · DIGNITATEM · VINDICAVIT
BONARVM · ARTIVM · STVDIA
MVNIFICENTISSIMVS . FOVIT

(1) Nimiam tumuli molem notarunt omnes. *N.D.*

Ai quattro lati del tumulo facevano guardia d'onore quattro Guardie Nobili in alta tenuta. Sull'altare ammiravasi l'arazzo rappresentante la Resurrezione di Lazzaro.

Alle dieci, scortati dalle Guardie Svizzere, giungevano in Cappella gli E.mi e R.mi Signori Cardinali indossanti la cappa violacea sul rocchetto e accompagnati dai rispettivi caudatarii in croccia, e recavansi a prendere i rispettivi posti. Erano presenti gli E.mi e R.mi Signori Cardinali Oreglia, Decano del S. Collegio e Camerlengo di S. R. C., Vannunutelli Serafino, Mocenni, Agliardi, Vannutelli Vincenzo, Satolli, Capecelatro, Langénieux, Gibbons, Rampolla, Richard, Goossens, Gruscha, Di Pietro, Logue, Kopp, Perraud, Lécot, Sarto, Sancha y Hervas, Svampa, Ferrari, Gotti, Casañas y Pagès, Manara, Ferrata, Cretoni, Labouré, Casali, Cassetta, Sanminiatelli, Portanova, Francica-Nava, Mathieu, Respighi, Martinelli, Gènnari, Skrbensky, Boschi, Puzyna, Bacillieri, Nocella, Cavicchioni, Taliani, Herrero y Espinosa, Katschthaler, Fischer, Macchi, Steinhuber, Segna, Pierotti, Della Volpe, Vives, Tripepi, Cavagnis.

Assisteva nella tribuna dei Sovrani S. A. R. il Principe Sisto di Borbone, figlio del Duca Roberto di Parma, assistito dal Barone Schoenberg, Cameriere Segreto di Spada e Cappa di numero.

Il Corpo Diplomatico, in uniforme, assisteva al completo nella propria tribuna, e in quella del S. M. O. Gerosolimitano di Malta era una Deputazione dell'Ordine stesso.

Nella tribuna a *cornu epistolae* erano il Patriziato Romano e l'Aristocrazia.

Entro il presbiterio, dietro le bancate dei Cardinali, era presente S. E. il Principe D. Mario Chigi, Maresciallo del Conclave, col figlio Principe di Campagnano.

Nei propri posti trovavansi Monsignor Uditore Generale della R. C. A., Mons. Segretario della S. Congregazione Concistoriale, gli Uditori della S. R. Rota, i Chierici di Camera, i Votanti di Segnatura, gli Abbreviatori del Parco Maggiore, gli Avvocati Concistoriali, i Procuratori di Collegio, gli Abati Ordinarî, i Generali e i Procuratori Generali degli Ordini Religiosi, e tutti gli altri soliti ad intervenire alle Cappelle Papali.

I Ceremonieri Pontificii presiedevano a tutto l'andamento ed a tutte le ceremonie della Cappella.

Un picchetto di otto Guardie Nobili, agli ordini dell'Esente Conte Ambrosi, faceva il servizio d'onore presso il tumulo.

La Messa veniva pontificata dall'E.mo e R.mo Signor Cardinale Serafino Vannutelli, Vescovo di Porto e S. Rufina, Sotto Decano del S. Collegio. L'Eminenza Sua R.ma era assistita all'altare dai Monsignori Giannuzzi, Prete Assistente, Marzolini, Ceremoniere Pontificio, che in vacanza del Titolare ha funzionato da Diacono, spettando al Collegio dei Ceremonieri di supplire i vacanti della Cappella Pontificia, Azzocchi suddiacono. Serviva all'altare il Clero addetto alla Cappella Pontificia.

I Cappellani Cantori e Cantori Pontificii, sotto la direzione del loro Direttore Perpetuo Maestro D. Lorenzo Perosi, hanno accompagnato la Messa, col *Requiem* e il *Kyrie* dell'Anerio, il *Tratto* del Viadana, il *Dies irae* del Perosi, scritto per la circostanza ed eseguito per la prima volta, l'*Offertorio* dell'Anerio, il *Sanctus*, *Agnus Dei* e quattro *assoluzioni* del Baini, la quinta assoluzione e il *Libera me* del Perosi, parimenti scritto per la circostanza ed eseguito

per la prima volta stamane. L'esecuzione è stata sotto ogni rapporto perfetta.

Terminata la Messa, impartivano le prime quattro assoluzioni al tumulo gli E.mi e R.mi Signori Cardinali Agliardi, Vannutelli Vincenzo, Satolli, Richard, e la quinta veniva impartita dall'E.mo Celebrante.

Il servizio delle Tribune era fatto dai Camerieri Segreti e d'Onore di numero, e dai Bussolanti. I Maestri Cursori Pontificii erano alla porta della Cappella.

La Guardia Svizzera faceva il servizio presso gli E.mi Cardinali. La Guardia Palatina d'Onore il servizio di parata. La Gendarmeria quello d'ordine. Le Guardie del Fuoco addette ai Sacri PP. AA. trovavansi nella Cappella per qualunque evenienza.

I Corpi armati dei SS. PP. erano agli ordini dei proprii comandanti ed ufficiali, ed indossavano tutti l'alta uniforme.

La funebre ceremonia, incominciata alle 10 1|2, aveva termine circa il mezzogiorno.

— In octava Congregatione, 52 Emis Patribus traditae sunt formae cellarum singulis attributarum:

Vescovi: N. 16. Appartamento al 1° p.° della Scala Papale E.mo Oreglia. — N. 13. Abitazione Silli Alberto, E.mo Vannutelli S. — N. 41. Appartamento proprio, E.mo Mocenni. — N. 56. Appartamento E.mo Rampolla, E.mo Agliardi. — N. 47. Appartamento Monsignor Scapinelli, E.mo Vannutelli V. — N. 20. Abitazione Puccinelli, E.mo Satolli.

Preti: N. 59. Camere sopra l'Ufficio dell'Obolo, E.mo Netto. (E.mo Celesia). — N. 19. Abitazione Puccinelli, E.mo Capecelatro. — E.mo Moran. — N. 28. Camere dello Spogliatoio E.mo Langénieux. — N. 5. Ufficio del Maestro di Casa, E.mo Gibbons. — N. 58. Appartamento proprio, E.mo Rampolla. — N. 29. Abitazione del sotto Sagrista, E.mo Richard. — N. 2. Confraternita dell'Obolo di S. Pietro, E.mo Goossens. — N. 30. Ufficio della Computisteria, E.mo Gruscha. — N. 8. Abitazione Mascelli, E.mo Di Pietro. — N. 62. Abitazione già Mons. Volpini, E.mo Logue. — N. 31. Quartiere Guardie Nobili, E.mo Vaszary. — N. 52. Appartamento Mons. Misciatelli, E.mo Perraud. — N. 25. Sale delle Congregazioni, E.mo Kopp. — N. 32. Quartiere Guardie Nobili, Camere degli Esenti, E.mo Lécot. — N. 57. *Appartamento E.mo Rampolla, E.mo* **Sarto**. — N. 1. Comando dei Gendarmi, E.mo Sancha y Hervas. — N. 37. Appartamento di Monsignor Elemosiniere, E.mo Svampa. — N. 18. Abitazione Puccinelli, E.mo Ferrari. — N. 27. Sale delle Congregazioni, E.mo Gotti. — N. 4. Abitazione del P. Maestro del Sacro Palazzo, E.mo Casañas y Pagès. — N. 42. Archivio Camere di Raffaello, E.mo Manara. — N. 45. Appartamento Monsignor Zichy, E.mo Ferrata. — N. 17. Appartamento Monsignor Sans de Samper, E.mo Cretoni. — N. 36. Quartiere Guardie Nobili, Archivio, E.mo Prisco. — N. 35. Quartiere Guardie Nobili, E.mo Martin De Herrera. — N. 33. Quartiere Guardie Nobili, Armeria, E.mo Coullié. — N. 49. Abitazione Centra, E.mo Labouré. — N. 48. Abitazione Centra, E.mo Casali del Drago. — N. 11. Abitazione Silli Francesco, E.mo Cassetta. — N. 51. Appartamento Mons. Misciatelli, E.mo Sanminiatelli. — N. 55. Appartamento E.mo Rampolla, E.mo Portanova. — N. 10. Abitazione del tenente Galli, E.mo Francica-Nava. — N. 26. Sale delle Congregazioni, E.mo Mathieu. — N. 14. Abitazione già Mons. Tarozzi, E.mo Respighi. — N. 50. Ufficio « ad pias causas », E.mo Richelmy. — N. 46. Appartamento Mons. Scapinelli, E.mo Martinelli. — N. 21. Sale degli Studi Biblici, E.mo Gennari. — N. 38. Appartamento di Monsignor Elemosiniere, E.mo De Skrbensky, — N. 44. Appartamento Mons. Zichy, E.mo Boschi. — N. 34. Abitazione Costantini, pian inferiore, E.mo Puzyna. — N. 40. Appartamento E.mo Mocenni, E.mo Bacilieri. — N. 39. Appartamento E.mo Mocenni, E.mo Mocenni, E.mo Nocella. — N. 15. Abitazione già Mons. Tarozzi, E.mo Cavicchioni. — N. 24. Abitazione Bocchini, E.mo Aiuti. — N. 22. Abitazione Bocchini, E.mo Taliani. — N. 54. Appartamento E.mo Rampolla, E.mo Herrero y Espinosa. — N. 60. Abitazione Mons. Marzolini, E.mo Katschthaler. — N. 23. Abitazione Bocchini, E.mo Fischer.

Diaconi: N. 6. Ufficio del Foriere Maggiore, E.mo Macchi. — N. 3. Abitazione del P. Maestro del Sacro Palazzo, E.mo Steinhuber. — N. 7. Caserma dei Tributi, E.mo Segna. — N. 61. Abitazione già Mons. Volpini, E.mo Pierotti. — N. 53. Appartamento E.mo Rampolla, E.mo Della Volpe. — N. 9. Abitazione Mascelli, E.mo Vives y Tuto. — N. 43. Appartamento Mons. Angeli, E.mo Tripepi. — N. 64. Abitazione Boldrini, E.mo Cavagnis.

◆

Die 29 Iulii.

Altera celebratur Cappella Cardinalitia, in loco et de more solito, uti videre est supra.

— Nona deinde habetur Congregatio.

— Magister Caeremoniarum sequentem edit Intimationem pro celebranda Missa solemni de Spiritu Sancto, et pro emittendo iuramento relate ad Conclavis custodiam:

INTIMATIO

per Cursores facienda, Domi dimisso exemplari.

Feria VI^a die 31^a Iulii 1903 in Sacello Paulino Palatii Apostolici Vaticani hora decima matutina ab E.mo et R.mo D. Seraphim Vannutelli Episcopo Portuensi et S. Rufinae Missa solemnis de Spiritu Sancto celebrabitur.

E.mi et R.mi DD. Cardinales, vestibus et cappis violaceis laneis induti accedent.

Post Missam habebitur oratio *de eligendo Summo Pontifice.*

Eadem die hora quinta E.mi et R.mi DD. Cardinales induti veste et mozzetta violaceis laneis, cum zona serica eiusdem coloris in Sacellum praedictum convenient.

Deinde praecedente Cruce et cantoribus hymnum *Veni Creator* concinentibus, supplicabundo ritu, incipiendo a senioribus, Conclave ingredientur, et reliqua ibi de more peragentur.

E.mi Patres supradictis vestibus in scrutinio utentur.

De mandato Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Decani,

Franciscus Riggi.

Protonot. et Apost. Sedis Caerem. Praefectus.

— Gl'Illustrissimi e Rev.mi Monsignori Decani dei Collegi de' Vescovi Assistenti, Protonotarî Apostolici, Uditori della S. Rota, Chierici di Camera, Votanti di Segnatura ed Abbreviatori, si compiaceranno avvertire i loro Colleghi, che nel prossimo venerdì 31 luglio 1903 alle ore cinque pomeridiane si trovino nella sala regia del Palazzo Vaticano, per prestare il giuramento consueto sulla custodia delle Rote del Conclave.

Le Rote che sono a capo della scala del Palazzo presso l'appartamento di Monsignor Governatore del Conclave si custodiranno, una dai Monsignori Chierici di Camera, e l'altra dai Monsignori Protonotarî. Quella che è a capo del primo piano della scala della Floreria, dai Monsignori Vescovi Assistenti ed Uditori della S. Rota. L'altra, che rimane nell'ingresso del cortile delle logge, dai Monsignori Votanti di Segnatura ed Abbreviatori.

Le dette Rote rimarranno aperte dalle nove alle undici e mezzo della mattina, e dalle ore cinque alle sette pomeridiane. I Decani dei rispettivi Collegi designeranno il turno da serbarsi nella custodia delle medesime.

FRANCESCO RIGGI.
Pref. delle Cerimonie della S. Sede Apost.

◆

Die 30 Iulii.

Tertio solemnes exequiae persolvuntur in Sixtino Sacello. Omnes Emi Purpurati adsunt, exceptis Emo Moran ob itineris tarditatem, et Emo Celesia, ob adversam valetudinem. R.mus D.nus Aurelius Galli latinam recitat Orationem pro Pontifice defuncto, cuius tenor est:

Laudatio funebris Leonis PP. XIII.

Etsi hoc tanto squalore luctuque catholici nominis flere magis libet quam eloqui, praesertim in hoc augustissimo orbis terrarum consessu, in quo desiderium Parentis publici extat acerbius, sanctissimum tamen officium cum memoris gratiae tum pietatis iubet, Leonis XIII Pontificis Maximi laudes attingere. Eas equidem suspiciens intelligo multo esse maiores, quam ut digne possim dicendo assequi. Etenim cum de Leone XIII agitur, de eo Pontifice res est, quem, ob auctoritatem Pontificatus romani felicissime in omni genere prolatam, vel ingenia mores instituta omnemque actionem sapienter temperando catholicorum, vel devium a Christo saeculum ad sanitatem animose revocando, aequi rerum aestimatores consentiunt, praestantissimo cuique Decessorum suorum comparandum iure videri. Verum ea me cogitatio recreat, Eminentissimi Patres, vos in hac laudatione non inanem ingenii contentionem requirere, sed magnarum virtutum, ipsam per se frugiferam, commemorationem: eo vel magis quod haec solemnia funeris, itemque extremi iudicii, quae hic spirat, tremenda maiestas clamant, praeterlabente figura huius mundi, sola stare recte sancteque factorum promerita. Neque vero mens est, neque, si velim, his angustiis temporis queam singula persequi, quaecumque Ille in Pontificatu tam diuturno tamque actuoso gesserit. Summa igitur rerum capita percurrens, nitar tanquam adumbratam referre imaginem sanctissimi Senis, atque ita ut satis appareat Ipsum, christianae reipublicae divinitus datum de societate hominum universa non minus, quam de Ecclesia, mirifice meruisse.

Vitam moresque Leonis intuenti, nihil tam est conspicuum quam singulare quoddam providentis Dei numen, simulque perpetuum deditissimae voluntatis obsequium eius providenti Deo. Equidem memini Ipsum audire cum candide profiteretur, illud se in omni vita habuisse solemne, nunquam sollicito animo prospicere in posterum, semper in divinae providentiae benignitate, tamquam in amantissimae sinu matris, conquiescere. Prima quidem voluntatis divinae significatio, ad magna adolescentem vocantis, tum facta est, cum Is emenso Romae disciplinarum curriculo, magna cum laude ingenii, pietatis, diligentiae, initiatusque sacerdotio, comparabat reditum in patriam, ut operam Episcopo Anagnino navaret. Siquidem Gregorius XVI, hominum rerumque spectator acerrimus, nihil tale cogitantem, inter antistites domus pontificalis adlectum Beneventanae provinciae praeficit; mox ad Spoletinam, dein ad Perusinam provehit. Notum qua fide, constantia, consilio, in summa difficultate rerum, mandata administrarit munera. Inde cum se reipublicae peritiorem, quam pro aetate, probasset (vix enim tertium et trigesimum annum attigerat), dignus est habitus, qui Damiatensis Archiepiscopus renuntiatus legationi belgicae praeesset. Rebus ibi etiam bene et e sententia gestis, discedentem honestissimo praeconio Leopoldus rex est prosecutus ad Pontificem Maximum, qui eum Perusinae ecclesiae antistitem dixerat. Non defuere, qui auctores ei essent huius honoris dexteritate quadam detrectandi, quasi aditum sibi ad maiora intercluderet. Ipse autem Pontificis, non secus ac Dei voluntati obtemperandum ratus, securus caetera, Perusiam ubi iamdudum erat in desiderio, rediit, perampla obedientiae praemia laturus. Nam cum omnes pastoralis officii partes explere in exemplum videretur, et Patribus Cardinalibus non post multo est adscriptus, et id officium tenuit, cuius potestas est per interregnum maxima, et statim ab obitu Pii Noni, immortali memoria digni Pontificis, magna suffragatorum consensione ad fastigium Apostolici muneris evectus est.

Hic enimvero, cum non satis firmus et ab aetate ingravescente et a valetudine videretur, tamquam revirescere, dante Deo, coepit; siquidem ad summam senectutem iuvenili quadam alacritate processit. — Vixdum in celsissimo dignitatis gradu collocatus, circumspexit animo nominis christiani tempora, primas ad universitatem catholicorum dedit litteras, quibus insidentia ubique mala denuncians, unice eis Ecclesiam mederi posse ostendit: hanc propterea liberam nullique obnoxiam esse oportere. Ita cum universam rationem proposuisset Pontificatus gerendi sui, cuius rationis haec summa erat, christianam formam in omni privatae publicaeque vitae cursu restituere, impiger instituit exsequi propositum. — Ante omnia cum videret ortam e superioris aetatis procella *socialismi* pestem ipsa aggredi fundamenta convictus humani et societatis, maturavit iurium et officiorum vincula, quibus tenuium et locupletium ordines contineri inter se ex lege naturae praeceptisque evangelicis debent, in conspicuo ponere, graviterque confirmare. His documentis quasi perfectionem absolutionemque suam addidere deinceps de conditione opificum Litterae *Rerum novarum;* illud, inquam, mirabile christianae sapientiae prudentiaeque monumentum, unde civilis societas habet, quemadmodum sibi in causa gravissima consulat. Atque utinam ista plena salutis praecepta faciles in obsequium voluntates vulgo inveniant: iam non forent communitati hominum illa extrema discrimina metuenda, quorum iam ingruit formido. Utcumque erit, haec manebit aeterna Leonem laus, perniciem communium rerum multo ante providisse, eamque ut tempori averteret, laborasse pro viribus.

Quia vero in actione vitae moribusque populorum per-

vagata ratio philosophandi potest plurimum, ideo Pontifex, quo gliscentis usquequaque *rationalismi* itinera melius interciperet, Thomae Aquinatis disciplinam instaurandam omni ope curavit. Quo providentiae genere, in primis commendabili, tantum abest ut cursus retardarit ingeniorum, ad vetustatemve retruserit, ut potius germanas philosophiae progressiones magnopere incitarit, eo nimirum duce et magistro hisce studiis dato, quo nemo ad vestigandam veritatem cavendasque errorum fallacias praestantior. Ita, initia quoque ponenda censuit solidioris cuiusdam in clero doctrinae, utpote in qua, adiuncta, ut par est, pietate, intelligeret momenta ad salutem publicam inesse maxima. Atque huius rei gratia quae quantaque effecerit, docent cum nova condita collegia clericorum et aucta studiorum domicilia, tum opportuna per occasionem de litteris, de historia, de sacris doctrinis, de re biblica vel consilia instituta vel documenta praebita.

Omnino nihil unquam fecit reliqui quod Ecclesiae interesset humanaeque societatis. Quoniamque utriusque fundamenta continet domestica societas, idcirco in hanc ipsam videmus praecipuas quasdam curas cogitationesque Leonis conversas. Nam vel ab exordiis Pontificatus et sanctitudinem christiani coniugii magnifice asseruit, et civilium statuta legum de divortiis gravissime improbans, hanc publicam familiarum cladem, sicubi gentium impenderet, prohibere, quantum in se erat, non destitit. — Nec vero Pontificem fugiebat, unde hoc aeque ac caetera discrimina institutis christianis conflarentur maxime: nempe a malarum audacia sectarum, quae in populis passim serperent, Deo Ecclesiaeque Dei inimicissimae. Harum propterea conscelerata consilia artesque nefarias in Litteris *Humanum genus*, ad ipsarum prohibenda contagia, rursus aperuit rursusque damnavit.

In genere autem politico cum probe teneret quam sit Ecclesiae et civitati perniciosum, civiles rationes a sacris distractas esse, quam utrique opportunum, easdem inter se amice cohaerere, nonne prudentissime id semper egit, ut salutarem vim catholicae religionis in venas rerum publicarum inferret? Nostis Pontificatus eius primordia in id tempus incidisse, cum civitates maximam partem aut suspicioso aut etiam infenso essent animo in Apostolicam Sedem. At nullis rerum difficultatibus deterritus Leo, urgere statim coepit propositum reconciliandae concordiae, cuius subinde praeclaram formam in Litteris de civitatum constitutione christiana exhibuit. — Quodsi non omnia quae magno spectabat animo, pro temporum iniquitate est assecutus, successus tamen habuit sane laetabiles, inchoatamque meliorum rerum spem successoribus reliquit. Leone quippe adnitente, retractat hostiles Germania leges, lenius agit cum Polonis Russia, aequam se catholicis Anglia impertit, multae praeterea gentes pacem amicitiamque cum Ecclesia iungunt. Mitto prementia rem catholicam incommoda et illa ibi graviora, ubi memoria singularium Leonis beneficiorum vicem maioris gratiae reposcebat. — Quamquam quae civitas est, cui, necessario tempore, non egregie profuit? Testis Hispania, quam e belli faucibus eripuit, cum motam de Carolinis insulis controversiam splendido arbitrio composuit: et cui postea novo periculo laboranti Ipse dissimili quidem exitu, at simili paterni animi charitate pacis conciliator adfuit. Testes illae australis Americae respublicae, quarum dissidia, interposita iudicii sui maiestate, sustulit. Atque eo proinde magis dolendum est, quod e conventu Hagae Comitis habito ad pacem populis conservandam, Is propter domesticam Apostolici muneris invidiam exclusus fuerit, quem pro amplitudine officii et ob publica ipsius benefacta prae caeteris interesse ibidem oportebat. — Quamvis autem italicarum conditio rerum, perquam iniuriosa Ecclesiae, non sineret a defensione dignitatis et libertatis suae requiescere Pontificem, beneficam tamen operam virtutemque Ipsius nempe in primis sensit Italia. Hic excitata vehementius hominum studia ad christiana instituta publice privatimque retinenda: hic potissime data opera ut actuosa catholicorum consilia, tamquam foederatis viribus, ad salutem communium rerum niterentur.

Praeterea ut in Ecclesiae incolumitate iuribusque tuendis, sic in eius finibus amplificandis eximia Pontificis industria eluxit. Universam quippe humanam familiam Apostolico amplexus animo, nullum genus fuit a veritate aberrantium, quod non ad sinum Ecclesiae matris invitarit amantissime. Quanto nominatim studio in id incubuit, ut Orientales ecclesias, quas discidium vetus a Romana seiunxerat, ad redintegrandam unitatem fidei revocaret! Nec timida hominum consilia nec asperitates rerum bona erectum spe Leonis animum ab incepto dimoverunt. Ad haec excitatis in Scotia, in Indiis Orientalibus, in Iaponia ordinibus hierarchicis, earum ecclesiarum disciplinam firmavit, incrementa provexit, decora ampliavit. Quid, quod dissitis etiam insulis oceani, et imperviis Africae regionibus Christus, eo auspice, illatus, et iura evangelicae libertatis asserta?

Porro christianos in populis refovere spiritus, quam diligenter institit! Huc pertinet, et Ordinis Franciscalium tertii instauratus vigor, et sacratissimo Iesu Cordi devotum ab Ipso humanum genus, et Sanctissimae Eucharistiae amplificatus cultus, maxime autem Marialis Rosarii crebris commendata litteris religio; ita plane ut, si caetera deessent promerita quae fuere amplissima, eius Pontificatus hoc certe nomine, nimirum a pervulgato tam salutaris precationis usu, foret memorabilis. — Neque haec dumtaxat: sed ut experrectiores faceret animos in christianarum cultu virtutum, compluries Iubilaeum extra ordinem indixit, oblatamque exeunte saeculo opportunitatem annum sacrum celebrandi, avide arripuit: quo quidem anno toto alacrem nec sibi parcentem in sanctissimis caeremoniis vidimus augustum Senem. — Ita, quod inimicis temporibus floret vigetque tamen popularis pietas, vigilantiae curisque huius tanti Pontificis magnam partam tribuendum est.

Cum igitur vim saluberrimam Pontificatus romani usquequaque adhibere pergeret Leo, feliciter factum est, ut catholicae gentes cum Apostolica Sede arctius, quam unquam antea, coalescerent. Cuius quidem coniunctionis sive testandae sive etiam augendae praeclaras opportunitates habuere eventus illi laetabiles, cum Pontifex annum quinquagesimum ab inito et sacerdotio et episcopatu complevit, et annos Petri in Romana Sede attigit alter excessitque. Scimus per eas faustitates quam industrie certarint inter se catholici passim homines gratulari honoremque habere beatissimo Patri: spectavimus expositam copiam immensam munerum, quae Sacerdos maximus ex omni ora ac parte terrarum acceperat: vidimus frequentiam peregrinorum continuatione quadam huc undique confluentium, ut oculos adspectu, animos precatione sancta Pontificis recrearent.

Multa, ne longior sim, praetereo; illud praetereundum non est, quantam vel adversariis admirationem privatae ipsae

hominis laudes movere consueverint. Fuit enim in Leone ingenium acerrimum, subtile intelligensque iudicium, poeticae quoque vis egregia, plurimae litterae; fuit, quod caput est, summa integritas morum et, cum caetero virtutum comitatu, excelsi animi magnitudo. Qua constantia quam diutinas aerumnas in tutelam dignitatis suae toleravit Pontifex! Scilicet Is unus ex Pontificum romanorum numero extitit, qui Apostolici officii munus in Vaticanis aedibus captivus auspicatus, captivus ibidem continenter totum exegerit. Sub exitum vero quam luculente patuit invictum a dolore aerumnisque pectus, erectaque Leonis mens in expectationem bonorum immortalium! Omnino videbatur per eos dies christianus orbis, velut oblitus caeterarum rerum, suspenso inter spem metumque animo intueri in sanctissimum Senem, qui securitate incredibili cum morte confligebat. Magnum id quidem argumentum fuit communis in Pontificem studii reverentiaeque; sed quae discessum eius secuta est omnium ex omni ordine comploratio, eo planius indicat, Leonem XIII ob praeclarissima omne genus merita tale sui desiderium reliquisse, quod nunquam videatur diuturnitas posse delere.

Iamque ave et vale, sanctissime Pontifex, Ecclesiae catholicae ingens et mansurum decus! Nos hic praeconio quamvis impari tuas persequendo laudes, sensum aegritudinis, quam nobis fecisti decedens, temperare nitimur. Te Christus tot tantisque sua causa, defunctum laboribus, munere sempiternae pacis consolari, oramus quaesumusque supplices, maturet. Sed, quoniam auguratur animus Te, iam ad caelestes evectum sedes, Principis Pastorum consortio frui beatissimo, respice moerentem tanta orbitate Ecclesiam, cuius calamitosa tempora ipse indoluisti vel moriens, omnibusque precibus a Deo contende, ut ei rectorem largiatur persimilem Tui.

— Dein decima celebratur Cardinalium Congregatio. Numisma nuperrime cusum *Sede Vacante*, E.mis Patribus distribuitur.

◆

Die 31 Iulii.

Hora 10 E.mus Seraphinus Vannutelli, Maior Poenitentiarius, Missam de Spiritu Sancto pontificaliter celebrat in Sacello Paulino, coram E.mis Patribus cappa violacea indutis. Post Missam, a R.mo D.no Vincentio Sardi, recitatur Oratio de eligendo Summo Pontifice, quam heic tradimus:

Oratio pro eligendo Summo Pontifice.

Orbitati Ecclesiae, Patres Eminentissimi, pro Vestro munere prospecturi, in eo iam estis ut stata ineatis Comitia, in quibus decernendum vobis erit de eo, qui in Petri solio sedeat et Catholico nomini summo cum imperio praeesse debeat. — Grande quidem negotium et operosum maxime! quo nullum plane autumem plus afferre momenti ad Christianae reipublicae securitatem; nullum, quo Ordini Vestro amplissimo plus accedat ponderis ac dignitatis. — Universum pene dixerim genus hominum, quod ereptum e vivis pontificem unanimi adeo consensu doluit, animos in vos oculosque coniicit; ac caeteris fere curis posthabitis, quid Vestris tandem suffragiis decreturi sitis expectat. Expectat Ecclesia, obscura spe veluti suspensa, quem sibi in hoc motu temporum tantaque conversione rerum, moderatorem daturi sitis. Quin vel ipse Christus expectat; qui, pro ea, qua res mortalium temperat providentiae suavitate, Ecclesiam, *quam acquisivit sanguine* (1) illi regendam destinat, quem vos designabitis.

Videtis igitur, Patres Eminentissimi, quo mentium sensu, quo voluntatum proposito hoc vobis negotium suscipiendum sit. — Ego vero, ne iussui vestro refragari videar, optime in rem me collaturum existimavi, si paucis expediam, quem esse oporteat, cui sacerdotium maximum *secundum Deum* deferatis; pro iureiurando videlicet, quod quisque vestrum suffragium laturus iurabit (2).

Atque illud in primis, Patres Eminentissimi, ex animo ne excidat, non de privatis caussis coire vos, neque ut publicis quibusvis necessitatibus, at tamen fluxis, provideatis. Sublimius plane est longeque altius quod agitis; quodque unum maxime gloriam immortalis Dei aeternasque hominum utilitates spectat. — Pontificem maximum electuri adestis. At vero quid Pontifex? quae eius dignitas? qui gradus in hisce terris? quae auctoritas? quae imperii ratio, qui terminus? — *Is est*, Bernardi Claravallensis sententiis utor, *is est qui parem super terram non habet.* Super terram, inquam? *Praeter Deum, non est similis ei, secundum officium, dico, nec in coelo nec in terra: cui enim angelorum aliquando dixit Deus, quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in Coelis?* (3). — Is nempe est *sacerdos magnus, episcoporum princeps, heres Apostolorum. primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus* (4). — Ipse *cui claves traditae, cui oves creditae;* nec ovium modo, sed et *pastorum* item *unus omnium pastor* (5). — *Heres Petri, orbis hereditas eius est; ut orbe sit exeundum ei, qui explorare volet, quae non ad eius pertinent curam* (6): *sunt enim et alii multi in partem sollicitudinis vocati; solus ipse plenitudinem habet potestatis* (7). — Haec quidem Abbas sanctissimus, pontificatus maximi amplitudinem pro veritate aestimans. Qui idcirco pontificalis Cathedrae religione tactus, non potuit quin exclamaret (8): *Terribilis prorsus, terribilis est locus iste; locus Petri est, locus illius est, quem constituit Dominus dominum domus suae et principem omnis possessionis suae.* — Quae cum ita sint, Patres Eminentissimi, tantam dignitatem qui gerat, quanto eum delectu, quanta sapientia designari necesse est! Nullo sane impetu, temeritate nulla. — Exulet ab electorum animis oportet respectus omnis nisi ad Deum, ut *secundum Deum* unice suffragia ineant. Nam mortalium quemlibet Paulus Apostolus honore pontificatus prohibet, nisi *vocatum a Deo tamquam Aaron* (9); et vobis pariter cavendum ne cui honorem

(1) Act. XX, 28.

(2) Patres Cardinales, in suffragio ferendo, in haec verba iurant: « *Testor Christum Dominum qui me iudicaturus est, me eligere, quem secundum Deum iudico eligi deberi* ».

(3) Serm. ad Cler. in Conc. Rhem. Congr.

(4) De Consid. L. II, c. 8.

(5) Ibid.

(6) De Consid. L. III, c. 1.

(7) Ep. CCXXXIX ad Eugen.

(8) Ep. CCXXXVIII ad eund.

(9) Hebr. V, 4.

eiusmodi deferatis nisi ei, qui bonis et ornamentis pontifice dignis sic caeteris antecellit, ut vocari a Deo merito existimetur.

Iam quae talia sint ornamenta praecipua, breviter inquiramus.

Bernardus, ad Eugenium pontificem scribens, illud monet ante omnia: *Oportere te esse considera formam iustitiae, sanctimoniae speculum, pietatis exemplar* (1). — Vos igitur, Patres Eminentissimi, et hoc vobis ipsi statuite, sanctitatem morum in futuro pontifice primum omnium requirere. Quam quidem laudem omnino cum pontificatu maximo esse iungendam sic omnibus persuasum est, ut qui pontifex sit, proprio fere titulo *Sanctissimum* appellemus. Ac merito sane. Nam Christi vicarium qua ratione esse audeat, qui Christum ipsum vehementer non amet? Certe Dei Filius ecclesiam, vice sua moderandam non alio pacto concessit Petro quam si eum amabat.

Simon Ioannis diligis me plus his? Pasce oves meas (2). Christum autem amare nullo modo potest qui sanctitate operum non imitatur. — Accedit, quod officium pontificis hoc proprium est, Dei numen conciliare hominibus. *Qua vero mente,* inquit Gregorius (3), *apud Deum intercessionis locum pastor ille arripit, qui familiarem se eius gratiae esse per vitae meritum nescit?* Deum placatum nonnisi pietas efficiet et sanctitas (4). — Quid porro quod sanctimoniae laude si careat, dici pontifex *lux mundi* (5) atque esse nullo modo queat? Quod tamen cum sacerdotis cuiuslibet officium sit, tum eius vel maxime, qui sacerdotum parens ac princeps est? Pontificem potissime Paulli dictum usurpare decet: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (6). *Secus fiet,* ut Gregorii verbis iterum loquar, *ut cum pastor per abrupta graditur, ad praecipitium grex sequatur* (7). — Sit igitur, Patres Eminentissimi, quem vos pontificatui destinabitis, *cogitatione mundus, operatione praecipuus, prae cunctis contemplatione suspensus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens* (8).

Multis ille quidem ornamentis niteat: sit tamen primum, *Corona aurea super mitram eius expressa signo sanctitatis* (9).

At vero non una hac conditione contentos esse vos velim. Cum sanctimonia sapientiam coniungi necesse est eamque praestabilem. — Quem enim vestrum fugiat, ad sacerdotem maximum praecipue pertinere quod Malachias inquit (10): *Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius?* — Quam ob causam Bernardus ad Eugenium sic prosequitur: *Oportet pontificem assertorem esse veritatis, fidei defensorem, doctorem gentium, magistrum insipientium* (11): nimirum *ut qui non sapiunt sapiant, qui sapiunt non desipiant, et qui desipuere resipiscant* (12). Neque hoc magisterii officium, quod in pontificatu est insitum, civitatis unius vel nationis finibus continetur. Ad gentes omnes pertinet, quotquot communem lucem adspiciunt: etenim *ad hanc cathedram, propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam* (1). — Scio enimvero, in fidei rebus ac morum, Pontificem romanum, quisquis ille est, singulari Dei munere, inerrantem esse. Ast quot controversiae habentur quot iudicia deferuntur, quot sententiae expectantur, quot documenta, quot consilia expetuntur; quae quamvis non *sunt ex cathedra,* ut aiunt, definienda, ea tamen securitate expedienda sunt, ut dici semper queat: *Roma loquuta est, caussa finita est?*

Accedit ad hoc, quod ea modo sunt tempora, quae magisterium pontificis exigunt quam quae maxime. — Quae nunc, Patres Eminentissimi, opinionum insolentia, quae iudicandi libertas, quae docendi arrogantia, quae in fingendis propagandisque erroribus audacia! Vindicandae rationis specie, unde, quaeso, contentae manus? quid intactum relinquitur? non traditio, non concilia, non canones, non Patrum auctoritas, non doctorum consensus, denique non libri ipsi sanctissimi, quibus scriptum Dei verbum continetur. — Horret incredibilem impudentiam catholicum nomen; tantaque in conversione mentium, in illum spem atque oculos coniicit, cui dictum est: *Confirma fratres tuos* (2); eique inclamat: *loquere, verba vitae habes!*

Restat igitur, Patres Eminentissimi, ut hanc quoque laudem in eo, qui eligendus sit pontifex, diligentissime requiratis. Hoc nimirum Deus ipse vos monet, qui, Moysi de sacerdote magno praescribens, inquit: *Pones in rationali doctrinam et veritatem* (3).

Quo si in officio magisterii partes omnes absolverentur, quae sint a pontifice suscipiendae; ultra, quo dicendo progrederer, non haberem. Itane vero, Patres Eminentissimi? *Pasce agnos meos, pasce oves meas* (4), Petro mandatum est. Quo sane duplex ei munus assignatum, unum docendi, alterum gubernandi. Iam, si etiam hoc alterum attigisse oportet, quam multa et varia sunt quae in Ecclesiae principe desideramus, ut clavum pro dignitate imperii teneat! — Ego, ne longior sim, duo, si libet, commemorabo paucis: iustitiam videlicet et charitatem.

Iustitiam autem, eam primum intelligo, quae ad Deum est. — *Omnis pontifex,* sic quidem Paulus, *ex hominibus assumptus, constituitur in iis quae sunt ad Deum* (5). Pontifex igitur, quem eligetis, iustus esto; videlicet ut Deum semper, praeter Deum nihil, nihil sine Deo spectet aut cogitet. Non sui, non necessitudinum, non principum, non terrestrium quarumcumque utilitatum respectu, quae Dei sunt, ne transversum quidem unguem, praetereat; semper illud Petri usurpans: *Tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire* (6).

Nam iustitia erga subiectos omnes neminem profecto latet quantos usus habeat ad rectam gubernationem. Eam si demas, nihil in societate coniunctionis humanae potest esse laudabile (7). Quapropter futurus pontifex hac quoque ut

(1) De Consid. L. IV, c. 7.
(2) Io., XXI, 15.
(3) De Cur. Past., p. I, c. 10.
(4) Cic. Offic. II.
(5) Matth., V, 14.
(6) I, Cor. XI, 1.
(7) De Cur. Past. I, C.
(8) Greg., I, C., p. II.
(9) Eccl., XLV, 14.
(10) Malach., II, 7.
(11) De Consid., L. IV, c. 7.
(12) Ibid., L. III, c. 1.

(1) Iren. De Haeres., L. III, c. 3.
(2) Luc., XXII, 32.
(3) Exod. XXVIII, 30.
(4) Io. XXI, 15 ss.
(5) Hebr. V, 1.
(6) Luc. XXII, 33.
(7) De off. II, 72.

praestet velitis; qua nimirum *ius unicuique tribuat pro dignitate cuiusque* (1).

Custodiat ille leges; ut enim Claravallensis sapienter notat, *nil differt non habere leges et eas non custodire* (2). — Poenas a sontibus petat; *saepe* enim *franguntur pudore, qui non vincuntur ratione* (3). Assentatores horreat. Obtrectatoribus ne facile patefaciat aures; memor, ut idem Abbas sanctissimus monet, quod *reus est non qui accusatur sed qui convincitur* (4), itemque quod *veritatis in aulis multa est inopia* (5) et *ibi suspicio viget ubi invidia regnat* (6) atque *ambitio pene omnes torquet* (7). Uno verbo, Patres Eminentissimi, illi suffragia vestra faveant, qui, *scuto inexpugnabili aequitatis* (8), *ultor sit futurus scelerum, malorum metus, virga potentium, legum moderator, bonorum gloria* (9).

Hanc tamen, ut verius fatear, apud bonos omnes gloriam adipiscetur proclivius tuebiturque pontifex eo animi habitu, quem ego, Christiano verbo, charitatem appellavi. — Pastor est pontifex. Quì nam hoc nomine dignus sine benignitate, clementia, et erga afflictas ovium fortunas misericordia? — Pastor est pontifex; illius nempe Pastoris Summi Vicarius, qui *miserebatur super turbam* (10), qui *venit ut omnes haberent vitam* (11), qui *animam suam pro ovibus ponere* (12) non dubitavit. Nae, Patres Eminentissimi, omni asseveratione affirmo maximum Romani Pontificis ornamentum in charitate esse situm. — Quemadmodum veniente Petro *in plateas eiiciebantur infirmi, ut saltem umbra illius obumbraret eos et liberarentur* (13); sic quotquot ubique miseri laboriosique sunt, pontificis umbram, charitatem inquam, expectant. — Pastor est: sit ergo oportet *refugium oppressorum, pauperum advocatus, miserorum spes, coecorum oculus* (14). — Quot heu, quot ubique fidei sanctissimae orbantur lumine; sive haeresis, sive schismatis, sive idololatriae tenebris obfusi! Sit quaeso, Patres Eminentissimi, qui Petri solium conscendat, sit is qui charitate soletur omnes; qui dissidentium, qui errantium quorumcumque animos sic devinciat, ut *fiat unum ovile et unus pastor* (15).

Habetis igitur, Eminentissimi Patres, quid in eligendo pontifice requiratis; ut suffragia nimirum vestra *secundum Deum* ferantur: videlicet sanctimoniam, sapientiam, iustitiam, charitatem. — Quid porro superest, nisi quod Spiritus Sancti lumen et gratiam toto animo, medullis totis vobis invocem? *Veni, veni, Creator Spiritus, mentes tuorum visita!* (16) Tui sunt; tu illos permove, tu moderare; ut te auctore, *pontificem illum Ecclesiae* praeficiant, *qui pro salubri regimine sit assidue ad gloriam tui nominis reverendus* (1).

(1) II. Ad Herenn. 3.
(2) De Consid. L. I.
(3) Ibid.
(4) De Consid. L. II.
(5) Ibid. L. I.
(6) Ibid.
(7) Ibid. L. III.
(8) Sap. V, 20.
(9) De Consid. L. IV, c. 7.
(10) Marc. VIII, 2.
(11) Io. 10, X.
(12) Ib. 11.
(13) Act. V. 15.
(14) De Consid. L. IV, c. 7.
(15) Io. X, 16.
(16) Hymn. Pentec.

All'ingresso di Sua Santità nella Cappella, i cantori della Cappella Pontificia, diretti dal loro Direttore perpetuo, Maestro D. Lorenzo Perosi, intuonavano l'*Ecce Sacerdos Magnus*, e dopo che la Santità Sua ebbe preso posto al faldistorio, intuonavano il *Te Deum*, a cui rispondevano gli E.mi e tutti i presenti, e continuarono nel canto degli ultimi versetti fino a che tutti i Cardinali ed i prelati presenti ebbero prestata l'obbedienza al Sommo Pontefice. Terminata l'obbedienza l'E.mo Cardinale Decano ha detto l'*Oremus pro gratiarum actione, et pro Pontifice*, e quindi la Santità Sua assunta la Stola che Le veniva apprestata da S. E. R.ma Monsignor Maggiordomo, ha impartito in forma solenne con chiarissima voce la Benedizione Apostolica.

Dopo di che, Sua Santità, accompagnata dal medesimo corteggio e seguita dal S. Collegio e da tutti i Prelati, ritornava a piedi e con in capo il rosso cappello ai suoi appartamenti.

Nelle Sale Ducale e Regia fino all'ingresso della Cappella Sistina, la Guardia Palatina d'onore faceva servizio di parata, mentre dietro le bancate erano moltissimi ecclesiastici, signori e signore che hanno vivamente applaudito il Santo Padre al suo passaggio.

— Summus Pontifex plures officiales in officiis respectivis confirmavit, ut sequitur :

La Santità di Nostro Signore, con biglietti di Mons. Segretario della S. Congregazione Concistoriale, funzionante da Pro-Segretario di Stato, si è benignamente degnata di confermare nelle loro rispettive cariche:

L'Ill.mo e R.mo Monsignor Giuseppe Maria Costantini, Arcivescovo titolare di Patrasso, Elemosiniere Segreto.

L'Ill.mo e R.mo Monsignor Gaetano Bisleti, Maestro di Camera.


Gli Ill.mi e R.mi Monsignori Luigi, Misciatelli, Riccardo Sanz de Samper, Raffaele Scapinelli di Lèguigno, Giulio Zichy, Suoi Camerieri Segreti Partecipanti.

Il sig. Marchese Luigi Serlupi-Crescenzi, Cavallerizzo Maggiore.

Il prof. comm. Giuseppe Lapponi, Archiatra Pontificio.

E da ultimo si è degnata di confermare al suo posto il sig. Francesco Silli, Decano dei Palafrenieri.

— Ill.mus et R.mus D.nus Vincentius Sardi renunciatus fuit a Secretis Brevium ad Principes; et Ill.mus et R.mus Dominus Aurelius Galli deputatus est a Secretis pro Latinis Epistolis.



Die 6 Augusti.

Excellentissimi Viri penes Sanctam Sedem a variis Guberniis commendati solemniter a SS.mo excipiuntur, meridie, in Aula Troni.

— E.mi Cardinales Gibbons, Ferrari, Netto, Richelmy, Boschi, Macchi, Rampolla et Gotti a SS.mo excipiuntur.

— Ill.mus D.nus Bressan, intimus a Secretis Pii PP. X, nuncupatur Cappellanus a Secretis de numero.

— Item, excellentissimus D.nus Baro Athanasius De Charette, SS.mi pedibus defert vota militum qui sub heroico nomine *Zouaves Pontificaux*, ubique terrarum superstites existunt.

Ill.mus D.nus Magister Ap. Caeremoniarum intimationem transmittit quoad Coronationis solemnia:

INTIMATIO

Per cursores facienda, domi dimisso exemplari.

SS.mi D. N. PII Papae X Coronationis solemnia, in Basilica Vaticana, fient die 9 mensis Augusti 1903, Dominica 10ª post Pent. hora 8ª cum dimidio.

E.mi et R.mi DD. Cardinales vestibus et calceamentis rubris, ad paramentorum aulam in prima contignatione Palatii Apostolici accedent, ibique cappas rubras assument, Summi Pontificis adventum expectantes.

Deferre postea facient ad sacellum S. Gregorii in eadem Basilica per scalam, quae ducit ad Cappellam SS.mi Sacramenti, amictum, mitram serico-damascenam, velum pro eadem sustinenda, sacrum paramentum *coloris albi* suo ordini proprium, videlicet: Cardinales Episcopi pluviale ex tela argentea simplici cum formali et superpelliceo, Presbyteri casulam opere phrygio ornatam, Diaconi vero dalmaticam similiter ornatam, et omnes superpelliceum pro Caudatario, qui induetur consueta Crocea super vestem violaceam.

RR. DD. Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi caeterique in Musaeo Lapidario cappas seu vestes sibi congruentes assument.

Deferre deinde facient in sacellum Chori Vaticanae Basilicae, per supradictam viam, Episcopi amictum, pluviale ex tela argentea et mitram lineam: Abbates amictum, pluviale ex serico-damasceno et mitram lineam, Praelati vero, exceptis Protonotariis, superpelliceum.

Sacris indumentis assumptis, SS.mus D. N. in porticum Vaticanae Basilicae descendet, ibique Canonicos et Clerum eiusdem ad pedis osculum recipiet. Basilicam ingressus, adorato Venerabili Sacramento solemniter exposito, ad S. Gregorii sacellum accedet, ibique DD. Cardinales ad osculum manus et Episcopos ad osculum pedis excipiet.

Usque ad Gregorianum sacellum unus vel duo tantum nobiles familiares, praeter Caudatarium, DD. Cardinales comitantur. Pontificali Benedictione a SS.mo D. N. impertita, DD. Cardinales sacra paramenta induent, Caudatarii superpelliceum et velum pro mitra.

Interim in sacello Chori R.mi Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi et Abbates (locum in Cappella habentes) pluviale, Poenitentiarii Vaticani casulam: Clerici R. C. A., Votantes Signaturae et tres priores sacrae R. Rotae Auditores superpelliceum assument. Ex iisdem Auditoribus, qui Subdiaconi munere fungetur, paramenta in ipso Gregoriano sacello, caeteri amictum et tunicellam in eodem Choro, ubi et pluvialia alba Sacri Consistorii Advocati assument.

Decanus Signaturae Votantium moneat septem ex suis collegis qui in Acolythorum officio ministrent; moneat quo-

que octo ex Referendariis, qui, induti rocchetto sub mantelletto, praesto sint ut baldachini hastas supra Pontificem in supplicatione ab eodem sacello ad altare maius, et post Missam usque ad sacellum B. M. V. perdolentis sustineant.

Cantata hora Tertia et reliquis de more peractis, processionali ordine, ad altare Pontifex deferetur.

Post Confessionem, DD. Cardinales, pedem, manum et faciem osculando, obedientiam Pontifici in Solio sedenti praestabunt: Episcopi ad pedis et genu, Abbates et Poenitentiarii autem ad pedis tantum, osculum admittentur.

Post Missam supra eminens suggestum intra eamdem Basilicam, Pontifex coronabitur; Benedictionem solemnem impertietur, et Plenariam Indulgentiam elargietur.

E.mi DD. Cardinales in praedicto B. M. V. Perdolentis sacello cappas assument.

Ibi Summo Pontifici pontificalibus indumentis exuto E.mus Decanus, totius Sacri Collegii nomine, fausta feliciaque augurabitur.

Intimentur itaque omnes singuli E.mi et R.mi DD. S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi tam Solio assistentes quam non assistentes, Vice-camerarius, Princeps Solii, Auditor R. C. A., Antistes Pont. Domui praepositus, Magister Sacri Hospitii, Protonotarii Apostolici, Abbates et Generales Ordinum mendicantium (locum in Cappella habentes), S. R. Rotae Auditores, R. C. A. Clerici, Signaturae Votantes, Abbreviatores, Sacrae Concistorialis Aulae Advocati, Poenitentiarii Vaticanae Basilicae, Procuratores tam Ordinum regularium quam Sacri Palatii Apostolici, Cubicularii et Officiales caeterique intimari soliti.

De mandato Sanctissimi D. N. Papae:

Franciscus Riggi
Protonot. Apost. Caerem. Praefectus.

Gli Ecc.mi Arcivescovi e Vescovi poi che volessero prender parte alla processione, sono pregati a trovarsi alle ore 7 antimeridiane nel Palazzo del Vaticano al Museo, portando seco l'amitto, il pluviale bianco e la mitra di tela.

Gli altri che volessero solamente assistere alla funzione potranno recarsi in Basilica per la porta della Sagrestia o della Canonica, in cappa, e prenderanno posto nel luogo loro assegnato.

Die 7 Augusti.

Permulti E.mi Cardinales officiose ad SS.mum adeunt, nempe: E.mi Gibbons, Capecelatro, Di-Pietro, Sancha y Hervas, Ferrata, Aiuti, Respighi, Langénieux, Richard, Labouré, Lécot, Mathieu, Kopp, Fischer, Skrbensky, Katschthaler, Gruscha, Puzyna, Martin de Herrera y de la Iglesia, Svampa et Manara.

— Ill.mi D.ni Vincentius Sardi et Aurelius Galli, inter Praelatos Domesticos adscribuntur.

Die 8 Augusti.

E.mi Cardinales Vincentius Vannutelli, Goossens, Puzyna, Portanova et Francica Nava, SS.mo obsequia depromunt sua.

— Pariter SS.mus benigne excipit plures illustres viros, inter quos, D. Camillus e Principibus Rospigliosi; — D. Franciscus Andreazza, syndicus loci Riese, ubi SS.mus ortum habuit; — D. Comes Acquaderni, Professor De Angelis, etc.

— Pius PP. X solemniter, unanimi omnium applausu, nuncupatur *Pastor Maximus* Academiae Arcadum, sub nomine *Theophili Elladiensis,* sub quo nomine Benedictus XIV fuerat olim acclamatus.

Die 9 Augusti.

Hodie SS.mi D.ni N.ri Pii Papae X Coronationis solemnia, in Basilica Vaticana, maximo cum apparatu, fuerunt celebrata. Ritus sacer ab hora matutina octava cum dimidio, usque ad horam pomeridianam unam cum quadrante, fuit productus. Illum, iuxta folium *Osservatore Romano* fideliter enarramus:

Il Corteo.

Stamane, circa le 8 1/2, la Santità di Nostro Signore, accompagnata dalla sua Nobile Anticamera, discendeva nell'Aula dei Paramenti, dove assumeva la *Falda* e le sacre vesti, e ponendosi indosso il Manto Papale bianco e in capo la Mitra preziosa, discendendo per la Scala Regia, avviavasi processionalmente alla Basilica Vaticana, dove doveva aver luogo la solenne ceremonia della Sua Coronazione.

Precedevano Mons. Respighi, Maestro delle Ceremonie Pontificie, i Procuratori di Collegio e due Guardie Svizzere. Seguivano quindi gli altri nell'ordine seguente: Il Predicatore Apostolico e il Confessore della Famiglia Pontificia; i Procuratori Generali degli Ordini Religiosi; i Bussolanti in cappa rossa; Mons. Gentili, Sotto-Guardaroba dei SS. PP. AA., recante sopra un cuscino il Triregno, ed era accompagnato dal Cav. Tanfani, Custode dei Triregni e Gioielliere Pontificio; i Cappellani Comuni recanti le Mitre preziose; due Cursori Pontifici; i Cappellani Comuni, i Chierici segreti, e i Camerieri d'onore in cappa rossa; gli Avvocati Concistoriali; i Cappellani Cantori e Cantori della Cappella Pontificia con a capo il loro Direttore perpetuo Maestro D. Lorenzo Perosi; gli Abbreviatori del Parco Maggiore; i Chierici di Camera; gli Uditori della S. R. Rota in rocchetto; il Maestro del S. P. A., seguito da due Cappellani recanti le Mitre da usarsi dal Santo Padre durante la ceremonia; il Decano della Segnatura Papale col turibolo; Mons. Sebastianelli, Uditore di Rota, Suddiacono Apostolico, in tonacella, sorreggente la Croce Papale e incedente fra sette Votanti di Segnatura coi candelieri, e i Maestri Ostiarii di Virga Rubea, custodi della Croce Papale durante la funzione. Un Prelato Uditore di Rota nella qualifica di Suddiacono col Suddiacono e Diacono Greco; i Penitenzieri di S. Pietro; gli Abati Mitrati e Vescovi non Assistenti al Soglio; gli Arcivescovi e Vescovi; i Vescovi e gli Arcivescovi Assistenti al Soglio; i Patriarchi, il Sacro Collegio degli E.mi e R.mi signori Cardinali in cappa rossa.

Erano presenti gli E.mi e R.mi signori Cardinali Oreglia

di Santo Stefano. Vannutelli Serafino, Agliardi, Vannutelli Vincenzo, Satolli, Netto, Capecelatro, Gibbons, Rampolla, Goossens, Gruscha, Di Pietro, Logue, Kopp, Perraud, Lécot, Sancha y Hervas, Svampa, Ferrari, Gotti, Casañas, Manara, Ferrata, Prisco, D'Herrera, Coullié, Labouré, Casali Del Drago, Cassetta, Sanminiatelli, Portanova, Francica-Nava, Mathieu, Respighi, Richelmy, Martinelli, Gènnari, Skrbenski, Boschi, Puzyna, Bacilieri, Nocella, Cavicchioni, Aiuti, Taliani, Fischer, Katschthaler, Macchi, Steinhüber, Segna, Pierotti, Della Volpe, Vivés, Tripepi, Cavagnis; erano presenti S. A. il Principe Orsini, Assistente al Soglio Pontificio; il Marchese Sacchetti, Forier Maggiore dei SS. PP. AA., il Marchese Serlupi, Cavallerizzo Maggiore di Sua Santità; due Maestri delle ceremonie.

Seguiva il Santo Padre, che era circondato dai Mazzieri con le argentee mazze, dagli Svizzeri, con gli spadoni serpentini, raffiguranti i Cantoni Elvetici, dal Principe Rospigliosi, Comandante e dagli Ufficiali della Guardia Nobile in alta tenuta rossa: dal Comandante della Guardia Palatina d'onore, Conte Camillo Pecci, Tenente della Guardia Nobile, dal Comandante della Guardia Svizzera Barone Meyer, dal Latore della Rosa d'oro, Conte Soderini, e dagli altri personaggi della Corte.

Seguivano immediatamente Sua Santità, due Uditori della S. R. Rota, il Decano della stessa S. Rota, incaricato di reggere la mitra al Sommo Pontefice, i Monsignori Misciatelli e Scapinelli di Léguigno, Camerieri Segreti Partecipanti per la *Falda*; Monsignor Pericoli, Uditore Generale della R. C. A.; S. E. R.ma Monsignor Cagiano De Azevedo Maggiordomo di S. S., Monsignor Bisleti, Maestro di Camera di Sua Santità coi Protonotari Apostolici.

Chiudevano l'imponente corteo i Generali degli Ordini Religiosi e gli Svizzeri.

Nel Portico.

Giunta la Croce Papale nel Portico della Basilica, faceva quivi sosta per alcun tempo lasciando campo allo sfilare del corteo ed allo ingresso di Sua Santità.

Il Santo Padre era ricevuto all'ingresso del Portico dal R.mo Capitolo e Clero della Basilica con a capo l'Arciprete E.mo e R.mo Signor Cardinale Rampolla.

All'apparire del Sommo Pontefice benedicente, i Cantori della Cappella Giulia intuonavano il *Tu es Petrus.*

Sua Santità recavasi al Trono eretto sul lato destro di chi guarda la porta maggiore della Basilica e quivi assisosi, l'E.mo Arciprete apprestatosi al Trono leggeva al Santo Padre un devoto indirizzo di augurio e di felicitazione pel faustissimo avvenimento, pregando Sua Santità di voler ammettere il Capitolo ed il Clero al bacio del piede.

Allocutio E.mi Card. Archipresbyteri

Beatissime Pater, (1)

Lugubres qui praecurrerunt dies, in quibus desideratissimi Antecessoris Tui orbis universus funus ingemuit, candidae tandem huius lucis excepêre laetitiam; cum providens Deus viduatae Ecclesiae, quam acquisivit sanguine suo, Te, ornamentis virtutum praeclarum, Rectorem dederit, Magistrum et Ducem. Pro quo divino accepto munere immortales quidem agendae sunt gratiae; ipsaque Ecclesia, iam vestimentis iucunditatis induta, confiteatur Domino qui facit mirabilia magna solus. Dum itaque ob assumptionem Tui ad apicem sacerdotii totus profusis gaudiis mundus exsultat, et caelites ipsi plaudere quodammodo et gestire videntur; Tu, Pater sanctissime, ingredere feliciter maximum hoc verendumque Religionis domicilium, sacris cineribus et gloriosis tropaeis Principis Apostolorum insigne, quo, congratulante Pontificum agmine, qui effuso pro Christo sanguine, caelestis doctrinae documentis vitaeque sanctimonia ac rerum gestarum gloria Apostolicam Sedem illustrarunt, beatus Marcus, dilectus Petri discipulus, Te, eximium cultorem suum ex Hadriatici maris sinu ad magnum Magistrum deducit, ut eius Cathedram conscendens et summi sacerdotii solemnia capessas et pro dignitate et merito libamenta honorum recipias.

Capitulum interim cum Klero huius sacrosanctae Vaticanae Basilicae, cui ex benignitate Praedecessoris Tui praeesse mihi honori est, ad Templi limina venerabundum Te totius orbis Parentem et Iesu Christi Vicarium quam reverenter et gratanter salutat, ac publica sponsione obtestatur se Tibi arctissimo fidelitatis, obedientiae et amoris nexu devinctum, perpetuo inviolateque adhaesurum. Deum autem Optimum Maximum adprecatur, ut votis communibus annuens, sospitem Te incolumemque diutissime servet, curasque Tuas, quas in Ecclesiae et populi christiani commodum es impensurus, prosperis successibus cumulet atque fortunet.

Superest, beatissime Pater, ut hanc propensissimae voluntatis nostrae significationem benigne excipere, Capitulum ipsum et Klerum ad sacrorum Pedum osculum admittere et Apostolicam Benedictionem nobis omnibus impertire digneris, quod enixe petimus et obsecramus.

(1) Excerptum ex Folio *Bessarione.*

Il Santo Padre ammetteva dapprima all'obbedienza l'E.mo Arciprete che gli baciava la mano ed il piede, ricevendo infine l'amplesso, quindi i Vescovi che gli baciavano il piede e il ginocchio, e infine tutti gli altri che gli baciavano il piede.

Terminata l'obbedienza, il Sommo Pontefice impartiva all'E.mo, al Capitolo e Clero la Benedizione Apostolica.

L'ingresso nella Basilica.

Ricompostasi la processione, il Santo padre, col suo corteo faceva ingresso in Basilica.

Al suo apparire le trombe d'argento suonate dai Trombetti Pontificii intuonavano la marcia trionfale del Longhi e la enorme folla, riunita nella Basilica, frenando a stento gli applausi, si prosternava devota sul suo passaggio ed Egli vivamente commosso la benediva.

Nelle Cappelle del Sacramento e di S. Gregorio.

Dispostasi la processione nella navata centrale fino alla Cappella del Sacramento, il Santo Padre veniva portato nella Cappella, accompagnandolo il Sacro Collegio. Quivi disceso dalla Sedia Gestatoria adorava l'Augustissimo Sacramento, solennemente esposto. Terminata l'adorazione, Sua Santità veniva portata alla Cappella di S. Gregorio, dove assidevasi in Trono, e dove dopo l'obbedienza prestatagli dal S. Collegio, e dopo il canto di *Terza* intuonato dalla stessa Santità Sua, deposto il manto, assumeva il camice, il succintorio, la Croce, il *Fanone*, la stola, la tonacella, la dalmatica, i guanti, la pianeta, sulla quale veniva ripiegato il Fanone. Ponevasi in capo la mitra preziosa ed in dito l'anello. I sacri paramenti erano apprestati dai votanti di Segnatura, a cui erano consegnati dal sotto-Sagrista. L'E.mo Cardinal Segna, Diacono ministrante, aiutava il Santo Padre a pararsi.

Contemporaneamente gli E.mi Cardinali assumevano le vesti a loro proprie, cioè i Vescovi pluviale e mitra damascata, i Preti pianeta e mitra damascata, i Diaconi dalmatica e mitra damascata. Egualmente i Patriarchi, Arcivescovi e Vescovi, indossavano il pluviale e la mitra di tela bianca, i Penitenzieri di S. Pietro la pianeta bianca, alcuni Uditori di Rota la tonacella, gli Avvocati concistoriali il pluviale affibbiato sulla spalla col cappuccio della cappa posto sul medesimo, i Prelati, meno i Protonotarî Apostolici, la cotta sul rocchetto.

All'Altare Papale — La Messa.

Terminato il canto di *Terza*, la processione diretta dall'E.mo Cardinal Macchi, che si era posto all'ingresso della quadratura con in mano la *ferula*, si avviava verso l'Altare Papale. Il Santo Padre era in Sedia Gestatoria fra i flabelli Durante il percorso del corteo, Monsignor Menghini, Ceremoniere pontificio, accompagnato da due chierici di cappella, tre volte a breve distanza inginocchiandosi, e prendendoli da un argenteo vassoio, bruciava dei batuffoli di stoppa, posti su canna inargentata, cantando lentamente rivolto al Sommo Pontefice, *Pater Sancte, sic transit gloria mundi!*

Il Sommo Pontefice giunto all'altare deponeva la mitra e recitava le preghiere comuni della Messa, avendo alla sua destra l'E.mo Cardinale Serafino Vannutelli Vescovo di Porto, Sotto Decano del S. Collegio, Vescovo Assistente; alla sinistra il Cardinale Diacono di ufficio, E.mo Segna, e dietro di Lui i due Cardinali Diaconi E.mi Macchi e Pierotti, Assistenti, con i Prelati e gli Officianti all'altare.

Entrata Sua Santità nella quadratura e abbandonata la Sedia Gestatoria, gli E.mi Cardinali Fischer, Katschthaler e Taliani, ultimi dell'Ordine dei Preti, ricevevano l'amplesso. Quindi il Santo Padre incominciava la Messa.

Dopo l'*Indulgentiam*, il Suddiacono poneva il manipolo al braccio di Sua Santità che siedevasi, mentre i Cardinali Vescovi, Oreglia Decano, Vescovo di Ostia e Velletri, Serafino Vannutelli Sotto Decano, Vescovo di Porto e Santa Rufina, e Agliardi Vescovo di Albano, recitavano sopra il Pontefice le preci dell'Incoronazione.

Quella detta dall'E.mo Agliardi era la seguente:

Deus, qui adesse non dedignaris ubicumque devota mente invocaris, adesto, quaesumus, invocationibus nostris et huic famulo tuo PIO *quem ad culmen apostolicum inditum tuae plebis elegisti; ubertate supernae benedictionis infunde, ut sentiat se tuo munere ad huuc apicem pervenisse.*

L'altra recitata dall'E.mo Vannutelli, Sotto Decano, è stata la seguente:

Supplicationibus nostris, omnipotens Deus, effectum consuetae pietatis impende et gratia Spiritus Sancti famulum tuum PIUM perfunde; ut qui in capite Ecclesiarum nostrae servitutis ministerio constituitur, tuae virtutis soliditate roboretur.

In fine l'E.mo Oreglia, Decano, recitava la preghiera seguente:

Deus, qui Apostolum tuum Petrum inter caeteros Apostolos primatum tenere voluisti, eique universae Christianitatis molem super humeros imposuisti, respice quaesumus propitius hunc famulum tuum PIUM quem de humili cathedra violenter sublimatum in thronum eiusdem Apostolorum Principis sublimamus: ut sicut profectibus tantae dignitatis augetur, ita virtutum meritis cumuletur quatenus Ecclesiasticae universitatis onus te adiuvante digne ferat et a te, qui es beatitudo tuorum, vicem meritam recipiat: Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Terminate le suddette orazioni, mentre il Santo Padre ascendeva l'altare, i cantori intuonavano l'*Introito.*

Questo terminato, l'E.mo Card. Macchi, Primo Diacono, unitamente all'E.mo Card. Pierotti, secondo dei Diaconi, imponeva il *Pallio* al Sommo Pontefice, pronunciando la seguente formola:

Accipe Pallium sanctum plenitudinem pontificalis officii, ad honorem omnipotentis Dei et gloriosissimae Virginis Mariae eius matris, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Sanctae Romanae Ecclesiae.

Il *Pallio* veniva attaccato sopra il *Fanone* con tre spille d'oro gemmate. Quindi il Sommo Pontefice saliva l'altare e lo incensava.

Allora l'E.mo Cardinale Diacono incensava tre volte il Santo Padre, baciandolo dipoi sopra una gota e sul petto. Egualmente si praticava dai due Cardinali Diaconi assistenti.

Dopo di che Sua Santità, sedendo in Trono, riceveva l'ultima *adorazione* dai Cardinali che Le baciavano il piede e la mano, mentre il Santo Padre li abbracciava due volte. I Patriarchi, gli Arcivescovi e i Vescovi gli baciavano il piede e il ginocchio destro, e gli Abati mitrati il piede.

Dopo tale omaggio, il Santo Padre leggeva l'introito della Messa della Cattedra di S. Pietro con l'orazione *pro seipso* e intuonava il *Gloria*, durante il canto del quale tutti siedevano. Terminato il *Gloria* e detta dal Papa l'orazione della Messa *in die coronationis*, l'E.mo Cardinal primo Diacono sunnominato, preceduto dai Mazzieri e dai Ceremonieri, dagli Uditori di Rota e dagli Avvvocati Concistoriali, tenendo in mano la *ferula* o piccolo bastone ricoperto di velluto rosso con ornamenti in argento, discendeva al Sepolcro di S. Pietro, intuonava le litanie dell'Incoronazione, ripetendo tre volte: *Exaudi Christe*, cui gli assistenti rispondevano: *Domino Nostro PIO a Deo decreto Summo Pontifici et universali Papae, vita.*

Quindi gli E.mi Cardinali cantavano le litanie dell'Incoronazione, alle quali il coro ad ogni invocazione rispondeva: *Tu illum adiuva.*

Laudes in die Coronationis SS. D. N. Pii PP. X

Card. Diac.:	*Chorus:*
Exaudi, Christe.	℟. Sanctissimo Domino nostro Pio, a Deo decreto Summo Pontifici et universali Papae vita. (*Et dicitur ter*).
Salvator mundi,	℟. Tu illum adiuva. (*Bis*).
Sancta Maria,	℟. Tu illum adiuva. (*Semel*).
Sancte Michaël,	℟. Tu illum adiuva id.
Sancte Gabriel,	℟. Tu illum adiuva id.
Sancte Raphaël,	℟. Tu illum adiuva id.
Sancte Ioannes Baptista,	℟. Tu illum adiuva id.
Sancte Petre,	℟. Tu illum adiuva id.
Sancte Paule,	℟. Tu illum adiuva id.
Sancte Andrea,	℟. Tu illum adiuva id.
Sancte Stephane.	℟. Tu illum adiuva id.
Sancte Leo,	℟. Tu illum adiuva id.
Sancte Gregori,	℟. Tu illum adiuva id.
Sancte Benedicte,	℟. Tu illum adiuva id.
Sancte Basili,	℟. Tu illum adiuva id.
Sancte Sabba,	℟. Tu illum adiuva id.
Sancte Dominice,	℟. Tu illum adiuva id.

Sancta Agnes, ℟. Tu illum adiuva (*Semel*).
Sancta Caecilia, ℟. Tu illum adiuva id.
Sancta Lucia, ℟. Tu illum adiuva id.
Kyrie, eleison, ℟. Kyrie, eleison.
Christe, eleison, ℟. Christe, eleison.
Omnes: Kyrie, eleison.

Terminate le litanie, il Suddiacono latino, assistito da un Maestro delle Ceremonie, cantava l'Epistola, ed atteso che questa venisse cantata dal Suddiacono greco nel suo idioma, muovevano entrambi a baciare il piede al Santo Padre.

Durante il canto del *graduale*, Sua Santità leggeva l'Epistola ed il Vangelo, sorreggendogli il libro il primo dei Vescovi Assistenti al Soglio e la bugia un altro Vescovo.

Dopo tale lettura, il Cardinale Diacono assistente, posto sull'altare il libro dei Vangeli, recavasi al Trono a baciar la mano al Sommo Pontefice, e il Cardinal Vescovo assistente gli porgeva l'incenso per la benedizione.

Il Diacono, fatto ritorno all'altare dopo aver recitato il *Munda cor meum*, preso il libro dei Vangeli e accompagnato dal Suddiacono, preceduto dal turiferario e da sette accoliti coi candelieri, recavasi al Trono e dopo ricevuta la benedizione, cantava il Vangelo, il quale veniva in seguito cantato anche dal Diacono greco nel proprio idioma.

Quindi dal Santo Padre s'intuonava il *Credo*.

Durante il canto del *Credo*, dall'E.mo Cardinale Diacono officiante e dal Suddiacono latino, veniva stesa sulla mensa dell'altare una tovaglia a ricami e frangie d'oro. In seguito venivano preparati il calice, la patena, i purificatoi, il cucchiaio d'oro e le ampolle. Fatta dal Sacrista la purificazione ed eseguita la *pregustazione*, tutto veniva portato all'altare dove l'E.mo Diacono prendeva tre ostie disponendole sulla patena.

Durante l'*oremus* o l'*offertorio* l'E.mo Diacono prendeva una delle tre ostie da servir per la Messa, consegnando le altre due al Sagrista che le consumava rivolto verso il Sommo Pontefice, eseguendo anche la *pregustazione* del contenuto delle ampolle.

Tornato il Santo Padre all'altare per l'*offertorio*, l'E.mo Diacono gli porgeva la patena con l'ostia, versando quindi il vino nel calice, mentre le poche gocce di acqua che vi vanno mescolate venivano immesse nel calice dal Suddiacono con un cucchiaio d'oro.

Fatta l'incensazione e cantato dal Santo Padre il *Prefazio*, i Votanti di Segnatura con le torce prendevano posto dinnanzi all'altare.

Nel momento solenne dell'elevazione, un silenzio profondo regna nell'immensa Basilica, ed una vivissima commozione invade ogni animo, mentre il Vicario di Gesù Cristo leva in alto le Sacre Specie, le ostende in giro da destra a sinistra ai fedeli, e le trombe d'argento intuonano la melodia del Silveri.

Tutti pregano, tutti intercedono da Gesù in Sacramento, che voglia colmare dei suoi soavi carismi Colui cui s'è degnato affidare il governo della sua Chiesa.

Al *Pater*, venivano preparati con una nuova *pregustazione* l'acqua, il vino e il calice per le abluzioni.

Dopo l'*Agnus Dei*, il Santo Padre tornava al Trono, mentre l'E.mo Cardinal Vescovo assistente trasmette agli altri E.mi Cardinali e agli altri dignitari la *pace*.

Allora l'E.mo Cardinal Diacono officiante prendeva dall'altare la patena con l'Ostia Sacra, ricoprendola con l'asterisco o stella d'oro a dodici punte, e dopo averla innalzata per mostrarla al popolo, la consegnava al Suddiacono, che la riceveva inginocchiato, e quindi levato, e con le mani ricoperte da un ricchissimo velo di seta ricamato in oro, la recava al Trono,

L'E.mo Diacono rimaneva inginocchiato fino a che l'Eminentissimo Suddiacono non era giunto con le Sacre Specie al Trono, dove il Santo Padre le riceveva parimenti in ginocchio. Frattanto l'E.mo Diacono, alzato il calice consacrato e ricoperto con la palla ricamata, lo portava egualmente al *Trono* dove il Santo Padre lo riceveva in ginocchio.

Preso posto dagli E.mi Cardinali Assistenti, Sua Santità, rilevatasi, leggeva le altre due orazioni avanti la Comunione, e quindi, tolto dal Prefetto delle Cerimonie, che trovavasi sempre a lato del Sommo Pontefice, l'asterisco posto sulla patena, prendeva l'Ostia Santa, recitando il *Domine, non sum dignus*.

Deposta quindi una metà dell'Ostia sulla patena, con l'altra metà si comunicava. Ricevuto quindi il cannello d'oro o *fistola*, portagli dall'E.mo Cardinal Vescovo Assistente, con esso sorbiva parte del Preziosissimo Sangue. Dopo di che, spezzata in due l'altra parte dell'Ostia Sacra, vi comunicava il Diacono ed il Suddiacono, i quali, ricevuto l'amplesso col bacio del Santo Padre, ritornavano all'altare e purificata dal Suddiacono la patena nel calice, il Diacono sorbiva un'altra parte del Preziosissimo Sangue, mentre la parte rimasta veniva sorbita dal Suddiacono, che purificava in fine anche il calice.

Fatte le abluzioni sul Trono, in un altro calice, che le veniva presentato dall'E.mo Cardinal Vescovo Assistente, Sua Santità si lavava le mani nel bacino che le veniva apprestato da S. A. il Principe Orsini, Assistente al Soglio Pontificio, e dopo recavasi all'altare per il *Communio* e l'ultima orazione. Benedetti gli astanti e recitato l'ultimo Vangelo, il Santo Padre recavasi alla Sedia Gestatoria.

Appressatosi l'E.mo Arciprete Cardinale Rampolla, accompagnato dai due Canonici Sagrestani, offriva a Sua Santità una borsa di seta bianca ricamata in oro, contenente 25 giulî, dicendole: *Beatissime Pater, Capitulum et Canonici huius Sacrosanctae Basilicae, Sanctitati Vestrae offerunt consuetum presbyterium pro Missa bene cantata.*

S. Santità degnavasi di consegnare la borsa all'E.mo Cardinal Diacono, che la passava al suo caudatario.

La Coronazione.

Terminata la Messa, l'Ecc.mo Corpo Diplomatico accreditato presso la Santa Sede, discendeva dalla propria tribuna andando a prendere posto dinanzi al podio apprestato dinanzi alla Confessione per l'Incoronazione. Altrettanto veniva fatto dai membri del Patriziato e della Romana Aristocrazia.

Riordinata come, in antecedenza, la processione, questa sfilava d'intorno alla Confessione e nella navata centrale della Basilica.

Giunto il Santo Padre, sulla sedia gestatoria e sotto il baldacchino, al podio, quivi la sedia veniva deposta, attorniandola il Sacro Collegio, i Vescovi e tutti i personaggi sopracitati.

I Cantori allora intuonavano l'Inno *Corona aurea super caput eius*, dopo il quale l'E.mo Cardinal Decano recitava le analoghe preci.

Appressatosi l'E.mo Cardinale Pierotti, secondo Diacono,

toglieva dal capo di Sua Santità la mitra, e l'E.mo Cardinale Macchi, primo Diacono, Le poneva in capo la Tiara dicendo :

Accipe Thiaram tribus coronis ornatam, et scias te esse patrem principum et regum, rectorem orbis in terra, Vicarium Salvatoris Nostri Iesu Christi, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Incoronato il Sommo Pontefice, recitava la consueta formula dell'assoluzione Papale, impartendo infine solennemente la Benedizione Apostolica.

Data la Benedizione, dall'E.mo Macchi, in latino, e dall'E.mo Pierotti, in italiano, veniva pubblicato il breve col quale la Santità di Nostro Signore concedeva l'Indulgenza Plenaria a tutti i presenti.

Summus Pontifex Pius PP. X Thiaram accepit tribus coronis ornatam, quo significatur plenitudo Pontificalis Potestatis. Magnum igitur Ecclesiae contigit gaudium: et habere Pontificem, et talem habere, Cui praeter reverentiae obedientiaeque significationes, Beati Petri Successori debitas, ultro sponte accedunt omnium deditissimi affectus voluntatesque addictissimae.

Dominus conservet **Eum...** *ad multos annos.*

FELIX CADÈNE

ACTA LEONIS PP. XIII.

Quum in propria huiusce nostrae Ephemeridis indole sit, ut Summorum Pontificum Acta, fideliter prompteque referantur, utile ducimus summatim indigitare Acta *praecipua* quae a Leone PP. XIII fel. rec. fuerunt peracta.

Equidem quam multa, quam varia, quam momentosa sint, neminem fugit; nec mirandum, quum de tanto Pontifice, de tamque diuturno Pontificatu, sermo sit.

Elenchus triplex proponetur:

I. *De extensione Catholicae Hierarchiae.* LEONE PP. fel. regnante, 2 Patriarchatus fuerunt erecti; 10 Sedes Archiepiscopales fuerunt pariter erectae; 25 Sedes Episcopales, in Archiepiscopales Sedes fuerunt erectae; 113 Dioeceses fuerunt creatae; 63 Vicariatus Aplici fuerunt instituti; 31 Praefecturae Apl. fuerunt constitutae; duae Abbatiae nullius fuerunt erectae.

II. De *Canonizationibus*, numero 12; et de *Beatificationibus*, numero 29, peractis.

III. De praecipuis *documentis scriptis*; videlicet: De Litteris Encyclicis (106); de praecipuis Apost. Litteris et Brevibus (43); de praecipuis Allocutionibus (14).

De coetero, omnia haec, et alia quae hic non enumerantur documenta, ab anno videlicet 1893, usque in praesens, *in extenso* relata jacent in singulis Ephemeridis nostrae voluminibus.

DE EXTENSIONE CATHOLICAE HIERARCHIAE LEONE PP. XIII REGNANTE

Patriarchatus a Leone PP. XIII creati (2)

Alexandrie (Egypte), rite copte, érigé le 26 novembre 1895 *(Christi Domini)*.
Indes Orientales (Hindoustan, Colonies Portugaises), érigé le 1er septembre 1886 (*Humanae salutis auctor*).

Sedes Archiepiscopales a Leone PP. XIII erectae (10)

Agra (Indes Anglaises), 1er septembre 1886.
Alep (Syrie), 3 février 1899.
Edimbourg (Ecosse), 4 mars 1878.
Carthage, 19 novembre 1884.
Colombo (Ile de Ceylan), 1er septembre 1886.
Pondichéry (Hindoustan), 1er septembre 1886.
Serajevo (Bosnie), 5 juillet 1881.
Tokio (Japon), 15 juin 1891.
Vancouver (Etats-Unis), 1903.
Verapoly (Hindoustan), 1er septembre 1886.

Sedes Episcopales in Archiepiscopales erectae a Leone PP. XIII. (25)

Adélaïde (Australie), 5 mai 1887.
Antequera (Mexique), 23 juin 1891.
Aquila (Italie), 1881.
Bombay (Hindoustan), 2 octobre 1893.
Brisbane (Australie), 13 mai 1887.
Bukarest (Roumanie), 27 avril 1883.
Calcutta (Hindoustan), 1er septembre 1886.
Carthagène (Colombie), 1901.
Chicago (Etats-Unis), 10 septembre 1880.
Dubuque (Etats-Unis), 15 juin 1893.
Durango (Mexique), 1895.
Hobart (Tasmanie-Océanie), 3 août 1888.
Kingston (Canada), 23 janvier 1890.
Linarès (Mexique), 23 juin 1891.
Madras (Hindoustan), 1er septembre 1886.

Medellin (Colombie), 1902.
Montevideo (Uruguay), 19 avril 1897.
Montréal (Canada), 10 mai 1887.
Ottawa (Canada), 8 juin 1886.
Saint-Paul de Minnesota (Etats-Unis), 4 mai 1888.
Pérouse (Italie), 27 mars 1882.
Popayan (Colombie), 20 juin 1900.
Rio-de-Janeiro (Brésil), 27 avril 1892.
Sébaste (Asie-Mineure), 30 mai 1892.
Wellington (Nouvelle-Zélande), 1887.

Sedes Episcopales a Leone PP. XIII erectae (113)

Aberdeen (Ecosse), supprimé en 1577, rétabli le 4 mars 1878.
Aguas Calientes, 27 août 1899.
Alagoas (Brésil), 2 juillet 1900.
Alexandrie (Canada), 21 janvier 1890.
Allahabad (Indes anglaises), 1er septembre 1886.
Altona (Etats-Unis), 1901.
Amazones (Brésil), 27 avril 1892.
Argyll (Ecosse), 4 mars 1878.
Baker City (Etats-Unis), 1903.
Banjaluka (Bosnie) 5 juillet 1881.
Belleville (Etats-Unis), 7 janvier 1887.
Bombay (Hindoustan), 1er septembre 1886.
Campêche (Mexique), 2 décembre 1895.
Cheyenne (Etats-Unis), 1887.
Chiavari (Italie), 3 décembre 1892.
Chicoutimi (Canada), 28 mai 1878.
Chihuahua (Mexique), 23 juin 1894.
Christchurch (Nouvelle-Zélande), 5 mai 1887.
Saint-Cloud (Etats-Unis), 1889.
Coïmbatour (Indes françaises), 1er septembre 1886.
Colima (Mexique), 11 décembre 1881.
Concordia (Etats-Unis), 2 août 1887.
Cuernavaca (Mexique), 23 juin 1891.
Curityba (Brésil), 27 avril 1892.
Dacca (Indes anglaises), 1er septembre 1886.
Dallas (Etats-Unis), 15 juillet 1890.
Damao (Indes portugaises), 1er septembre 1886.
Davenport (Etats-Unis), 1881.
Denver (Etats-Unis), 8 août 1887.
Duluth (Etats-Unis), 3 octobre 1889.
Dunkeld (Ecosse), 4 mars 1878.
Fargo (Etats-Unis), 1889.
Galle (Ile de Ceylan), 16 août 1893.
Galloway (Ecosse), 4 mars 1878.
Geraldton (Australie), 30 janvier 1898.
Glasgow (Ecosse), 4 mars 1878.
Grand-Rapids (Etats-Unis), 1882.
Hacodaté (Japon), 15 juin 1891.
Helena (Etats-Unis), 1884.
Hermopolis majeure (rite copte), 26 novembre 1895.
Huarez (Pérou), 8 mai 1899.
Hydebarad (Hindoustan), 1er septembre 1886).
Ibagué (Colombie), 20 juin 1900.
Jaffna (Ile de Ceylan), 1er septembre 1886.
Jassy (Roumanie), 27 juin 1884.
Kandy (Ile de Ceylan), 1er septembre 1886.
Kansas-City (Etats-Unis), 10 septembre 1880.
Kielce (Pologne russe), 1882.
Kisnaghur (Hindoustan), 1er septembre 1886.
Kombakonam (Indes anglaises), 13 septembre 1899.
Lac-Salé (Etats-Unis), 27 janvier 1891.
Lahore (Hindoustan), 1er septembre 1886.
Lead City (Etats-Unis), 1903.
Leeds (Angleterre), 20 décembre 1878.
Lincoln (Etats-Unis), 27 juillet 1887.
Malacca (Indo-Chine anglaise), 10 août 1888.
Manchester (Etats-Unis), 1884.
Mangalore (Hindoustan) 1er septembre 1886.
Manizales (Amérique centrale), 11 avril 1900.
Menevia (Angleterre) 12 mai 1898.
Middlesborough (Angleterre), 4 mars 1878.
Mismore (Australie), 5 mai 1887.
Mixtecas (Mexique), 25 avril 1902.
Monaco (Principauté de Monaco), 15 mars 1887.
Montevideo (Uruguay), 15 juillet 1878.
Mostar (Herzégovine), 5 juillet 1881.
Musc (Haute-Arménie), 1883.
Mysore (Hindoustan), 1er septembre 1886.
Nagasaki (Japon), 15 juin 1891.
Nagpour (Hindoustan), 29 juillet 1887,
New-Westminster (Canada), 2 septembre 1890.
Nicolet (Canada), 10 juillet 1885.
Omaha (Etats-Unis), 2 octobre 1885.
Osaka (Japon), 16 mars 1888.
Parahyba (Brésil), 27 juillet 1892.
Pembroke (Canada), 4 mai 1898.
Peterborough (Canada), 11 juillet 1882.
Petropolis (Brésil), 21 mai 1893.
La Plata (République Argentine), 15 février 1897.
Poona (Hindoustan), 1er septembre 1886.
Port-Augustus (Australie), 5 mai 1887.
Portsmouth (Angleterre), 1882.
Port-Victoria (îles Seychelles), 14 juillet 1892.
Pouso-Alegre (Brésil), 4 août 1900.
Quilon (Hindoustan), 1er septembre 1886.
Rockhampton (Australie), 29 décembre 1882.
Sale (Australie), 5 mai 1878.
Saltillo (Mexique), 23 juin 1891.
Salto (Uruguay), 14 avril 1897.
Santa-Fé (République Argentine), 15 février 1897
Sinaloa (Mexique), 27 janvier 1884.
Sioux-City (Etats-Unis), 1902.
Sioux-Falls (Etats-Unis), 12 novembre 1889.
Soccoro (Colombie), 20 mars 1896.
Spirito-Santo (Brésil), 15 novembre 1895.
Stanislawow (Pologne Autrichienne), 26 mai 1885
Syracuse (Etats-Unis), 22 novembre 1886.
Tabasco (Mexique), 25 mai 1880.
Tehuantepec (Mexique), 23 juin 1893.
Tepic (Mexique), 23 juin 1891.
Thèbes (Egypte), 26 novembre 1895.
Trenton (Etats-Unis), 1881.
Trichinopoly (Hindoustan), 1er septembre 1886.
Trincomalie (île de Ceylan), 25 août 1893.
Tucson (Etats-Unis), 4 mars 1897.
Tucuman (République Argentine), 15 février 1897.
Tunja (Colombie), 20 juillet 1880.
Valleyfield (Canada), 5 avril 1892.
Vizagapatam (Hindoustan), 1er septembre 1886.
Wichita (Etats-Unis,) 28 juillet 1887.
Wilcannia (Australie), 5 mai 1887.
Winona (Etats-Unis), 26 novembre 1889.
Zulia (Colombie), 28 juillet 1897.

(De caeteris, infra).

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister.
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Patr. Costant. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente*.

Roma, 1903. — Tip. Editr. Romana, via della Frezza, 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS UNDECIMUS

FASCICULI NONUS ET DECIMUS - SEPTEMBER ET OCTOBER 1903

SUMMARIUM

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Leonis D. P. PP. XIII, Litterae Apostolicae quibus B. Petro Fourier, canonico regul., Congr. Salvatoris nostri reformatori, atque monialium Dominae nostrae institutori, sanctorum honores decernuntur.

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum (Iª Ioan., cap. IV, 21). Unicum est quippe Charitatis praeceptum, quo Deum, et proximum propter Deum diligere iubemur. Etenim *ratio diligendi proximum Deus est: hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit: unde manifestum est, quod idem specie actus sit, quod diligitur Deus, ut diligatur proximus; et propter hoc habitus charitatis non solum se extendit ad dilectionem Dei, sed ad dilectionem proximi (S. Thomas, Quaest. XXV, art. 13).* Quapropter qui dilectionem proximi a dilectione summi Boni, quae est charitas, seiungunt, *philantropiam* nescio quam inducentes, hi profecto humani generis finem ultimum pervertentes, nempe Deum; ipsam actionem virtute sublimissimam in nihilum vertere conantur.

Hinc luctuosa valde ac pessima illa iudicandi proclivitas in proximi procuranda felicitate; bona scilicet spiritualia vel nihili ducenda, vel saltem posthabenda iis, quae ad corporis animique cultum, vel civilem profectum, ut aiunt, per-

tinere videntur. Quod quam prorsus sit absonum a Christi doctrina, luculentius Sanctorum exemplis quam verbis demonstratur. Intuemini itaque, filii dilectissimi, insigne charitatis exemplar, quod vobis hodie proponit Ecclesia, ut Sanctum Petrum, Eius adiuti auxilio, imitantes, ex Ipso charitatis fonte Domino Nostro Iesu Christo, veram charitatem haurire possitis, quae nuptialis vestis est; qua qui non sit indutus, *ligatis manibus et pedibus, mittitur in tenebras exteriores* (Matth. C. XII, 13).

Petrus honesto loco natus est Mirecuriae in Lotharingia anno Domini MDLXV, die XXX Novembris, patre Dominico Fourier, matre Anna Nacquart, catholicae religionis amore et Christianarum virtutum laude spectatissimis. Filiolum, quem cariorem habuerunt, propter mirabilia charismata, quibus ab infantia enituit, magna cura edocuerunt: cumque in adolescentulo iam provectae virtutes apparerent, itemque experrecti admodum ingenii emicarent indicia, eum Patribus e Societate Iesu instituendum tradiderunt, in Lyceo Mussipontano, celeberrima tunc in Lotharingia et scientiarum et virtutum palaestra.

Hic cum literas humaniores et philosophiam perdidicisset, altiora studia antequam ingrederetur, de vitae statu eligendo cogitare coepit; cumque diu et sapienter deliberasset, non sine divino instinctu Canonicis regularibus nomen dedit, et Calmosiacum Monasterium ingressus, ibi tyrocinio ad exemplum posito, cum magna omnium expectatione vota nuncupavit.

Deinceps in Mussipontanam Universitatem reversus, usacris scientiis operam daret, studiorum socios nactus est Lairuels et De la Cour; quorum primus disciplinam restit tuit in Ordine Monachorum Praemonstratensium, alter optime de Benedictino Instituto meritus est, celeberrimusque fundator extitit Monasteriorum, quibus a S. Victore et a S. Adulpho nomen est. Illorum conversatione valde delectatus est Petrus, qui facile ex eis, et Ioanne Fourier e Soc. Iesu consanguineo suo, quem tanti faciebat Sanctus Salesius multa hausit, quae dein in Monasterii Calmosiaci reformatione plurimum profuerunt.

Quamobrem quum eo rediisset, et Sacerdotio auctus esset; quid religiosus praestare debeat magis exemplo, quam inani verborum iactatione ostendens, Antistitem statim rogavit, ut maiorem sui commeatus partem in pauperes erogare liceret, contentus ipse leguminibus, decoctis radicibus, et vino aqua dilutissimo, orationi, contemplationi, et rigidissimae poenitentiae unice addictus.

Quomodo autem Petrus animo comparatus esset, tum perspectum fuit, cum, tribus curatis beneficiis vacantibus, ei facta est facultas, quod vellet, eligendi. Elegit enim, quod pauperius erat, et vitiosis hominibus ac Religioni catholicae infestis adeo retortum, ut *et parva Geneva* vulgo appellaretur, aiens: *ibi parum futurum esse redditutum, laborum satis.* Pago nomen erat Mataincuria, quem B. Petrus ingressus est, cum iam instarent SS. Corporis Domini Nostri Iesu Christi solemnia. Quamobrem beneficii sui possessionem inire voluit Divinissimum Sacramentum solemni pompa circumferens, tantaque maiestate verendus, ut eius conspectus ad fidem, et poenitentiam commoveret animos. Qui victi omnino sunt, cum Petrus ardentissima et tenerrima verba fecisset de miro erga homines Iesu Christi amore, deque sua voluntate tam bonum Pastorem imitandi usque ad mortem, quam se pro cuiusque eorum salute libenter obiturum non dubitaret. Hinc miraculo simile visum est, quod opere B. Petri, in eo diaboli domicilio tria Catholica sodalitia eaque frequentissima constituta sint; quorum primum dicatum SS.mae Virgini a Rosario nuncupatae; alterum Eidem sine labe originali conceptae, cui Deiparae privilegio se Petrus adsertorem praestitit strenuissimum, tertium S. Sebastiano.

De prodigiosa huiusmodi populi immutatione, per universam Dioecesim Tullensem, cum fama percrebuisset, miri undique popularium Mataincuriae concursus facti sunt; et ipse Episcopus Tullensis Petro aliis Parochis in exemplum proposito, illumque iussit universam Dioecesim sacra expeditione peragrare: quod ita ille praestitit, ut Christianae virtutes sopitae et fere intermortuae iterum viguerint, et Calviniana haeresis, alicubi iam audacius exultans, fuerit repressa.

Haec cum ageret ad spiritualem populorum sibi creditorum profectum, minime ea negligebat, quae civili eorum cultui provehendo maxime conducunt; qua in re multa ille excogitavit instituitque, quibus recentiores oeconomicae scientiae Doctores gloriantur, quaeque, si vitam eis Christianae charitatis halitus infundat, valde prosunt reipublicae, atque animorum concordiae. Praeceptum autem eleemosynae adeo suis inculcabat, tamque suaviter, ut Mataincuriae quoddam quasi inter ditiores certamen esset in eleemosynis suppeditandis, ac ille locupletior censeretur, qui pluribus praesto fuisset pauperibus.

At praecipue rectam Christianae plebis institutionem B. Petrus curavit. Qua in re perversae illi consuetudini, quae tunc gliscere coeperat, *promiscuae*, quam vocant, *scholae* acerrimum bellum indixit; cumque res ei feliciter Mataincuriae evenisset, hanc pestem aliis etiam ex locis arcendi cupidus, magnam ac perpetuam sacrarum Virginum Societatem instituere cogitavit, quae puellis foeminei sexus ad bonas artes et pietatem instituendis, gratuitam daret operam. Salutaris haec institutio, Deo adiuvante, et interdum modis omnino mirandis adeo crevit, ut etiamnum non modo in Europa aliisque veteris mundi partibus, sed etiam in America fructus edat uberrimos. Eam autem s. m. Paulus Papa V probavit Kalendis Februarii anno MDCXIV, deinceps Urbanus VIII egregiis privilegiis decoravit, et Moniales Canonissas regulares S. Augustini Congregationis *Dominae Nostrae* esse et nominari sanxit.

Interim, quam exemplo inceperat Canonicorum Regularium reformationem provehere et perficere, auctoritate canonica munire sategit. Sanctus enim vir valde dolere debuit; sacrum illum Coetum, cuius historia tot praeclaris gestis, tot viris doctissimis et sanctissimis illustris est, in quo S. Dominicus, S. Bruno, S. Norbertus gloriosae vitae initia posuerant, adeo a seipso iis in locis descivisse, ut Pontificum, atque celsissimorum Ecclesiae Procerum, illum ad pristinam dignitatem revocare pluries nitentium, et auctoritatem fefellerit et charitatem. Quamobrem Gregorius XV Apostolicis Litteris, Episcopi Tullensis studium probavit, qui post fere irritos Cardinalis Caroli a Lotharingia conatus, iterum in Canonicorum regularium reformationem, Petro adiutore maximo, vigilantius nitebatur. Res adeo prospere cessit, ut idem Pontifex brevi Romae exceperit duos pietate et doctrina viros spectatissimos rogantes: ut Monasteria, quae Petrus mandato Episcopi Tullensis et Pontificia auctoritate reformaverat, probarentur, ac in iuridicam Congregationem erigerentur, cui perpetuus Generalis praeesset.

Unio Monasteriorum statim concessa est; Generalatus autem perpetuitas non item; sed haec etiam die 25 Ianuarii anni MDCXXIX impetrata est.

Haec dum gereret Petrus, Mataincuriensium minime oblitus est. Ad hos, nomine suo regendos, Vicarii munere reliquerat Sacerdotem optimum, qui sua vestigia secutus, eos in Religione confirmaret, et contra lupos, ac praesertim haereticos strenue defenderet. Caeterum, cum sui praesentia gregis interesse videretur, nulla cunctatione aderat, solitique sunt Mataincurienses ad Petrum confugere, quoties calamitate aliqua affligerentur; quam putarent in suam perniciem a Daemone conflatam. Nam populo illi statim in mentem veniebat non posse Diabolum in suo oppido manere, Petro praesente, qui illum animabus suis pridem insidiantem arcuerat; qui paullo ante Monasteria a Petro fundata contra terribiles eorum conatus strenue defenderat, tantaque victoria debellaverat, ut rerum gestarum fama cum hominum admiratione latissime erat pervagata.

Sed longe clariores eae victoriae reputandae sunt, quibus Petrus de haereticis, qui patrem habent Diabolum, pluries triumphavit, quaeque effecerunt; ut Lotharingiae Dux non semel eius operam invocaverit, cum sibi res esset cum haereticis, hominibus plerumque factiosis, atque etiam civili concordiae infestis. Badonvillae, quae oppidum est Comitatus Salmensis princeps, Calviniani reipublicae iam fere potiti, eversa Parochi domo, et beneficii redditibus dissipatis, proceribus Civitatis sibi faventibus, plebe, vel minis perterrita vel promissionibus irretita, et ad illorum ritus coacta, ipsum Catholicum nomen se delevisse gratulabantur. Petrus eo venit, exemplo virtutum suarum, precibus, ieiuniis, mirabili ac suavissima eloquentia, labentem inter Catholicos fidem confirmavit, haereticos coërcuit, atque ita commovit, ut suorum eos facinorum poeniteret; denique parochialem aedem subsidiis undique conquisitis reparat, ipsum haereticorum templum Deiparae consecrat, in eo Missam parochialem celebrat, concionatur, invitatione facta etiam *extraneis.* Sic enim appellabat haereticos, tum ut minus acerbo nomine eos alliceret, tum ut Paulum imitaretur, qui fideles *Domesticos* vocaverat.

His artibus vincebat Petrus, pluriesque vicit. Cum autem et Dux Lotharingiae, et Summi Magistratus ei gratularentur, et populus tanto benefactori plauderet, ille, demisso capite, ea minime sibi sed primum Deo, deinde Sodalium suorum atque bonorum hominum meritis accepto, ferenda esse affirmabat. Miracula etiam, quorum multa eum patrasse gravissimi testes perhibent, a se, quantum licuit, abiudicavit, servilibus ministeriis, inter suos, ipse contentus. Deinde cum anno MDCXXXVI, pro publicis negotiis, cum aliquot e suis sociis Graiacum, Comitatus Burgundiae oppidum, missus esset, ob belli suspiciones eo prohibitus est. Quamobrem aliquot diebus in pago de *Dom Pierre* moratus, in Castro de Resines constitit, ubi dum pueris erudiendis operam daret: maiores autem natu sacris Ministeriis aliisque piis exercitationibus excoleret; in *quartanam* incidit, morbum sane non gravem, ex quo tamen se brevi moriturum praedixit Petrus. Qui vix morbo tentatus, tam ob sua peccata, sic ille dicebat, aliorum Sanctorum more consternatus est, tam territus proximo divino iudicio, ut singultibus lacrymisque ad Mariam, a qua negabat se posse deseri, clientem quidem indignissimum, at ex corde amantissimum.

Illuxit tandem dies Deiparae Immaculatae dicata, qua Petrus, sacra Synaxi iterum recreatus, exclamavit: — *Domine, non sum dignus, ut intres sub pectus meum, dignus autem, dignissimus qui extra Pomerium Urbis canibus et corvis vilis praeda pabulumque conficiar.* — Deinde ad Virginem ea verba ingeminans: — *Monstra te esse Matrem,* — ter expresso supra se signo Crucis, placidissime decessit, aetatis suae anno septuagesimo sexto, die IX Decembris MDCXL.

Corpus apertum est, et cor cum praecordiis Graiacensibus donatum; deinde Lotharingiam versus a Canonicis Regularibus transferebatur, ut in destinato loco sepeliretur; sed Mataincuriam vix perventum, populus venerabundus occurrit, negavitque se passurum Sancti et amatissimi Parochi corpus alibi sepeliri. Itaque Mataincuriae situm est adhuc B. Petri sepulchrum, ibique Deus gloriam incliti servi sui magnis miraculis confirmavit et confirmat.

Interim de Eo ad altarium honorem evehendo cogitatum est, et Inquisitionibus Ordinariis rite peractis ad virtutum *dubium* apud S. Congregationem ventum est. Cunctis legitime perfectis, Clemens XI s. m. Praedecessor noster die 1 Aprilis anno MDCCXVII decrevit — *Constare de virtutibus Ven. Servi Dei Petri Forerii, tam Theologalibus, scilicet Fide, Spe, et Charitate, quam Cardinalibus, nimirum Prudentia, Iustitia, Fortitudine, et Temperantia, earumque respective adnexis in gradu heroico.*

Quaestio vero super miraculis agitata est in S. R. Congregatione, cum Fidei Promotoris munere fungeretur inclitae memoriae Praedecessor Noster Benedictus XIV, qui ea de re loquitur in suo Opere de Canonizatione, Lib. IV, cap. XV; eademque pro veritate propugnata sunt a summo Viro Ioanne Lancisio, et sunt eiusmodi: *1° Duo mortui, invocato Beato Petro Foriero, et Reliquiarum eiusdem super ipsis applicatione ad vitam redeunt; 2° Monialis a decem mensibus variis morbis acerbissimis vexata, et demum moribunda, applicatione Imaginis Beati Petri Forerii, et Reliquiarum eius in instanti plenissima donata valetudine; 3° Mulier ita morbo comendio, seu sciatica ab anno et amplius affecta, ut nec stare, nec ambulare posset, repente sanatur: 4° Duo fratres, ab annis plurimis molestissimis et incurabilibus herniis affecti, recursu ad Beatum Petrum Forerium instantanee simul et perfectissime sanantur.*

Iis miraculis apprime probatis, decretoque Pontificio confirmatis, s. m. Praedecessor Noster Benedictus XIII, Litteris Apostolicis in forma Brevis, Beatorum numero Petrum adscripsit, die X Ianuarii anno MDCCXXX. Ex eo tempore, etsi nunquam defervuerit Beati memoriae cultus, tamen causa siluit usque ad annum MDCCCXLV, quo tempore resumpta est ad Canonizationis effectum. Anno autem MDCCCLXXXII, die XI Septembris datae sunt Litterae remissoriales pro construendo processu Apostolico super miraculo apud Curiam ecclesiasticam Argentinensem: die vero XX Decembris insequenti anno pro Apostolica alterius miraculi Inquisitione apud Curiam ecclesiasticam Parisiensem instituenda.

Primum miraculum accidit anno MDCCCLXVIII Mariae Alexandrae moniali Sodalitii a *Domina nostra,* cui nomen *Abbaye aux Bois,* in Archidioecesi Parisiaca. Ipsa, anno MDCCCLXVIII linteaminum sarcina onusta, dum scalas ascenderet prolapsa, genu in gradu earum vehementer offendit. Acerrimus in ictu dolor, postea ita sensim elanguit,

ut Alexandra suis officiis fungi posset. Sed anno insequenti, mense Aprili, insidiosus morbus hactenus tanta erupit vi, tamque diris symptomatibus, ut funestam Medici facerent prognosim. Nam dolori perpetuo atque acutissimo, saeva febris accesserat, inflatio lateris dextri totius, virium debilitas summa, deliquia, ciborum nausea. Nec remedia proderant ab expertissimis medicis adhibita. Arthritis traumatica (talem esse morbum compertum fuerat Doctoribus) in dies progrediebatur, nullaque iam erat salutis spes. Ad opem B. Petri Alexandra et Sorores fiducia plenae confugiunt, novendiali supplicatione, admotisque ad genu aegrum eius Reliquiis. Nocte illius diei, qua novendiales preces inceptae sunt, Alexandram placidissimus complectitur somnus; postridie mane, gratulantibus Sororibus, surgit e lecto, citissime ambulat, libentissime manducat. Nulla autem diri morbi, atque ipsarum Chirurgorum incisionum vestigia.

Alterum accidit mense Iulio MDCCCLXXXI, Mariae Franciscae eiusdem Congregationis sodali in asceterio Argentinensi. Illa, quae pridem gravissimis uteri perturbationibus obnoxia fuerat, mense Aprili MDCCCLXXI stomacho laborare coepit, et doloribus atrocissimis cruentae vomitiones successerunt. Ex vomitionibus haud satis Medicis constabat, an de cancro, an de ulcere ageretur; ulcus tamen vicit ex complexu symptomatum, atque ex origine morbi. Quatuor per annos eo divexata Francisca cadaveri similis decumbebat, cum novendiales preces ad Beatum Petrum inceptae sunt. At furere magis morbus visus est, verumtamen fiducia intercessionis maior apud Franciscam et Sodales. Sub noctem postremi novendialis supplicationis diei, e caelo Beatus favet Francisca, cum placide obdormivisset, nullo sustentata fulcimine e lecto surgit, in asceterii Oratorium gratulabunda pergit, et SS. Eucharistiam una cum Sororibus sumit. Deinceps valido cibo reficitur, solitosque labores obit, et plures per annos obire perrexit validissime.

De his Miraculis cum disceptatum esset in Congregationibus antepraeparatoria et praeparatoria S. Congregationis, die XVI Novembris anno MDCCCXCVI, causa ad Nos delata est, quaesitumque in comitiis generalibus eiusdem Congregationis: — *An, et de quibus miraculis post indultam eidem Beato venerationem constet in casu, et ad effectum, de quo agitur* (1). Nos, tum Cardinalium, tum Consultorum suffragiis auditis, implorato Paracliti lumine, die VI Ianuarii, hoc eodem anno, decrevimus: — *Constare in casu de duobus miraculis* – scilicet de primo – *Instantaneae perfectaeque sanationis Matris Mariae Alexandrae a gravissima arthritide in genu dextero;* deque altero: *Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Franciscae a gravissimo ulcere in stomacho.* — Dominica autem in Septuagesima eodem anno, iterum Divini Spiritus lumine implorato, decrevimus *Tuto procedi posse ad solemnem B. Petri Canonizationem* (2).

Deinceps, iuxta verendam consuetudinem, in Consistorio secreto habito die decima nona Aprilis vertente anno, universos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales hac de re rogavimus, ut mentem suam aperirent. Qui Beati Petri gestis ac virtutibus nec non miraculis, eius intercessione a Deo patratis, narratore dilecto Filio Nostro Cardinali Caietano Aloisi-Masella S. Rituum Congregationi Praefecto, auditis, unanimi consensu ad Sanctorum honores Beatum Petrum evehendum esse censuerunt. Tum, eadem die Consistorium publicum habuimus, atque iterum de gestis et virtutibus Beati Petri disseruit dilectus filius Philippus Pacelli S. consistorialis Aulae Advocatus. Curavimus deinde, Litteris a sacra Concilii Congregatione datis, non modo viciniores Episcopos, sed etiam remotissimos de fausto eventu certiores fieri, ut Romam se conferrent Nobis sententia sua adfuturi. Qui cum ex universo terrarum orbe plurimi convenissent, Causa plene cognita, tum ex iis quae gesta fuerant in publico Consistorio, tum ex documentis S. R. C., quorum exemplar singulis tradi voluimus, in semipublico Consistorio habito die XX Maii vertente anno (1) Sententiam dedere suam, non modo Ven. Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, sed Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi qui ad hanc Canonizationem perficiendam unanimi consensu Nos impulerunt. Cuius rei instrumenta a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis publice confecta, in Tabularium S. R. C. relata sunt.

Solemnia autem huius canonizationis celebrare statuimus in Basilica Vaticana, die vigesima septima Maii, mirabili Domini Nostri Iesu Christi in Coelum Ascensionis dicata. Indicto interea ieiunio, statutisque Ecclesiis ad sacras Indulgentias lucrandas, hortati sumus Fideles, ut vera cordis contritione, sibi novensiles Sanctos propitios facerent, et benevolos coelestium donorum intercessores.

Statuta igitur faustissima die, omnes tum saecularis tum regularis Cleri Ordines, singuli Romanae Curia Praesules et Officiales, Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi convenerunt. Quibus praeeuntibus solemni supplicatione Nos ingressi sumus Vaticanam Basilicam magnificentissime ornatam. Tunc Dilectus Filius Noster Cardinalis Caietanus Aloisi-Masella Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto filio Balthassare Capogrossi-Guarna, sacrae consistorialis Aulae Advocato, Nobis vota detulit Sacrorum Antistitum, necnon Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, et Monialium Congregationis *Dominae Nostrae*, cumque iterum et tertio iisdem votis et precibus institisset; Nos Divini Paracliti afflatu humiliter implorato, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad Catholicae Fidei incrementum et decus, Auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, matura deliberatione et voto Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Primatuum, Archiepiscoporum, Episcoporum consilio, praedictum B. Petrum Sacerdotem, reformatorem Canonicorum regularium S. Augustini, et Institutorem Monialium Congregationis titulo *Dominae Nostrae* ex regula eiusdem S. Augustini, Sanctum Confessorem esse declaravimus.

Cui, eodem Decreto, sociavimus Antonium Mariam Zaccaria, Sacerdotem, congregationis S. Pauli vulgo « *Barnabitarum* », et Virginum Angelicarum fundatorem, et ipsum virtutibus, imitatione Domini Nostri Iesu Christi, et magnis miraculis Ecclesiae militantis decus et praesidium.

Memoriam S. Petri Fourier quotannis in Martyrologio die nona Decembris referri mandavimus, et cunctis Fidelibus, qui eius exuvias, dicta die, venerati fuerint, Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum perpetuo impartivimus. Gratiis deinde Deo Optimo Maximo actis, adstitimus Venerabili Fratri Nostro Card. Aloisio

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. V, p. 26.
(2) *Item*, p. 67.

(1) *Item*, p. 232.

Oreglia Episcopo Ostiensi et Veliterno, et S. Collegii Decano, Rem divinam solemniter facienti, et post Evangelii lectionem, confertissimam, et exultantem multitudinem adhortati sumus, ut novensilium Sanctorum gratiam, imitatione virtutum sibi potissimum conciliaret. Deinde, Apostolica benedictione solemniter impertita, Apostolicas has Litteras manu nostra et S. R. E. Cardinalium signatas, sub Plumbo expediri mandavimus.

Decet autem Nos ex corde gaudere, et maximas gratias agere et habere Deo viventi in saecula saeculorum, qui famulum suum Petrum benedixit in omni benedictione spirituali, illumque elegit, ut *refulgeret tanquam arcus inter nebulas, et quasi flos rosarum Sponsam suam spiritualium aromatum odore impleret.* Arcum hunc fulgentem, inter saeculi procellas, suspicite Fideles universi, et aromata spiritualia, quae ex hoc rosarum flore manant, cupide haurite, ut carnis illecebras, cupiditatum impetus, superbientis animi elationem edomare possitis. Suspiciant praesertim lectissimae illae Catholicorum cohortes, quae viribus unitis strenuissimam navant operam, ut res Christiana ubique provehatur, consuleturque opportune, cunctis tum spiritualibus tum temporalibus familiarum necessitatibus, ut homines reapse videant, nihil Religione non solum esse sanctius, sed etiam salubrius. Suspiciant denique impensius Parochi, quos merito Christiana plebs, veluti patres ac procuratores suos existimat; et Sancti collegae Lotharingi Charitatem suavissimam, ac zelum patientissimum et industrem aemulantes, tum Sodalitatum Catholicarum, tum singulorum e grege sibi commisso, gerant curam, qualem vult Dominus Noster Iesus Christus. Nimirum: exhibeant *in fide virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis Charitatem (2a Petri, cap. 1, vers. 5, 6, 7).*

His virtutum exemplis non solum suas sibi magni devincient oves, sed illas etiam, quas haeresis et schisma ab Ecclesiae pascuis distraxit, ad ovile allicient, ut eis etiam *sit gratia, misericordia, pax a Deo Patre, et a Christo Iesu Filio Patris in veritate et Charitate (2a Ioan. vers. 3).* Sic, filii carissimi, Divino Pastori similes eritis, qui dixit: « *Si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex eis: nonne relinquit nonaginta novem in montibus, et vadit quaerere eam, quae erravit? Et si contigerit, ut inveniat eam; Amen dico vobis; quia gaudet super eam magis, quam super nonaginta novem, quae non erraverunt* » *(Matth., cap.* XVIII, *vers. 12-13).* Contendite igitur, ut Divino Pastori placeatis, et Nobiscum, qui Eius in terris vices gerimus, etiam atque etiam orate ut curis, laboribusque, quos suscepimus pro Ecclesiarum unione, favens, benedicat Christus, qui « *consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae* » *(Hebraeor., cap.* V, *vers. 9).*

Omnibus itaque, quae inspicienda erant, bene perpensis, certa ex scientia atque Auctoritatis Nostrae plenitudine, omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus, atque iterum statuimus, universaeque Ecclesiae Catholicae denunciamus: mandantes, ut earumdem praesentium transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii subscriptis, et sigillo Viri in ecclesiastica Dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae hisce Nostris Litteris haberetur, si exhibitae forent atque ostensae.

Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, decreti, mandati, relaxationis, et voluntatis infringere vel temerario ausu contraire aut attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Nonagesimo septimo, VI Kalend. Iunias, Pontificatus Nostri Anno XX.

✠ Ego LEO, Catholicae Ecclesiae Episcopus.

✠ (L. S.).

✠ Ego A. Episcopus Ostien. et Velitern. Card. Oreglia a S. Stephano S. R. E. Camerarius S. C. Decanus.

✠ Ego L. M. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. Parocchi.

✠ Ego S. Episcopus Tusculan. Card. Vannutelli.

✠ Ego M. Episcopus Sabinen. Card. Mocenni.

✠ Ego I. Episcopus Albanen. Card. Verga, Maior Poenitentiarius.

✠ Ego C. Soc. I. Episcopus Praenestin. Card. Mazzella.

✠ Ego M. tit. S. Laurentii in Lucina Protopresbyt. Card. Ledochowski.

✠ Ego C. tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Aloisi-Masella.

✠ Ego M. tit. S. Caeciliae Presbyt. Card. Rampolla.

✠ Ego V. tit. S. Silvestri in Capite Presbyt. Card. Vannutelli.

✠ Ego A. tit. SS. Bonifacii et Alexii presbyt. Card. Di Pietro.

✠ Ego F. tit. S. Mariae in Aracoeli Presbyt. Card. Satolli.

✠ Ego Fr. H. M.a O. Carm. excalc. tit. S. Mariae de Scala Presbyt. Card. Gotti.

✠ Ego D. M.a tit. SS. Marcellini et Petri Presbyt. Card. Iacobini.

✠ Ego A. tit. SS. Nerei et Achillei Presbyt. Card. Agliardi.

✠ Ego D. tit. S. Priscae Presbyt. Card. Ferrata.

✠ Ego S. tit. S. Mariae supra Minervam Presbyt. Card. Cretoni.

✠ Ego Th. tit. S. Laurentii in Damaso Prior Diaconor. Card. Mertel, S. R. E. Vice-Cancellarius.

✠ Ego A. tit. S. Mariae in Via Lata, Diac. Card. Macchi.

✠ Ego A. Soc. I. tit. S. Agathae ad Suburram Diac. Card. Steinhuber.

✠ Ego F. tit. S. Mariae in Porticu, Diac. Card. Segna.

✠ Ego Fr. R. Ord. Praedic. tit. SS. Cosmae et Damiani, Diac. Card. Pierotti.

✠ Ego I. tit. S. Caesarei in Palatio, Diac. Card. Prisco.

C. Card. ALOISI-MASELLA Pro-Dat. - A. Card. MACCHI

Visa

De Curia I. De Aquila e Vicecomitibus.

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Secret. Brevium.

I. Cugnonius.

II.

Translatio Sedis Abbatis Generalis Congregationis Brasiliensis Ordinis S. Benedicti, ab abbatia S. Sebastiani Bahiae ad abbatiam B. M. V. Montisserrati Fluminis Januarii.

LEO PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Singulare studium ac paterna charitas, qua Catholicam Brasiliensem nationem Saucta haec Apostolica Sedes prosequitur, Nos admonet, ut in ea summopere curas cogitationesque Nostras intendamus, quae pertinet ad veterum religiosorum Ordinum instaurationem, ex quibus ipsa respublica tot tantaque jugiter emolumenta nacta est.

Quoad vero Ordinem S. Benedicti, quo non alter vetustate clarior ac doctrina, Nos votis annuentes Capituli Gen. anno MDCCCLXXXX Bahiae rite habiti, dilecto filio Dominico a Transfiguratione Machado Abbati Generali ipsius Congregationis Benedictinae Brasiliensis, necessaria atque opportuna subsidia ultro suppeditavimus, quibus eadem Congregatio ad pristinum decus ac florem revocaretur. Et iucundum quidem nuntium accepimus, quatuor ex antiquis Benedictini Ordinis in Brasilia Abbatiis, Olindae scilicet, Bahiae, S. Pauli et Beatae M. V. de Gratia, iam ad regularem disciplinam iterum adductas, ferventi religiosa familia laetari; novamque conditam fuisse in honorem S. Crucis in Statu de « *Cearà* » nuncupato, magno cum plausu voti compotum civium, qui Conlegium pro liberis instituendis iamdiu exoptabant; insuper Abbatiam S. Andreae in Belgio instauratam fuisse ut Congregationi Brasiliensi Ordinis S. Benedicti in perpetuum cedat auxilium; neque Nos latet aliquot iam Brasilienses adolescentes sese Benedictino Ordini mancipasse ut iterum in patria terra antiqua et venerabilis Congregatio renovato cultu floreret. Felicis autem faustique huius eventus laus, ad Abbatem Generalem supradictum spectat potissimum, qui et impensum studium, et actuosam sedulitatem et acris ingenii vires in Benedictinae Brasiliensis familiae instaurationem naviter posuit.

Quo meritis praemium ferret, illum donec vivat Abbatis Generalis titulo auximus; nunc vero ut idem dilectus filius, atque universa simul Benedictina Brasiliensis Congregatio novum sortiatur et singulare Pontificiae benevolentiae pignus, ut magis incremento ac prosperitati Ordinis illius, eadem in regione, Nos prospiciamus, haec quae infrascripta sunt statuimus, edicimus, mandamus. Nimirum omnes et singulos quibus Nostrae hae Litterae favent, peculiari benevolentia complectentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationi negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium expediendis praepositis, omnibus rei momentis attente perpensis, Motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, Sedem Abbatis Generalis Congregationis enunciati Ordinis S. Benedicti in Brasilia constitutae, a Monasterio S. Sebastiani de Bahia ad Monasterium B. Mariae Virginis Montisserrati, vulgo S. Benedicti, Fluminis Januarii, transferimus ac translatam esse declaramus. Oportet enim quo facilius Congregationis universae regimen gerat, Abbatem Generalem penes civilis gubernii et Apostolicae Nunciaturae Sedem commorari; et summopere decet in ipso intellectuali magnae Brasiliensis nationis centro, Ordinem scientiarum ac literarum laude clarissimum principem sedem habere.

Praeterea auctoritate similiter Nostra, dilectum filium Dominicum a Transfiguratione Machado, Congregationis Brasiliensis Abbatem Generalem et huc usque Abbatem S. Sebastiani de Bahia, ab omni vinculo, quatenus opus sit, solventes, ad abbatiam transferimus B. Mariae Virginis Montisserrati civitatis Fluminis Januarii, sed volumus ut ipsam priorem S. Sebastiani de Bahia Abbatiam retineat in administrationem Apostolicam, facta illi insuper venia attenta dignitate primatialis Sedis Bahianae, cuius Praesul Benedictinum Ordinem speciali benevolentia prosequitur, in utraque ex dictis Abbatiis pro suo arbitrio residendi.

Exinde spem fovemus prope certam futurum ut idem Generalis Abbas memoratam Fluminis Januarii Abbatiam, prout iam illam Bahiae, instauret, atque ad pristinum decus restituat et Conlegium optime de iuvenum illius principis civitatis institutione meritum amplificet, et cum monachorum numerus id sinat, partem monasterii illius reddituum eroget ad indigenarum silvestrium evangelizationem, ita ut qui in tenebris et in umbra mortis adhuc sedent, cura monachorum Ordinis Benedictini ad christianae veritatis lumen adducantur, et ad patriae Brasiliensis prosperitatem etiam ipsi in posterum concurrant.

Porro haec concedimus decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die XXVIII Novembris MDCCCCII, Pontificatus Nostri Anno Vigesimoquinto.

ALOIS. Card. MACCHI.

III.

Indulg. conceduntur veneraturis SS. Crucifixi imaginem in Conlegiata loci Cortemaggiore.

LEO PP. XIII.

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Nobis exponendum curaverunt ad hypogaeum Aedis Conlegiatae loci cui vulgo nomen « Cortemaggiore » Dioeceseos Placentinae a die decimo quinto mensis Iulii usque ad extremum Augustum huiusce vertentis anni fideles recolendum Sanctissimi Crucifixi Redemptoris Nostri Imaginem ingenti esse numero veneraturos. Nos autem quo pia huiusmodi peregrinatio uberius in animorum bonum cedat, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus

vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui uno quo cuique libeat infra praefatorum dierum spatium die, memoratam Ecclesiam visitaverint, ibique ante Imaginem Smi Crucifixi Redemptoris Nostri, pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iis vero fidelibus qui corde saltem contriti quolibet e praedictis diebus eamdem imaginem visitaverint et ante eam ut supra oraverint, septem annos totidemque quadragenas de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse indulgemus et largimur. Praesentibus hoc anno tantum valituris. Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV Iulii Pontificatus Nostri anno vigesimo sexto.

ALOIS. Card. MACCHI.

IV.

Pius X gratulatur de mox celebrando Coetu catholicorum Germanorum, Coloniae Agrippinae.

DILECTO FILIO CAROLO CUSTODIS PRAESIDI PRIMO CONVENTUI CATHOLICORUM PARANDO — COLONIAM AGRIPPINAM.

Dilecte Fili,
Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quas nuper ad Nos misisti litteras nomine Coetus conventui catholicorum parando, eae duplici ex causa postulant ut grati benevolentisque animi Nostri non mediocrem iucunditatem testemur. Porro commune gratulationis officium, quod, propter summi Pontificatus munus Nobis divina favente clementia concreditum, deferre voluistis, filialem pietatem demonstrat, quae in Apostolicae Sedis obsequium vos omnes apte coniungit. Quinquagesimus autem annus, ab instituto Sodalitio vestro, iam iam sese feliciter expleturus, illud ipse de se iubet certe sperare fore ut conventus, quem propediem habendum nuntiatis, quam qui umquam sollemnior atque frequentior evadat. Qua ex re iusta ac secunda omnibus aeque gaudendi offertur occasio: scilicet et Nobis, quos ex summo huius Apostolatus apice, quasi de montis vertice speculantes, recreat idemque iuvat tot fidei vindices, e Sodalitii vestri agmine eductos, contra gliscentes errores strenue praeliantes cernere: et vobis, qui, memoriam praeteriti temporis repetentes, egregie factorum recordatione animos suaviter erigitis, ex quo uberiorum fructuum auspicia in posterum etiam capiatis. Itaque dum inter effusas laetitias Deo, omnium bonorum auctori, de agendarum gratiarum officio cogitatis, Nostri esse ducimus promeritae laudis praeconium tribuere: idque eo libentius, quo magis antea certi exploratique erant admirationis studiique sensus, quibus Leo XIII, Noster immortalis memoriae Decessor, in Coetum vestrum ferebatur: eo sollemnius, quo ex hoc Pontificii amoris testimonio, in laboribus pro Ecclesia subeundis non paratiores modo, sed etiam alacriores pergetis. Neque in tanta rerum vestrarum iucunditate dedeceat domesticam Ludovici Windthorst aliorumque clarorum virorum excitare memoriam; quos patria et religio desiderant: qui conventus vestros conspectu suo diu honestarunt, eosdemque auctoritate sua sunt moderati. Neque secundum locum obtineat ipsum Leonis XIII inclitum nomen, qui Sodalitium vestrum nullo non tempore fovit et auxit: qui paternae benevolentiae suae, in germanam gentem iteratae saepius, monumentum praeclarum nuper reliquit, quum civitatis istius, in quam coibitis, Antistitem egregium amplissimo Patrum Cardinalium ordini pro meritis voluit cooptandum. Communi gaudio vero veluti cumulus omnium bonorum, quae enixe vobis precamur a Deo, Apostolica Benedictio accedat, quam omnibus Coloniam conventuris effuso amoris animo atque in Domino impertimus.

Datum Romae, die XVII Augusti A. MCMIII Pontificatus Nostri Anno I.

PIUS PP. X.

V.

Pius X confirmat Commissionem Card. pro ordinandis solemniis celebrandis recurrente 50 anniv. a definit. dogm. Immac. Conc. B. M. V.

Ai diletti Figli Notri Vincenzo Cardinale Vannutelli — Mariano Card. Rampolla del Tindaro — Domenico Card. Ferrata — Giuseppe Calasanzio Card. Vives.

Signori Cardinali,

Se è Nostro dovere di far tesoro in tutto dei documenti e degli esempi lasciatici dall'augusto Nostro Predecessore Leone XIII di s. m., lo dobbiamo in modo speciale in quei mezzi che riguardano l'incremento della fede e la santità del costume. — Ora il venerato Pontefice pel cinquantesimo della definizione dogmatica dell'Immacolata Concezione di Maria Santissima, aderendo al desiderio dei fedeli di tutto il mondo, che questa ricorrenza venisse celebrata con solennità straordinaria, nello scorso maggio nominavà una Commissione Cardinalizia (1) che ordinasse e dirigesse i provvedimenti opportuni per commemorare degnamente il fausto avvenimento. Noi, compresi dai medesimi sentimenti di devozione alla SSma Vergine, e persuasi, che nelle vicende dolorose dei tempi che corrono, non ci restano altri conforti che quelli del Cielo, e tra questi l'intercessione potente di quella Benedetta, che fu in ogni tempo l'aiuto dei cristiani, confermiamo Voi, Signori Cardinali, a membri di questa Commissione; ben certi che le vostre sollecitudini saranno coronate dal più splendido successo, per l'opera altresì di quegli egregi i quali alle tante altre benemerenze sono ben lieti aggiungere ancor questa di mettersi in tutto a vostra disposizione per eseguire fedelmente le vostre decisioni.

Oh voglia il Signore in questo anno giubilare esaudire le preghiere, che Gl'innalzeranno i fedeli per l'intercessione di Maria Immacolata, dalla Triade augustissima chiamata

(1) Cfr. fasc. praec., p. 237.

a parte di tutti i misteri della Misericordia e dell'amore, e costituita dispensiera di tutte le grazie!

In questa cara speranza V'impartiamo ben di cuore, Signori Cardinali, l'Apostolica benedizione.

Dal Vaticano li 8 settembre 1903.

PIVS PP. X.

Indulg. 300 d. conceditur semel in die recitantibus sequentem orationem:

ORAZIONE

Vergine Santissima, che piaceste al Signore e diveniste sua Madre, immacolata nel corpo e nello spirito, nella fede e nell'amore; in questo solenne giubileo della proclamazione del Dogma, che Vi annunziò al mondo universo concepita senza peccato, deh riguardate benigna ai miseri che implorano il vostro potente patrocinio! — Il maligno serpente, contro cui fu scagliata la prima maledizione, continua purtroppo a combattere e insidiare i miseri figli di Eva. Deh Voi, o benedetta Madre nostra, nostra Regina e Avvocata, che fin dal primo istante del vostro concepimento, del nemico schiacciaste il capo, accogliete le preghiere, che uniti con Voi in un cuor solo vi scongiuriamo di presentare al trono di Dio, perchè non cediamo giammai alle insidie che ci vengono tese, così che tutti arriviamo al porto della salute, e fra tanti pericoli la Chiesa e la società cristiana cantino ancora una volta l'inno della liberazione, della vittoria e della pace. Così sia.

A quanti reciteranno la presente preghiera accordiamo per una volta al giorno l'indulgenza di 300 giorni.

Dal Vaticano li 8 settembre 1903.

PIVS PP. X.

VI.

Sanctissimi Domini Nostri divina Providentia Pii Papae X Epistola Encyclica ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes.

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

PIUS PP. X

Venerabiles Fratres,
Salutem et apostolicam Benedictionem.

E supremi apostolatus cathedra, ad quam, consilio Dei inscrutabili, evecti fuimus, vobis primum eloquuturos, nihil attinet commemorare, quibus Nos lacrymis magnisque precibus formidolosum hoc Pontificatus onus depellere a Nobis conati simus. Videmur equidem Nobis, etsi omnino meritis impares, convertere in rem Nostram posse quae Anselmus, vir sanctissimus, querebatur quum, adversans et repugnans, coactus est honorem episcopatus suscipere. Etenim quae ille moeroris indicia pro se afferebat, eadem et Nobis proferre licet, ut ostendamus quo animo, qua voluntate Christi gregis pascendi gravissimum officii munus exceperimus. *Testantur*, sic ille (1), *lacrymae meae et voces et rugitus a gemitu cordis mei, quales numquam de me, ullo dolore, meminі exiisse ante diem illam, in qua sors illa gravis archiepiscopatus Cantuariae visa est super me cecidisse. Quod ignorare nequiverunt illi qui, ea die, vultum meum inspexerunt... Ego magis mortuo quam viventi colore similis, stupore et dolore pallebam. Huic autem de me electioni, imo violentiae, hactenus, quantum potui, servata veritate, reluctatus sum. Sed iam, velim nolim, cogor fateri quia quotidie iudicia Dei magis ac magis conatui meo resistunt, ut nullo modo videam me ea posse fugere. Unde iam, non tam hominum quam Dei, contra quam non est prudentia, victus violentia, hoc solo intelligo me uti debere consilio, ut, postquam oravi quantum potui, et conatus sum ut, si possibile esset, calix iste transiret a me ne biberem illum... meum sensum et voluntatem postponens, me sensui et voluntati Dei penitus committam.*

(1) Epp. l. III, ep. 1.

Nec plane repugnandi causae, multae, et maximae, defuerunt Nobis. Praeterquam enim quod honore pontificatus, ob tenuitatem Nostram, nullo pacto Nos dignaremur; quem non moveret ei se successorem designari, qui, cum ecclesiam sex fere ac viginti annos sapientissime rexisset, tanta valuit alacritate ingenii, tanto virtutum omnium splendore, ut vel adversarios in sui admirationem traduxerit et memoriam sui nominis factis praeclarissimis consecrarit? — Dein, ut praetereamus caetera, terrebat Nos, quam quod maxime, ea quae modo est humani generis conditio afflictissima. Quem enim lateat, consociationem hominum gravissimo nunc, supra praeteritas aetates, atque intimo urgeri morbo; qui in dies ingravescens eamque penitus exedens ad exitium rapit? Morbus qui sit, intelligitis, Venerabiles Fratres; defectio abscessioque a Deo: quo nihil profecto cum pernicie coniunctius, secundum Prophetae dictum: *Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt* (1). Tanto igitur malo, pro pontificali munere quod demandabatur, occurrendum esse Nobis videbamus; arbitrabamur enim Dei iussum ad Nos pertinere: *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas et destruas, et aedifices et plantes* (2); verum conscii Nobis infirmitatis Nostrae, negotium, quod nihil simul haberet morae et difficultatis plurimum, suscipere verebamur.

Attamen, quoniam numini divino placuit humilitatem Nostram ad hanc amplitudinem potestatis provehere; erigimus animum *in eo qui* Nos *confortat*, Deique virtute freti manum operi admoventes, in gerendo pontificatu hoc unum declaramus propositum esse Nobis *instaurare omnia in Christo* (3), ut videlicet sit *omnia et in omnibus Christus* (4). — Erunt profecto qui, divina humanis metientes, quae Nostra sit animi mens rimari nitantur atque ad terrenos usus partiumque studia detorquere. His ut inanem spem praecidamus, omni asseveratione affirmamus nihil velle Nos esse, nihil, opitulante Deo, apud consociationem hominum futuros, nisi Dei, cuius utimur auctoritate, administros. Rationes Dei rationes Nostrae sunt; pro quibus vires omnes vitamque ipsam devovere decretum est. Unde si qui symbolum a Nobis expetant, quod voluntatem animi patefaciat; hoc unum dabimus semper: *Instaurare omnia in Christo!*

Quo quidem in praeclaro opere suscipiendo urgendoque illud Nobis, Venerabiles Fratres, alacritatem affert summam,

(1) Ps. LXXII, 27.
(2) Ierem. I, 10.
(3) Ephes. I, 10.
(4) Coloss. III, 11.

quod certum habemus fore vos omnes strenuos ad perficiendam rem adiutores. Id enim si dubitemus, ignaros vos, non sane iure, aut negligentes putaverimus nefarii illius belli, quod nunc, ferme ubique, commotum est atque alitur adversus Deum. Vere namque in Auctorem suum *fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania* (1); ut communis fere ea vox sit adversantium Deo: *Recede a nobis* (2). Hinc extincta omnino in plerisque aeterni Dei reverentia, nullaque habita in consuetudine vitae, publice ac privatim, supremi eius numinis ratio: quin totis nervis contenditur omnique artificio, ut vel ipsa recordatio Dei atque notio intereat penitus.

Haec profecto qui reputet, is plane metuat necesse est ne malorum, quae supremo tempore sunt expectanda, sit perversitas haec animorum libamentum quoddam ac veluti exordium; neve *filius perditionis*, de quo Apostolus loquitur (3), iam in hisce terris versetur. Tanta scilicet audacia, eo furore religionis pietas ubique impetitur, revelatae fidei documenta oppugnantur, quaeque homini cum Deo officia intercedunt tollere delere prorsus praefracte contenditur! E contra, quae, secundum Apostolum eundem, propria est *Antichristi* nota, homo ipse, temeritate summa, in Dei locum invasit, extollens se *supra omne quod dicitur Deus;* usque adeo ut, quamvis Dei notitiam extinguere penitus in se nequeat, Eius tamen maiestate reiecta, aspectabilem hunc mundum sibi ipse veluti templum dedicaverit a caeteris adorandus. *In templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus* (4).

Enimvero hoc adversus Deum mortalium certamen, qua sorte pugnetur nullus est sanae mentis qui ambigat. Datur quidem homini, libertate sua abutenti, rerum omnium Conditoris ius atque numen violare; veruntamen victoria a Deo semper stat: quin etiam tum propior clades imminet, quum homo, in spe triumphi, insurgit audentior. Haec ipse Deus nos admonet in Scripturis sanctis. *Dissimulat* scilicet *peccata hominum* (5), suae veluti potentiae ac maiestatis immemor: mox vero, post adumbratos recessus, *excitatus tamquam potens crapulatus a vino* (6), *confringet capita inimicorum suorum* (7); ut norint omnes *quoniam rex omnis terrae Deus* (8), *et sciant gentes quoniam homines sunt* (9).

Haec quidem, Venerabiles Fratres, fide certa tenemus et expectamus. Attamen non ea impediunt quominus, pro nostra quisque parte, Dei opus maturandum nos etiam curemus: idque, non solum efflagitando assidue: *Exurge, Domine, non confortetur homo* (10); verum, quod plus interest, re et verbo, luce palam, supremum in homines ac naturas caeteras Dei dominatum adserendo vindicandoque, ut Eius imperandi ius ac potestas sancte colatur ab omnibus et observetur. Quod plane non modo officium postulat a natura profectum, verum etiam communis utilitas nostri generis. Quorumnam etenim, Venerabiles Fratres, animos non conficiat trepidatio ac moeror, quum homines videant, partem maximam, dum quidem humanitatis progressus haud immerito extolluntur, ita digladiari atrociter inter se, ut fere sit omnium in omnes pugna? Cupiditas pacis omnium profecto pectora attingit, eamque nemo est qui non invocet vehementer. Pax tamen, reiecto Numine, absurde quaeritur: unde namque abest Deus, iustitia exulat; sublataque iustitia, frustra in spem pacis venitur. *Opus iustitiae pax* (1), — Novimus equidem non paucos esse, qui studio pacis ducti *tranquillitatis* nempe *ordinis*, in coetus factionesque coalescunt, quae ab *ordine* nominant. Proh tamen spes curasque inanes! Partes *ordinis*, quae pacem afferre turbatis rebus reapse queant, unae sunt: partes faventium Deo. Has igitur promovere necesse est, ad easque quo licebit plures adducere, si securitatis amore incitamur.

Verum haec ipsa, Venerabiles Fratres, humanarum gentium ad maiestatem Dei imperiumque revocatio, quantumvis licet conemur, numquam nisi per Iesum Christum eveniet. Monet enim Apostolus: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus* (2). Scilicet unus ipse est, *quem Pater sanctificavit et misit in mundum* (3); *splendor Patris et figura substantiae eius* (4), Deus verus verusque homo: sine quo, Deum, ut oportet, agnoscere nemo possit; nam *neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (5). — Ex quo consequitur, ut idem omnino sit *instaurare omnia in Christo* atque homines ad Dei obtemperationem reducere. Huc igitur curas intendamus oportet, ut genus hominum in Christi ditionem redigamus: eo praestito, iam ad ipsum Deum remigraverit. Ad Deum inquimus, non socordem illum atque humana negligentem, quem *materialistarum* deliramenta effinxerunt; sed Deum vivum ac verum, unum natura personis trinum, auctorem mundi, omnia sapientissime providentem, iustissimum denique legis latorem, qui sontes plectat, praemia proposita virtutibus habeat.

Porro qua iter nobis ad Christum pateat, ante oculos est: per Ecclesiam videlicet. Quamobrem iure Chrysostomus: *Spes tua Ecclesia, salus tua Ecclesia, refugium tuum Ecclesia* (6). In id namque illam condidit Christus, quaesitam sui sanguinis pretio; eique doctrinam suam ac suarum praecepta legum commendavit, amplissima simul impertiens divinae gratiae munera ad sanctitatem ac salutem hominum.

Videtis igitur, Venerabiles Fratres, quale demum Nobis vobisque pariter officium sit demandatum: ut consociationem hominum, a Christi sapientia aberrantem, ad Ecclesiae disciplinam revocemus; Ecclesia vero Christo subdet, Christus autem Deo. Quod si, Deo ipso favente, perficiemus, iniquitatem cessisse aequitati gratulabimur, audiemusque feliciter *vocem magnam de coelo dicentem: Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri et potestas Christi eius* (7). — Hic tamen ut optatis respondeat exitus, omni ope et opera eniti opus est ut scelus illud immane ac detestabile, aetatis huius proprium, penitus eradamus, quo se

(1) Ps. II, 1.
(2) Iob. XXI, 14.
(3) II Thess. II, 3.
(4) II Thess. II, 2.
(5) Sap. XI, 24.
(6) Ps. LXXVII, 65.
(7) Ps. LXVII, 22.
(8) Ib. XLVI, 8.
(9) Ib. IX, 20.
(10) Ps. IX, 19.

(1) Is. XXXIII, 17.
(2) I Cor. III.
(3) Io. X, 36.
(4) Hebr. I, 3.
(5) Matth. XI, 27.
(6) Hom. *de capto Eutropio*, n. 6.
(7) Apoc. XII, 10.

nempe homo pro Deo substituit: tum vero leges Evangelii sanctissimae ac consilia in veterem dignitatem vindicanda; adserendae altius veritates ab Ecclesia traditae, quaeque eiusdem sunt documenta de sanctitate coniugii, de educatione doctrinaque puerili, de bonorum possessione atque usu, de officiis in eos qui publicam rem administrant; aequilibritas demum inter varios civitatis ordines christiano instituto ac more restituenda. — Nos profecto haec Nobis, Dei nutui obsequentes, in pontificatu prosequenda proponimus, ac pro virili parte prosequemur. Vestrum autem erit, Venerabiles Fratres, sanctitate, scientia, agendorum usu, studio cum primis divinae gloriae, industriis Nostris obsecundare; nihil aliud spectantes praeterquam ut in omnibus *formetur Christus* (1).

Iam quibus ad rem tantam utamur adiumentis, vix dicere oportet; sunt enim de medio sumpta. — Curarum haec prima sunto, ut Christum formemus in iis, qui formando in caeteris Christo officio muneris destinantur. Ad sacerdotes mens spectat, Venerabiles Fratres. Sacris namque quotquot initiati sunt, eam in populis, quibuscum versantur, provinciam sibi datam norint, quam Paulus suscepisse testatus est amantissimis iis verbis: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (2). Qui tamen explere munus queant, nisi priores ipsi Christum induerint? atque ita induerint, ut illud Apostoli eiusdem usurpare possint: *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus* (3). *Mihi vivere Christus est* (4). Quamobrem, etsi ad fideles omnes pertinet hortatio *ut occurramus in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi* (5); praecipue tamen ad illum spectat qui sacerdotio fungitur; qui idcirco dicitur *alter Christus*, non una sane potestatis communicatione sed etiam imitatione factorum, qua expressam in se Christi imaginem praeferat.

Quae cum ita sint, quae vobis quantaque, Venerabiles Fratres, ponenda cura est in clero ad sanctitatem omnem formando! huic, quaecumque obveniant, negotia cedere necesse est. Quamobrem pars potior diligentiarum vestrarum sit de seminariis sacris rite ordinandis moderandisque, ut pariter integritate doctrinae et morum sanctitate floreant. Seminarium cordis quisque vestri delicias habetote, nihil plane ad eius utilitatem omittentes, quod est a Tridentina Synodo providentissime constitutum. — Quum vero ad hoc ventum erit ut candidati sacris initiari debeant, ne quaeso excidat animo quod Paulus Timotheo perscripsit: *Nemini cito manus imposueris* (6); illud attentissime reputando, tales plerumque fideles futuros, quales fuerint quos sacerdotio destinabitis. Quare ad privatam quamcumque utilitatem respectum ne habetote; sed unice spectetis Deum et Ecclesiam et sempiterna animorum commoda, ne videlicet, uti Apostolus praecavet, *communicetis peccatis alienis* (7). — Porro sacerdotes initiati recens atque e seminario digressi industrias vestras ne desiderent. Eos, ex animo hortamur, pectori vestro, quod coelesti igne calere oportet, admovete saepius, incendite, inflammate ut uni Deo et lucris animorum inhient. Nos equidem, Venerabiles Fratres, diligentissime providebimus ne homines sacri cleri ex insidiis capiantur novae cuiusdam ac fallacis scientiae, quae Christum non redolet, quaeque, fucatis astutisque argumentis, *rationalismi* aut *semirationalismi* errores invehere nititur; quos ut caveret iam Apostolus Timotheum monebat, scribens: *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt* (1). Hoc tamen non impedimur quo minus laude dignos existimemus illos e sacerdotibus iunioribus, qui utilium doctrinarum studia, in omni sapientiae genere, persequuntur, ut inde ad veritatem tuendam atque osorum fidei calumnias refellendas instructiores fiant. Veruntamen celare haud possumus, quin etiam apertissime profitemur, primas Nos semper delaturos iis qui, quamvis sacras humanasque disciplinas minime praetereunt, proxime nihilosecius animorum utilitatibus se dedant, eorum procuratione munerum, quae sacerdotem deceant divinae gloriae studiosum. *Tristitia* Nobis *magna est et continuus dolor cordi* Nostro (2), quum cadere etiam in aetatem nostram conspicimus Ieremiae lamentationem: *Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (3). Non enim de clero desunt, qui, pro cuiusque ingenio, operam forte navent rebus adumbratae potius quam solidae utilitatis: at verum non adeo multi numerentur qui, ad Christi exemplum, sibi sumant Prophetae dictum: *Spiritus Domini unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et coecis visum* (4). — Quem tamen fugiat, Venerabiles Fratres, quum homines ratione maxime ac libertate ducantur, religionis disciplinam potissimam esse viam ad Dei imperium in humanis animis restituendum? Quot plane sunt qui Christum oderunt, qui Ecclesiam, qui Evangelium horrent ignoratione magis quam pravitate animi! de quibus iure dixeris: *quaecumque ignorant blasphemant* (5). Idque non in plebe solum reperire est aut in infima multitudine, quae ideo in errorem facile trahitur; sed in excultis etiam ordinibus atque adeo in iis, qui haud mediocri eruditione caeteroqui polleant. Hinc porro in plerisque defectus fidei. Non enim dandum est, scientiae progressibus extingui fidem, sed verius inscitia; ut idcirco ubi maior sit ignorantia, ibi etiam latius pateat fidei defectio. Quapropter Apostolis a Christo mandatum est: *Euntes, docete omnes gentes* (6).

Nunc autem, ut ex docendi munere ac studio fructus pro spe edantur atque in omnibus *formetur Christus*, id penitus in memoria insideat, Venerabiles Fratres, nihil omnino esse charitate efficacius. *Non* enim *in commotione Dominus* (7). Allici animos ad Deum amariore quodam conatu, speratur perperam: quin etiam errores acerbius increpare, vitia vehementius reprehendere damno magis quam utilitati aliquando est. Timotheum quidem Apostolus hortabatur: *Argue, obsecra, increpa*; attamen addebat: *in omni patientia* (8). — Certe eiusmodi nobis exempla prodidit Christus. *Venite,*

(1) Gal. IV, 19.
(2) Gal. IV.
(3) Gal. II, 20.
(4) Philipp. I, 21.
(5) Ephes IV, 3.
(6) I Tim. V, 22.
(7) Ibid.

(1) I Tim. VI, 20 s.
(2) Rom. IX, 2.
(3) Thren. IV, 4.
(4) Luc. IV, 18-19.
(5) Iud. II, 10.
(6) Matth. XXVIII, 19.
(7) III Reg., XIX, 11.
(8) II Tim., IV, 2.

sic ipsum alloquutum legimus, *venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (1). Laborantes autem oneratosque non alios intelligebat, nisi qui peccato vel errore tenerentur. Quanta enimvero in divino illo magistro mansuetudo! quae suavitas, quae in aerumnosos quoslibet miseratio! Cor eius plane pinxit Isaias iis verbis: *Ponam spiritum meum super eum; non contendet neque clamabit; arundinem quassatam non confringet et linum fumigans non extinguet* (2). — Quae porro charitas, *patiens* et *benigna* (3) ad illos etiam porrigatur necesse est, qui sunt nobis infesti vel nos inimice insectantur. *Maledicimur et benedicimus*, ita de se Paulus profitebatur, *persecutionem patimur et sustinemus, blasphemamur et obsecramus* (4). Peiores forte quam sunt videntur. Consuetudine enim aliorum, praeiudicatis opinionibus, alienis consiliis et exemplis, malesuada demum verecundia in impiorum partem translati sunt: attamen eorum voluntas non adeo est depravata, sicut et ipsi putari gestiunt. Quidni speremus christianae charitatis flammam ab animis caliginem dispulsuram atque allaturam simul Dei lumen et pacem? Tardabitur quandoque forsitan laboris nostri fructus; sed charitas sustentatione nunquam defatigatur, memor non esse praemia a Deo proposita laborum fructibus sed voluntati.

Attamen, Venerabiles Fratres, non ea Nobis mens est ut, in toto hoc opere tam arduo restitutionis humanarum gentium in Christo, nullos vos clerusque vester adiutores habeatis. Scimus mandasse Deum unicuique de proximo suo (5). Non igitur eos tantum, qui sacris se addixerunt, sed universos prorsus fideles rationibus Dei et animorum adlaborare oportet: non arte utique quemque suo atque ingenio, verum semper Episcoporum ductu atque nutu; praeesse namque, docere, moderari nemini in Ecclesia datur praeter quam vobis, *quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* (6). — Catholicos homines, vario quidem consilio at semper religionis bono, coire inter se societatem, Decessores Nostri probavere iamdiu bonaque precatione sanxerunt. Institutum porro egregium Nos etiam laudatione Nostra ornare non dubitamus, optamusque vehementer ut urbibus agrisque late inferatur ac floreat. Verumenimvero consociationes eiusmodi eo primo ac potissimum spectare volumus, ut quotquot in illas cooptantur christiano more constanter vivant. Parum profecto interest quaestiones multas subtiliter agitari, deque iuribus et officiis eloquenter disseri, ubi haec ab actione fuerint seiuncta. Postulant enim actionem tempora; sed eam quae tota sit in divinis legibus atque Ecclesiae praescriptis sancte integreque servandis, in religione libere aperteque profitenda, in omnigenae demum charitatis operibus exercendis, nullo sui aut terrenarum utilitatum respectu. Illustria eiusmodi tot Christi militum exempla longe magis valitura sunt ad commovendos animos rapiendosque quam verba exquisitaeque disceptationes; fietque facile ut, abiecto metu, depulsis praeiudiciis ac dubitationibus, quamplurimi ad Christum traducantur provehantque ubique notitiam eius et amorem; quae ad germanam solidamque beatitatem sunt via. Profecto si in urbibus, si in pagis quibusvis praecepta

(1) Math., XI, 28.
(2) Is., XLII, 1 s.
(3) I Cor., XIII, 4.
(4) Ib., IV, 12 s.
(5) Eccl., XVII, 12.
(6) Act., XX, 28.

Dei tenebuntur fideliter, si sacris erit honos, si frequens sacramentorum usus, si caetera custodientur quae ad christianae vitae rationem pertinent; nihil admodum, Venerabiles Fratres, elaborandum erit ulterius ut omnia in Christo instaurentur: iuvabunt etiam, quam quae maxime, ad huius aevi publicasque civitatum utilitates. His namque obtentis, optimates ac locupletes aequitate simul et charitate tenuioribus aderunt, hi vero afflictioris fortunae angustias sedate ac patienter ferent; cives non cupiditati sed legibus parebunt; principes et quotquot rempublicam gerunt, quorum *non est potestas nisi a Deo* (1), vereri ac diligere sanctum erit. Quid plura? Tunc demum omnibus persuasum fuerit debere Ecclesiam, prouti ab auctore Christo est condita, plena integraque libertate frui nec alienae dominationi subiici; Nosque, in hac ipsa libertate vindicanda, non religionis modo sanctissima tueri iura, verum etiam communi populorum bono ac securitati prospicere. Scilicet *pietas ad omnia utilis est* (2): eaque incolumi ac vigente, *sedebit* reapse *populus in plenitudine pacis* (3).

Deus, *qui dives est in misericordia* (4), hanc humanarum gentium in Christo Iesu instaurationem benignus, festinet; *non* enim *volentis* opus *neque currentis, sed miserentis est Dei* (5). Nos vero, Venerabiles Fratres, *in spiritu humilitatis* (6), quotidiana et instanti prece id ab Eo contendamus ob Iesu Christi merita. Utamur praeterea praesentissima Deiparae impetratione: cui conciliandae Nobis, quoniam has litteras die ipsa damus, quae recolendo Mariali Rosario est instituta; quidquid Decessor Noster de octobri mense Virgini augustae dicando edixit, publica per templa omnia eiusdem Rosarii recitatione, Nos pariter edicimus et confirmamus; monentes insuper ut deprecatores etiam adhibeantur castissimus Dei Matris Sponsus catholicae Ecclesiae patronus sanctique Petrus et Paulus apostolorum principes.

Quae omnia ut rite eveniant et cuncta vobis pro desiderio fortunentur, divinarum gratiarum subsidia uberrime exoramus. Testem vero suavissimae charitatis, qua vos et universos fideles, quos Dei providentia Nobis commendatos voluit, complectimur, vobis, Venerabiles Fratres, clero populoque vestro apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die IV octobris MCMIII, Pontificatus Nostri, anno primo.

PIUS PP. X.

(1) Rom., XIII, 1.
(2) I Tim., IV, 8.
(3) Is., XXXII, 18.
(4) Ephes., II, 4.
(5) Rom., IX, 16.
(6) Dan., III, 39.

E S. R. UNIV. INQUISITIONE

I.

De S. Oleis non mittendis per cursus publicos.

Beatissimo Padre,

Il Vescovo di Porto Alegre nel Brasile, prostrato ai piedi della S. V. umilmente espone che nella sua diocesi molti parrochi, a causa delle immense distanze, della scarsezza di ferrovie e delle conseguenti difficoltà e grave costo dei viaggi, sono costretti talvolta di omettere, o almeno ritardare di molto, l'annuale rinnovazione degli Olii Santi. Domanda perciò umilmente la facoltà di far trasportare per posta i detti Olii colla massima decenza, ed evitando nel miglior modo possibile qualsivoglia profanazione (1).

Fer, IV. 14 Ianuarii 1903.

In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram EE.mis ac RR.mis Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus generalibus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Ut in Leavenworthien. feria IV die 1 Maii 1901.

Porro citatum decretum in Leavenworthien. sic se habet:

« I. Licetne Sacra Olea transmittere ad Sacerdotes per « The Express », seu societatem quamdam mercatoriam ex acatholicis, ut plurimum, et ethnicis, quae res varias exportandas recipit?

« II. Licetne eadem Sacra Olea ad Sacerdotes mittere per viros laicos, quo ipsorum Sacerdotum convenientiae consulatur?

« Suprema haec S. C. respondit:

« Ad I. Non licere.

« Ad II. Deficientibus clericis, affirmative, modo constet de laicorum, qui ad id deputantur, fidelitate ».

Sequenti vero Fer. V, die 15 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. Leo Pp. XIII, per facultates E.mo Cardinali huius Supremae Congregationis Secretario impertitas, resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobare dignatus est.

J. Can. Mancini, *S. R. et U. I. Not.*

(1) *Versio latina:* Episcopus... exponit in sua dioecesi ob extraordinarias distantias, ob parvum numerum viarum ferrearum et difficultates inde oriundas, necnon ob magnas expensas in itineribus faciendas, multos parochos interdum esse coactos, ut omittant vel saltem diu differant annuam renovationem SS. Oleorum. Quare humiliter petit facultatem, ut possit transmittere dicta SS. Olea per cursus publicos, servata maxima decentia et amota meliori quo fieri potest modo qualibet profanatione.

II.

De facultate delegandi simplicem Sacerdotem ad administrandum Sacramentum Confirmationis.

Beatissime Pater,

Episcopus SS.mae Conceptionis de Chile ad pedes S. V. provolutus exponit, quod in sua Dioecesi, in qua decies centena millia hominum numerantur, non potest ipse administrare omnibus Christifidelibus Sacramentum Confirmationis; quapropter S. V. orat, ut sibi concedat facultatem benevisum Sacerdotem delegandi, qui inter limites suae Dioecesis dictum Sacramentum conferre valeat.

Fer. IV, 4 Martii 1903.

In Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram EE.mis Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Iuxta decretum 9 Maii 1888, quod ita se habet: Supplicandum SS.mo pro facultate subdelegandi unum vel alterum presbyterum, concedenda per Congregationem Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositam non solum Episcopis petentibus, sed etiam aliis qui in similibus circumstantiis reperiantur, durante eorum munere.

Sequenti vero Fer. V, die 5 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. Leo Pp. XIII, per facultates E.mo Cardinali huius Supremae Congregationis Secretario impertitas, resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobare dignatus est.

J. Can. Mancini, *S. R. et U. I. Not.*

III.

Valida est ordinatio presb. etiamsi paulo plus quam quinta pars aquae infusa fuerit cum vino in calice.

Beatissime Pater,

Occasione cuiusdam Sacrae Ordinationis, compertum fuit in calicem qui ad Ordinationem Presbyterorum fuerat adhibitus, a ministris infusum fuisse cum vino tantum aquae, ut credatur haec paulo superasse quintam partem. Hisce positis, quaeritur:

I. Utrum valida censeri possit Ordinatio praefata?

II. Quatenus negative, quid sit agendum?

Fer. IV, die 11 Martii 1903.

In Congregatione Generali coram E.mis ac R.mis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Acquiescat.

Sequenti vero Fer. V, die 12 eiusdem mensis et anni, S.mus D. N. Leo PP. XIII, per facultates E.mo Cardinali huius Supremae Congregationis Secretario impertitas, resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobare dignatus est.

J. Can. Mancini, *S. R. et U. Inquisit. Not.*

IV.

De non admittendis ad matrimonium puellis, quarum aetas ignoratur.

Fer. IV, 18 Martii 1903.

Huic Supremae Congregationi S. Officii proposita fuerunt enodanda sequentia dubia:

I. An quando ignoratur aetas iuvenculae quae matrimonium inire cupit, possit et debeat parochus vel missionarius confidere illius exterioribus signis, praesertim quoad conformationem pectoris etc.?

II. In casu vero quo praedicta pubertatis signa deficiant, et aetas ignoratur, matrimonium iam initum considerarine potest et debet ut invalidum, aut ad minus uti dubium?

In Congregatione generali coram EE.mis ac RR.mis DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Ad I. Affirmative et ad mentem — Mens est: quod Missionarii puellas, de quibus in casu, ad matrimonium non admittant, nisi postquam Ordinarius vel Vicarius Apostolicus ex prudenti iudicio compertum habeat eas nubiles existere, ac proinde malitiam in illis aetatem supplere declaret.

Ad II. Ut proponitur, negative; ideoque si aliquis huius generis matrimonii casus Missionariis occurrerit, illud nullum nequaquam declaretur, nisi prius a Vicario Apostolico confecto processu, indubiis probationibus puellam, de qua agitur quaestio, ante duodecimum aetatis suae annum, iugali vinculo fuisse sociatam, et in ea, tempore quo nuptui data fuit, revera malitiam non supplevisse aetatem certo constet. Aut si de matrimonio ageretur quod a puella, antequam christianae religioni nomen daret, fuit celebrandum, nullum non pronuncietur, nisi prius Missionarii, iisdem supranotatis probationibus, certiores fiant, puellam illam, dum huiusmodi nuptias contraxit, non fuisse doli capacem. — Et detur Decretum die 10 Decembris 1885, relatum in Collectanea S. Congregationis de Prop. Fide sub N° 1383.

Sequenti vero Fer. V, die 19 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. Leo Pp. XIII, per facultates E.mo Cardinali huius Supremae Congregationis Secretario impertitas, resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobare dignatus est.

J. Can. Mancini, *S. R. et U. I. Not.*

V.

De competentia Ordinariorum circa causas matrimoniales.

Ordinarius Colonien. ad pedes S. V. humiliter provolutus sequentia dubia enodanda proponit:

I. Num in omnibus causis matrimonialibus, in quibus de validitate matrimonii agitur; praeter forum domicilii mariti, etiam forum contractus et forum connexionis sive continentiae tamquam sufficiens sit habendum; et quatenus affirmative;

II. Num aliquis ordo sit servandus, ita ut prae caeteris Ordinariis, quibus ratione contractus vel continentiae procedere fas sit, is Episcopus sit competens et processum instruere debeat, in cuius dioecesi maritus domicilium habeat.

Feria III loco IV, die 23 Iunii 1903.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis, re mature perpensa, praehabitoque DD. CC. voto, E.mi ac R.mi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales decreverunt:

Standum Instructioni pro Statibus Foederatis Americae anno 1883 editae (1) *et ex Decreto S. O. anno 1891 ad Dioeceses Regni Borussici extensae, ac responsioni ad I. in Decreto S. O. lato fer. V loco IV, die 30 Iunii 1892, quae ita se habet:* « Coniuges in causis mixtarum nuptiarum « subsunt Episcopo, in cuius dioecesi pars catholica domici- « lium habet; et quando ambo sint catholici, quia pars hae- « retica in Ecclesiam reversa sit, subsunt Episcopo, in cuius « dioecesi domicilium habet maritus ».

Quando vero agitur de matrimonio mixto contrahendo cum haeretico separato per divortii sententiam tribunalis civilis ab haeretica, erit Episcopus domicilii partis catholicae, ad quem spectat iudicare an contrahentes gaudeant status libertate.

Sequenti vero feria VI, die 26 eiusdem mensis et anni, S.mus D. N. Leo div. prov. PP. XIII, per facultates E.mo Card. Secretario largitas, resolutionem E.morum adprobavit.

J. Can. Mancini, *S. R. et U. I. Not.*

VI.

In facultate dispensandi super impedimentis matrimonii in articulo mortis comprehenditur alia legitimandi prolem.

Fer. IV, 8 Iulii 1903.

Huic Supremae Congregationi S. Officii propositum fuit enodandum sequens dubium:

Utrum per litteras diei 20 Februarii 1888, quibus locorum Ordinariis facultas conceditur dispensandi aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos super impedimentis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, firmis conditionibus et exceptionibus in iisdem litteris expressis, ac per posteriores litteras diei 1 Martii 1889, quibus declaratur huiusmodi facultatem parochis subdelegari posse, intelligatur concessa etiam facultas declarandi ac nuntiandi legitimam prolem spuriam, forsitan a concubinariis, vigore dictae facultatis dispensandis, susceptam, prout a S. Sede in singulis casibus particularibus dispensationum matrimonialium concedi solet; — an contra pro susceptae prolis legitimatione necesse sit novam gratiam a S. Sede postea impetrare.

In Congregatione Generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram EE.mis ac RR.mis Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, proposito suprascripto dubio, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres respondendum mandarunt:

Affirmative quoad primam partem, excepta prole adulterina et prole proveniente a personis Ordine Sacro aut solemni Professione Religiosa ligatis, facto verbo cum SS.mo. — Quoad secundam partem, provisum in prima.

Sequenti vero Fer. V, diei 9 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. Leo Pp. XIII, per facultates E.mo Cardinali huius Supremae Congregationis Secretario impertitas, resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobare dignatus est.

J. Can. Mancini, *S. R. et U. I. Not.*

(1) En verba cit. Instr. quae ad rem faciunt: « Coniuges in caussis matrimonialibus subsunt Episcopo in cuius Dioecesi maritus domicilium habet. Exceptioni locus est si coniugale vitae consortium aut per separationem a toro et mensa, aut per desertionem malitiosam a marito patratam, sublatum sit. Priori casu quaelibet pars ius accusandi contra alteram ipsi competens coram Episcopo dioecesis, ubi haecce domicilium habet, exercere debet. Posteriori casu uxor apud Episcopum, intra cuius dioecesim domicilium eius situm est, actionem instituere potest. Postquam citatio iudicialis intimata est, mutatio quoad coniugum domicilium facta mutationem respectu iudicis competentis minime operatur ».

VII.

Ordines minores collati ab Abbate Titulari, ex integro iterum conferri debent.

Beatissime Pater,

Archiepiscopus N. N. ad pedes S. V. provolutus, quae sequuntur exponit:

Prior quidam Ordinis Cisterciensium, Abbas Titularis, tonsuram et Ordines minores contulit cuidam fratri in suo monasterio degenti, obtenta in casu ab Archiepiscopo Oratore opportuna delegatione. Nunc vero sibi innotuit non posse Abbatem Titularem gaudere praedicta facultate, et proinde implorat benignam sanationem (1).

Feria IV, die 15 Iulii 1903.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis, proposito suprascripto supplici libello, re mature perpensa, attentis omnibus tum iuris tum facti momentis, praehabitoque DD. CC. voto, E.mi ac R.mi DD. Cardinales, in rebus fidei et morum Inquisitores Gen., decreverunt:

Repetendam in casu Ordinationem ex integro a collatione sacrae Tonsurae inclusive.

Eadem feria ac die SS. D. N. Leo div. prov. PP. XIII, per facultates E.mo Secretario factas, resolutionem E.morum PP. adprobavit.

J. Can. Mancini, *S. R. et U. Inquisit. Not.*

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 5 septembris 1903, in Palatio Apostolico Vaticano fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda (2):

A. — Per Summaria precum.

I. S. Severinae. — Indulti. — R. *Attentis peculiaribus circumstantiis expositis, pro gratia dispensationis a residentia ad triennium, si tamdiu, amissis distributionibus inter praesentes et firma obligatione peragendi lectiones scripturales.*

II. Limburgen. — Applicationis missarum. — R. Ad I^{um}. *Providebitur in 2°.* — Ad II^{um}. *Attentis omnibus, pro gratia reductionis oneris ad duas missas in singulis mensibus, perdurantibus hodiernis circumstantiis, et reductio ponatur in tabella.*

B. — In Folio.

I. Parisien. — Nullitatis matrimonii. — R. *In decisis.*

II. Posnanien. — Nullitatis matrimonii. — R. *Dilata et compleantur acta iuxta instructionem dandam a Def. matrimonii, examinato actricis patre.*

III. Veszprimien. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

IV. Parisien. — Nullitatis matrimonii. — R. *Sententiam esse infirmandam.* (Sub-secreto).

V. Iacien. — Dismembrationis. — *Affirmative — servata matricitate Ecclesiae Archipresbyteralis loci Giarre, — recognoscenda cum aliquo obsequii signo.*

VI. Apamien. — Decreti suspensionis. — R. *Sacerdotem Lambert incurrisse irregularitatem et ad mentem.* (Sub-secreto).

VII. Parmen. — Curae animarum. — R. *Dilata et reproponatur cum voto Consultoris.*

VIII. Matriten. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto — Extra-ordinem).

A. — Per Summaria Precum.

$\frac{4209}{2}$ I.

S. Severinae — Indulti.

Conceditur ad triennium indultum abessendi a residentia, in favorem Canonici aegrotantis, amissis distributionibus inter praesentes, et dummodo peragat lectiones scripturales.

Eugenius Fiumanò iam abhinc sexdecim annis canonicus Theologus in Metropolitana ecclesia S. Severinae, qui semper muneri suo et legi residentiae fideliter satisfecit, quamvis a gravi stomachi morbo afflictatus an. 1894-95 fuerit ceu ex fide medica constat, mense Augusto anni p. elapsi preces obtulit pro dispensatione a lege chori et residentiae ad quinquennium sub conditione deputandi substitutum seu *coadiutorem* quousque morbus evanesceret.

Rogatus Archiepiscopus ut referret de qualitatibus et capacitate personae substituendae ad chorale pensum et ad lectiones scripturales, et insuper Capituli votum exquireret, ipse quoad primum respondit, quod attento defectu cleri in civitate S. Severinae hic substitutus inveniri nequivit a canonico theologo Fiumanò, qui modo petitionem suam coarctat ad dispensationem tantum a choro et residentia ratione infirmitatis, rediens ab oppido natali in unaquaque hedomada pro tradenda lectione scripturali: notat vero Archiepiscopus quod canonici infirmi non residentes, *iuxta pervetustas Capituli S. Severinae constitutiones, punctaturis sunt obnoxii.*

Quoad secundum vero seu de voto Capituli ipse edicit quod « *tre sono stati affatto negativi, e sei su per giù sarebbero* « *inclinati a favorire il teologo, ma subordinatamente ad* « *un attestato giurato di altro medico e ad una più li-* « *mitata assenza* ».

(1) Ex quo patet quod illa ordinatio sanari nequit, sed iterum ex integro iterari debet ab habente legitimam potestatem. (*N. D.*).

(2) Quod a Deo Optimo Maximo totus catholicus orbis effusis quotidie precibus est precatus, ut Ecclesiae luctui et viduitati ex obitu Summi Pontificis Leonis XIII tot tantisque causis de religione et societate optime meriti in tanta temporum iniquitate quam citissime finis imponeretur, id ingenti gaudio ab Eo qui dives est in misericordia concessum esse laetatus est. Expleto enim de more s. Novendialium ritu, quatriduo post ingressum E.morum ac R.morum S. R. E. Cardinalium in Conclave ad Vaticanas aedes ecclesia catholica ex sua viduitate recreata est, divino quidem operante Spiritu, optata electione novi Pontificis PII X viri omnigena virtute Apostolica insignis, cuius fausto sub omine et suprema auctoritate dum Conciliaria H. S. Ordinis Comitia iterum habere datum est, longissimam felicium annorum seriem communia Eidem vota adprecantur.

Hisce praeiactis haec adnotanda censeo. In primis expetita dispensationis gratia videretur deneganda. Sane ratio infirmitatis adducta non satis probata manet. Canonicus Fiumanò nititur medici attestationibus, quae cum iuratae non sint, plenam fidem facere nequeunt; hinc est quod nonnulli canonici ceu patet ex voto Capituli transmisso ad S. H. Congregationem, de eius infirmitate dubitant, eo magis quia insalubritas aquae causa, iuxta canonicum Fiumanò, contracti morbi, fundamento destituitur ex chimica peracta analysi.

Insuper gratiae concessio in themate vergeret in grave choralis servitii detrimentum. « *Per verità* – legitur in « praefato voto – *dei dodici canonici che compongono* « *questo Capitolo, uno è giubilato e non è compos sui:* « *tre sono vecchi e vanno avvicinandosi ai 70 anni, ed* « *è risaputo che ipsa senectus morbus est: un altro di* « *quando in quando è assalito da parossismo podagrico:* « *il canonico Penitenziere è addetto alle confessioni ed il più* « *giovane nella stagione estiva lascia la residenza per* « *recarsi in famiglia a passarvi i tre mesi conciliari. I* « *residenti canonici poi non impediti da malattia, inter-* « *vengono al coro per metà essendovi l'alternativa delle* « *settimane* ».

Demum sedulo advertendum quod Archiepiscopus refert et Capitulum confirmat, de consuetudine inibi existente mulctandi punctaturis canonicos infirmos extra residentiam manentes: nam teste Benedicto XIV, *Inst. eccl. 107, § 8, n. 46* cum die 2 Decembris 1666 quaesitum fuisset:

I. An distributiones quotidianas lucretur canonicus vel beneficiatus, qui solitus caeteroquin inservire a civitate legitimo vacationis tempore in vicinum oppidum (unde sub finem dictae vacationis potest opportune se reddere ad ecclesiae servitium) se contulit, ibique superveniente infirmitatis corporalis impedimento ita detinetur, ut ad civitatem redire et choro interesse non valeat? et quatenus affirmative,

II. An hoc locum habeat quamvis in ecclesia vigeat contraria consuetudo? S. Congregatio Concilii respondit. Ad primum, lucrari; Ad secundum: non habere locum si consuetudo sit legitime praescripta. Conferri etiam possunt aliae resolutiones *Veliterna – Fallentiarum die 28 Novembris 1857; Auximana – Distributionum 28 Aprilis 1860;* et *Reatina 19 Aprilis 1692* in qua decernitur fallentias deberi canonico iubilato dummodo non obstent constitutiones particulares et *consuetudo ecclesiae.* Vide etiam *Reiffenstuel, lib. 3, decret. tit. 4, § 7, n. 190,* ubi ponit distinctionem inter particulare statutum et consuetudinem in ordine ad distributiones lucrandas a canonicis infirmis non residentibus.

Cum igitur in themate allata consuetudo videatur esse legitime praescripta, quia, ut testantur Capitulares, est valde antiqua, indultum absentiae, si concedatur, dari oporteret cum clausula *amissis distributionibus quotidianis,* seu cum amissione fructuum massae parvae: et quidem non ad quinquennium ceu canonicus Fiumanò expostulat, sed ad angustius tempus, puta ad triennium, ceu volunt canonici qui eius petitioni favere videntur: hoc enim temporis spatium satis sufficiens censetur ad pristinam sanitatem recuperandam.

Ex adverso vero observari potest quod de infirmitate canonici Fiumanò ambigi non potest: eam enim apertis verbis testatur Archiepiscopus « *Commendiamo vivamente la pre-* « *sente supplica essendo tutta la verità quanto è stato* « *esposto dall'Oratore* »: eam insuper confirmant tres medici fide digni; at quoniam Capitulares nonnulli de ea dubitant, potest etiam exquiri iurata fides medica pro indulti concessione, vel etiam onerari Oratoris conscientia *super praecisa necessitate abessendi ob expositam causam* uti responsum fuit in *Regien. Indulti 14 Decembris 1850.*

Constans autem et uniformis est praxis S. H. Congregationis ut quoties de infirmitate constet numquam denegetur indultum vacationis a choro et absentiae a residentia: id aperte fluit ex celebri et unico capite de cler. non resident. in 6°. Neque huiusmodi naturalem benignitatem valet remorari eoque minus impedire oppositio canonicorum aliorumque interesse habentium, quae, comprobata infirmitate seu legitimo residendi impedimento, veluti iniusta et irrationabilis reputatur, iuxta resolutiones in *Piscien. Indulti 6 Dec. 1760*; *in Praten. Vacandi a choro 23 Iunii 1764;* et *in Casertana Indulti abessendi 16 Dec. 1797;* ac huiusmodi indulta ne ipsis quidem parochis recusantur, si ob aëris intemperiem nequeant absque valetudinis discrimine residere, ut factum est in *Tarraconen. Residentiae 24 Martii 1773.*

Neque attendi convenit quod nonnulli capitulares praetextu damni chori obtrudunt de resignatione beneficii vel de ponendo substituto: primum est contra aequitatem, inhumanum esse enim videtur ut qui ex morbo inhabilis evasit ad chori servitium, vel ad residendum, beneficium dimittere cogatur, et sic afflictionem afflictioni cumulare. Quoad alterum respondetur, quod non stetit per canonicum Fiumanò si substitutus poni non potuit, hoc potius repetendum ex defectu cleri, ceu Archiepiscopus testatur; sed deinde nec exigi potest ut infirmus compellatur ad inserviendum vel residendum per substitutum, uti H. S. Congregatio declaravit in praefata *Piscien.* Insuper adnotandum quod Canonicus Fiumanò promittit per se lectiones scripturales tradere remeando ab oppido natali ceu testatur Archiepiscopus in suis literis diei 18 Novembris 1902. « *Per le lezioni della* « *S. Scrittura sarebbe disposto a ritenere l'onere e venire* « *qua in sede una volta la settimana* » et die qua legit censetur praesens in choro ut pluries decisum esse a S. Cong. Conc. refert Ferraris *Bibl. Can. ver. Canon. art. IX, n. 41-42.*

Quoad vero receptam consuetudinem in ecclesia Cathedrali S. Severinae non tribuendi distributiones quotidianas canonicis infirmis extra locum residentiae manentibus, in iure nihil certum videtur posse statui: hoc potius pendet a casibus particularibus, siquidem S. Congregatio has consuetudines non semper recognovit: uti edicitur in *Veliterna Fallentiarum* 28 Novembris 1837. Unum tamen certum est, quod ecclesia summa benignitate infirmos prosequitur et non patitur ut afflictis afflctio addatur: ac inde S. Congregatio Capitulorum statuta, quae aegrotis quotidianas denegant distributiones confirmanda non esse censet utpote irrationabilia et contra bonum ecclesiae, teste Fagnano, lib. 3, Decretalium, cap. 1 de cler. aegrotan., n. 136.

Iudicent ergo EE. VV. an et quomodo Oratoris canonici Fiumanò precibus sit annuendum.

Quare etc.

Emi Patres rescripserunt: *Attentis peculiaribus circumstantiis expositis, pro gratia dispensationis a residentia ad triennium, si tamdiu, amissis distributionibus inter praesentes, et firma obligatione peragendi lectiones scripturales.*

5937/2

II.

Limburgen. — Applicationis missarum.

Ob peculiares circumstantias, iisque perdurantibus, conceditur reductio applicationis missarum, pro fundatore cuiusdam cappellaniae.

Sub finem proxime elapsi anni, Episcopus Limburgensis sequentia exposuit: « In pago Ellar Dioeceseos Limburgensis « exstitit ante « Reformationem » Capella ad S. Marcum « cum proprio capellano, fundata, ut fertur, a vivo quodam « nobili, qui 38 iugera, sita in pago Niederzeuzheim, pro « fundatione donavit; quae fundatio in posterum « Kapel- « lenhof » nominabatur. Circa annum 1550 per intrusam hae- « resim Lutheranam cultus catholicus in Ellar extinctus est, « sed anno 1630 restitutus est. A quo tempore praedicta « fundatio fundo parochiali in Lahr, cuius filialis ecclesia « erat Ellar, incorporata est; 40 fere annos post restitutam « fidem catholicam lis exorta est inter parochianos in Ellar « et parochum in Lahr, quia illi contendebant, parochum « ratione fundi « Kapellenhof » ad persolvendam missam « hebdomadalem in Ellar esse obligatum; quod vero paro- « chus negabat. Causa ita finita est, ut anno 1675 a man- « dato Principis de Nassau-Hadamar parocho onus missae « quovis sabbato in Ellar persolvendae imponeretur, de « obligatione autem applicandi missam pro fundatore in « ista sententia mentio non facta est. Tempore vero se- « quenti stabilis ordo in persolvenda hac missa non obser- « vabatur.

« Anno 1838 ecclesia filialis Ellar a parochia Lahr dis- « iuncta et ipsa in matricem erecta est; et fundatio supra « memorata « Kapellenhof » a fundo parochiali in Lahr « separata ad fundationem novae parochiae Ellar-Hausen « impensa est; nulla tamen facta mentione missae fundatae; « quae hactenus missa pro fundatore non est applicata.

« Nos re ad officium Nostrum relata extraiudicialiter pro « obligatione sententiam ferendam censuimus. Quam senten- « tiam parochus, aegre ferens, ut per Nos ad S. Sedem causa « decidenda perferretur, petiit, quaerens:

« 1) utrum parochus in Ellar-Hausen obligatus sit ad « applicandam missam hebdomadalem pro fundatore fundi « Kapellenhof? »

« 2) et si affirmative, utrum respectu novi oneris gravis- « simi annuendum sit precibus parochi, reducendi nempe « missam hebdomadalem in missam quovis mense vel quar- « taliter dicendam? »

Hoc supplici accepto libello ab Episcopo exquisivi ut referret, utrum erecta paroecia Ellar eique assignatis reditibus piae fundationis Kapellenhof, obligatio missae celebrandae pro hac fundatione consolidata censeri possit cum obligatione applicandae missae pro paroeciae populo, ita ut utrique obligationi satisfactum iudicari possit unius missae celebratione diebus festis: et mentem suam hac de re patefaceret. Insuper doceret de statu activo et passivo paroeciae, et an talis sit status oeconomicus parochi qui ferre possit, ut onus ei adiiciatur novae missae pro fundatione Kapellenhof, an potius exigat ut ab eo onere quatenus existat dispensetur.

Mandatis S. V. O. ea qua par est diligentia, Episcopus Limburgensis obsequutus est sequentia referens: « Erigendae « parochiae Ellar fundus « Kapellenhof » in dotationem tra- « ditus fuit, obligationis missae pro fundatore applicandae « mentione minime facta, cum parochus Lahrensis omni « hebdomada in pago Ellar missam persolverit ob fructus « ipsi ex dicto fundo assignatos. Si revera olim haec obli- « gatio exstitit, de qua causa agitur, eam etiam post erectam « parochiam durare, neque ipsi missis pro populo diebus do- « minicis et festivis satisfieri puto.

« Quoad secundam quaestionem: Redditus annui dictae « parochiae iuxta computum ecclesiasticum anni prioris sum- « mam 2500 libellarum attingunt; qui redditus hodie ex « aerario publico usque ad 3625 libellas aucti sunt. Quia « tamen secundum aetatem parochi, isti redditus plures aut « minores ex dicto aerario assignantur, successor parochi « hodierni forsan solas 2500 libellas percipiet. Congrua vero « hac in dioecesi summa 1775 libellarum constituta est. « Status passivus fundi parochialis non existit. Obligationes « autem missarum exceptis circa 80 missis pro populo appli- « candis 96 tabellae inscriptae sunt. Si a Sacra Congrega- « tione Concilii parochum obligatum esse ad missam hebdo- « madalem pro fundatore dicti Kapellenhof applicandam sen- « tentia feretur, summa quadam verisimiliter detrimentum, « quod ex ea obligatione ipsi evenerit, reparabitur, sed « summa ista ex aerario publico ei assignanda omni tempore « est revocabilis ».

Parochus Ellarensis ex triplici capite sustinet se esse exsolutum ab obligatione applicandi pro fundatore praefatae capellaniae:

1. Quia in inventariis ecclesiae Lahrensis neque in tabellis missarum fundatarum haec obligatio inscripta invenitur, neque alicubi de ea mentio fit;

2. Quia an. 1675 quando incolae vici Ellar recursum obtulerunt principi de Nassau-Hadamar uti supra relatum est, pro habenda missa in pago Ellar, decisum quidem fuit parochum Lahrensem qui tunc paroeciae incorporatam capellaniam Kapellenhof habebat, debere quovis sabato in Ellar missae onus persolvere sed de obligatione eam applicandi pro fundatore nulla mentio facta fuit;

3. Dictae missae similes fundationes sine obligatione applicandi etiam in alia parochia Grossholbach extare refert parochus Ellarensis, ita nempe ut parochus diebus ferialibus in ecclesiis filialibus Kleinholbach et Girod dicere missam deberet in favorem filianorum ab ecclesia matrice longe distantium: unde a pari videtur arguendum pro parocho Ellarensi.

Hucusque expositis et alia ratio succurrere potest. Anno 1838 quando nova paroecia Ellarensis fuit erecta cui praefata capellania fuit incorporata, tabulae fundationis probabiliter praesumuntur fuisse inspectae vel saltem exquisitae: si itaque nullum onus impositum fuit pro applicanda missa favore fundatoris, argumentum inde solidum habetur, quod de eo non constitit. Haec in facto sufficiunt notasse.

In iure autem observari potest, quod quamvis generatim demandata in testamentis missae celebratione, iniunctum quoque onus censeatur applicationis ceu observat *Bened. XIV de sacrif. mis. lib. 3, cap. 9*, maxime cum deprehendatur testatorem vel fundatorem una cum populi commoditate animae quoque suae suffragium respexisse, tamen haec regula cessat, ubi ex dispositionis contextu et ex aliis adiunctis puta ex observantia fundationi proxima coniicere liceat aliter testatorem praecipere voluisse: ceu patet ex resol. *Tridentina applic. miss. 27 Feb. 1768 Brixien. legati pii 24 Iulii 1838.* Tunc enim potius videtur fieri locus regulae iuris: *In obscuris quod minimum est sequamur.*

In contrarium vero animadverti potest quod obligatio applicandi missam pro institutore Cappellaniae recognita fuit ab Episcopo Limburgensi cuius iurisdictioni parochus Ellarensis subest. Haec autem declaratio non videtur solido destitui fundamento; si quidem primo, instituta Cappellania cum onere missae praesumitur quod pius fundator eam voluerit celebrari in suffragium animae suae nisi contrarium

probetur: cum autem de hac contraria voluntate in themate non resultet, applicandum potius recurrit principium Regulae 45 in 6. *Inspicimus in occultis quod est verisimilius.*

Quin imo, uti supra relatum est ab Episcopo in inventario quodam a Parocho Yorst confecto eruitur quod a parochis Lahrensibus, ante an. 1838 quo tempore erecta fuit paroecia Ellarensis, dicta missa hebdomadalis pro fundatore applicabatur, quin aliquid operetur subsequuta observantia de missa non applicanda pro fundatore: quippe S. Cong. observantiam de non applicanda missa pro fundatore in calculo habere non solet quando deficiunt circumstantiae quae praesumere faciunt testatorem missae applicationem praecipere noluisse ut notatur in folio *Taurinen. applic. missar. 26 April. 1836.*

Posita vero obligatione in parocho Ellarensi applicandi pro cappellaniae fundatore, non videretur esse ulla oneris reductio impertienda, tum quia detrimentum ex hoc onere obventurum compensabitur summa ab aerario publico, tum quia reditus parocho assignati sunt valde pingues. Ex adverso vero notari potest quod assignatio praefatae summae non est certa, et insuper revocari potest ceu testatur Episcopus per haec verba « Summa quadam *verisimiliter* detrimentum, quod ex ea obligatione ipsi evenerit reparabitur, sed summa ista ex aerario publico assignanda *omni tempore est revocabilis* ». Reditus quos parochus actualis in libell. 3625 percipit, sunt variabiles iuxta parochi aetatem, et forsan successor parochus percipiet lib. 2500 ut ait Episcopus; deinde hi reditus non videntur ita pingues habita ratione locorum et regionis, ad honestam vitae sustentationem: hinc aliqua oneris reductio non videretur esse deneganda.

Quare, etc.

Emi Patres rescripserunt: *Ad 1um, providebitur in 2°; 2um dattentis omnibus, pro gratia reductionis oneris ad duas missas in singulis mensibus, perdurantibus hodiernis circumstantiis, et reductio ponatur in tabella.*

B. — In folio.

Parisien. — Matrimonii.

VOTUM THEOLOGI.

Die 31 Januarii 1903.

Quum certo constet de existentia impedimenti ex copula illicita, et probabilius non constet de concessa dispensatione, possidet impedimentum contra matrimonium; nec ex factispecie cessasse dici potest imped. Unde decernitur pro nullitate matr. in casu. In utroque Voto clar. Consultoris, plura attente notentur praeclare dicta tum circa notorietatem imped., tum circa valorem cumulatae dispensationis pro impedimento forsan occulto, forsan publico.

E.mi ac R.mi Patres,

Peculiarem satisque subtilem praesefert difficultatem haecce causa Parisien. sapientissimis Vestris deliberationibus in gradu quasi appellativo submissa; difficultatem, inquam, quae non ex allegato impedimento affinitatis in primo gradu laterali, de quo plene et indubie constat, neque praecipue ex necessaria dispensatione quae ante matrimonium, expetita et concessa fuisse *videtur*, sed praecise ex validitate aut invaliditate dictae dispensationis in casu concreto, promanat.

2. Factispecies haec est:

Iosephus, dioecesis et civitatis Mimaten., Parisiis degens, annos natus tunc circiter 24, negotiationi addictus, amatorias nexuit tricas cum quadam Parisiensi puella, Bertha, quam postea in uxorem ducere forsan intendebat, et cum ea, in proprium domicilium recepta, per quinque circiter aut sex menses maritaliter vixit, quam tamen, quum detexisset aliis etiam amplexibus deditam a se reiecit. Genitrix vero Berthae, ne quem optaverat generum amitteret, illi filiam suam natu secundam, Blancam obtulit in uxorem; et revera Iosephus, die 12 Novembris 1894, praebita per quemdam confessarium dispensatione super impedimento affinitatis, in ecclesia parochiali Saint-Pierre, Blancam rite duxit.

3. Elapsis vero mensibus circiter quatuordecim Blanca coniugale domicilium dereliquit, quo liberius, cum quodam amasio, rei medicalis studente, vesanis suis amoribus indulgeret, et nunquam postea, non obstantibus semel et iterum mariti conatibus, coniugalem domum repetiit. Qua de causa, Iosephus civile divortium, ut dicitur, petivit ac obtinuit: « Le jugement a été rendu le 6 août 1896, pour inconduite « notoire de ma femme ». Postea, quum idem a quodam confessario indirecte rescivisset, « que mes relations, inquit, « avec Berthe pouvaient entraîner la nullité de mon ma« riage avec Blanche, je vins à l'Officialité, où on me dit « qu'il y avait un procès à faire ». Processus revera formaliter inchoatus, prosecutus et, per sententiam de qua infra, conclusus fuit.

4. Quoad actitationem, notanda veniunt sequentia:

a) Bertha, primogenita soror, a Iosepho reiecta, cum alio amasio vitam per aliquale tempus duxit inhonestam, quocum, adversam ob fortunam, absorpto veneno, ante processus inchoationem misere periit. Blanca, in praesenti themate Rea, rite citata, comparere renuit. Vidua, talium filiarum digna parens, iam anno 1895 obierat. Et hinc est quod Officialitas Parisiensis, ad evincendum assertum affinitatis impedimentum, praeter Actoris iuridicum examen, depositiones non propinquorum sed tantum extraneorum testium, in tabulis processualibus registrare potuerit.

b) Curia Parisiensis DUPLICI munitur INDULTO dispensandi super affinitatis primi gradus impedimento, nempe: indulto *triennali* alias *quinquennali*, cuius virtute dispensat super impedimento affinitatis *occulto*, ex illicita copula proveniente; altero vero *ad numerum*, i. e. pro viginti casibus, cuius tenore dispensat super impedimento *publico* affinitatis ex actu fornicario proveniente. De facili praesumitur hanc duplicem dispensandi facultatem haud fuisse alienam intricationi praesentis Causae, prout fusius infra dicetur.

c) Iudex Parisiensis, tunc eximius ac diligentissimus Paulus canon. Monlezun, re mature perpensa funditusque discussa, praehabito etiam unius alteriusque Consultoris ad casum voto, in Actis inserto, probabile existimavit Ordinarium intentionem habuisse (propter duplicem suam de qua supra facultatem) dispensandi tum in interno tum in publico foro, seu rectius impedimentum, prout erat in casu, omnino tollendi, ut sic validitati huius matrimonii contrahendi tutiori modo provideretur; attentaque illa probabili validitate dispensationis, conclusit: « non dici posse matrimonium certo fuisse nullum », ideoque, die 16 Martii 1901, formaliter sententiavit: « *Non satis constare de nullitate matrimonii inter Iosephum et Blancam* » et Acta transmisit S. O. V. subiicienda.

d) Actor vero, id est Actoris Patronus, praelibatam decidendi seu sententiandi rationem, non satis fundatam existimans, ab Hac Sacra Congregatione petiit et obtinuit facultatem superaddendi processus actis, novas quasdam informationes circa assertam dispensationem. Illae igitur informationes suppletoriae, quamquam tabulis iam iuridice clausis

superadditae, nihilo tamen minus vere iudiciales censendae sunt, et canonicum sortiuntur effectum.

His praemissis, examen tenuitati meae commissum, duobus absolvi posse videtur: *Primo*, de ipsomet affinitatis impedimento in casu; *Secundo*, de dispensatione super dicto impedimento.

I.

5. De affinitatis impedimento, Actor rite iuratus, haec habet:

« Mes relations avec Berthe ont été des relations mari-« tales. Elles ont commencé environ le 15 septembre 1893... « Nous avons fait d'abord un séjour de trois jours à l'hôtel « de la Civette, boulevard Rochechouart, puis un séjour de « près d'un mois, rue Montorgueil, dans une chambre meublée, « rue Compas d'Or, que j'avais louée. *Elle* (Bertha) *habitait « jour et nuit avec moi*. Au bout de ce temps, sous prétexte « d'aller soigner sa mère malade, elle s'absentait de temps « à autre, mais elle revenait passer, soit la journée, soit la « nuit, rue Montorgueil... » Interruptae fuerunt relationes per bimestre circiter, ob profectum viri in aliam Galliae partem. Illi vero Parisios iterum redeunti occurrit Bertha, quacum, durante absentia, epistolas amatorias alternaverat; et iterum incepit contubernium modo maritali per alios circiter tres menses. Praecisius adhuc: « La preuve de nos rapports *in-« times* est dans cette circonstance qne pendant tout le temps « qu'ont duré nos relations, nous avons eu même chambre, « même lit. Il n'y avait qu'un lit dans notre appartement à « Paris ».

6. Insuper, contubernium huiusmodi probe noverant tum mater, tum Blanca soror Berthae.

7. Haec omnia testes *decem*, formiter auditi, plene confirmant. Ne autem pretiosissimum EE. VV. tempus insumatur incassum, praecipuas tantam depositiones sat erit adnotare...

10. Caeteri testes pariter concubinariam cohabitationem, incunctanti securitate, ad brevius vel longius tempus, affirmant, itemque ponunt dictam cohabitationem tum genitrici tum sorori Berthae probe notam fuisse.

11. Indubium igitur est impedimentum affinitatis inter Iosephum et Blancam ob copulam ante matrimonium habitam cum Bertha: ast utrum pari certitudine constet dictum impedimentum fuisse reapse publicum seu notorium? Otiosa nequaquam censenda est haec subsidiaria quaestio: nam alter e Consultoribus Curiae Parisiensis, etsi *publicitatem* admittat impedimenti, formulam tamen, hac de re, tantisper ancipitem usurpare videtur: « Le fait de la publicité, juri-« dique tout au moins, des relations de Monsieur B. avec « Berthe, n'est pas *sérieusement douteux* ». Unde, aliqualiter innuitur dubium perstare leve, vel ad minus levissimum, circa dictam publicitatem. Alius vero Consultor Curiae, incunctanter ponit probabilissimum vel certum esse quod impedimentum fuerit occultum: « En réalité, il est très pro-« bable, pour ne pas dire certain, que l'empêchement était « occulte; sans doute plusieurs personnes connaissaient, en « général, les relations de M. B. avec Berthe; mais très « peu savaient jusqu'où étaient allées ces relations (!!), et « par suite, très peu connaissaient l'empêchement: *il était « donc occulte* ».

12. At vero, salva reverentia dixerim, tali insinuationi talive assertioni nullum, ne minimum quidem, sive in iure sive in facto, suppeditat fundamentum. Non in iure siquidem:

a) Theologi et Iuristae communiter ponunt occultum, quidem simpliciter occultum, dici non posse quod « quinque vel sex personis in oppido, vel septem aut octo in civitate notum est » (Feije, *n. 88, et seqq.;* Rosset, *n. 2729;* Gasparri, *De matrim. n. 252, etc. etc.*).

b) Ut occultum impedimentum dignoscatur (id est censeatur), parum conferre putamus, ait Ben. XIV (*Instit. eccl. LXXXVII, n. 43, edit. Praten., p. 78*), si illorum sententiae tantum investigentur, qui nulla experientia praediti Sac. Poenitentiariae, de hac re temere scripserunt; sed necessarium ducimus perscrutari quid hoc vocabulo *occulti impedimenti* ab eodem Sacro Tribunali intelligatur. Haec autem cognitio ab illis solis comparari potest, qui munus aliquod in ipso Tribunali gesserunt. Prosper Fagnanus, Correctoris munere magna cum laude functus est... Itaque Fagnanus de occulto impedimento sapienter sermonem instituit, et primum ostendit illud occultum impedimentum dici quod nullo pacto demonstrari potest, et Dei solum iudicio permittitur. Impedimentum vero quasi occultum illud esse quod solum duobus vel tribus aut quinque testibus comprobatur... Quod si duo, quatuor aut quinque crimen ipsum deprehenderint, tum occultum minime dicetur ». Quidam auctores numerum noscentium ampliant usque ad septem et octo (*Thesaurus* ap. Benedictum XIV ibi) imo usque ad decem, iuxta Sanctum Alphons. qui de propria scientia testatur: « .... sed ego scio S. Poenitentiariam dispensasse in impedimento quodam consanguinitatis noto *decem circiter* personis » (*Lib. VI, 1111, edit. Taurinen. pag., 764 A*): per transennam heic adnotandum videtur quod exemplum, a S. Doctore invocatum, fortassis ad rem non directe veniat, quia *consanguinitatis* impedimentum de se et per se non est occultum; e contra Reiffenstuel, aliique non pauci nec mediocris notae, numerum limitant, ob periculum divulgationis, ad duos vel tres testes, si sint garruli, aut inimici.

c) Et ex his omnibus recte deduceretur, ni fallor, quod impedimenti publicitas seu notorietas non tam ex maiori seu minori noscentium numero diiudicanda veniat, quam ex ipsis adiunctis facti quod causa fuit impedimenti. Si, v. g. Titius et Caia fornicationibus creberrimis indulgeant, sed adhibitis cautelis, molitionibus, calliditatibus, ut suas occultent luxuriationes, difficillimum erit, etsi tres aut quinque aut octo testes rem aliqualiter noscant, aliique viginti, trigintave suspicentur, difficillimum erit asserere *publicum* impedimentum affinitatis inter Titium et sororem Caiae: econtra Caia Titiusque suas necessitudines veluti propalant, v. g. per communem cohabitationem, per apertas teneritudines et externas modo maritali familiaritates; tunc pronum cuique erit concludere has minime occultas relationes, etsi tantum tribus vel quatuor testibus actu notas, causam esse impedimenti fori externi inter Titium et Caiae sororem. Nec obstat, ut liquet, quod hi pauci testes ignorent e talibus relationibus oriri impedimentum; nam ignorantia iuris in impedimentis minime tollit impedimentum.

d) Reapse Curia Parisiensis retinet, et meritissime quidem, impedimentum non esse occultum, si factum ex quo oritur impedimentum, sit publicum vel notorium; nam in supplici libello ad S. Poenitentiariam anni 1877, Curia exposuit « quod in dioec. Parisiensi saepissime accidit ut qui matrimonium contrahere cupiunt, affinitatis collateralis ex illicita copula detineantur *impedimento non occulto*, cum proveniat vel ex contractu mere civili, vel *ex publica cohabitatione* » (*Acta, doc. adnexa*).

13. Non in facto, id est non in themate praesenti Iosephi et Berthae. siquidem:

a) Actor confitetur suas, cum Bertha per quinque sexve menses, *relations maritales*, ac de iis Bertha gloriatur, quas mater et soror probe noverant.

b) Tribus vel quatuor distinctis aedibus communem sibi cohabitationem publice constituerunt.

c) Testes, non solum de propria scientia sed de aliorum inquilinorum suasione deponunt.

d) His accedunt suprarelata verba duorum Testium qui deponunt se propriis oculis vidisse Bertham et amasium in eodem cubili pernoctantes, aut ex eodem assurgentes, necnon alterius qui: « Je les ai vus – inquit – s'embrasser « d'une manière assez significative ». Quare, si talibus in adiunctis iuridice comprobatis, dubitandum sit de publico seu non occulto impedimento affinitatis, impossibile prorsus evadet quempiam casum invenire, per orbem, affinitatis scilicet non occultae ex copula illicita provenientis.

14. Iure igitur merito dubietates Consultorum praelibatas oculatissimus Iudex Parisiensis posthabuit et praecisis verbis iudicavit affinitatem in casu fuisse minime occultam: « Attendentes adfuisse inter Iosephum et Blancam affinitatem illicitam in primo gradu collaterali quae ex iure ecclesiastico constituit impedimentum dirimens, *eamque fuisse publicam*, ita ut nonnisi dispensatione in foro externo data tolli valeret.

Et nunc, ad dictam dispensationem.

II.

15. Circa dispensationem a se petitam, Actor sequentia refert: « Lorsque je me suis confessé, la veille de mon ma« riage, à huit heures du soir, à St-Roch, le prêtre auquel « je me suis adressé et auquel j'ai déclaré que j'avais eu « des relations avec la sœur de la future, me dit que c'était « un empêchement. Je suis certain qu'il m'a dit cela. Il m'a « dit: « Vous ne pouvez pas vous marier ». Il m'a dit qu'il « fallait demander une dispense à l'Evêché, ajoutant qu'il « tâcherait de voir le Cardinal. Il me donna rendez-vous « pour le lendemain à 8 heures. Le lendemain il me dit, en « me donnant mon billet de confession: « Tout va bien, c'est « une affaire arrangée, vous pouvez vous marier, tâchez de « mener bonne vie ». Tout s'est passé verbalement. Ce prêtre « était un Vicaire de St-Roch ».

16. Petitam fuisse dispensationem, aut saltem notum fuisse interessentibus impedimentum, aliqualiter suaderent unius et alterius testis depositiones.

17. Aliqualis tamen dubietas oriri posset ex circumstantia temporis, videlicet: Actor, vigilia tantum nuptiarum, ad octavam horam pomeridianam, parochialem ecclesiam S. Rochi pergit, confessionem suam peragit, et confessarius impedimentum detegit, ante horam octavam matutinam diei insequentis auferendum; ideoque laudatus Confessarius, e S. Rocho ad Curiam sub nocturnis horis eiusdem diei, mense Novembris, pergere debuit, aut antelucano tempore diei insequentis: quae omnia sat complicata videntur. Quidquid sit de nubecula illa, stat in sua iudiciali firmitate confessio ipsius Actoris asserentis dispensationem a seipso fuisse expetitam.

18. Utrum vero pariter a Confessario penes Curiam expetita fuerit? Nec cerebrosa nec iniuriosa censenda est subsidiaria illa perquisitio. Inseritur enim in Actis quaedam declaratio scripta actoris quae anteriorem declarationem oralem, meo quidem humili iudicio, haud parum immutat, quamque proinde pro munere Consultoris sedulius adimplendo, sub silentio minime praetereundum existimo: « *Paris, 20 août* « *1900:* Monsieur l'Official. Conformément à votre autori« sation, je viens vous mentionner le détail ci-dessous, in« téressant mon procès, et dont vous n'avez pas eu connais« sance dans ma déposition.

« Voici: Le jour de mon mariage, vers les 7 à 8 heures « du matin, m'étant confessé la veille au soir, le confesseur « me dit en me remettant le papier: « Voici votre billet de « confession. Ça va bien: *je n'ai pu voir ces Messieurs à l'Ar« chevêché*, je m'en doutais, j'ai fait part du cas à... » *(mon curé, mon archiprêtre*, je ne sais, id est, Actor, qui sic interpolat parenthesim, nescit an Confessarius suum Parochum aut Archypresbiterum consultaverit) « et il m'a dit: « Que voulez-vous? Dans des cas comme cela, on ne peut « pas faire manquer le mariage... Enfin, c'est bien, tâchez « de mener bonne vie, etc... Je vous soumets ce détail le « plus scrupuleusement possible et autant que je me le rap« pelle... »

19. Ex his plano pede sequeretur, ut patet, nullam penes Curiam petitam fuisse, tempestive saltem, dispensationem, nequidem in foro interno.

Suprascripta declaratio, quamquam in Actis inserta, canonico robore destituitur, quia non sub religione iuramenti prolata: attamen assertionem Actoris commentitiam reputare non auderem, tum ex eo quod ipsius veridicitas ex Actis satis elucescit, tum etiam ex alia circumstantia, videlicet: quum Tribunal Curiae, ex nonnullis connotatis, praesumere potuisset Confessarium, de quo supra, non alium fuisse nisi unum e Vicariis S. Rochi, praelaudatus Vicarius, requirente Defensore Vinculi et consentiente ipsomet Actore, convocatus fuit coram Tribunali una cum Actore qui eum expresse a lege sacri sigilli quoad dispensationis adiuncta exsolveret. Facta vero, die 31 Martii 1900, confrontatione inter Actorem et Vicarium, Actor « déclara qu'il ne le reconnaissait pas « comme étant le Vicaire de St-Roch à qui il s'était adressé... » sed « il a affirmé de nouveau, devant le Tribunal, que sur « ce point d'une dispense qui aurait été demandée par son « confesseur, le onze novembre au soir, ou le douze au matin, « *relevait ce confesseur du secret professionnel*, à l'effet « de pouvoir faire sa déposition devant le Tribunal ecclé« siastique » *(Act.. p. 48 et 49)*. Aegre concipitur quod Actor tanta facilitate Confessarium hunc ignotum a secreto deobligaverit qui dispensationis circumstantias, vel ipsius scriptae declarationis, si commentitiae fuissent, postea tanquam saponis bullas exsufflasset.

20. Nihilo tamen minus, deductiones istae et animadversiones, in iure praevalere nequeunt contra formalem confessionem actoris *(n. 15 supra)* de dispensatione petita et forsan concessa; ideoque tertium sententiae comma, prout sonat, accipi posse videtur, nimirum: « Attendentes ex ipso testimonio Actoris constare dispensationem ab ipso eius confessario, pridie quam nuptiae celebrarentur, fuisse ab Ordinario Parisiensi petitam et obtentam, et Actori his verbis notificatam: Tuto nuptias posse celebrari »; nisi quod verbum *Constare* in casu nonnulla laborat incertitudine facti.

21. Prosequitur sententia:

« Attendentes nihil probare hanc dispensationem in foro tantum interno esse petitam et praesertim datam, cum confessarius vir prudens et doctus fuisse videatur:

« Attendentes grave, his in circumstantiis, dubium remanere utrum Ordinarius qui quidem potestatem ex indultis habet tum in interno, tum in externo foro dispensandi, in animo habuerit in interno tantum foro dispensare, an in utroque, scilicet tollendo quaecumque matrimonio contrahendo obstare poterant;

« Nec obstare quod mentio huius dispensationis non reperiatur facta expressis nominibus in regestis Officialitatis, cum neglectio huius inscriptionis non valeat dispensationem annullare;

« Attendentes igitur, hoc remanente gravi dubio, non dici posse matrimonium certo fuisse nullum;

« Attenta necessitate pro munere nostro iudicandi in casu, dicimus et pronuntiamus: *Non satis constare de nullitate matrimonii inter Iosephum et Blancam* ».

22. Hunc sententiae textum, quem integre transcribere

necessarium visum fuit, pluries et maxima attentione perpendi, et non possum quin, nonobstante peculiarissima quam peritissimus Iudex Parisien. meretur existimatione, quasdam non satis cohaerentes, meo quidem humili iudicio, adnotem considerationes:

a) Nihil probat, inquit Iudex, dispensationem petitam fuisse tantum in foro interno. At multo minus probatur ex depositione Actoris eamdem petitam fuisse in foro externo. Imo, ex facto quod Iosephus impedimento certissime irretitus, dictum impedimentum Confessario sibi ignoto, in actu confessionis sacramentalis tantum revelaverit, vehementissima praesumptione coniicitur impedimentum eodem modo, seu eadem ratione, a Dispensante sublatum fuisse, qua revelatum fuerat, id est in foro tantum interno.

b) Non obstat, inquit Iudex, quod neglecta fuerit registratio dispensationis sub expressis nominibus. Optime dictum: omissio enim registrationis in casu, dispensationem non invalidaret; ast praecise, ex omissione registrationis coacte arguitur dispensationem non fuisse concessam nisi in foro interno: secus aliqualis exstaret registratio in elencho dispensationum fori externi. Si non registrantur singuli casus, quomodo Curia nosse poterit facultatem, sibi impertitam pro *viginti* casibus fori externi, esse aut non esse exhaustam? Porro argumentum istud tenuitati meae eo fortius urgere videtur quod, hinc, Curia Parisiensis, ut satis notum est, attentissima sedulitate res matrimoniales pertractat: illinc vero, in illo ipsissimo praefato Rescripto Curiae, pro viginti casibus, apposita fuerit clausula sequens: *facta in unoquoque casu expressa mentione huius apostolicae delegationis.*

c) « Attendentes, inquit Iudex, hoc remanente gravi dubio, non dici posse matrimonium certo fuisse nullum ». Et haec etiam iudicialis consideratio, neque recta neque logica videtur. In dubio standum est utique pro valore matrimonii, quia matrimonium contractum *possidet*, ut loquuntur Iuristae, respectu impedimenti dubii: ast in praesenti themate, agitur de impedimento certissimo, quod *possidet* respectu dispensationis, quodque proinde nonnisi per dispensationem certo ac valide datam auferri valet. Unde, si quae perstabat adhuc circa dispensationem dubietas, satius ac tutius fuisset, meo quidem submississimo iudicio, sententiam procrastinare, easque ab Officiali tunc ad dispensationes Delegato, requirere informationes quae, post datam sententiam, reapse subministratae fuerunt, quaeque non modicam afferunt lucem, ut infra dicetur.

23. Ultimo tandem gressu deveniendum est ad binam illam Curiae Parisiensis dispensandi facultatem. Heic enim genuinus cardo difficultatis; heic etiam, ni fallor, substantialis error sententiae. Ordinarius igitur, virtute triennalis indulti, dispensat super affinitatis impedimento *occulto*, prout supra *(n. 4 b.)* dictum est; virtute vero indulti *ad numerum*, dispensat super eodem impedimento *publico.* Age vero, dispensatio pro contrahendo matrimonio B. V. valide concessa fuisset: *a)* aut vi triennalis indulti — *b)* aut vi indulti ad numerum — *c)* aut tandem vi utriusque, copulativa quadam dispensantis intentione permixti. Porro:

24. Non vi prioris: quia, impedimentum in casu, nedum occultum, econtra vere ac proprie publicum erat: — quia, iuxta stylum S. Poenit. (qui vim habet, in his rebus, authenticae ac decretoriae interpretationis) indultum, pro foro interno concessum, ita stricte dicto foro limitatur quod nullum in foro externo, etiam pro matrimonio iam contracto, sortiatur effectum: « *dummodo impedimentum sit occultum, ita quod huiusmodi gratia pro foro externo, nullatenus suffragetur* »; — quia, caeteris omissis considerationibus generalibus, pro Curia Parisiensi data fuit in specie, per praelaudatam S. Poenit. aequivalens interpretatio de facultate dispensandi super occulto ad non occultum minime extendenda, prout ex documento heic integre transcribendo satis liquet:

24 *bis.* « Beatissime Pater. — Ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus Canonicus Ludovicus Allain, Officialis, exponit, quod in Dioecesi Parisiensi saepissime accidit ut, qui matrimonium contrahere cupiunt, affinitatis collateralis ex illicita copula detineantur impedimento non occulto, cum proveniat vel ex contractu mere civili, vel ex publica cohabitatione vel ex recognitione paternitatis, et non possint, vel nolint expectare donec dispensatio a Sancta Sede directe obtineatur.

« Porro, cum, ex una parte, virtute Indulti specialis, RR. Archiepiscopus Parisiensis polleat facultate dispensandi pro certo numero casuum, super impedimento affinitatis collateralis, absque ulla distinctione inter licitam vel illicitam affinitatem, et ex altera, virtute Indulti ad triennium polleat eadem facultate dispensandi super eodem impedimento affinitatis collateralis occulto ex illicita copula proveniente, quaeritur utrum dispensare valeat, virtute indulti ad triennium etiam super dicto impedimento non occulto, vel an dispensare debeat virtute Indulti specialis, vel utrum deceret novam facultatem postulari pro illicita affinitate collaterali non occulta.

« In hac vero postrema hypothesi, instanter postulamus ut RR. Archiepiscopus dispensare valeat sive per se, sive per suum RR. Coadiutorem, sive etiam per suos Vicarios Generales, super illicita et non occulta affinitate collaterali in quocumque gradu pro 20 casibus.

« Parisiis, 15 Martii 1877.

« Obsignavit: L. Allain, *Can. Officialis* ».

« Sacra Poenitentiaria de speciali expressa Apostolica Auctoritate, benigne sic annuente SS.mo D.no Pio Papa IX, R.mo in Christo Patri S. R. E. Cardinali Archiepiscopo Parisien. infrascriptam facultatem concedit, qua sive per se sive per suum Coadiutorem vel Vicarios in spiritualibus Generales uti poterit, cum suis Dioecesanis in matrimoniis contrahendis, et in casibus urgentibus, in quibus nempe absque gravis mali periculo ad Apostolicam Sedem recursus haberi nequeant, facta in unoquoque casu expressa mentione huius Apostolicae delegationis, dispensandi pro viginti casibus super impedimeato publico affinitatis ex actu fornicario proveniente. Quatenus vero agatur de copula habita a viro cum matre mulieris, dummodo nativitas eiusdem mulieris, praefatam copulam praecesserit, et non aliter.

« Hic locus Sigilli Officii

« Sacrae Poenitentiariae Apostolicae.

« Datum Romae, e S. Poenitentiaria, die 24 aprilis 1877.

« Obsignavit: R. Pellegrini S. C. R.

A. Rubini, S. C. *Secretarius.*

« Concordat cum originali,

« Parisiis, die 4 Mai 1901.

« L. Coriton, *Notarius Officialitatis* ».

Ergo, S. Poenitentiaria nequaquam respondit Curiam Parisiensem posse facultatem suam, dispensandi super occulto, ad non occultum extendere, sed econtra per novum ac distinctum Indultum, his impedimentis non occultis benigne providit.

25. Non vi posterioris: quia, dispensatio petita fuit, ut iam dictum est, mere et exclusive in foro interno, in actu sacramentalis confessionis. Iudex equidem arguit petitam et concessam fuisse in foro externo, eo quod « confessarius vir prudens et doctus fuisse videatur ». Ast praecise si Confessarius iste incognitus vir fuerit doctus et prudens, primo oculo perspexit agi, in casu, de impedimento publico, dispensationemque proinde expetivisset pro foro externo, quae tunc

secundum consuetas Curiae Parisiensis formalitates et cautelas concessa ac registrata fuisset.

25-*a*. Verum enimvero nulla prorsus, ne minima quidem, in praesenti themate formalitas habetur, nullave cautela, nullaque registratio, ut ex suppletoriis Actis abunde constare videtur, nam :

Primo, vener. P. Fages, hodiernus Vicarius Generalis, hac de re formiter sciscitatus respondet : « Je soussigné, Vicaire « Général de Paris, ancien Official et à ce titre chargé des « causes matrimoniales, déclare que, si j'ai été appelé à « donner dispense d'un empêchement d'affinité illicite, en « faveur de M. B., je n'ai pu le faire, d'après l'aveu de « M. B., qu'à la demande de son confesseur. Or, je n'avais « pas l'habitude, et je n'ai pas davantage l'habitude, quand « un cas semblable se présente, de demander des renseigne« ments au confesseur. Nous sommes ici sur un terrain trop « délicat, où on ne peut pas interroger un confesseur. J'ai « donc dû donner, si le confesseur s'est adressé à moi — ce « que je ne me rappelle nullement — la dispense en vertu de « l'indult *ad Quinquennium* (id est, pro impedimento oc« culto) sans poser de question au confesseur » (*Ac. suppl. p. 5 et 6*). Et iterum : « Je crois pouvoir renouveler l'as« surance que, lorsque la dispense m'était demandée par un « confesseur, je ne me permettais pas de poser de questions « *et je ne recourais pas à l'indult* ad numerum, *mais à « l'indult* ad quinquennium ».

Nulla igitur ex illo capite dubietas : Parisiensis Officialis ad causas matrimoniales delegatus, quotiescumque agebatur de dispensatione per quemlibet Confessarium expostulata, recurrebat ad indultum pro *occulto*, non autem ad indultum pro *publico*. Ergo Confessarius in casu, si tamen dispensationem petierit pro J. B., poenitente suo ignoto, eamdem reportavit nonnisi quoad impedimentum *occultum*.

26. Item, in iisdem Actis suppletoriis, praelaudatus Iudex, canon. P. Monlezun, de formalitatibus et cautelis expresse declarat : « Non, l'acte de mariage (B.-V.) ne mentionne au« cune dispense dans aucun des deux registres des mariages... « Si on a donné une dispense, elle n'a pas été donnée dans « la forme régulière pour le for externe, c'est-à-dire pour « des personnes nommées. Ce n'est ni Monsieur B. ni sa « future qui ont demandé une dispense d'affinité illicite. Le « confesseur de Monsieur B. a seul demandé (*si tamen pe« tierit*) cette dispense. Oui, c'est par l'aveu de Monsieur B. « (et unice ex illa confessione) que nous avons pensé qu'une « dispense avait *sans doute* (id est forsan) été donnée. Le « confesseur n'a pas été retrouvé. Le prêtre a agi *comme « confesseur*. Il n'a pas donné les noms, car alors la dis« pense aurait été donnée en forme pour le for externe et « inscrite régulièrement. L'indult donné à Paris pour l'affi« nité illicite *non occulte* est de vingt cas. Dans les vingt « cas de cet indult (3 Oct. 1890 usque ad 1898), *aucun cas « ne porte le nom ni de M. B. ni de Mlle V.* Toutefois « deux cas sont restés en blanc, c'est-à-dire sans indication « de noms, et ont été réservés *ad cautelam* pour des cas « qui nous semblaient douteux. *Rien n'indique* qu'un de « ces deux cas ait été donné pour un Vicaire de St-Roch » penes quem Actor exomologesim perfecerat. Duo casus ad cautelam reservantur, addit Iudex, quando dispensans, dubio permanente circa impedimentum forsan occultum forsan publicum, utraque utitur unitim facultate dispensandi scilicet tum in interno, tum in externo foro, ut sic quo meliori modo, matrimonii contrahendi validitati, prospiciat. Unde, in tertiam devenimus hypothesim, scilicet :

27. Non vi utriusque indulti, per intentionem Dispensantis, quoad unum idemque impedimentum forsan occultum forsan publicum, copulati :

Quia, talis permixtio duorum indultorum, quorum unum impedimenta contemplatur tantum occulta, alterum vero tantum non occulta, haec permixtio, inquam paucitati meae *videtur* prorsus irrita et cassa (1): ibi enim, ut alia taceam, non amplius duo sed tria supponuntur indulta, nempe unum pro impedimento occulto alterum pro impedimento publico, tertium pro impedimento quod excogitatur esse forsan publicum forsan occultum.

Quia, Dispensantis intentio nequaquam mutare valet naturam impedimenti dispensandi : sicut physiologicae facultates specificantur et limitantur obiecto proprio, ita facultates canonicae, saltem per se ac de se, circumscribuntur intra proprium forum, id est dispensatio super occulto ad forum internum, dispensatioque super publico ad externum, quin, hac et illa intentionaliter copulatis, utrumque forum attingi possit. Ad rem scitissime praelaudatus Vicarius Generalis : « Assurément, j'aurais été heureux, *si la chose eût « été possible*, de pouvoir me dire, toutes les fois que je « dispensais de l'affinité illicite en vertu de l'indult *ad « Quinquennium*, que je dispensais non seulement de l'affi« nité illicite occulte, mais même non occulte : mais ce simple « désir, cette pensée, même bien arrêtée dans mon esprit, « eût-elle suffi pour rendre la dispense de l'empêchement « valide dans le for intérieur ? C'est une question que je « me pose, qui est du ressort des Congrégations Romaines, « mais que je n'aurais pas osé résoudre moi-même dans le « sens affirmatif. Voilà pourquoi je recourais à l'indult *ad « numerum*, toutes les fois qu'il y avait doute pour savoir « s'il s'agissait d'un empêchement occulte ou non occulte ». (*Act. suppl. pag. 6*). Et a fortiori venerandus ex-officialis recurrebat ad indultum *ad numerum* quando impedimentum certo publicum erat.

Quia, in specie, Curia Parisiensis de facto abstinebat a permixtione praefata : « Quand, par l'enquête, je découvrais « qu'on pouvait faire la preuve, dans le for extérieur, de « cette affinité (ex copula illicita non occulta, quae in prae« senti themate satis superque probatur), *je visais l'indult « ad numerum* et je prenais, *sur notre registre d'ins« cription, une note*, qui aurait permis de prouver que l'em« pêchement, provenant de l'affinité illicite non occulte, avait « été levé *en vertu de l'indult* « ad numerum » *et non en « vertu de l'indult* « ad Quinquennium » ». Sed pro matrimonio B.-V. nulla huiusmodi registratio, ut iam dictum est.

28. Insuper, praedicta nota in regestis inserebatur non solum pro dispensatione super impedimento affinitatis illicitae non occulto, *cum nominibus expressis dispensatorum*, sed etiam pro eadem dispensatione *reticitis nominibus* concessa. Tunc, loco nominum, « nous mettions (inquit ipse Iudex) « une indication générale, comme le nom de la paroisse ou « le nom du prêtre », et sic etiam pro duobus casibus in regesto reservatis, ut supra dictum est, aliqualis adesset registratio, puta, quoad matrimonium B.-V., nomen parochiae S. Rochi vel S. Petri, aut nomen confessarii qui, tali die, dispensationem super dubii fori impedimento (ex indulto ad

(1) Dixi : *videtur* irrita, et non simpliciter : *est* irrita ; nam, etsi contra praefatam permixtionem plures gravissimaeque rationes ob oculos primo intuitu prosiliant, ex ipsamet indultorum matrimoniive natura aut etiam ex discrimine interni externique fori desumptae, nulla tamen, ni fallor, extat adhuc, ex parte Congregationis competentis, resolutio decretoria, seu decisio, ut dicitur, *di massima*, super hocce dubio speciali : *Utrum Ordinarius, qui duobus potitur distinctis facultatibus dispensandi super affinitate illicita, una scilicet pro impedimento occulto, altera vero pro publico, possit, quoad unum et idem impedimentum, sive sit occultum sive publicum, utraque facultate copulative uti, et sic valide dispensare ?*

viginti casus) petiisset et obtinuisset. Porro « aucun signe « extérieur dans nos registres, fatetur Iudex, ou ceux de la « paroisse, n'indique que le cas douteux, où nous avions « l'intention d'assurer » quo meliori modo « la validité d'un « mariage, en visant (distinctim) soit l'indu't secret (i. e. in- « dultum ad tempus pro impedimentis occultis), soit l'indult « public (i. e. indultum ad viginti casus pro impedimentis « publicis) aient concerné le mariage B.-V.... ». Aliis verbis: Officialis Parisiensis, dispensationibus huiusmodi tunc temporis rite delegatus, asserit se numquam, pro uno eodemque casu, utroque indulto copulatim usum fuisse; item, declarat omnes dispensationes concessas vi Indulti *ad numerum*, ad 20 casus, semper fuisse registratas; item, Regestum notat specificative decem et octo dispensationes, absque ulla mentione matrimonii B.-V.; item, e duobus aliis casibus, nunquam forsan applicatis, nullum omnino suppeditat vestigium, in regestis sive Curiae sive paroeciae, e quo praesumi possit dispensationem applicatam fuisse matrimonio B.-V.: ergo, dispensatio pro dicto matrimonio contrahendo, aut nunquam petita fuit, aut, per confessarium, nonnisi in foro interno et sub ratione impedimenti occulti, petita et concessa fuit; et proinde nulla dispensatio.

29. Operae pretium videtur obiectionem quamdam speculativam heic, per modum parentheseos, perpendere, quae favore dictae permixtionis forsan posset allegari, videlicet ex una e Formulis Sacrae Poenitentiariae Apostolicae, accuratissima sedulitate redactis. Ibi enim (in Formula typis cusa sub modulo signato N. I) conceditur Parocho facultas dispensandi putatos coniuges super impedimento quod *occultum sit vel dici possit*, ita ut gratia in foro conscientiae impertita, *etiam pro foro externo suffragetur*. A pari ergo, in hacce nostra factispecie Parisiensi, potest argui quod, per intentionem dispensantis, gratia dispensationis suffragatur interessentibus etiam pro foro externo, quodque proinde non satis constat hanc permixtionem nullum sortitam fuisse effectum.

Verum enimvero cuique rem paulo penitius introspicienti de facili patet istius obiectionis insubsistentia: nam, *primo* ex eo quod tale impedimentum occultum sit vel dici possit, non ideo sequitur Curiam quamlibet posse copulari suam genericam pro occulto tantum facultatem cum alia pro publico tantum facultate; *secundo*, in praelaudata Formula S. Poenitentiariae, agitur de matrimonio iam contracto, et ibidem iniungitur ut putati coniuges privatе de novo contrahant, cum obligatione expressa registrandi dictum matrimonium sub propriis nominibus, cognominibus et patria, etc.: porro, nihil huiusmodi in factispecie Parisiensi; *tertio*, in Formula S. Poenitentiariae contemplatur impedimentum quod *est vel dici potest occultum;* ast impedimentum B. V. nequaquam occultum est aut dici potest; *quarto*, dispensandi facultas conceditur a S. Poenitentiaria ipsi Parocho proprio Oratorum, pro coniugibus individuatim et nominatim sibi notis; et hinc nulla, ut patet, difficultas quoad efficaciam dispensationis etiam in foro externo; dum e contra Parisiensis officialitas, si praedicta permixtio valere censeatur, dispensaret, etiam in foro externo et absque ulla possibili registratione praecisa, sponsos contracturos de quibus nullam habet notitiam, quique postea matrimonium contractum, cum illa dispensatione, de qua nulla in promptu foret probatio, nullitatis accusare perbelle valerent. Unde praelaudata Formula Sacrae Poenitentiariae, nedum saepedictae permixtioni suffragetur, eam econtra repellit, inanemque demonstrat.

Ex his omnibus summarie resumptis, concludendum videtur:

Quod, inter Iosephum et Blancam, intercesserit affinitatis primi gradus lateralis ex copula fornicaria dirimens impedimentum, et quidem, non obstante Consultorum Curiae oscitantia impedimentum certe tum iure, tum facto publicum, et qua tale ab officialitate iuridice recognitum.

Quod Actor dictum impedimentum noverit, et super eo, in sacramentali confessione, extremo tempore, dispensationem petierit, quam confessarius ignotus *probabiliter* a Curia obtinuit et Actori tempestive notificavit.

Quod, e prioribus Actis, nulla suppeditet probatio suadens dispensationem fuisse petitam in foro externo, sed e contra fortissima praesumptio de dispensatione in foro *tantum* interno petita et obtenta, ac proinde invalida.

Quod caeterum Curia Parisiensis impedimentum illud publicum non abstulit vi sui indulti *ad tempus* pro occultis, ad forum externum absolute inextensibilis, ut eruitur e Rescripto S. Poenitentiariae; – neque vi alterius indulti sui *ad numerum* pro foro externo, quod in casu non fuisse petitum neque applicatum praxis Curiae demonstrat, et confitetur ipse Iudex; – neque vi utriusque indulti ad cautelam *copulati*, quia talis copulatio, in iure probabilissime invalida, in facto denegatur ab ipso Dispensante, quin ex Registris quodpiam vestigium talis dispensationis copulatae, pro dicto matrimonio, detegi possit, hinc igitur de impedimento plenissime et certissime constat; illinc vero de dispensatione (si quae data fuerit) va ide concessa nullatenus constat, quin ullo modo possit invocari, pro validitate dispensationis, textus Formulae I[ae] Sacrae Poenitentiariae.

Quum autem haecce Causa delata fuerit Huic Sacrae Congregationi non proprie et stricte per modum appellationis iuridicae ad sententiam confirmandam vel infirmandam, sed potius per modum integrae devolutionis, ob superadditas circa punctum principale pleniores informationes tabulis iam c ausis; et quum praecise e dictis informationibus suppletoriis in comperto evadat praetensae dispensationis nullitas; satius et amplius foret, ni fallor, a sententia Curiae praescindere et simpliciter respondere: *Ex* NOVITER *deductis, constare de nullitate dispensationis ac proinde de invaliditate matrimonii in casu.*

Hisque, pro modulo relatis, cum omnimoda submissione et plenissima reverentia....

E Conv. Minorum S. P. Fr. Capuc. ad SS. Conceptionem, die 9 Februarii 1902.

Fr. Pius a Langonio, *Cons.*

Porro Emi Patres rescripserunt: *Dilata et compleantur Acta iuxta instructionem dandam a Def. matr. ex officio.*

Parisien. — Matrimonii.

VOTVM THEOLOGI

Die 5 Septembr's 1903.

E.mi ac R.mi Patres,

Sacer Consessus Vester diei 31 Ianuarii 1903, circa causam matrimonialem Parisiensem *(B.-V.)*, nullitatis scilicet propter impedimentum affinitatis primi gradus lateralis invalide dispensatum, decrevit: « *Dilata*, et compleantur acta iuxta in- « structionem dandam a Defensore matrimonii ex officio ».

Instructio vero zelantissimi Defensoris quasdam specificavit interrogationes Actori proponendas (de quibus praecisius infra) et insuper requisivit ut Rea, id est Blanca, putata Uxor, formiter audiretur.

2. Curia Parisiensis, pro consueta diligentia ac sedulitate, debitum Huius Sacrae Congregationis mandatis morem gessit et acta quoad omnia, quantum fieri potuit, complevit, ac die

16 v. m. transmisit. « Actor ex instructione R. D. Defensoris « vinculi data interrogatus, sinceris verbis respondisse huic « tribunali officialitatis visus est. Rea autem, non probis mo- « ribus praedita et ambigua fide, rite tamen advocata » *(citata?)* non comparuit *(sicut in prima instantia comparere contumaciter denegaverat, prout tum in voto utriusque Consultoris penes Hanc S. Congregationem, tum in Summario notatum fuit)* nec alium « testem rursus interrogare « Tribunali utile visum est ».

Unde completoria acta, nova tantum excussione Actoris absolvuntur; at, quum superabundans illa excussio satis superque, ni fallor, respondeat strenui Vindicis deductionibus, Causa tandem in eo est ut, nonobstantibus quibusdam, caeterum minoris momenti, deficientiis, plena securitate resolvi valeat.

3. Et primo, sagacissimus Vindex ipsammet affinitatem in casu dubiam esse suggerere conatus est...

4. Sed in concreta facti specie, id est respectu relationum Josephi cum Bertha, Actor, praemisso iuramento, primum declarat se nescire qua de causa iterum coram Tribunali curiae citatus fuerit, additque: « En y réfléchissant, je sup- « pose qu'on va me demander si j'ai répondu consciencieu- « sement aux questions qui m'ont été posées dans les pré- « cédents interrogatoires: je suis tout prêt à affirmer que, « quand j'ai parlé devant le Tribunal de l'Officialité (coram « quo iterum loquebatur), *j'ai toujours dit la vérité, ayant « conscience de la gravité du serment qu'on m'avait fait « prêter préalablement sur l'Evangile* ». Tunc de suis cum Bertha relationibus, iuxta prudentem et discretam instructionem eximii Defensoris, pressius interrogatus: « IV° Veuillez « nous dire avec toute la précision possible de quelle na- « ture ont été vos relations avec Berthe? A quelle époque « y a-t-il eu entre vous des relations sexuelles complètes?» respondet: « Mes relations avec Berthe ont commencé en « Sept. 1893 et cette première période... etc. *(et hic rela- « tionum durationem non autem naturam Actor prae- « finit)*. Berthe voulait que je l'épousasse. Je m'étais lié un « peu aveuglément avec cette fille, parce que jusque-là je « n'avais eu de relations avec aucune femme. Il était donc « facile de me prendre et de me captiver. Mais, quand j'eus « appris que Berthe était une fille de mœurs légères, bien « qu'elle gardât toutes les apparences de la femme honnête, « je la quittai et je rompis mes relations avec sa famille. « Mais de septembre à décembre 1893, puis de février à « mai 1894, *j'ai vécu avec Berthe comme un mari vit « avec sa femme: nous couchions ensemble et nous avions « les relations sexuelles normales qui amènent la pro- « création de l'enfant* ». Et iterum, instante Iudice an dictae relationes « étaient assez complètes et normales pour qu'il pût en résulter une grossesse pour Berthe? » respondet: « Oui, les relations étaient assez complètes et normales, « pour qu'il en résultât une grossesse de Berthe... ». Et tandem: « En ce qui concerne les relations qu'elle a eues « avec moi, je répète que ces relations ont été complètes, « normales... ».

5. . . . . . .

6. Quantum ad impedimenti notorietatem seu publicitatem, Vindex oculatissimus suam facit (an ex animo vel ex officio?) quamdam distinctionem Cardinalis D'Annibale inter *materialiter* occultum et *formaliter* occultum, eamque applicat themati subiecto, videlicet: notoriae fuerant relationes Iosephi et Berthae, non autem notum fuit impedimentum ex his relationibus ortum.

Sed contra: *a*) tum Actor, tum Rea eiusque mater, tum plurimi Testes, ut satis praelibatum est in voto utriusque Consultoris, et relationes et affinitatem inde exortam norunt: unde, in casu, utraque notorietas tum materialis, tum formalis.

b) Curia Parisiensis, etsi sententiam edixerit votis Actoris contrariam, nihilominus impedimentum illudque publicum incunctanter recognovit.

c) Eruditissimus Defensor fatetur praedictam distinctionem, saltem quoad impedimentum affinitatis, a Bened. XIV expresse reprobatam esse, ut notavit eximius Consultor Canonista, et a sacra Poenitentiaria nullius unquam habitam. Liceat insuper addere quod haec eadem distinctio, si stricte applicetur impedimento affinitatis, cum ipsa genuina notione impedimenti perfracte dissentit. Haec enim est quorumdam casuistarum confusio, seu praeiudicium, vel inadvertentia: quod scilicet impedimento affinitatis *ex copula illicita*, quamdam adnectunt rationem culpae et consequenter poenae. Atvero, falsissime: nam, impedimentum affinitatis, sive ex licita, sive ex illicita, rationem habet non poenae propter culpam, ut (v.g.) impedimentum criminis, sed tantum inhabilitatis propter propinquitatem (1). Culpam utique in ipsis relationibus illicitis, non autem in affinitate inde orta, quae ligat interesse habentes, sive conscios sive inconscios impedimenti, quaeque pariter notoria dici debet, si plures testes noverint has relationes illicitas, etsi penitus ignorent ex his relationibus ortum impedimentum seu inhabilitationem ad valide contrahendum. Culpam et poenam in impedimento affinitatis quaeritare prorsus absonum est, ut meridiana luce clarescit ex ista simplicissima observatione: Titius rem habet cum Maria *uxore* sua, et hinc impedimento ligatur usque ad quartum gradum respectu consanguinearum uxoris suae; e contra, idem rem habet cum Maria *amasia*, et hinc impedimentum solummodo usque ad secundum gradum versus easdem consanguineas: ergo, ubi nulla culpa, id est in relationibus coniugalibus, ibi poena quadruplex; ubi culpa, id est in fornicariis, ibi duplex tantum poena. Ecquis tales posset ebibere enormitates?

Notoriae fuerunt ac publicae relationes Ios. cum Bertha, ut ex Actis abunde liquet; ergo, notorium in iure impedimentum, seu inhabilitas ad contrahendum inter eumdem et sororem Berthae: notorietas enim attendi debet respectu relationum quae causam dederunt affinitatis impedimento, non autem respectu scientiae vel ignorantiae ipsius impedimenti; secus, non ex copula oriretur affinitas, seu *propinquitas sanguinis*, sed ex notitia copulae: quod excogitare, prorsus absurdum foret.

7. Gravior, quamquam inadspectata (et secundum Acta processus certe inadspectabilis) obiectio de impedimento tempestive ablato, non quidem per dispensationem, bene vero per sic dictam cessationem impedimenti propter urgentiam. Revera confitetur Actor in Actis prioribus, et iterum, sibi plene concors, in Actis completoriis, quod Confessarius, penes quem sacram exomologesim, in vigilia nuptiarum, horis vespertinis, ipse peregerat, sibi dixerit necessarium esse recursum ad Ordinarium; quodque, mane insequenti, idem Confessarius, dispensatione nequaquam praehabita, ipsum ad nuptias alibi celebrandas dimiserit hisce vel aequivalentibus

(1) Et hinc est quod praelaudatus D'Annibale, sicut et alii Theologi et Canonistae praecellentis notae, de affinitate pertractat sub rubrica: *De re ad contrahendum* HABILI. Quare, maxime probabile videtur ipsum, in commate quod citat Defensor, nempe in Tractatu de Legibus (Edit. Tertiae, vol. I, n. 242, p. 230) loqui voluisse tantum de *notorio* et *occulto* quatenus poena adnectitur *notorio* tantum formali et materiali. Quantum vero ad applicationem istius distinctionis, ad impedimentum affinitatis, *materialiter* notorium et *formaliter* occultum ex illicita, Card. D'Annibale « non ausim, inquit, neque *absolventem* reprehendere, neque laudare *dispensantem* » (Ibi, n. 242, nota 54).

verbis: « Je n'ai pu voir ces Messieurs de l'Archevêché. « C'est ennuyeux, mais, dans ce cas-là, on ne peut pas faire « manquer un mariage; enfin, c'est bien; tâchez de mener « bonne vie, etc... », prout in praecedenti voto utriusque Consultoris.

Ex illa porro circumstantia, Iudex Parisiensis, *supponens* confessarium illum ignotum, unum e *Vicariis* (?) Paroeciae S. Rochi, virum fuisse doctum et gravem, arguit eumdem perbelle detexisse impedimentum affinitatis publicum, ac super eodem, qua tali, dispensationem probabiliter obtinuisse, quae tamen ex oblivione non fuit registrata. Sed, ex eadem circumstantia, Defensor acutissimus, cum fundamento longe solidiori, deducit nullam in casu dispensationem adfuisse, sed tantum declarationem cessantis impedimenti; proindeque cohaerentissime concludit declarari non posse matrimonii nullitatem, ob illam, vel tantum probabilem, impedimenti cessationem.

— Huic tamen animadversioni Defensoris, minime deest, ex Actis tum prioribus tum posterioribus, adaequata et, meo quidem humili sensu, peremptoria responsio.

Revera, E.mus Card. Gennari quaestionem illam, in suis fundatissimis ac prudentissimis *Consultazioni* (Edit. II, p. 325 et seqq. necnon explicitius pag. 702 et seqq.) ex professo pertractat; ibique conditiones, inter alia, clare praefinit, quibus propter urgentiam cessare censetur impedimentum, videlicet: « Si può dispensare (per cessationem) quando.... « *a*... – *b*... – (*a*, *b* ad rem non faciunt), *c*: Questi impedi- « menti però devono essere *occulti*. Se infatti fossero pub- « blici, non vi sarebbe ragione di non differire il matrimo- « nio ed aspettare la dispensa della S. Sede; ed oltre a ciò, « si darebbe luogo a più grave scandalo se si conoscesse che « il Vescovo dispensasse (utique, sine debita facultate) da «pubblico impedimento ».

Item, nulla datur impedimenti cessatio, nisi « nei casi di « urgentissima necessità: 1. quando in pericolo di morte.... « 2. quando tutto sia preparato pel matrimonio e non ci sia « modo come differirlo senza probabile infamia o senza scan- « dalo ». Ita E.mus Gennari cum omnibus optimae notae moralistis. Videamus igitur, in themate subiecto, si praefatae verificentur conditiones:

— *Occultum* debet esse impedimentum; at, in casu nostro, vere ac proprie publicum fuit, per publicam, apertam, patentem in una alteraque aede cohabitationem Iosephi cum amasia, Bertha, quam insuper plerique testes noverant esse Blancae germanam sororem. Et hinc Confessarius praedictus, vix audita praeterita cohabitatione cum Bertha, reposuit: « C'est grave; vous ne pouvez pas vous marier dans ces « conditions... Il m'a dit qu'il fallait demander *une dispense* « *à l'Evêché* ». Ergo confessarius minime cogitavit de impedimento propter urgentiam auferendo, etsi probe sciret nuptias esse celebrandas die insequenti matutinis horis; sed e contra Iosepho iniunxit ut cras rediret dispensationem tempestive recepturus interdum obtentam: « Il faut que j'en « réfère à l'Archevêché. Il me donna rendez-vous pour le « lendemain à huit heures ». Age vero, « le lendemain » Confessarius declaravit quidem se non potuisse videre « ces Messieurs de l'Archevêché », sed ne verbulum quidem fecit de ablatione impedimenti per seipsum propter urgentiam applicata, nisi sub illa vacua formula: « Que voulez-vous? dans ce cas-là, on ne peut pas faire manquer le mariage ».

Oportet insuper ut adsit « urgentissima necessità ed è in « ciò, subiungit alibi E.mus Gennari, la vera ragione della « epicheia e *la causa necessaria* della cessazione della « legge ». Ast ubinam, in themate, necessitas illa urgentissima? Ubinam periculum scandali vel infamiae, etiamsi gratuito) supponere velimus impedimentum occultum fuiss

« Un retard dans mon mariage, inquit Actor, eût été un « ennui pour moi, mais non un préjudice. Si, le jour du « mariage *(attendantur haec verba)*, mon confesseur m'eût « dit: « Je n'ai pas pu obtenir la dispense nécessaire et « votre mariage ne peut avoir lieu », je n'aurais pas passé « outre, je ne me serais pas marié. Les traditions de ma « famille et mes convictions personnelles m'eussent empêché « absolument de me contenter d'une union purement ci- « vile... » etc. Et confessarius praefatus extremum istud remedium (cessantis impedimenti) applicasset, quin prius de facilitate vel difficultate procrastinandi matrimonium inquisivisset! Et dictus Confessarius a priori *supponitur* doctus ac prudens; quid igitur, mehercle! si neque prudens neque doctus fuisset?

Oportet adhuc quod « non ci sia tempo di ricorrere al « Vescovo », inquit E.mus praelaudatus. Porro Confesssario nullum dubium de possibili recursu ad Ordinarium: ipse siquidem illico: « Il faut, inquit, que j'en réfère à l'Arche- « vêché ». Transeat quod neque vespertinis horis huius diei, neque matutinis insequentis, non potuerit « voir ces « messieurs »; imo, transeat quod nequidem eos videre forsan tentaverit (quod tenuitati meae probabile videtur); constat nihilominus quod ipse recurrendum esse pro dispensatione, non autem remedium impedimenti cessantis applicandum esse putaverit.

Caeterum, vix ac ne vix quidem, excogitari potest recursum ad Ordinarium in civitate Parisiensi, vel praesentialiter vel scriptotenus, etsi paucae suppeditent horae, esse impossibilem. Et hinc est, ni fallor, quod *Statuta Synodalia* dioeceseos Parisiensis, anno elapso promulgata, providissimas edicunt Parochis et confessariis admonitiones speciatim circa impedimenta dirimentia quae deteguntur in confessione, *post* matrimonium; dum tacent de remediis quoad impedimenta detecta *ante* matrimonium *(Statuts Synodaux du diocèse de Paris*, § 450, 451, etc.) (1), pro quibus patet ad Ordinarium aditus. Et hinc etiam est quod uterque penes Curiam Consultor, quodque ipse Iudex hypothesim illam, de impedimento scilicet sufficienter ablato per *cessationem* ob urgentiam, totaliter praetermiserint, ac tantum retinuerint (sed erronee, ni fallor) dictum impedimentum forte ablatum fuisse vi utriusque facultatis dispensandi qua Curia fruitur, ut in praecedenti voto, fusius relatum est.

Quid ergo sentiendum de illa conclusoria assertione Confessarii, Iosephum dimittentis ad nuptias celebrandas: « ...Dans « ces cas-là, on ne peut pas faire manquer le mariage: tâ- « chez de mener bonne vie »? Ipse sibi videat, si talia proprio penu, nullaque expetita dispensatione protulerit ipsum tamen suppono sibi quamdam efformasse practicam opinionem ex illo (saepe saepius stupidissimo) effato: *Ils sont dans la bonne foi; laissons courir les choses;* proindeque, ne bona fides exturbaretur, Actorem nullatenus admonuit de obligatione conditiones suas, penes Curiam aut Paroeciam, absque mora rite componendi.

Quare, perpensis iterum Actis prioribus, et suppletoriis, nunc autem actis completoriis, magis ac magis in tuto compertoque poni videtur:

Quod extiterit in casu impedimentum dirimens, illudque publicum, affinitatis in primo gradu laterali;

Quod Curia Parisiensis dictum impedimentum nequaquam abstulerit, sive per indultum suum pro *occultis*, sive per aliud pro *publicis*;

(1) Haud dissimilem esse in aliis Galliae dioecesibus praxim, satis arguitur ex plurium Conciliorum provincialium hac de re praescriptionibus, ut v. g. in Tolosano: « Cum impedimentum sive *publicum* sive *occultum* detegitur, ad Episcopum illico recurrendum est... » etc. (Collect. Lacen. vol. IV, col. 1055).

Quod hypothesis, de impedimento scilicet propter urgentiam cessante, nullo fundamento nitatur in Actis, sed e contra ipsis concretis factispeciei conditionibus ac circumstantiis prorsus excludatur.

Verum enimvero, quantum ad formulam resolutionis, Defensor eximius autumat minime recedendum esse a consueto dubio: « *An sit confirmanda vel infirmanda....* » quia, inquit, sarta tecta servari debent adpellationis iura. Esto: quaestio ibi tantum minoris momenti, scilicet de mera forma non autem de substantia. Attamen adverti posset, in stricto iure appellationem proprii nominis non dari, nisi *intra eumdem libellum* et *secundum easdem allegationes* et probationes, in processu primae instantiae deductas. Ast, in casu, processui iam clauso ac sententiato, novae ac relevantissimae probationes (legitime) superadditae fuerunt, quae insuper nuperrimis actis complentur: ideoque sapientissimis sacri Consessus vestri deliberationibus, trinam, humillima plenissimaque deferentia, submitto formulam nempe:

Bonam, videlicet: *Esse infirmandam sententiam;*

Meliorem, nimirum: *Ex noviter deductis esse infirmandam;*

Optimam, tandem: *Ex noviter deductis*, constare de nullitate dispensationis ac proinde de nullitate matrimonii in casu.

Hisque, pro modulo relatis, de ven.mo mandato Huius S. Congregationis, non tam per modum consultationis ordinariae quam defensionis *pro rei veritate*, Sacram Purpuram genuflexus:...

E conv. Min. Capn. Urbis, 27 Maii 1903.

Fr. Pius a Langonio, *Cons.*

Emi Patres adhaerendo docti Consultoris deductionibus rescribere dignati sunt: *Sententiam esse infirmandam.*

$\frac{1860}{44}$ **Jacien. — Dismembrationis.**

Die 20 Decembris 1902.

Conceditur petita dismembratio ob distantiam locorum et numerum incolarum, nec attenditur ad oppositionem Ordinarii, parochi et parochianorum, quae haud fundata est nec in iure, nec in facto; et quae de caetero, in hisce casibus, fere semper verificari solet.

In dioecesi Iaciensi in Sicilia Ecclesia parochialis oppidi *Giarre* valde amplum amplectitur territorium et suos subditos numerat, uti refertur, ad *septem et viginti millia* qui oppidula incolunt non parum dissita a matrice Ecclesia. Curae autem animarum prospicitur per vicarios *ad nutum amoviles*, constitutos in *novem* Ecclesiis filialibus. Quum, sub a. 1747, per divisionem alterius paroeciae constituta est Ecclesia parochialis loci *Giarre*, haec subditos uti narratur, sortita est non plus quam ad *duodecim millia*; at horum in dies auctus est numerus, prouti retuli ad pene *septem et viginti millia*, quamobrem hodie incolae locorum – *S. Giovanni Montebello* – et – *S. Alfio la Bara* – enixius efflagitarunt ab Archiepiscopo ut divideret veterem paroeciam et novam erigeret in oppido *S. Ioannis* quae comprehenderet etiam oppidum *S. Alphii la Bara*. Potissima ratio adducta est *distantia* locorum et difficilior accessus, imo non semel defectus cuiuscumque accessus. Etenim oppidum *S. Ioannis* distat ab Ecclesia parochiali loci *Giarre*, tria millia passuum *(quattro chilometri e mezzo)* et oppidum *S. Alphii* distat quinque millia passuum *(sette chilometri)*. Utique, via patet paulisper brevior sed est alpestris et transversum habet torrentem hiberno tempore aquis redundandem qui vado transiri non potest. Ad haec, ex fidelibus subditis paroeciae loci *Giarre* plures, pene *sex millia* habitant dispersi in agro qui ab oris maris Ionii se pertingit usque ad montem *Etna*, quocirca incolae, saltem nonnulli, ab Ecclesia matrice distant non minus quam *tresdecim millia passuum (dai 20 ai 10 chilometri)*.

Vicarii curati in Ecclesiis filialibus deputati facultate utuntur administrandi omnia sacramenta, ipsumque matrimonium celebrandi sed nupturientes accedant oportet ad Ecclesiam parochialem ut acta expleant praevia denunciationibus matrimonialibus, dum et matrimoniales denunciationes et appositae inscriptiones in tabulis publici census (quod matrimonium vocant *civile*) fiunt, pro commoditate civium, in ipsis oppidulis. – Stipendium autem rependitur Vicariis curatis a Municipio loci *Giarre* et est pauperrimum non attingens *ducentum* libellas annuas.

Qua rerum conditione permoti sacerdotes, incolae in istis oppidulis, usque soliti fuerunt, uti narratur, gratuitam operam praebere et sollicitam ut quotidianis occurrerent necessitatibus. Hodie vero sacerdotes et oppidani locorum – *S. Giovanni Montebello* – et – *S. Alphio la Bara* – concordi studio adnituntur ut, magis in dies eiusmodi subcrescentibus necessitatibus, paroecia erigatur in oppido S. Ioannis sub titulo S. Ioannis Baptistae. Per hanc divisionem paroeciae, tamen, non expetunt ut aliqua fiat diminutio fructuum praebendalium parochi loci *Giarre*, quippe et sacerdotes et fideles iam fidem dederunt, suo Episcopo se deposito daturos in manibus ecclesiasticae auctoritatis summam, pro fructu, correspondentem *annuas mille libellas* ad congruam parochialem, statim ac eiusmodi paroeciae constitutio decernatur.

Verum Episcopus, quamvis in dubium vocare non intenderit bonum spirituale quod inde proveniret, tamen hoc decretum dare refragatus est, timens turbas populares quas ipse ait secuturas esse ex divisione paroeciae.

Attamen, non spe deiecti, Sacerdotes et oppidani recursum habuerunt ad H. S. O. instantissime efflagitantes ut expetita divisio decernatur. – Episcopus de sua sententia et voto percontatus *die 24 Iulii 1901* retulit se inutiliter tentasse de procuranda conciliatione; et attentis animorum incitamentis, prudentius sibi videri, si, pro nunc, ab expetita dismembratione supersedeatur.

Archiepiscopus in suis animadversionibus quaerelas publicas recolit a civibus omnimode motas in oppido – *Giarre* – adversus propositam divisionem quum sub a. 1900, Ecclesia parochiali vacante, quaestio agitari coepit de dividenda paroecia. Ait, omnem civium ordinem eiusmodi divisionem vehementer abhorrere adeo ut necesse fuerit statim indicere concursum ad paroeciam eamdemque suo pastore providere.

Equidem in actis extat epistola a Pro-Syndico huius oppidi data ad E.mum H. S. C. Praefectum in qua ipse protestatur magnum incommodum obventurum fore ipsi municipio si haec divisio decernatur, quippe hi oppidani postquam ipsi obtinuerint sibi constitui propriam paroeciam, facile etiam obtinebunt divisionem municipii ut exinde sua oppida erigantur in distinctum municipium. Quamobrem advertit, cives loci – *Giarre* – certe publici ordinis subversiones esse provocaturos ne decreta tam nefasta edantur aut iam edita executioni dentur. Caeterum notat, municipium - *Giarre* - esse de Ecclesia optime meritum, siquidem plures impensas erogare in more habet in divinum cultum provehendum praeter ea quae tribuit Vicariis Curatis pro congrua sustentatione,

Porro ipse Archiepiscopus advertere non praetermittit hoc secuturum esse ex divisione, nempe Municipium, quod hanc aegerrime fert, non amplius daturum esse illud subsidium quod antea tribuebat in sacras functiones. Unde irae exardescent inter oppidanos, inde minae, et caedes; atque uti inimicos insectabuntur et Archipresbyterum et ipsum Archiepiscopum hi oppidani qui divisionis facinus ipsis imputabunt. Haec timet Archipresbyter, qui arbitratur modo satius esse supersedere erectioni novae paroeciae, quousque ista oppida a civili auctoritate in distinctum municipium erecta sint. Quod propositum eo magis prudens esse opinatur archipresbyter quippe refert « ...un distinto personaggio, uno di quei che il Vescovo incaricava ad accomodare l'affare, scriveva in data del 28 Aprile 1901: " *che non è il caso di fare ora la divisione della parrocchia. Nelle conferenze avute con parecchie persone più distinte di S. Giovanni e di S. Alfio, mi accorsi che non vi era unione fra di loro.* Chi voleva divisione della parrocchia, chi la divisione del comune, chi nè l'una nè l'altra " ».

Praeterea Archipresbyter varia deducit factorum momenta ut deneget opportunitatem aut necessitatem erigendae novae paroeciae.

Postremo loco animadvertitur, paroeciae divisioni modo non posse fieri locum quippe urgens non adest necessitas et canones prescribunt, eiusmodi divisiones decernendas esse beneficio vacante ne iura legitime quaesita invito possessore distrahantur.

Ex adverso oratores qui pro divisione paroeciae instant, exhibent supplicem libellum datum ad Episcopum dum adhuc paroecia erat vacans eademque conferri sollicite curabatur ad radicitus amputandas instantias de divisione. Cavetur in hoc libello, paroeciam non esse conferendam dum lis adhuc erat *sub iudice;* quod si Episcopus nullimode collationem differre volebat, advertebant: « *affinchè una tale investitura del nuovo parroco di Giarre non venga a derogare nulla alla nostra domanda, è perciò che avanziamo in tempo la presente che vale a mettere la pregiudiziale contro l'eligendo parroco di Giarre... Osiamo quindi sperare che V. E. investirà il novello parroco di Giarre colla pregiudiziale in contrario riguardo alle nostre borgate che già hanno avanzato domanda di smembramento* ».

Praeterea ipsi oppidani loci *S. Ioannis* et *S. Alphii* animadversiones *in facto* et *in iure* explicantes suam intentionem munierunt subscriptionibus; et ad *ducentum* et quinquaginta hae numerantur; suprema capita autem animadversionum sunt quae sequuntur: « Che poi tale distanza di oltre 7 chilometri, solo dai centri abitati, senza considerare le campagne, costituisca la distanza *canonica et amplius* può vedersi da quelle parole di Bouix *(De parocho pag. 263):* " Regulariter loquendo duo millia passuum habetur pro distantia sufficienti... Sic annotatur in thesauro resolutionum... *(tom. seu 18, p. 178)* quae distantia... ex communi canonistarum sententia, idonea aestimatur, si duplicis sit milliarii uti docet Rota ". E Fagn. *Ad audentiam De eccles. aedif. n. 18:* " Distantia sufficiens ad constabiliendam dismembrationem est ea, qua parochianis non sine magno incommodo pateat accessus ad parochialem Ecclesiam, scilicet duorum vel trium millium passuum ".

« Nè vale in contrario l'aver potuto sin'ora rimediare all'inconveniente della distanza per mezzo di cappellani coadiutori per molteplici e gravissime ragioni....

« Altronde tutti i giuristi sono in ciò concordi: basti per tutti Pignatelli *(Tom. 4, consult. 230, n. 9):* " Quinimo si constiterit quod via sit montuosa, aspera, lutuosa, ac ita ardua, ut parochiani, sine magno incommodo, imo etiam periculo pro recipiendis sacramentis et audiendis divinis officiis ad parochialem accedere nequeant, praesertim tempore hiemali, propter imbres ac pluvias, non solum reputatur necessaria deputatio vicarii, verum etiam dismembratio sive erectio novae parochiae iuxta ea quae tradit Rota in *Lucana Dismembrationis* 9 Maii 1611 coram Ottembergo et Decem. 59, n. 2, coram Martino Andrea ". E per notare meglio la prassi attuale della S. C. del Concilio vale molto la causa citata presso la curia palermitana e deferita alla detta S. C., la risposta di questa in data 5 Aprile 1884. In essa trattandosi di questioni di diritti parrocchiali nella città di Caccamo tra l'antica parrocchia di S. Giorgio e quella dell'Annunziata, smembrata dalla prima sullo scorcio del secolo XVI per la sola ragione dell'aumento della popolazione, e lasciata in qualche modo dipendente dall'antica matrice la S. Chiesa al dubbio " An sententia Curiae Panormitanae diei 17 Iulii 1882 sit confirmanda vel infirmanda in casu " rispose: " Ad menten: mens est, ut Archiepiscopus, cum primum ei licuerit erigat in ecclesia SS. Annunciationis verum beneficium parochiale, conferendum ad formam iuris salvis iuribus matricitatis favore ecclesiae S. Georgii ".

« Secondo le disposizioni del diritto canonico, richiede tale smembramento il numero della popolazione. Non si tratta qui soltanto delle dieci famiglie richieste dai sacri canoni *c. 3, Unio 3, caus. 10, q. 3,* ove è stabilito: « Ut Ecclesia, quae decem habuerit mancipia super se habeat sacerdotem; quae vero minus decem mancipia habuerit aliis coniungatur Ecclesiis " Reiffenstuel, habet *(l. 3, lit. 29, n, 4).* " Ratio est quia decem faciunt plebem ut bene advertit ibidem Gloss. V, Mancipia. Verum hodierna praxi et consuetudine in erectione parochiae non tam attenditur ad numerum populi quam ad id, an et quomodo parochus instituendus congruam possit habere sustentationem, item an populus ad ecclesiam parochialem commode convenire ibique sacramenta percipere et divina officia frequentare valeat ". L'istesso insegnano *(Decretal. 28, n. 9,* Carat. *de iuribus paroch. tit. 3, c. 3, in fine.* Pacin. *de probat. l. 2, c. 31, n. 23,* et alii cum *Rota* recent. *part. 11, decis. 248, n. 28).* Invece nel caso nostro abbiamo una popolazione di circa 3500 abitanti in S. Giovanni e di altrettanti 3500 in S. Alfio, e forse più, con questo però che più di metà di detta popolazione in ambedue le borgate abita *permanentemente,* non in esse borgate, ma nella campagna che forma il vasto territorio di esse borgate. Da ciò la difficoltà dei fedeli d'esse due succursali ad accedere alla parrocchia di Giarre per le sacre funzioni e per i sacramenti, specialmente del matrimonio e tante volte per urgente necessità. Non mancano esempi di dismembrazione per questa sola ragione precipua dell'aumento di popolazione, specialmente secondo la *praxi* di questi ultimi tempi tenuta dalla S. C. del Concilio.

« Si aggiunga a ciò il vastissimo territorio della parrocchia di Giarre, che quasi dalle spiaggie dell'Ionio si protende sino all'Etna e quindi di non essere mai, o quasi mai, neppure nelle feste dei protettori delle succursali appagato il giusto desiderio di questi buoni fedeli, di vedere fra loro nella propria Chiesa succursale il parroco. Infatti la parrocchia di Giarre consta di ben nove parrocchie succursali, oltre il capocentro Giarre, e tutte queste altre succursali sono suddivise in territorio così vasto da non permettere mai al parroco la conoscenza dei suoi parrocchiani, conoscenza del resto richiesta dal Concilio Tridentino *(sess. 24, De ref. c. 13),* il quale dice: " Mandat Sancta Synodus Episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas *cognoscere valeat,* et a quo solo licite sacramenta suscipiant... procedant ". Si

è dovuto, per tale vastità di territorio, lamentare qualche grave inconveniente. per cui parrocchiani poveri di queste sezioni, che sono ricorsi al parroco per le cose necessarie riguardanti la celebrazione del matrimonio, sono stati da esso rimandati, specialmente se poveri, per non essere riconosciuti tali e ciò con quanto danno delle anime non è chi nol vegga. Vale avvertire che con tale dismembramento nulla si deroga al capocentro Giarre per la diminuzione di popolazione conseguente alla domandata dismembrazione; poichè quando si dismembrò da Mascali non contava più di 5000 abitanti e tutta la parrocchia di Giarre incluse le borgate, allora non contava più di 12 mila abitanti; mentre ora Giarre, soltanto senza le borgate, conta più di 14 mila e con le borgate oltrepassa certo i 27 mila abitanti. Tutto questo numero di popolazione costituisce valido argomento alla certa dismembrazione, come ha Maupied. *(Com. iur. can. vol. 1, pag. 1244)*: " quod in iis parochiis in quibus numerus parochianorum ita exorbitanter auctus est, ut, ad viginti millia, triginta millia et amplius pertingat, *certe* adest *causa necessaria* dismembrationis et erectionis novarum parochiarum ".

« " Antiquae Ecclesiae nihil deperire dici potest, si post dismembrationem ad eundem statum redeat, in quo erat antequam populi augmentum inciperet " ».

« " Erigendae Ecclesiae nihil deesse intelligitur cum omnia parata habeat, ut saeculari curae inserviat et congrua dote ad finem eundem fuerit ditata " ».

Modo quid decernendum sit, pro sua iuris prudentia, edicent EE. PP. diluentes

DUBIUM

An et quomodo sit locus dismembrationi in casu.

Emi. Patres rescripserunt: *Dilata.*

Jacien. — Dismembrationis.

Die 5 Septembris 1903.

Haec causa proposita fuit *die 20 Decemb. 1902* et huic rogandi formulae « *An et quomodo sit locus dismembrationi in casu* » rescriptum prodiit, instante ipso Episcopo « *Dilata* ».

Episcopus *die 23 Iunii 1903*, retulit gravissima incommoda adventura, si dismembratio perficiatur, tum quia Municipium subsidia denegabit, tum quia peractam dismembrationem coram civili competentia acriter impugnabit, ne ex ecclesiastica dismembratione, ipsa eveniat Municipii dismembratio.

Ipse parochus nonnullas dedit deductiones quarum en summa. Ipse recolit dismembrationem admitti non posse, ad tramites Concilii Trid., *Sess. 21, De ref., cap. 4*, si alias populi necessitatibus prospici valeat per sacerdotes coadiutores, prouti factum est in oppidis « S. Giovanni e S. Alfio ». Praeterea in eodem textu Conc. Tridentinum perpendit necessitatem dividendi paroeciam si tam difficilis sit accessus ad Ecclesiam parochialem ut parochiani absque gravi incommodo sacramentis uti non possit. Iamvero asserit parochus, haec incommoda minime haberi in casu, quamvis oppidani loci – *S. Giovanni e S. Alfio* – contrarium probare contendant.

Postremo loco parochus quaestionem considerat sub aspectu legum civilium quibus, necessitate cogente, subesse deberet nova paroecia, si constitueretur, et deducit maxima incommoda quae inde orirentur.

Denique haec urget parochus: « Il Parroco attuale ha un « *ius quaesitum* in tutta la Parrocchia, e lo smembramento « non può nè per legge canonica, nè per legge civile ope« rarsi in pregiudizio della totalità del benefizio di cui è « stato investito, specialmente quando manca la *iusta causa*, « l'*urgens necessitas*, e l'*utilitas evidens*, poichè è stato « abbastanza dimostrato, che la pretesa utilità non esiste, « non potendo chiamarsi utilità, quella che ingenera gravis« simi mali, come riferì l'illustre Monsignore Vescovo d'Aci« reale ».

Advocatus qui ex adverso pro dismembratione decertat, animadvertit, legitimas dismembrationis causas in superiore propositione iam satis fuisse in lucem prolatas. Quae sane, – Parochialis nempe Ecclesiae distantia et viarum asperitas – ita in casu concurrunt, ut ne Episcopus quidem, licet Parocho non obscure faveat, negare potuerit « che l'erezione « di una nuova parrocchia sarebbe utile agli abitanti di « S. Giovanni Montebello e S. Alfio la Bara ». Unum est tantummodo hac de re subiungendum: Parochus enim, ut viarum asperitatem excludat, affirmat torrentem, qui eas intersecat, pene semper esse aqua deficientem. Sed advocatus, quod attinet ad oppidum Giarre recolit anno 1889 torrentem, de quo agitur, ripas egressum circumstantes agros tanta aquarum vi inundasse, ut et via *provincialis* per tres menses aquis submersa manserit. Et testem affert ephemeridem vulgo *Corriere di Catania.*

Quo posito transit advocatus ad obiectiones refellendas, quas ipse arbitratur, effecisse, ut in superiore propositione causa differretur. Quas obiectiones tres esse putat: periculum nempe seditionis in oppido Giarre si fiat dismembratio; certae congruae defectus pro nova paroecia; timor, ne Municipium oppidi Giarre, si fiat dismembratio, ira succensum, summam annuam non amplius solvat, pro oneribus vulgo « *ad culto* ». Has obiectiones nullius momenti advocatus existimat.

Quoad primam nempe de seditionis periculo, notat rationem haberi non posse quin Ecclesiae auctoritas paucorum arbitrio subiiciatur. Equidem nulla fere concipi potest dismembratio, uti huiusmodi dissensus fidelium, cuius dismembratur paroecia, per publicas protestationes non ostendatur. Si haec pretio haberi deberent, nulla umquam paroecia dismembraretur, instat orator.

At seditionis nullum adesse periculum, iste ait, nisi parochus in suam partem animos concitet et seditionem summoveat. Quod ut probet narrat, parochum ab ipso ingressu in Paroeciam Parochianos ita fuisse allocutum, ut instigaret ad resistendum ne fieret dismembratio.

Nec postea, usque ad superiorem causae propositionem, agendi rationem mutavit: immo etiam comitiorum die adventante, Municipii praesidi nunciavit, se Romam proficisci, ut dismembrationem impediret: testatus, se demissurum officium, nisi S. H. O. suis votis obsecundaret.

Verum nulla seditio timenda est; ait patronus, nam in huiusmodi causis dismembrationis fere semper redit eadem historia, cum Parochi se obstinate opponant. Provocant enim populum ut dissentiat, quasi vero dismembratio Paroeciae pendere debeat a populari arbitrio. Et quid est facilius Parocho, animi agitatione commoto, quam aliquem Paroecianorum numerum excitare, ut se dissentientes Paroeciae dismembrationi ostendant? Caeterum christianus populus, qui non provocetur studio aliorum ad dissentiendum, obsequentissimus esse solet Ecclesiasticae auctoritati, quae sola habet officium cognoscendi, decernendique quid populo salutique animarum magis expediat.

Quod si periculum seditionis pertimescendum non est in oppido Giarre, si Paroecia dismembretur, istud e contra – instat advocatus – habetur nisi fiat dismembratio, in oppidis

S. Giovanni Montebello et *S. Alfio La Bara.* – Revera petitio a quingentis Parochianis subscripta plene probat, quanti istorum intersit, Paroeciam dismembrari. Quanta vero sit civium indignatio in Parochum, qui dismembrationi resistit, inde clare patet, quod Parochus, quum ad oppidum, patronalis festi occasione, accedere debuerit, vi armata usus est, veritus ne simultas in actus inciviles erumperet. Et hoc magistratus, et praesides circumstantium Municipiorum dilucide testantur.

Quoad *alteram* obiectionem de congrua non satis certa paucis respondet advocatus: Hodie enim huic obiectioni arbitratur amplius non esse locum quum congrua a fidelibus oblata, apud S. V. O. arcarium deposita fuerit in quadam syngraphi *crediti* adversus publicum institutum *Banca d'Italia.*

Sed notat orator, decisionem sive affirmativam sive negativam amplius differri non posse; etenim qui *congruam* obtulerunt *summam*, eamdem amplius infructiferam haud volunt remanere: eoque magis, quod, quum aliquibus inter oblatores, senectute oppressis, mors ingruere videtur.

Quoad *tertiam* obiectionem, timet Parochus, ne Municipium deneget consuetas pecuniae summas erogare in cultum divinum, quippe Municipes existimant Ecclesiasticam dismembrationem oppidorum *S. Giovanni* et *S. Alfio* viam sternere ad *civilem* dismembrationem obtinendam. Sed primo reponit advocatus, haec esse potius somnia, quam argumenta, nulla enim allegatur probatio, ideo peti *Ecclesiasticam* dismembrationem qua facilius *civ lis* obtineatur. Quin etiam vix mente concipi potest, quomodo possit ex Ecclesiastica dismembratione, civilis dismembrationis occasionem capi: quum constet vel Parochiam esse posse ex duobus constantem Municipiis, vel Municipium, quod in duas Paroecias dividatur.

Sed hoc misso, magnopere instat advocatus, Municipium ad sumptus Ecclesiasticos suppeditandos ita teneri, ut eos denegare non valeat.

Quod si haec non sufficerent, et ratio tum esset investiganda, qua Municipium ad sumptus Ecclesiasticos suppeditandos adstringitur: rationem duplicem esse advocatus opinatur: *legem* nempe et *praescriptionem.*

Primum *lex:* Municipium hos sumptus suppeditare coepit in compensationem praestationum, quibus antea divino cultui prospiciebatur, quaeque civilis auctoritatis imperio, in Sicilia, abolitae sunt.

At hunc titulum, regiis decretis comprobatum, quae onus imponunt Municipiis indotatas paroecias dotandi (*die 25 Iulii et 19 Sept. 1782*): eumdemque etiam a concordato confirmatum (*art. 5*): titulum istum, inquam hodiernae leges adsciscunt, ita ut sumptus, hac de causa, suppeditatos, haud possint, nec nostra aetate, a Municipio denegari.

Praeterea *praescriptio:* civilis enim disciplina illud hodie fixum habet et certum, expensas, ut obligatorias habendas esse, quas Municipia triginta per annos, pro Ecclesiasticis oneribus, repensarunt: « Quando un Comune ha sostenuto « *ab immemorabili* le spese della elemosina per l'ultima « messa festiva, ponendola fra le obbligatorie senza osser- « vazioni in contrario della superiore autorità tutoria, basta « questo fatto a costituire una lunga consuetudine, la quale « secondo la costante giurisprudenza giudiziaria e ammini- « strativa, tiene luogo di titolo giuridico » (Cons. di Stato, 13 aprile 1883, *Riv. amm.*, XXXIV, pag. 834). « La chiesa « parrocchiale che da tempo immemorabile percepisce dal « Comune una annualità per spese di culto, ha acquistato « per prescrizione il diritto a quella annualità e deve il « Comune continuare a stanziarla nei suoi bilanci » Cass. Torino, 5 luglio 1881, *Riv. amm.*, XXXII, pag. 559).

Qua de re, perillustris quidam advocatus, sententiam rogatus, pro certo habuit nullum adesse periculum, ne sumptus denegentur, quia nequeunt, ad iuris italici tramitem, denegari.

Et Municipium ipsum, quod hodie absurde minitatur, non suspecto tempore, quum quidam, a reipublicae gubernatoribus missus *civilis commissar us*, onus istud supprimere vellet, haud posse supprimere demonstravit.

Obiectionibus ita reiectis, concludit advocatus, nihil amplius esse cur dismembratio retardetur. Qua de re bona enumerat ex dismembratione obventura: quod scilicet oves proprium habeant pastorem a quo cognosci et pasci valeant, quum constet hodie semel tantum in anno ad duo oppida (*S. Giovanni et S. Alfio*) Parochum accedere, ut sacra expleat solemnia, quibus expletis ex oppidis digreditur usque ad sequentem annum non amplius reversurus. Accedit quod duo oppida servitio divino destituantur: nam Parochus ad ea numquam accedit: capellani, qui curam agunt Parochi nomine, incongrua prorsus remuneratione (*191 lib. in singulos annos*), tanto oneri impares sunt. Quin etiam cum eorum ius sit aliquantisper circumscriptum, fidelium haud semper possunt occurrere necessitatibus qui coniugium inituri, toties ad Ecclesiam parochialem longe sitam accedere debent, quoties praeliminares actus, coram Parocho, explendi sunt. – Accedit denique quod duorum oppidorum Ecclesiae suos habent reditus; qui, pro Ecclesia oppidi *S. Giovanni Montebello* libellas fere septingentas, oneribus immunes attingunt. Dismembrata paroecia huiusmodi reditus Parochi congruam a fidelibus oblatam augebunt: et erit unde sacrorum decori congruenter provideatur.

Quum Episcopus nuper novam miserit informationem, advocatus, antequam orationi finem imponat, de hac disserendum suscipit. Et notat praeter alia, nonnisi a Parocho in errorem adductum, Episcopum scribere potuisse, Ecclesiasticas expensas in Municipio *Giarre* haberi ut *facultativas*, quum eaedem, ut *obligatoriae*, in computis auctoritatis publicae exhibitis (vulgo *bilancio*) diserte describantur. – Immo addit rursus falsum esse Episcopum, quum se timere ait, ne Municipium oppidi Giarre, Ecclesiarum patronus, capellanos nominet indignos, si dismembratio concedatur. Nam, praeter quam quod Episcopus ius habet confirmationis, quae indignis iure denegari potest, constat in *facto* Municipium capellanos non deligere, nisi *terna*, ut aiunt, a Parocho proposita. – Et denique putat frustra ex eo Episcopum argumentum petere, quod seditionem, in oppidis dismembrandis, nisi concedatur dismembratio, imminere dictum est. Nos enim, ait advocatus, non de *seditione* locuti sumus sed de *actibus inurbanis*, quos Parochus nuper quum ad unum ex duobus oppidis accesserit, expertus est. Iure equidem timetur, ne huiusmodi actus iterentur, denegata dismembratione; et merito in oppido *S. Giovanni*, ut Parochi decori consuleretur, lite pendente, sacrum patronale differre destinatum fuerit, quod ut expleat ad oppidum Parochus accedere solet. Sed inde illud tantum colligi potest, oppidanos S. Ioannis et S. Alphii dismembrationem desiderare: et eam esse prorsus necessariam, ne gregi invisus pastor praeponatur.

Concludit advocatus adnotando in casu, concessa dismembratione, eam facile ad exitum adduci posse. Nam, ad auctoritatem Ecclesiasticam quod attinet, dismembrandae paroeciae fines per vias publicas ex eo tempore sunt constituti ex quo anno 1747 in oppido *S. Giovanni Montebello* Ecclesia succursalis erecta est. – Civilem vero non defuturam approbationem, ubi dismembratio ab Ecclesia concessa fuerit, iam certa argumenta persuadent.

Redeat itaque

DUBIUM

An et quomodo sit locus dismembrationi in casu.

Emi Patres censuerunt rescribendum: *Affirmative, servata matricitate Ecclesiae Archipresbyteralis loci Giarre recognoscenda cum aliquo obsequii signo.*

LISBONEN. — CONSUETUDINIS IN RE LITURGICA

Summarium quaestionum quae S. C. C. iudicio die 14 Dec. 1901 subiectae enodantur.

(Sequitur. Vide Fasc. praec. p. 244).

Inde Summarium sciscitatur:

c) Utrum in iisdem Missis conventualibus lectis permissus sit usus pelvis et urceoli ex argento, uti in Episcopalibus?

Resp.

Dubium istud cum altero relationem habet, de quo inquiritur in hypothesi affirmativa, *num scilicet pelvis et urceolus pariter liceant in Missis vel cantatis vel solemnibus:* hinc utrique dubio simul hic respondendum est.

Praemittimus, huic quoque petitioni S. Congregationem Concilii iam fecisse satis, cum respondit: « Non expedire », et postea « Serventur ius commune etc. »: responsi autem sapientia ex sequentibus quoque palam fiet.

Primo: Rubricae Missalis verba de Missa lecta facientes dicunt: « Ab eadem parte Epistolae.... parentur ampullae vitreae, vini et aquae cum pelvicula et manutergio» *(Tit. XX, de Praep. altar.).* Idem in Ritu servando pro celebratione Missae solemnis Rubricae eaedem praedicant: « Celebrans.... lavat manus, ministrantibus acolythis ampullam aquae cum pelvicula et manutergio » *(Tit. VII, n. 10).* Ex quibus patet, ritum Missae lectae ferre usum ampullae, non autem vasis diversi generis, et eamdem pelviculam super qua ampullae de more collocantur, non vero aliam diversam ad abluendos in Missa extremos Celebrantium digitos, pollicem et indicem. Non est proinde quaestio, an ampullae esse queant etiam ex auro vel argento, quae profecto minus congruunt, nec Rubricis respondent. Sed quaestionis obiectum praesens est: pro pelvicula adhibere lancem seu pelvim grandiorem ex argento affabre elaboratam, et pro ampulla quandam lagenae speciem, quam italice dicimus: *boccale,* ex argento pariter et arte confectam, quae a Canonicis urceolus nuncupatur.

Ratio quaestionis est, quia in praesenti disciplina pelvis et urceolus, de quibus hic agitur, Episcopis tantum reservantur: adeo ut simplicibus sacerdotibus sint vetita, nec tantum in privatis, sed etiam in solemnioribus, hinc a fortiori in Missis Conventualibus lectis.

Hinc Decretum Generale 2624 disserens de privilegiis, quae Dignitatibus et Canonicis Pontificalium usu fruentibus conceduntur, in num. 11 disponit ut quando pontificaliter non celebrant, celebrare debeant more solito, id est, sicuti reliqui sacerdotes: « In reliquis diebus, etiamsi solemnibus, celebrent more solito ». Quae dispositio manifeste excludit usum pelvis et urceoli: quippe quae Sacerdotibus more solito celebrantibus interdicta.

Magis explicite praefatis Canonicis et Dignitatibus pelvis et urceolus prohibentur in eodem Decreto ad num. 24: ubi dicitur: « In Missis privatis, quoad indumenta, caeremonias etc. etc. a simplicibus Sacerdotibus non differant... *non sibi velint aquam ministrari cum pelvi et urceolo* ». Hinc S. R. C. declarat: « Canonici et Dignitates Missam celebrantes nequeunt exigere eas honorificentias, quae soli conveniunt Episcopo, sed se gerere debent modo, quo simplices Sacerdotes (2310 ad 4) ». Denique recentius Decretum adhuc ineditum praefata confirmat, quaerens: « V. Praeter ampullas vini et aquae ponitur etiam super credentiam, in aliquibus Ecclesiis huius Dioecesis pelvis et urceus cum aqua pro manuum lotione in Missis cantatis vel digitorum extremitatibus in privatis, quando Sacerdos dicit psalmum: « Lavabo inter innocentes manus.... » hoc autem fit quia aqua, quae est in ampulla vitrea, frequenter non sufficit ad manus abluendas et Calicis purificationem faciendam, sumpto S. Sanguine, praesertim in Missis cum cantu. Porro cum praedictus pelvis et urceus non sit praescriptus in rubricis Missalis, quaeritur: « Num continuari licite possit, vel saltem tolerari praefatus usus? - Ad V. *Negative* ad utramque partem » *(S. R. C. in Queretaro die 18 Iulii 1902).*

Etenim advertendum, S. R. Congregationem nullo pacto velle, ut in Missis sive privatis sive solemnibus Sacerdotes simplices, etsi in aliqua dignitate constitutos, iis utantur peculiaribus ritibus ac caeremoniis, solemnem redolentibus pompam et apparatum, quae Episcoporum sunt propria. Idque gravi de causa, ut nempe simplices Sacerdotes ab Episcopis distinguantur in celebratione Missarum. Iam nunc pelvis et urceolus sive ex argento sive ex alia materie, sunt signa dignitatis Episcopalis, quae solis conveniunt Episcopis, in Missa privata: in Missa vero pontificali conveniunt omnibus, qui usu Pontificalium gaudent. At qui eiusmodi Pontificalium usu gaudent, distingui fas est in aliis non pontificalibus Missis ab Episcopis; ergo honoribus Episcoporum propriis gaudere non debent, saltem, inquam, sine speciali indulto, quo Lisbonenses Capitulares non fruuntur. Hinc pelvi et urceolo ex argento, ut in casu, gaudere nequeunt.

Apostolicarum quidem Caeremoniarum magister pelvim et urceolum tollerari posse censuit; at rationes, quas affert, nulla vi pollent. Primo ait, Canonicos Lisbonenses privilegiis gaudere Abbatum mitrae usum habentium, ut considerari possint veluti Praelati. Esto, reponimus, sed cum eodem caeremoniarum Magistro addere properamus, Praelatos in Missa privata, iure perpenso, distingui non debere a simplicibus Sacerdotibus; ergo. At subiungit, agi in casu de Missa conventuali, quae haud est privata, stricte loquendo, cum quamdam solemnitatem secum ferat. Nos vero respondemus, pro hac quadam solemnitate non posse nec debere intelligi usum pelvis et urceoli; quia hic ritus et Missae pontificalis et privatae episcopalis tantum est proprius, non vero privatae aliorum Sacerdotum, etsi conventualis, uti demonstratum est superius. Nec praetereundum, sex tantum Dignitates Lisbonenses, non reliquos Canonicos, nisi quodam in casu (Ex Brevi *Iam inde ab anno* quivis ex Canonicis tunc tantum uti potest Pontificalibus, quum omnes Dignitates quae Pontificaliter celebrare deberent, deficiunt: casus, qui numquam hactenus comprobatus est), considerari posse uti Praelatos; et nihilominus ex abusu omnes etiam Canonici eiusmodi privilegium ab anno 1877 sibi indebite arrogant. Denique, quod peius profecto est, usum pelvis et urceoli adhuc in praesenti adhibent, in solemniori saltem, haud obstante Romanarum Congregationum authentico responso: « Non expedire », et alio recentiori: « Serventur ius commune, Rubricae etc. ».

Ad hunc vero cohonestandum ritum, legi patenter repugnantem, afferunt in medium Canonici ac Dignitates Lisbonenses more solito antiquissimam et immemorabilem consuetudinem. Sed huc redeunt quae alibi dicta et discussa fuerunt. Quo iure, scilicet, affirmare id possunt Lisbonenses

Canonici, cum certo constet, ipsismet convenientibus, Missam conventualem lectam ab anno 1877 tantum incoepisse? Nonnisi ergo viginti circiter annorum consuetudo haec esse potest, quae profecto nec antiquissima, nec et multo minus immemorialis dicenda est. Eoque magis, quod sicuti Missa, ita pelvis urceolique ritus vitio originis laborat.

At animadvertendum est, opponitur, consuetudinem pelvis et urceoli in Missa lecta adhibendorum ad antiquum Capitulum Lisbonense ascendere. Id Patriarchales Canonici possunt asserere; sed reponimus, quid inde? Consuetudo illa ad praesentes Canonicos pervenire non potuit. Ratio est, quia antiquum Lisbonense Capitulum, utpote penitus suppressum cum omnibus suis iuribus et privilegiis, uti superius visum est, amplius inter vivos nequit considerari, sed inter defunctos. Ut quid ergo illius Capituli iura et privilegia perpendere, quae cum Canonicis defuncta sunt? Privilegium personam sequitur: cum persona extinguitur, iuris regula praedicat. Extinctum est Capitulum, omnia iura et privilegia extincta remanent, quae immo et explicite per Bullam *Quamvis aequo* superius relatam morte damnata sunt.

Quod si anno 1843 novum Lisbonense Capitulum, solis iuribus gaudens, quae per sacros canones illi tribuuntur, alia sibi, uti pelvis et urceoli usum, usurpavit contra manifestissimam legem, id profecto vitiosum iudicari debet, et vi subsistendi non pollet. Non enim confirmari potest tractu temporis quod de iure ab initio non subsistit, uti iuris regula docet.

Canonici Lisbonenses addunt, dictae Missae conventuali Christifidelium multitudinem saepe assistere, ut conveniat quoque eam solemniorem facere. Sed in primis vix concedi potest multitudinem fidelium dictae Missae, ut plurimum saltem, assistere; quia, cum agatur de festis infra quartum ordinem, eam satis minus esse solemnem abunde constat. Insuper factum demonstrat saepe saepius, dum eae Missae fiunt, templum esse prope desertum.

Hoc autem nihilominus, dato et non concesso, ecquis suadere sibi poterit, per usum pelvis et urceoli Missam lectam fieri solemniorem? Dicendum potius illam concinendam esse, ut solemnior fiat, cum solemnitatis notam cantus efformet; pompam autem pelvis et urceoli ex argento illi non convenire, cum neque Episcopalis sit, neque more Episcopali celebranda.

Denique ut eiusmodi usus retineatur subiungitur, eam Missam quandoque celebrari a Dignitatibus, quae habent usum Mitrae et Pontificalium ad instar Abbatum, cum potestate pontificaliter ad faldistorium celebrandi. Respondendum est, rationem allatam omni esse robore destitutam. Primo, quia ius pro Abbatibus decernit ut « aquam cum pelvi et urceolo argenteis sibi ministrari *(in Missa privata)* non sinant » *(Decr. Gen. 1131 ad 21)*. Secundo, quia concessio, de qua agimus, ex privilegio, quo utendum est iuxta legem; illudque esse *strictissime interpretandum, utpote laesivum Dignitati Episcopali. Quamobrem nil aliud concessum intelligendum est, nisi illud quod est speciatim expressum, neque ex indulto uno alterove privilegio trahi potest consequentia ad alia, quae singillatim descripta non fuerint.* Ita alibi citatum relatumque ex parte Decretum Gen. 2624 ad n. 5: adeo ut ex privilegio relato, non pro, sed contra pelvis et urceoli consuetudinem trahendum sit argumentum.

Toto ergo plenoque iure petitioni super pelvis et urceoli usum, ab utroque Tribunali seu Concilii, seu Rituum nonnisi sapientissime respondendum erat: « Non expedire » et « Serventur ius commune, etc. ».

Denique Summarium inquirit:

d) Utrum Missis conventualibus lectis intervenire possit Sacerdos, qua Caeremoniarum Magister, vel qua Assistens, vel qua inserviens loco inservientis?

Resp.

Non aliter respondendum, quam negative, uti sequentia palam facient. Anno 1660 Episcopus Tudertinus a S. R. C. quaerebat: « An connivendum quod Prior Cathedralis Ecclesiae in Missarum privata celebratione *(adhibere posset)* praeter alia, ministrum Sacerdotem praeter clericum... profecto ut caeremoniarum magistri, vel assistentis munus ageret ». Quid tamen Sacrum Tribunal? « Priorem praedictum in Missarum celebratione penitus a simplici Sacerdote nullatenus secernendum esse, eique propterea praedicta minime licere (1148) ».

Item anno 1686 Magister caeremoniarum Senensis Ecclesiae postulabat: « An in celebratione Missae privatae Dignitates et Canonici... Cathedralis... sive alius quilibet Sacerdos Episcopo inferior, possit adhibere in Missa... ministrum inservientem, qui Missali assistat, ac folia vertat, calicem mundet, etc. etc. ». Et S. R. C. absolute respondit: « Negative (1771 ad 1) ». Denique eadem S. R. C. exquisita quoque fuit: « An Archidiaconus et Canonici in Missis celebrandis, tam intra quam extra Cathedralem, ultra unum inservientem, qui Missae respondeat, uti valeant dicto magistro caeremoniarum... vel alio ministro Sacerdote tam pro delatione calicis ad altare et illius reportatione ad Sacristiam, quam pro sustinendo Missali, indicando Orationes, aperiendo et cooperiendo calicem, in illum infundendo vinum et aquam, porrigendo patenam cum Hostia, itemque calicem, eumdemque instruendo cum velo ad instar Episcoporum, vel potius debeant celebrare, ut quilibet alius simplex Sacerdos, omnes relatos ritus a seipsis explendo, absque ope ministri? » Quid tamen eadem S. C. respondet? « Negative in omnibus quoad primam partem: Affirmative quoad secundam (n. 2310 ad 4) ».

Ratio est, quia ritus et caeremoniae, Missarum solemnium propriae, aptari nequeunt lectis, quin rerum natura invertatur, et Rubricae Missalis pessumdentur. Reapse, natura rei in casu invertitur; quia Missa lecta, ratione caeremoniarum magistri, naturam solemnis induit. Rubricae Missalis pessumdantur; quia aliae sunt normae, caeremoniae ritusque, quos illae servandos statuunt pro Missa solemni, aliae vero aliique ritus, quos pro Missa lecta praescribunt.

Has vero Rubricas sub gravi adimplendas esse iam alibi visum est, cum S. Pius V gravissimis verbis eam observantiam imponat omnibus Celebrantibus, quacumque dignitate fulgeant, nec vestra incomparabili exclusa, uti apprime nostis, E.mi Patres.

Iam nunc Rubricae Missalis, non plures ministros, sed unum tantum (quamvis cum de lecta conventuali agatur, duos Decreta indulgeant), non caeremoniarum volunt in ea Missa magistrum, cum haec omnia solemni tantum aut cantatae conveniant, pro qua praescribuntur.

Aliunde omnino servandum quod Decreta Rubricas confirmantia exigunt de Regularibus, a quibus quicumque alii Sacerdotes saeculares, hac in re, ne minimum quidem discriminantur. Est autem: « In Missarum celebratione tam privatarum quam solemnium, quoad ritus in Missali praescriptos, Regulares nihil addere, minuere vel immutare possunt; sed omnia in eodem Missali.... praescripta ad unguem servare tenentur » (Decr. 937 ad 2).

Hinc Dominicus Blanditius Gubernator et Protonotarius Apost. ad instar a S. Rituum Congregatione quaerebat, an sibi liceret in Missa, praeter alia, Sacerdotem cum cotta, et pelvim etiam atque urceolum adhibere ad abluendas

manus in Missa. Quid tamen Sacrum Tribunal respondit? « Unico sit contentus ministro...; cum ex declaratione, de qua in Rubricis Missalis Romani, alia praefata solis Episcopis, *privative*, celebrantibus conveniant » (Decr. 902).

Hinc Protonotarii Apost. Titulares, a quibus, in casu, qui sunt ad instar, minime differunt, iubentur ut a se ipsis *libri Missarum folia evolvant* (2583 ad 6), non autem a ministro.

Hinc ipismet Protonotariis Apost. ad instar imponitur, ut « in Missis privatis... quoad caeremonias a simplici Sacerdote non differant » (3262 ad XVIII).

Hinc S. R. Congr. expetita: « An liceat Canonicis (esto Ecclesiarum Cathedralium) in Missis privatis.... uti opera inservientis Missae, tam pro delatione calicis ad altare, et illius reportatione ad Sacristiam, quam pro sustinendo Missali, indicando Orationes, aperiendo calicem.... porrigendo patenam.... tergendo calicem, etc. ». Absolute respondit: « Negative » (Decret. 2532). Aliaque plura Decreta ad rem praeterimus, ne taedium E.mis Patribus afferamus.

Insuper ritus iste, adhibendi scilicet caeremoniarum magistrum qua talem in Missa lecta, esto conventuali, novus est omninò, ac Lisbonensium Canonicorum unicus, cum nullus ex aliis Celebrantibus eo utatur. Protonotarii Apostolici, in Urbe, Missam lectam cum solemnitate agentes, duos quidem ex peculiari privilegio ministros habere possunt, sed non caeremoniarum magistrum. Eumdem non habent Episcopi private facientes Missam, neque ipsimet purpurati Patres, quamvis pro iis alter ex cappellanis iure eo munere fungi valeat. Num his omnibus praestantiores sunt Canonici Lisbonenses?

Animadvertendum est quoque, ritus ac caeremonias peculiares pro diversitate Missarum esse in lege determinatas: adeo ut Celebrans pro unaquaque ex diversis Missis praescriptas normas servare teneatur, quicumque ille sit. Suas habet caeremonias suosque ritus Missa pontificalis, suos habet Missa solemnis, uti simpliciter cantata, Missa lecta suos. Atque inde fit ut ritus isti ac caeremoniae non a Celebrante dependeant, sed a qualitate Missae, ut quicumque sit Celebrans, illos servare debeat.

Hinc sequitur, nil prorsus habere ponderis duplicem rationem, qua fultus Apostolicarum Caeremoniarum Magister autumat, presbyterum assistentem in casu permitti posse. Prima ratio esset sacerdotalis dignitas. At vero quibuscumque ergo private celebrantibus permissus ne esset Presbyter assistens? Omnes namque Sacerdotes pari dignitate sunt aucti. Ecquis unquam talia audivit? E contra stant Rubricae Missalis, Decreta S. R. Congr., ipsaque Bulla S. Pii V, exigentia ut Missa aut decantetur aut legatur iuxta modum, normam ac ritum in Missali determinata pro omnibus Sacerdotibus, nullo facto discrimine. Fallit ergo, et vehementer fallit, cum bona sua pace, Caeremoniarum Apostolicarum Magister.

Altera esset ratio Missae conventualis. At, sodes, Missa ista conventualis non est cum cantu, sed lecta; ergo praeter id quod S. R. C. pro gratia indulget, in reliquis a privata discriminari non potest. Atqui hoc tantum, et supra vidimus, circa caeremonias, Sacrum Tribunal indulget, nempe duos, pro uno, ministros. Ergo reliquae caeremoniae sunt vetitae maximeque ista de caeremoniarum magistro, vel Presbytero assistente, quippe qui soli Episcopo competit in Missa pontificali. Uni autem Missae cum cantu quorumcumque competit Caeremoniarum Magister: nemini autem eorumdem Sacerdotum competit Presbyter assistens. Hic quoque proinde fallit, iterare iuvet, vehementerque fallit Apostolicarum Caeremoniarum Magister.

Caetero, si Celebranti Canonico vel Dignitati in Missa conventuali lecta magister caeremoniarum permittitur, idem quoque caeremoniarum magister permissus dicendus erit alteri Celebranti, sit Mansionarius, sit Beneficiatus, sit quivis alius, qui Missam faciat etiam ex simplicibus Presbyteris. Atqui hoc nonnisi acerrime ferrent Canonici Lisbonenses, et admitti aliunde nullo pacto posset; ergo neque illud admittere eis fas est, quia inter Canonicos aut Dignitates et simplices Sacerdotes, quod lectae Missae caeremonias et ritus attinet, nullum discrimen est iuxta Rubricas Missalis et Decreta: quod satis superque demonstratum credimus.

Aliunde huiusmodi magistro caeremoniarum, in casu, qualenam competeret officium? Non officium proprium Assistentis Episcopo, dicunt Canonici, sed officium invigilandi, ut caeremoniae adimpleantur et Rubricae serventur. Ritus iste, caeremoniarum magistrum adhibendi in Missa lecta, ut invigilet pro Rubricis observandis, quin aliud agat, adeo singularis est, ut quamvis Rubricis Missalis aperte et vehementer sit oppositus, nihilominus nullum super eo Decretum, sive pro sive contra, sive in antiqua, sive nova Collectione existat. Quod profecto significat, neminem e Sacerdotibus, sive simplicibus, sive Canonicis, sive Dignitatibus, etsi volubilis eos ingenii supponatis, Patres E.mi, hac super re unquam posuisse quaestionem.

Etenim eiusmodi minister, aut Assistentis munere fungitur, de quo Rubrica Missalis pro Missa solemni: « Diaconus accedit ad sinistram Celebrantis, ei assistens, dum dicitur Canon, nisi alius *Sacerdos assistat;* quia tunc, etc. » *(Rit. celeb. Miss. Tit. VII, n. 11).* Hac autem in hypothesi ritus haberetur solemnioris Missae, qui est omnino absonus a privata, praeterquamquod Praelatis Episcopo inferioribus interdicitur, etiam in ipsa Missa solemni, ut alibi ostensum est. Aut munus exercet magistri caeremoniarum, cuius reapse est invigilare et adiuvare ut caeremoniae et Rubricae adimpleantur. Et hac quoque hypothesi admissa, vel solemnis vel cantatae Missae ritus proprius haberetur: ut nihil dicamus de iniuria, quae Canonicis Lisbonensibus irrogatur. Si enim a solemnitate abstrahatis, E.mi Patres, caeremoniarum magister, contra legem in casu adhibitus, quid aliud ostenderet, nisi imperitiam eorum, quae agere Celebrantes vel dicere debent, ut aliorum indigeant, qui eos manuducant et instruant? Numquid Neopresbyteris assimilari Lisbonenses Canonici peroptant? Vel Miopia ne affecti sunt? Aut denique nihil agere debet, sed tantum videre et observare, quin aliquid dicere vel corrigere valeat. Et hoc in casu res haberetur prorsus inutilis, maiori solemnitate excepta, ut magister caeremoniarum veluti candelabri aut cerei paschalis figuram ageret.

Atqui neque in hac Missa ritus et caeremonias Missae vel solemnis vel cantatae posse adhiberi iam demonstratum est. Neque inutiles ministros contra apertas Rubricas admittendos esse rectus sensus dictat. Ignorantia in casu caeremoniarum non est admittenda, uti neque admitti potest solemnitatis ratio, quae in dicta Missa per alterum ex ministris haberetur.

Nec bona fide videntur loqui Capitulares Lisbonenses cum de caeremoniarum magistro in officio verba faciunt, ut imperitis quasi videantur illudere. Quaestio non est de Matutino, aut Vesperis; quae si solemniter fiant, et Officium faciens sit pluviali indutus, magistrum caeremoniarum optime possunt ac debent habere: quamvis etiam in officio simpliciter lecto Caeremoniarum Magistro contra legem utantur Canonici Lisbonenses. Quaestio nostra versatur super caeremoniarum magistro in Missa lecta, quamvis conventuali, quem vidimus, seu ex Rubricis Missalis, seu ex Bulla S. Pii V, seu ex Decretis, seu ex recto sensu omnino vetitum.

Sed et hic tandem redit immemorabilis consuetudo, quam imo probatam asserunt, et cui Rubricas et Decreta, addunt non contradicere. Res miranda prorsus! Quid enim Rubricae, quid S. Pius V, quid S. R. C. de consuetudinibus aperte contra leges liturgicas, maxime Romani Missalis, clament abunde visum est, ut inutile iudicemus in iisdem ac supra argumentis insistere.

Itaque satis superque constare credimus, post hucusque discussa, quanto iure, quantaque sapientia, sicuti ad reliqua, ita ad hoc ultimum Dubium extendi authentica responsio debeat Sacr. Tribunalis Concilii: « Non expedire », atque alia recentior: « Serventur ius commune, Rubricae et Decreta S. R. Congr.nis ».

Quaerit Summarium:

II. *Utrum tolerari debeant privilegia, quae sibi arrogat Capitulum Patriarchale in usu Insignium, in usu Pontificalium, in servitio chori et altaris, et in specie:*

a) Usus Mantelletti: usus Insignium choralium singulariter, *non* capitulariter, *extra Ecclesiam et Dioecesim?*

Resp.

Omnino respondere cogimur: Negative. Et imprimis, peculiariter de Mantelletto dicendum. Huiusmodi indumentum obtineri potest aut per Indultum aliquod speciale pontificium, aut ex permissione Episcopi, vi potestatis a Pontifice illi collatae. Exploratum est enim, *Insignia cuiuscumque generis.... presbyteris concedere.... privativo iure reservari Sedi Apostolicae (Decr. num. 2361, aliaque multa).* Atqui Mantelletum praesentibus Lisbonensibus Dignitatibus et Canonicis neque per Indultum ullum Pontificium, neque ex permissione Ordinarii, vi collatae potestatis concessum fuit; ergo Mantelleti usus illicitus est.

Cum certa sit prima praemissa, nec discussioni obnoxia esse valeat, altera probanda manet. Antiquior Bulla Clementis Pp. XI, de Insignibus, peculiariter de Mantelleto verba faciens in favorem Dignitatum et Canonicorum Lisbonensium, est illa quae incipit, *In supremo Apostolatus solio.* Haec autem concedit *habitum praelatitium violacei coloris serici aut supra Rocchettum, ubique terrarum, extra tamen Romanam Curiam et ubi non fuerit Romanus Pontifex.* Ita Codex titulorum S. P. Ecclesiae Lisbonensis, tom. I, pag. 107-108. Notum est autem, habitus praelatitii nomine includi Mantelletum. Verum, quibusnam Dignitatibus et Canonicis Mantelletum concedit citata et relata Bulla? Haud profecto praesentibus, sed antiquis ad suppressum nempe extinctumque Capitulum pertinentibus, et mortuum proinde *cum omnibus iuribus, honoribus et privilegiis.* Ergo, vi dictae Bullae nullum datur dignitatibus et Canonicis, de quibus agimus, Pontificium Mantelleti Indultum: in nullo porro vel anteriori, quod repugnat, vel posteriori documento S. Sedis, de eodem Indumento verba fiunt: vel proferat, si valeat, praesens Lisbonense Capitulum.

Nunc videamus, utrum aliquis ex Ordinariis Lisbonensibus facultatem ab aliquo Pontifice acceperit Mantelleti concedendi suis Dignitatibus et Canonicis. Extat quidem Bulla Gregorii XVI, quam utpote non executioni mandatam, silemus; sed extat et Breve Pii Pp. IX, praefatae Bullae relationem dicens, incipiens per verba *Iam inde ab anno:* quod nonnulla pro prudenti arbitrio Insignia specialia concedendi Capitulo Lisbonensi facultatem tribuit Patriarchae Guglielmo, tunc temporis existenti. At notandum, in eiusmodi facultate sequentem fuisse factam exceptionem: « Exceptis purpureis tunicis, aliisque peculiaribus Insigniis, antiquis Canonicis *principalibus* nuncupatis pertinentibus, quae propterea sunt *expresse reservata* duobus tantum ex Canonicis *principalibus*, qui adhuc supersunt ». Atqui inter *specialia Insignia*, antiquis Canonicis, et peculiariter duobus viventibus ex illis *reservata*, explicite comprehenditur et nominatur Mantelletum; ergo eiusdem Mantelleti concedendi nulla facta est potestas pontificia Ordinario Lisbonensi.

Caeterum satis superque constat, quid suis Canonicis et Dignitatibus Lisbonensis Patriarcha concesserit vi potestatis sibi a Pontifice factae. En concessionis textualia verba; concessit itaque: « 1° Ut Capitulares omnes, sive Dignitates sive Canonici, servarent usum Collaris, Tibialium et Zonae ex colore rubro, nec non Rocchetti. 2° Ut in posterum uterentur veste talari et Mozetta ex serico, vel ex lana, coloris rubri, cum subsutura purpurea: vel pro Mozetta, iuxta temporum functionumque adiuncta, uterentur Cappa magna coloris rubri, cum caputio et subsutura, aut ex purpura, aut ex pellibus albis ». Ex quo patet, de Mantelleto altum servari silentium; ergo Mantelletti usus Dignitatibus et Canonicis Lisbonensibus nusquam concessus est, proindeque illicitus.

Obiici posset, Mantelletum esse habitum choralem: atqui habitus choralis dictis Dignitatibus concessus est; ergo.

Respondemus inter Mantelletum et choralem habitum, maximum intercedere discrimen, adeo ut ii, quibus iste concessus est, non ideo illud quoque dicendum sit concessum. Sane Mantelletum pertinet ad habitum praelatitium, quod antiquorum Canonicorum *principalium,* ut iam vidimus, erat proprium; eoque nunquam illi utebantur in choro, sed tantum extra chorum. In choro autem adhibuerunt « hiemali tempore Cappam magnam rubeam, aestivo tempore Mozettam supra Rochettum, similiter rubeam.... respective in singulis Horis canonicis, Missis et aliis divinis officiis, nec non processionibus, tam intra quam extra eorum Ecclesiam peragendis, nec non actibus capitularibus publicis et privatis » *(Bull. In supremo Apost. sol. 1716, n. 30).* Ratio patet, quia Mantelletum est habitus choralis pro solis Canonicis Episcopis, minime vero pro Praelatis Episcopo inferioribus. Ergo, Canonici et Dignitates Lisbonenses Mantelleto uti nequeunt, sed habitu tantum chorali, iis indulto, proindeque obiectio opposita nullo pollet robore.

Caeterum, extat in Secretaria Brevium informatio E.mi Patriarchae praesentis, quamdam petitionem Canonicorum Lisbonensium commendans, in qua humiliter postulatur Indultum pallii violacei coloris, *ut eliminatus fiat Mantelletti abusus.* Quid ulterius inquirimus, quando et ipse Eminentissimus Patriarcha dicti indumenti usum *abusum* recognoscit et declarat?

Quid nunc de Insignium choralium usu *singulariter,* extra Ecclesiam et Dioecesim? Eiusmodi usum esse prohibitum dubitari non potest. Et primo, Canonici et Dignitates sunt tales quatenus ad corpus pertinent in Ecclesia constitutum; cum ergo *singulariter* incedunt extra illam, Insignibus uti nequeunt, quod nullum corpus efficiunt. Secundo, explicita est lex: « Dignitatibus vero et Canonicis, etiamsi gaudeant indulto deferendi Cappam et Rocchetum, tum in propria quum in alienis Ecclesiis, huiusmodi tamen aliorumque canonicalium Insignium usum extra propriam Ecclesiam licitum esse *dumtaxat* quando *capitulariter* vel assistunt vel peragunt sacras functiones; non autem si intersint *uti singuli* » *(Decr. gen. n. 2579 et 4537 ad 2).* Confirmatur et alio particulari praefatum Gen. Decretum invocanti: « An teneantur.... Canonici cappam deponere, tam intra quam extra Cathedralem, dum verbum Dei praedicant? *Resp.* Negative in propria Ecclesia, etiam in concionibus aliisque functionibus; excepta sacramentorum administratione... Affirmative extra propriam Ecclesiam, et detur Decretum Gene-

rale », de quo superius *(4536 ad 2, 2578 Dubia Addition. ad 2, 3014 ad 12, 3784 ad 3)*. Tertio denique certum est, hanc legem applicandam quoque esse Dignitatibus Canonicisque Lisbonensibus ratione Bullae *Quamvis aequo* et Brevis *Iam inde ab anno*, quae pro illis data sunt. Namque iisdem concedunt, ut nedum in propria Ecclesia, « verum etiam extra ipsam quoties *(tamen) Capitulariter* sive ad supplicationes publicas, sive ad sacra solemnia, sive ad alios ecclesiasticos id generis actus *conveniant*, licite ac libere possint uti illis Insigniis et choralibus indumentis ». Ergo ad propositum dubium *a)* respondendum est: *Negative.*

Alterum Dubium Summarii postulat, an liceant:

b) Usus caligarum, sandaliorum et chirotecarum ex auro et argento ornatorum, Mitrae pretiosae et ex damasceno: gremialis, palmatoriae: ritus praegustationis panis et vini: assistentia Beneficiati pluviali induti: Pax vobis *pro* Dominus vobiscum, *et trina benedictio in Missis, Vesperis et Laudibus, pontificaliter celebratis?*

Resp.

Responsum nonnisi negativum in omnibus esse potest, uti ex sequentibus patebit. Dignitates et Canonici Lisbonenses privilegio tantum gaudent, ut superius vidimus, « deferendi Mitram et pontificalia indumenta *ad instar Abbatum* Mitrae usum habentium, et pontificaliter celebrandi Missam, *servatis* tamen *servandis*, in faldistorio »; ergo id tantum agere possunt, et non aliud.

Aliud nunc dicendum super significatione verborum « ad instar Abbatum ». Haec dicendi ratio non significat, privilegiatos uti posse omnibus pontificalibus Insignibus, quibus utuntur Abbates, sed tantum eos uti posse Insignibus indultis, ad instar Abbatum. Primo, quia ita intelligenda sunt dicta verba circa privilegia concessa Protonotariis Apostolicis *ad instar participantium*, quae profecto longe minus late patent, quam quae Protonotariis participantibus concessa sunt. Secundo, quia cum in casu agatur de privilegiis contra ius commune, et in damnum dignitatis episcopalis, strictissima de illis facienda est interpretatio. Denique tertio, quia S. R. C. hoc sensu, et non alio, eadem verba interpretata est, uti mox videbimus.

Itaque, singula perstringentes, quod attinet caligas, sandalia et chirotecas ex auro argentove ornatas, notandum est, Dignitates et Canonicos Ecclesiae Urbinatensis privilegio decoratos fuisse, uti Lisbonenses, deferendi Mitram aliaque ornamenta *ad instar Abbatum (V. Decr. 2418 ad 8)* ex concessione Benedicti Pp. XIII confirm. a Constit. Bened. XIV *In throno iustitiae* d. d. 17 Febr. 1752. Nihilominus exquisita S. R. C. « An Dignitates et Canonici Metropolitanae Ecclesiae Urbinaten. uti possint.... caligis et sandaliis, chirotecis praesertim auro ornatis, etc. », respondit: « In Missis decantandis.... Celebrans uti possit enunciatis indumentis *auro non ornatis* » *(Decr. 2418 ad 1)*. Ergo, quidquid sit de Abbatibus, Canonici et Dignitates Lisbonenses, sicut Urbinatenses, uti non possunt caligis, sandaliis et chirotecis ex auro vel argento ornatis. Idem concluditur ex Decreto *Ex Romanorum Pontificum*, n. 2624 ad 8.

De Mitra pretiosa vix discutiendum, quod ipsi Abbates illa nequeant uti: « Mitram pretiosam, nisi illis expresse a S. Sede indultam, non adhibeant » *(Decr. Gen. n. 1131 ad 8)*. Ergo, a fortiori Praelatis Episcopo inferioribus prohibita dicenda est, proinde et Lisbonensis Ecclesiae Dignitatibus atque Canonicis, qui Mitra uti tantum possunt ad instar Abbatum. Idem praedicandum de Mitra ex damasceno; nam rogata S. R. C. « An Mitra debeat esse, uti hactenus, ex serico damasceno, an ex oloserico ormesino, et cum fimbriis aureis »? Et S. R. C. respondit: *Ex « tela »*, videlicet ut dicitur in Decreto *Ex Roman. Pontif.* ad 8 *mitra simplex ex tela alba* (n. 1728 ad 10).

De gremiali dicendum est, illud esse Praelatis Episcopo inferioribus vetitum ex generali ratione, vi cuius id tantum per Decretum *Ex Romanorum Pontificum* illis est indultum, quod explicite in eo nominatur. Atqui in *num. 8 praefati Gen. Decreti* singula indulta indumenta enumerantur, et altum servatur silentium de gremiali; ergo vetitum est.

Quod attinet palmatoriam, praefatum Decretum *Ex Romanorum Pontificum* nominatim eam prohibet in num. 16: « Nequit praeterea *(Dignitas vel Canonicus)*, tam in solemni, quam in Missa privata... uti Canone, *palmatoria*, et Presbytero Assistente ». Item palmatoriam prohibent Decreta 2418 ad 4, et 1728 ad 3. Ergo et palmatoria vetita est Dignitatibus et Canonicis Lisbonensibus.

Praegustatio panis et vini, vetita est Canonicis et Dignitatibus, quippe quae prohibetur ipsis Episcopis in faldistorio celebrantibus, etsi sint Ordinarii; ergo a fortiori Dignitatibus et Canonicis quibuscumque. Quia est ritus proprius Missae pontificalis ad thronum: hinc I. Bauldryus scribit: « Non tamen fieri debet ei *(Ordinario ad faldist. celebranti)* praegustatio aquae et vini, antequam infundatur in calice » *(App. cap. IV, n. 13)*. Cum Bauldryo concordant Catalanus, De Herdt aliique communiter; adeo ut praegustatio in quibuscumque ad faldistorium Pontificalibus Missis prorsus inaudita sit, si Dignitates Lisbonenses excipias. Praeterea eiusmodi praegustatio fieri debet per sacristam, qui, uti ait De Herdt, « superpelliceo indutus et nudo capite apud altare ad Offertorium assistere debet, et tempore Missae ad abacum manere, ut ibi necessaria subministret, cum opus fuerit *(Prax. pont. tom. I, n. 51, lit. A)* ». Porro ministrorum sacrorum numerus, in Pontificalibus ad faldistorium sunt praescripti, ita ut per eorum pluralitatem Missa pontificalis solemnior fieri non debeat. Iam nunc inter ministros ille, qui praegustationem agere debet, non enumeratur; ergo adhiberi non debet. Canonici ergo ac Lisbonenses Dignitates, cum semper in faldistorio, nunquam in Throno, Pontificalia facere possint, neque Episcopis maiores sint, palam sequitur, dictam praegustationem esse ipsis omnino vetitam.

Quoad reliqua, de quibus in Dubio *b)*, audire sit satis numerum 16 Decreti pluries citati *Ex Romanorum Pontificum*, quem iam praelibavimus: « Dignitas vel Canonicus... nequit uti Presbytero assistente, salutare populum cum versu *Pax vobis*, loco versus *Dominus vobiscum*, aut trinam dare benedictionem post Missam, vel cum Sacramento ». Confirmatur ex Decreto alias relato in *Urbinaten.* pro Canonicis emanato, qui Mitrae aliorumque ornamentorum usu fruebantur, *ad instar Abbatum* Mitrae usum habentium. Dubium enim quintum quaerebat: « An liceat eisdem in Missa pontificali populum salutare dicendo: *Pax vobis*, loco dicendi *Dominus vobiscum* ». Et S. R. C. respondit: « Negative et amplius ». Sextum Dubium postulabat: « An post Missas, Vesperas, aut Matutinum in Pontificalibus celebratum, possint ipsi solemnem dare benedictionem dicendo: *Sit nomen Domini benedictum*, etc., vel potius simplicem benedictionem post Missam dicendo: *Benedicat vos omnipotens Deus*, cum unico vel cum trino signo crucis? *Resp.* Negative ad primam partem: affirmative ad secundam cum unico signo; et amplius ». Item in Dubio octavo quaerebatur: « An eaedem Dignitates et Canonici induti Mitra aliisque paramentis *ad instar Abbatum*, etiamsi Missas aut Vesperas in Pontificalibus non celebraverint, dare possint trinam benedictionem? ». Cui pariter Sacrum Tribunal respondit: « Negative; et amplius ». Confirmantur omnia et singula ex pluries citato Decreto *Ex Rom. Pontif.* §. 16. Patet ergo

unica ad singula Dubia responsio negativa; eoque magis, quia non casu, sed studio, in Brevi *Iam inde ab anno* conceduntur quidem privilegia, sed et limitantur per verba « *servatis servandis* ».

c) Quaeritur deinde, an liceat Canonicis et Dignitatibus Lisbonensibus « celebratio Pontificalium extra Ecclesiam patriarchalem, sine assistentia Capituli, et celebratio Pontificalium pro defunctis »?

Resp.

Aliter respondere non possumus, quam negative ad utrumque. Ratio est ipsa lex, quae utrumque explicite inhibet. Decretum enim generale *Ex Roman. Pontif.* pluries citatum relatumque habet: « In Ecclesiis Civitatis et dioecesis cum Insigniis pontificalibus celebrare non liceat, nisi in maioribus solemnitatibus, assentiente Episcopo, et *assistente Capitulo* » *(num. 12)*. Ergo Dignitatibus et Canonicis Lisbonensibus extra Cathedralem Ecclesiam, Pontificalia Missarum agere interdictum est, nisi praesens sit Capitulum, quod assistat. Patet autem sapientissima legis ratio, quia nempe Dignitatibus et Canonicis privilegium datur Pontificalia peragendi quatenus tales sunt, scilicet membra Corporis Capituli, non quatenus individui; ergo privilegio non fruuntur nisi in functionibus capitularibus, quibus assistere Capitulum tenetur: quo proinde non interveniente, functio capitularis non est, et Dignitates atque Canonici Lisbonenses uti privilegio nequeunt. Caeterum dicta confirmat quoque Decretum 1728 ad 2.

Quod spectat alterum, aeque certum est ex eadem lege, ipsos Missam pontificalem pro defunctis celebrare non posse. En verba legis, luce meridiana clariora, quae sequuntur praecitatum numerum 12: « Nunquam vero iisdem (Pontificalibus Insigniis) utantur in Missis *pro defunctis*, licet Episcopus assistat cum pluviali et Mitra, sed *celebrent more solito* » *(num. 13)*.

Confirmatur ex alio Decreto in *Urbinatensi*, in quo expetita S. R. C. utrum Dignitates et Canonici Urbinatensis Metropolitanae *uti possent Mitra et pontificaliter celebrare in Missis defunctorum*, aperte respondit: « Negative, et amplius » *(2418 ad 11)*. Idem pariter aliud Decretum pro Abbatibus praedicat, uti 1131 ad 5.

Ergo Dignitates et Canonici Metropolitanae Ecclesiae Lisbonensis licite nequeunt Missam pontificalem agere extra Ecclesias Civitatis et Dioecesis sine assistentia Capituli, et nusquam eamdem celebrare pontificaliter, si sit defunctorum.

d) Utrum liceat « usus faldae, Patriarchae propriae, pro Dignitatibus Capituli »?

Resp.

Negative respondendum est. Quia, iuxta Gen. Decretum *Ex Romanorum Pontificum (num. 5)*, Canonicis et Dignitatibus quibuscumque « nil aliud concessum intelligendum est, nisi illud quod est speciatim expressum ». Atqui de huiusmodi falda, utpote solius Patriarchae propria, silent Bulla *Quamvis aequo*, Breve *Iam inde ab anno*, et universa quoque S. R. Congr. Decreta, praesertim *Ex Roman. Pontif. ad 23*, ergo. Aliunde satis superque ex eodem Decreto hoc constat, quod « Sub generico ornamentorum pontificalium nomine, quae ex privilegio Apostolica Sedes insignioribus Capitulis quandoque concedit, *intelliguntur dumtaxat*... caligae, sandalia, nec auro nec argento ornata, sericae item chirotecae, dalmatica, tunicella, annulus cum unica gemma, crux pectoralis sine gemma, mitra simplex ex tela alba, cum sericis laciniis rubei coloris *(num. 8)* ». Ergo falda, sit integra, sit etiam cum fimbriis praecisis, omnino vetita censenda est, eiusque usus pro Dignitatibus et Canonicis Metropolitanae Lisbonensis illicitus.

e) Licitus ne erit usus ornamentorum pontificalium et faldae in processionibus, etiam extra Ecclesiam, in benedictionibus Candelarum, Cinerum, Palmarum, et Fontis, in administratione Baptismi, et in aliis functionibus ecclesiasticis?

Resp.

Respondemus: Negative. Ut autem negativi responsi perspiciatur ratio, praenotare iterum iuvat, nil aliud Dignitatibus et Canonicis intelligendum esse concessum, nisi quod specialiter expressum est in indulto: « neque ex indulto uno alterove privilegio trahi potest consequentia ad alia, quae singillatim concessa non fuerint » *(Decr. Gen. Ex Roman. Pontif. n. 5)*. Quo praenotato, inquirimus, quid praefatis Dignitatibus sit concessum. Nullius negotii responsio: dictas Dignitates *uti posse indumentis pontificalibus cum potestate celebrandi Missam ritu pontificali ad faldistorium, servatis* tamen *servandis (Id. Decr. n. 23)*.

Verum processionem Missam non constituunt, neque Missae sunt benedictiones, de quibus in casu, seu Candelarum, seu Cinerum, seu Palmarum, seu Fontis, neque collatio baptismi aliorumve Sacramentorum. Ergo ea omnia Dignitatibus Lisbonensibus, ritum quod attinet pontificalem, non sunt licita.

Praeterea, quid quod eiusmodi functiones pontificaliter agendae ipsis Abbatibus sunt vetitae? Decretum namque *Forolivien. n. 2060* ad quaesitum.... « An Abbates in functionibus, quae fieri solent ab iisdem in ambitu Monasterii, ut puta in coemeteriis die Commemorationis Omnium Defunctorum, in Dominica Palmarum et similibus, possint uti Mitra? » respondit perspicue: *Negative*. Insuper, Missa Officioque exceptis, iisdem Abbatibus quaecumque aliae functiones pontificales sunt vetitae, non solum intra, sed et a fortiori extra eorum Ecclesias: adeo ut ipsis inhibeatur, ne *Mitram, baculum, et quaevis alia pontificalia insignia, nisi de expressa Sedis Apostolicae concessione, adhibeant* (Missarum, Vesperarum, Matutinorum solemniis ter tantum in anno exceptis). Ita Gen. pro Abbatibus Decretum, n. 1131 ad 17. Quod ergo nequeunt Abbates Mitrae usum habentes, poterunt ne Dignitates Lisbonenses, qui *ad instar Abbatum* Mitrae usu fruuntur? Stat ergo ad omnia et singula de quibus in casu, negativa responsio, ut alia Decreta praetereamus, sicut 2624, 1163 ad 17.

f) Quid nunc de Oleorum benedictione, ab Archiepiscopo Auxiliari Vic. Gen. in Missa privata et in sacrario peracta, cum imminuto sacrorum ministrorum numero, et absque Canonicorum assistentia? Licita ne dicenda erit?

Resp.

Negative, et prorsus negative. Tria enim in praefata petitione accurate perpendenda sunt: functio cum reductione ministrorum: missa privata in sacrario: defectus assistentiae Canonicorum. Quoad primum, aut indultum possident Capitulares Lisbonenses, aut non: si primum, quaestio finita est: si alterum, quod in dubio supponitur, eiusmodi reductio est prorsus contra apertissimam legem. Et revera Sacrorum Rituum Tribunal expetitum: « An ex Decretis hactenus.... editis, circa consecrationem Oleorum, intelligendum sit quod non solum ob penuriam 12 presbyterorum, sed etiam ob penuriam 7 Diaconorum et 7 Subdiaconorum requiratur dispensatio? » Respondit absolute: « Affirmative, seu imploranda dispensatio a S. Sede toties quoties occurrat defectus, tum presbyterorum, tum ministrorum in casu consecrationis Oleorum Sanctorum » *(Soanen. et Pitilianen., n. 3359)*.

Et notandum pro rei gravitate, dictam Dispensationem a S. R. C. quandoque fuisse concessam, uti in Decreto 3325, quandoque denegatam, uti in Decreto 244, cum respondere censuerit: « A regulis praescriptis in Libro Pontificali circa confectionem Sacrorum Oleorum non esse recedendum ».

Quod alterum attinet, eiusmodi est inordinatio, ut Pontificalis Rubrica gravem patiatur iniuriam. Codex enim loquitur de Missa, in qua omnibus *paramentis pontificalibus pretiosis* Episcopus esse debet indutus. Loquitur de ministris *paratis* Pontificis; et vult, praeter illos, ut adsint *Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi*, ipsique *Acolythi*, parati *vestibus Ordini suo congruentibus*. Haec autem omnia ordinantur, uti patet, ad pontificalem Missam, ut proinde lecta sit omnino interdicta. Quid enim esset Missa lecta cum tot ministrorum apparatu, tanta cum solemnitate ac maiestate rituum, nisi novum tessellati operis genus, cultus decori graviter repugnans?

Arroges, Missam hanc lectam in sacrario fieri, quod in eamdem pariter legem enormiter offendit. Exigit sane Pontificale, ut Episcopus Ecclesiam petat non sacrarium, Ecclesiam pluries nominat, in qua omnino supponuntur Pontificalia Missarum celebrari. Quid autem iudicandum de privatione utilitatis, ne scandalum dicamus, ex parte fidelium, qui non sacrarium, sed Ecclesiam ingredi cupiunt pro tam solemni functione? Quid dicendum de sacri actus dedecore, quod contra Dei cultum redundat? Quid de confusione, quae facile in sacrario suboritur, cum populi clerique dissipatione et admiratione?

Iam ab anno 1857 a S. Sede facultatem petiit Episcopus Dioecesis *S. Nominis Iesu*, consecrandi ante Missam conventualem, non in sacrario, sed in Ecclesia, Sancta Olea, et communione reficiendi fideles; idque propter defectum ministrorum, et stomachi debilitatem in sacerdotibus. Verum S. R. C. respondit: « Negative in omnibus » *(3044 ad 2)*. Episcopo autem Torcellensi facultas, quam petiit, denegata fuit consecrationem Oleorum peragendi in Cappella Palatii sui Episcopalis, « cum magnum salutis suae afferret praeiudicium, ob aëris intemperiem, huiusmodi agere in Cathedrali ». Et nihilominus pro responso habuit: « Lectum » *(1252)*. Idem probant Decreta 1896 ad 1 et 2, aliaque fortasse, quae brevitatis ergo omisimus inquirere.

Quod vero pertinet ultimum, ne dubitationi quidem subiacet, Canonicos et Dignitates quoscumque omnino teneri assistentiam praestare Episcopo, seu Ordinario, seu alteri destinato ab Ordinario, ad functiones Episcopales pro se agendas. Ratio est, quia secus solemnis Oleorum consecratio fieri convenienter non posset: quod tamen ut fiat actus consecrationis omnino exigit. Hinc Decretum 236 declarat: « In reliquis functionibus *(in quibus necessario, uti Decretum percurrenti palam fiet, Oleorum consecratio includitur)*, quas exercet Episcopus suffraganeus.... delegatus a proprio Archiepiscopo, velut in Ordinationibus... et reconciliatione Ecclesiarum, altarium et coemeteriorum, et in similibus, Dignitates et Canonicos teneri assistere Episcopo Suffraganeo » *(ad 3)*. Magis explicite loquitur Decretum 3984 ad II, quod agit de Canonicis Metropolitanae Ecclesiae Capuanae, qui pontificalium usu gaudebant *ad instar Abbatum*, et Episcopo Suffraganeo recusabant assistentiam. Et quaerit: « Tenentur ne *(Canonici)* assistere eidem *(Episcopo)* conficienti Olea sacra, Sacras Ordinationes, vel alias similes functiones stricte episcopales pro Archiepiscopo proprio exequenti? ». Responsum autem est: « Affirmative ». Concordant etiam alia Decreta, uti 159 et 210 ad 1. Denique ex propriis Constitutionibus synodalibus iubentur Canonici et Dignitates Lisbonenses Oleorum consecrationi assistere: « Iubemus, ut Episcopus, qui vice nostra in hoc Archiepiscopatu officium aget, Olea benedicat ea die *(fer. V in coena Dom.) iuxta formam et caeremonias* in Pontificali et Caeremoniali Romano praescriptas. Huic Benedictioni intervenient Decanus, Capitulum, Beneficiati, etc. Qui aberit, salarii detractioni pro ea die obnoxius erit » *(Lib. I, tit. XIII)*. Ergo ad propositum Dubium satis abunde probata manet negativa responsio.

g) Hic quaeritur, num liceat delatio caligarum et sandaliorum ad Patriarcham, in Missa Pontificali, per Beneficiatum cruciferum, loco Subdiaconi Canonici ministrantis, qui nec assistat dum sandalia familiaris induit Pontificantem.

Resp.

Respondemus legem exhibendo Caeremonialis Episcoporum, ex qua caligas et sandalia afferre proprium est Subdiaconi *subdiaconalibus paramentis* induti, qui dictis caligis et sandaliis induere Episcopum debet *(Lib. II, Cap. VIII, n. 7)*. Cum nihilominus Subdiaconum adiuvare eo in officio debeant scutiferi ipsius Episcopi, S. R. C. declarat, eosdem scutiferos posse caligas et sandalia induere per se Episcopum, *dummodo Subdiaconus assistat:* ita Decretum 4015 ad 2. Ergo certum ex lege est, caligas et sandalia a Subdiacono deferenda esse, eumdemque scutiferis debere saltem assistere, dum illis Episcopum induunt. Hinc patet, Beneficiatum cruciferum dictas vestes non posse ad Episcopum deferre, quia ad eum non pertinet, et unusquisque munere suo, non alieno, fungi debet. Concludamus itaque cum ipsa S. R. Congr.: « Subdiaconus paratus, etsi sit Canonicus, Caligas et Sandalia velo tecta, ambabus manibus usque ad faciem elevatis portare debet ad Episcopum celebraturum, ut in Caeremoniali Episcoporum praescribitur » *(Decr. n. 9, ad 14 et 3228 ad 3)*. Ergo proposito dubio iure merito responderi debet: Negative.

h) Licetne usus annuli cum gemma in Missa, tam solemni quam privata?

Resp.

Reponimus: aut agitur de Missa pontificali, aut non: si primum, dictus annulus Dignitatibus Lisbonensibus licet, siquidem inter ornamenta pontificalia quae iisdem permittuntur, recensetur. Si vero non agitur de Missa pontificali, sed tantum solemni, a fortiori, si de privata, illis praefati annuli usus est omnino prohibitus. Decreta, quae tale ornamentum inhibent, sine fine sunt, uti 483, 536, 2907 ad 5, 2079 ad 8, 3218, 3580, 3821 et alia. Exceptis proinde diebus, quibus pontificalia celebrant, *reliquis diebus*, iubet Decretum *Ex Roman. Pontificum* (ad 11), *celebrent more solito:* hoc est, sicut alii sacerdotes nullo privilegio gaudentes, qui neque in privata, neque in solemni Missa gestare annulum possunt. Eoque magis, quia tam in Bulla *Quamvis aequo*, quam in Brevi *Iam inde ab anno*, atque etiam in Litteris dictum Breve executioni mandantibus, altum semper de annulo servatur silentium.

Hic autem notare oportet, ab hac observanda lege non excusari ratione consuetudinis, quae corruptela vocanda est. Namque Decretum 3821 declarat, standum esse legi annulum prohibenti, *non obstante quacumque contraria consuetudine*. Aliunde Decretum aliud num. 3218 fortiter clamat, annulum deferri non posse « nisi habeatur speciale indultum a Sancta Sede, et Episcopus curet, ut quamprimum hic abusus tollatur ». Hinc patet negativae responsionis ratio.

i) Locus in choro pro Archiepiscopo Vic. Gen. aliisque Episcopis praesentibus assignatus, esse ne potest a parte Epistolae?

Resp.

Respondemus: Negative, *a)* Quia Episcopo cuicumque semper in choro pars dignior competit, quae, generatim loquendo, est cornu Evangelii. *b)* Quia agitur in casu de Vic. Gen. Archiepiscop, cuius dignitas longe excedit dignitatem Canonicorum et Dignitatum: ut pars minus digna satis sit tantae dignitatis graviter laesiva. *c)* Quia talem agendi rationem damnant Caeremoniale Episcoporum et S. R. Congr.nis Decreta. Illud namque praescribit, ut ipsimet Episcopi hospites sedeant *digniori loco*, post Episcopum dioecesanum *super omnes Canonicos (Lib. I, Cap. XIII, n. 9)*. Arroges, Decreta 442 ad 1, 444 ad 1, et 790, esse in favorem Episcopi suffraganei adeo explicita et gravia, ut decernant « praecedentiam competere d cto Episcopo super omnes Canonicos et Dignitates, tam in Ecclesia et choro, quam extra ». Quanto ergo magis dignior locus debetur Vicario Gen. loci, Archiepiscopo, si ipsimet Vicario Gen. etsi non Episcopo dignior locus competeret, paratis tantum Canonicis exceptis? Hinc Decretum 2331 ad 5 iubet: « ut (Vicarius Gen.) sedeat primus inter Dignitates et Canonicos ». Alterum, quod est num. 1886 declarat, « Vicario Gen. deberi primum et digniorem locum a parte dextera, *in casu de quo agitur* ». Haec ultima verba Decretum addit, quia pars dextera dignior erat ratione throni. Quod de Archiepiscopo dictum est, idem praedicandum, ratione dignitatis et suprarelatae legis, de aliis Episcopis, qui aliquando choro assistunt in proprio habitu: locus nempe dignior iis competit supra omnes Canonicos et Dignitates, et eiusmodi est pars Evangelii. Caeterum est prorsus inauditum, ut Canonici aut Dignitates tanta praesumptione laborent, quod se Archiepiscopo digniores reputent. Non solum proinde patet negativa responsio, sed opposita praxis omnino intolerabilis videtur.

k) Hic quaerit Summarium, an liceat laicis, viris et feminis, accessus in presbyterio, imo in chori subselliis, tempore sacrarum functionum?

Resp.

Quaesito adeo exorbitanti clausis quoque oculis, citra omnem controversiam, uti ex se patet, nonnisi negativa responsio dari potest. Et sane presbyterium, nemo nescit locus sacer est, sacrisque functionibus destinatus; ut soli clerici in eo stare possint. Quod et Caeremoniale Episcoporum expresse praescribit, dicens: « Sedes pro nobilibus atque illustribus viris *laicis*, Magistratibus ac Principibus, quantumvis magnis ac primariae nobilitatis, plus minusve, pro cuiusquam dignitate et gradu ornatae, *debent extra chorum et presbyterium collocari*, iuxta sacrorum Canonum praescriptum laudabilisque antiquae disciplinae documenta, iam inde ab exordio christianae religionis introductae, ac longo tempore observatae » *(Lib. I, Cap. 13, n. 13)*. Quem textum commentans cl. De Herdt scribit: « Laicis in choro et presbyterio sedere et locum habere non licet, nec etiam Officialibus saecularibus, nec magistratui, nec nobilibus, etc. » *(Loc. cit. Prax. pontif.)*.

Confirmatur ex Decretis pluribus, uti 157, 275, 1258, ad 2, 1288, 3388 ad II et IV, 3549 etc., quae iisdem fere verbis semper praedicant « non licere, nec permitti debere laicis, dum divina officia in Ecclesia peraguntur, inter praebendatos et ministros in choro stare vel sedere ». Hic autem non solum de viris agitur, sed et de feminis, quarum praesentia semper quidem, sed maxime sacrarum functionum tempore, nonnisi dissipationem mentis in clero, et scandalum in populo afferre valet. Consequenter negativa, quam dedimus, responsio certa est, nullique discussioni obnoxia.

Heic nihilominus fas est, pro veritate, animadvertere, inter viros laicos non esse computandum Regem, et fortasse neque Reginam. Caeremoniale enim Episcoporum dum apertissime statuit, viris laicis quorum dignitatem nominat, semper silere de dignitate regali. Nominat revera viros *nobiles, illustres, Magistratus, Principes, etiam magnos*, sed Reges tacet *(Lib. I, Cap. XIII, n. 13)*. Ergo inter eos non est computandus qui regali dignitate fulget.

Decreta eodem ac Caeremoniale, cui semper inhaerent, modo se exprimunt. Unum tantum reperimus Decretum *(num. 802)*, in quo damnantur gesta Episcopi Aquilani, *qui Praesidi regiae Audientiae locum in presbyterio bis vel ter permisit*. Et E.mi Patres facile concedent, aliud esse Praesidem regiae Audientiae, aliud esse Regem, adeo ut alterum cum altero confundi nequeat; non sequitur ergo denegandum Regi, quod regiae Audientiae Praesidi denegatum est.

Catalanus, inter Caeremonialis Episcoporum Commentatores facile princeps *(loc. sup. cit.)*, certam ponit exceptionem pro Rege faciendam, adeo ut ei sedem habere in Presbyterio liceat, quamvis non aliis, quacumque dignitate fulgeant; citatque ad rem Pignatelli, quem opportune consulere voluimus. Refert hic Consultationem S. Congr.nis Episcoporum et Reg. die 8 Octobris 1581, quam E.mus Cardinalis Lenonensis ad Gregorium Pp. XIII detulit, de quo sequentia scribit: « Cupit enim Sanctitas Sua, ut omnia decenter et cum ordine in Ecclesia fiant, et nihil imprimis existimavit praescribendum Regi catholico in sede sua collocanda in ea Ecclesia *(Metropolitana Mediolanensi)*, idque religioni et pietati Maiestatis Suae catholicae, *sive intra sive extra chorum* Presbyterorum, relinquendum » *(Consult. VII, Tom. I, n. 36)*. Quam tamen sedem in Presbyterio denegat omnino, et locari iubet extra illud, pro Gubernatore.

Idem Pignatellus de quaestione laicorum in presbyterio explicite alio loco pertractans, inquirit: « An Magistratui saeculari competat locus in Presbyterio? » Et dato ac probato negativo responso, ad Reges inde procedens, scribit: « Licet quibusdam viris magnatibus quod sedeant in Presbyterio, id tamen vel ex eo procedit, quod sunt Reges, vel Principes non recognoscentes superiorem, *quibus ius non resistit* » *(Cons. III, Tom. III)*. Datur ergo exceptio pro Rege, ac proinde inter Nobiles non est Rex computandus, cum sit longe superior. Momenta, quibus suam sententiam munit, optima sunt; hinc prosequitur: « cum possent ministrare Episcopo, exercendo officium simplicis Subdiaconi, licet non habent sacrum Ordinem, et ideo non reputantur in hac materia mere laici, nec turbant Ierarchicum Ecclesiae Ordinem ». Citatque ad rem Chassaneum *(Catal. Glor. mund. p. 5, Consid. 24, n. 105)*, et Lotterium *(d. quaest. 13, n. 28 et seq. Lib. I)*. Addit praeterea: « Infra Presbyterium ponitur sedes regia, quia Rex ratione unctionis, de qua *in Cap. I, De Sacr. Unct.*, ponitur inter personas sacras, ut advertunt Castaldus, *De Imper., quaest. 18, n. 6:* Alber., *De Rub. super I*, Glossa, *num. 3, de novo Codic. comp. etc.* Hinc ipse Clemens Pp. VIII in Instructione pro Oratione 40 Horarum edixit: « Si proibisce espressamente agli uomini e alle donne di qualsivoglia stato e condizione (eccettuate le persone regie, quando vi si trovino) l'entrare... ad orare nel Presbiterio, etc. (§. *27*) ». Ex quibus omnibus patet, nullam legem prohibere Regibus locum, consequenter sedem in Presbyterio.

Haec pro Rege: quae, aequa cum proportione, applicari possunt et Reginae, quamvis non eadem cum certitudine. *a)* Quia dignitatis regiae, qua Rex insignitur, etiam Regina est particeps, et si ille sacra unctione consecratur, id et in Regina comprobatur, uti in Pontificali Romano videre est.

b) Quia idem Codex dicit: « Si Regina etiam simul est coronanda, paratur pro ea alius thalamus, *non longe a regio*, sed illo aliquantulum humilior; et ita sunt situandi thalami, ut inde possint videri altare et Pontifex celebrans ». Quae se exprimendi ratio satis significat, sedem Regis et sedem Reginae esse debere cum aliqua inter se relatione, adeo ut si Regis sedes poni possit intra, non debeat poni extra sedes Reginae. *c)* Caeremoniale Episcoporum notat, Reginam thurificandam esse eodem in loco, quo thurificandus est Rex (*Lib. I, Cap. 23, n. 31*). Quae verba idem significare videntur ac supra, videlicet non longe esse debere sedem Reginae a sede Regis, ut si iste in Presbyterio, illa quoque esse debeat eodem propemodum loco. *d)* Exemplum suppeditat Ecclesia Cathedralis Neapolitana, in cuius presbyterio (olim) non solum pro Rege, sed et pro Regina parabatur sedes, et quidem cum baldacchino, quando personae regiae in forma publica ad dictam Cathedralem Ecclesiam accedebant. In aliquibus tamen Ecclesiis, Rex et Regina sedem collocant, ex consuetudine, extra Presbyterium. Hinc consuetudo, quae viget, tam pro Rege quam pro Regina, consultius sequenda est: ut si extra Presbyterium sedem collocari usus ferat, non intra eae sint collocandae: si vero intra, consuetudo servari iure possit. Nihilominus, ubi Regis, ibi sit et Reginae sedes: ut hic quoque comprobari possit et debeat: ubi vir, ibi quoque uxor.

Cum ergo in Patriarchali Ecclesia Lisbonensi, et allata momenta militent, et consuetudo tam Regi faveat, quam Reginae, merito concludimus, consuetudinem retineri posse, ut et idem Rex atque eadem Regina sedem in Presbyterio retineri possint.

l) Licetne celebratio Missae de Aurora, in Natali Domini, hora diei decima sine cantu, vel cantata hora secunda post mediam noctem?

Resp.

Respondendum, licitum esse non posse quod Rubricis Missalis aperte contradicit, ut praxis in casu. Rubrica enim tres Missas canendas praescribit a collegialibus Ecclesiis, maxime Cathedralibus, quarum *secunda*, ait Rubrica, canenda est *in Aurora, tertia vero in die post Tertiam, vel ubi aliter ex dispensatione Apostolica disponatur» (Tit. XV, n. 4)*. Ex qua loquendi ratione et lex patet, eiusque gravitas simul. Hinc cl. De Herdt de his Missis verba faciens notat: « Equidem vi Rubricarum Missalis et Breviarii ea in solemnitate tres Missae conventuales sunt cum cantu celebrandae, non obstante etiam consuetudine immemorabili » *(Prax. pontif., Tom. II, n. 246)*: uti in Decreto *Atrien.*, n. 2778, videri potest. Quo proinde iure Missam de Aurora legant Canonici Lisbonenses hora diei decima non intelligitur.

Sed alia inordinatio habetur, quae tempus respicit: ex qua sequitur, tempus praescriptum negligi, non solum quod secundam, sed etiam quod primam et tertiam Missam attinet. Si enim Missa de Aurora legitur hora diei decima, quando tertia cantabitur, quae Pontificalis esse debet, et ab Episcopo proinde celebranda? Certe Caeremoniale ait: « Tertia Missa, quam omnino cantabit Episcopus, etc ». *(Lib. II, capit. XIV, 11)* ». At praesumi ne iure potest, Capitulum Lisbonense, lecta contra legem secunda Missa hora diei decima, tertiae etiam assistere, quae pontificalis est? Fortasse fallimus; sed ita rem se habere merito credimus: aut secundae nequaquam assistunt, aut nimias tertia Missa inducias patitur. Utut res se habeat, Rubricae pessumdantur.

Si alteram Missam Capitulum Lisbonense concinit, id nonnisi hora secunda post mediam noctem facit. At quo iure? Nonne tres eiusmodi Missae ideo, unaquaeque suo relativo tempore, praescribuntur, ut triplicem Christi Nativitatem, aeternam, spiritualem, et temporaneam designent? « Missa, scribit cl. A. Carpo, quae noctu celebratur, corporalem significat Christi generationem, nocte in lucem editi... Altera, quum spiritualem denotet Christi generationem, qua primo nascitur in nobis per gratiam..., idcirco ad auroram dicitur, seu primo diluculo. Tertia... fidei oculis demonstrat divini Verbi generationem aeternam; ideoque alta iam die ac plena in luce celebratur ad designandum diem aeternitatis, de quo psalmus 109: « In splendoribus Sanctorum.... genui te » *(Calend. perp. Not. ad diem 25 Dec.)*. Spreto praescripti temporis ordine, facile patet, quam notabilis mysticae significationi, quam Ecclesia intendit, irrogetur iniuria.

Denique notandum, prima expleta Missa, nullam aliam ante auroram licere Missam sive privatam sive solemnem, ita disponentibus Decretis, 2086, 2631, ad 1, 2778. Hanc autem alteram inordinationem patrarent Canonici Lisbonenses contra manifestam legem, quae sua profecto gravitate non caret.

Scimus quidem Capitulum Lisbonense se excusare, quoddam allegans Indultum favens Missae post Laudes canendae. Ad notum facimus, Indulto eiusmodi gavisum fuisse Capitulum antiquae Patriarchalis, quod penitus extinctum est in praesenti: Capitulum vero vivens nullo peculiari privilegio gaudet, sed iis tantum quae per Sacros Canones Capitulis tribuuntur, et inter ea nullum extat ad rem faciens. Ergo et ea, de quibus hoc in Dubio agitur, penitus interdicta sunt, et nullo pacto licent.

m) Num liceat Organi sonitus in feriis IV, V et VI maioris hebdomadae?

Resp.

Cum Caeremoniali Episcoporum respondendum est: Negative. Etenim Libro I, Cap. 28, nn. 1 et 2, sacer codex postquam dixit, *in omnibus Dominicis et festis.... in Ecclesia organum et musicorum cantus adhiberi*, prosequitur dicens: « Inter eas non commemorantur Dominicae Adventus et Quadragesimae », per quae verba intelligendae sunt non solum Dominicae, sed etiam feriae dicti temporis; secus codex non potuisset excipere aliquas eiusdem temporis ferias, uti revera excipit. Ait itaque: « exceptis.... feriis infra Adventum et Quadragesimae occurrentibus, quae cum solemnitate ab Ecclesia celebrantur ». Item *(excepta)* feria V in coena Domini ad *Gloria in excelsis Deo*, et Sabbato Sancto ad *Gloria in excelsis*, etc. Atqui feriae IV, V (hymni angelici pro hac ultima feria, vel ad summum initii Missae tempore excepto) et feria VI, comprehenduntur in feriis Quadragesimae; ergo in iis organorum pulsatio illicita est, utpote contra legem. Accedit interpretatio Rubricae authentica per ipsam S. R. Congregationem: quae in Decreto 2959 ad 1 statuit: « Quoad organi sonitum strictim servandam esse Caeremonialis dispositionem *(et quidem)*, non obstante consuetudine ». Quod et altero Decreto 3183 confirmatur, in quo praedicat, ad hoc quod pertinet negotium, Rubricas esse servandas. Idem statuitur per Decretum 3333, et oppositam consuetudinem, tamquam abusum, eliminandam declarat. Equidem in dictis Decretis de Dominicis explicite agitur; sed idem sentiendum esse de feriis patet, seu ex iis, quae superius animadvertimus, seu quia in feriis, ut plurimum Organa pulsari non solent.

Sed praeter generalem rationem temporis, non desunt Decreta ferias spectantia, uti 3804 ad II, in quo inquiritur: « Potestne tolerari, quod in officio feriae IV, V et VI maioris hebdomadae cantus Lamentationum, Responsoriorum, et psalmi *Miserere*, fiat simul cum sono organi aut aliorum instrumentorum? » Responsum est autem: *Negative*. Simi-

liter Decretum 4014 ad I inquirit: « An tolerari possit usus adhibendi cymbalum seu *pianoforte* in Matutinis tenebrarum, et in Missis ferialibus, quae *(utique iuxta Caeremoniale Episc.)* organum excludunt, et dum cantatur Passio? Porro S. R. C. respondit: « Negative in omnibus ». Ergo de responso, quod dedimus, negativo dubitari non potest.

n) Quaeritur, num sit licita Vesperarum in choro recitatio dimidia hora post meridiem, et in solemnitatibus anticipatio Matutini et Laudum ad horas pomeridianas praecedentis diei?

Resp.

Respondemus negative, cum certo constet, longe aliud esse tempus Vesperas in choro recitandi. En verba cl. De Herdt *(Prax. Capitul. Cap. XXII, § 2, n. III)*: « Vesperarum tempus iuxta aliquos est hora secunda post meridiem, uti notat Bouix (*De Capitulis, p. 3, § 5 ad 6)*: iuxta alios ad solis occasum *(Luc. Ferraris, Off. div., art. IV, n. 15)*: et iuxta S. Alphonsum, ut communiter traditur, est illa hora quae media est inter meridiem et occasum, estque diversa pro diversis temporibus... » Neminem nihilominus invenimus auctorem singularem, qui Vesperas in choro recitari posse docuerit hora dimidia post meridiem, quod propemodum idem esset ac tempus pro earumdem vesperarum recitatione privata.

Hinc patet, praedicta hora post meridiem dimidia recitari non posse in choro Vesperas, equidem sine Indulto Apostolico. Atque ideo, cum in Ecclesia Vicentina consuetudo inducta fuisset Vesperas recitandi hora una cum tribus quadrantibus post meridiem, illius Episcopus a S. R. Congr. petiit: « Quid de facta innovatione esset censendum ». Et Sacrum Tribunal aperte damnavit consuetudinem, rescribens: « Innovationem esse improbandam » *(n. 2340)*. Ergo recitatio Vesperarum dimidia post meridiem hora est illicita, sicut illicita quoque fuit earumdem Vesperarum recitatio una post meridiem hora, quod duobus abhinc annis agere consueverat, ullo sine Indulto, Lisbonensis Ecclesia.

Quod vero Matutinum Laudesque pertinet, antiquioris disciplinae rigore reposito, nullus auctorum admittit, impraesenti anticipari illud in choro posse horis pomeridianis praecedentis diei. Sed tempus Matutini cum Laudibus recitandi, pro moribus Ecclesiarum, assignatur ab initio crepusculi Matutini in ortum solis: sicut nomen ipsum Matutini clare indicat; et aurorae mentio, quae in Laudibus incidit, rem magis comprobat. Haec est communis Moralistarum omnium sententia. Caeterum Decreta S. R. Congregationis id satis abunde comprobant, cui quandoque Ecclesiae preces porrigunt, ut praecedenti die recitare Matutinum valeant. Sacrum autem Tribunal, nunc gratiam denegat, uti per Decreta 64, 67, 71, Oratoribus respondens « nihil » haud obstantibus relatis momentis: nunc concedit, sub aliqua tamen limitatione, et ad tempus, uti per Decretum 2834 ad 1. Quod profecto significat, choralem Matutini cum Laudibus recitationem, non vespertinis diei praecedentis, sed matutinis horis diei sui esse peragendam. Cum itaque Capitulum Lisbonense eiusmodi non gaudeat facultate, ipsum rem illicitam agere, Matutinum et Laudes praecedenti die anticipando, abunde patet.

o) Licetne inclinatio, pro genuflexione, in ultimo circulo Missae pontificalis, extante Sacramento super altari?

Resp.

Negative. Ultimus circulus in Missa pontificali fit post *Agnus Dei*, Sacramento scilicet extante super altari. De quo circulo ait Caeremoniale Episcoporum *(Lib. I, Cap. XXI, num. 3)*: « Dum veniunt ad circulum et dum discedunt.... versus altare genuflectent, propter reverentiam SS. Sacramenti ». Caeterum, res est adeo certa, ut ante Sacramentum nullus, in praesenti disciplina, dispensatus fiat, ne Summo quidem Pontifice excepto. Ergo.

p) Num liceat omissio Missae de requie prima die mensis non impedita, psalmorum poenitentialium et gradualium, atque Officii parvi B. M. Virginis?

Resp.

Reponimus: Negative, in casu. Patet, quod Missam attinet, ex certa lege, quam iubet Missale Romanum *(Rubr. Gen., Tit. V, n. 1)*, et sic se habet: « Prima die cuiusque mensis (extra Advent. et Quadragesim. tempus pasch.), non impedita officio duplici vel semiduplici, dicitur Missa principalis generaliter pro defunctis sacerdotibus, benefactoribus et aliis ». Quae « Missa praeceptiva est », notat cl. De Herdt *(Prax. Sacr. Liturg., vol. I, n. 50)*, innititurque S. R. Congregationis Decreto 2928 ad 1, quod inquirit: « An Missa, quae in Ecclesiis Cathedralibus iuxta Gen. Rubricas celebranda est pro defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus et aliis, qualibet die prima mensis, vel feria II non impedita, sit praeceptiva? » Simplex autem responsio est: « Affirmative ». Imo, si prima dicta dies sit impedita, statutum etiam ex lege est, ut in alteram diem primam liberam celebretur *(Decr. 2380, 3856 ad 1)*: quod profecto vim legis aggravat.

Quod vero pertinet officium parvum B. Mariae Virginis et psalmos, seu poenitentiales seu Graduales, eadem danda est negativa responsio. Ratio est, quia Bulla S. Pii V Breviario praemissa « Quod a Nobis » a dictis dispensat sive in choro, sive extra chorum; addit tamen: « Hoc autem concedimus sine praeiudicio sanctae consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus Officium parvum B. Mariae V. in choro dici consueverat: ita ut in praedictis Ecclesiis servetur ipsa laudabilis et sancta consuetudo ».

Nunc observandum, Bullam quidem loqui tantum, explicite, de Officio parvo B. Mariae V., sed Decreta illam intelligere, vel certe extendere ad psalmos quoque poenitentiales et graduales. Etenim Decretum 2365 ad 4 officium et psalmos praefatos vocat, utique vigente consuetudine, *onera ex praecepto implenda in choro*. Alterum vero Decretum (1154) praedicat: « Praedicta *(officium scilicet et psalmos)* non esse omittenda, et contrariam consuetudinem, post Bullam S. Pii V inductam, *esse abusum impraescriptibilem* ». Idem quoque declarant alia Decreta 2657, 3129 et etiam ipsa S. C. Concilii.

Iam nunc certum est, penes Lisbonense Capitulum antiquae Patriarchalis viguisse consuetudinem, quam praesens Capitulum recepit, dicendi omnes preces, de quibus in casu. Constat, primo, ex Constitutione Innocentii XIII *(Rationi congruit)* pro dicto Capitulo emanata, secundo ex iterata dispensatione, quae ab eodem Capitulo, anno 1894 et 1898 postulata est. Ergo ad eas preces tenentur Canonici et Dignitates Lisbonenses, quas si omittant, indubie delinquunt. Stat itaque, nec dubitanda, negativa responsio.

q) Usus formalii licebitne?

Resp.

Negative. Brevis et efficax ratio, id est, Caeremoniale Episcoporum Dignitatibus et Canonicis illud prohibet. En textualia verba: « Ipse simul *(Dignitas prima assistens)* cum aliis Canonicis capiet paramenta, videlicet: amictum super rocchettum, et super eo pluviale.... *sine tamen formalio ad pectus* » *(Lib. I, Cap. VII, n. 1)*. Et iure merito, quia formale est ornamentum pluvialis, quod ad Canonicos, vel Dignitates nullo pacto pertinet. Hinc S. R. C. declarat:

« Pectorale seu Formale esse ornamentum *privative* ab Episcopo adhibendum » *(2425 ad 9)*. Ergo illius usus est illicitus.

r) Quid autem de usu Rocchetti cum Mozzetta, dum assistunt Canonici privatae Missae Ordinarii?

Resp.

Mozzetta uti nequeunt; quia Missae Episcopi assistentes non sunt in choro: Mozzetta autem, uti Cappa, Caputium etc. sunt indumenta choralia, quae locum non habent in assistentia Missae. Hinc, sicut plura Decreta prohibent, ut Cappam vel Mozzettam Canonici retineant dum Sacramenta conficiunt vel administrant, ita pariter Mozzetta prohibita dicenda est illi, qui Missae privatae Episcopi assistit. Decretum proinde in *Goana* n. 3804 ad 1 quaerebat, « an Canonici cum Missae privatae Episcopi assistunt *uti possint insignibus Canonicalibus, an tantum superpelliceo, vel etiam Rocchetto, si eius privilegio fruantur?* » Cui dubio responsum fuit: « Adhibeant solummodo Rocchettum cum superpelliceo ». Cum itaque Mozzetta inter insignia choralia recenseatur, sequitur ea uti non posse Canonicos privatae Missae Episcopi assistentes.

s) Quaeritur, an liceat thurificatio, cum unico ductu ad Beneficiatos sacris paramentis indutos?

Resp.

Notandum pro hac responsione, Caeremoniale Episc. non ita esse perspicuum, ut omne dubium exulet. En eius verba, quae ad rem faciunt: « SS. Sacramentum, Crux altaris et Episcopus... thurificantur triplici ductu; Dignitates et Canonici duplici ductu; inferiores unico ductu » *(L. I, Cap. XXIII, n. 32)*. Hisce fortasse verbis innixi Beneficiati, Canonicis indubie inferiores unico, ut dicitur, ductu thurificantur, at perperam. Distinguendum est enim inter Beneficiatos paratos et non paratos: hi quidem, ut codex dicit, utpote Canonicis inferiores, unico, illi vero thurificari debent duplici ductu, sicut Canonici, ob paramenta, quibus sunt induti. Haec est authentica legis interpretatio, quam S. R. C. exhibet, cui et standum est. Hinc De Herdt *(Prax. Pontif. ad loc. cit.)* relata verba codicis « inferiores unico ductu » sic commentatur: « Tales sunt beneficiati, portionarii, etc., nisi aequales sint Canonicis vel *nisi fuerint pluviali induti*, quibus in casibus *duplici ductu* thurificandi sunt ». Etenim S. R. Congr. iubet, ut « Beneficiati, quotiescumque fuerint sacris vestibus induti, semper debeant ad instar Canonicorum duplici thuribuli ductu thurificari » *(n. 3280)* quod et altero Decreto confirmatur 2049 ad 20. Hinc liquet, ad propositum Dubium nonnisi negative reponi posse.

t) Nunc petitur, utrum liceat Expositio solemnis SS. Sacramenti in Ostensorio ad ostiolum tabernaculi?

Resp.

Reponimus: Negative. Duplex enim, nemine refragante, habetur expositio Sacramenti, privata et solemnis. Ex Decretis autem innumeris constat, privatam seu cum pyxide, non posse fieri, nisi intra tabernaculum, ostiolo aperto: solemnem, seu cum Ostensorio, vel super throno faciendam esse, vel super altaris mensa, quo in casu multi exigunt saltem baldachinum pensile. Quod ultimum constat etiam ex Caeremoniali Episcoporum *(Lib. II, Cap. XXXIII, n. 24)*, ubi agitur de solemni cum Ostensorio expositione. Proinde Sacramentum exhibere fidelibus in expositione solemni eodem modo ac in privata contra legem est, et contra consuetudinem omnium Ecclesiarum. Merito igitur reposuimus ad propositum Dubium: Negative.

u) Et processio in presbyterio post cantum Tertiae licetne occasione, qua Ordinarius Pontificalia peragit?

Resp.

Negative. Nam Caeremoniale Episcoporum loquitur quidem de hac processione, sed tantum quando Episcopus paramentis pontificalibus indutus fuit ad aliud sacellum, quod *secretarium* appellat, e quo Episcopus ipse et alii « processionali ritu procedunt ad altare, in quo Missa est celebranda » *(Lib. II, Cap. VIII, 23)* ». Quando vero in ipso presbyterio paramenta sumuntur, omittenda est eiusmodi processio: « Si autem Episcopus sumpsit paramenta in presbyterio apud sedem vel in faldistorio, *non fit eiusmodi processio*, sed Episcopus procedit ad altare sine cruce, sine candelabris et sine thuriferario, cum solitis ministris paratis, etc. » *(Loc. cit., n. 25)*.

Confirmatur, si opus sit, Decreto 3228 ad 1, quo edicitur: « Si desit secretarium, in quo id *(cantus Tertiae et vestitio)* fieri possit, praedicta Hora cantanda est eodem in loco, in quo cantatur Missa: *omitti tamen debet in hoc casu processio* ». Ergo dicta processio non licet, utpote certae legis infractio.

v) Licetne usus talaris violaceae in caeremoniarum magistris, cum functiones dirigunt ad Capitulum non pertinentes et extra Cathedralem?

Resp.

Negative. Caeremoniale Episc. permittit quidem Caeremoniarum magistris Ecclesiarum Cathedralium vestem talarem violacei coloris *(Lib. I, Cap. V, n. 4)*, sed quatenus sunt tales, seu quatenus functiones dirigere debent, quae pertinent ad Capitulum, cuius Caeremoniarum magistri instituti sunt. Hinc S. R. C. exquisita: « An... Magister Caeremoniarum valeat in dictis functionibus *(ad Capitulum pertinentes)* uti veste violacea, tum praesente quam absente Capitulo *(Eccles. Cathedr.)*? » respondit: « Affirmative, tantum in functionibus episcopalibus » *(Decr. 2310 ad 3)*, quae videlicet seu de iure seu de facto episcopales sint, ac proinde ad Capitulum spectant. Alterum vero Decretum explicite declarat, dicta veste violacea *uti non posse* Caeremoniarum Magistros *extra servitium Episcopi et respectivi Capituli*. Ita Decretum sub num. 2621 ad 12. Alterum denique ex Decretis adhuc ineditis, dicta die 3 Aprilis 1900 declarat, posse adhiberi, in casu, habitum violaceum in functionibus ab alio Episcopo non dioecesano peractis, dummodo tamen *Capitulum Cathedralis intersit*. Quae evidenter demonstrant, in functionibus extra Cathedralem sine assistentia Capituli usum talaris violaceae in Caeremoniarum Magistris non esse licitum.

x) Singularis prorsus est altera quaestio: num scilicet liceat in Canonicis ac Dignitatibus Lisbonensibus recusatio assistendi Archiepiscopo Auxiliari Vic. Generali in functionibus episcopalem Ordinem requirentibus, et pro E.mo Ordinario celebrandis?

Resp.

Singularis prorsus est, uti diximus, de eiusmodi namque assistentia praestanda rationabile dubium suboriri non potest, ut dicta recusatio iam a priori dicenda sit illicita. Et sane *a)* Ratio, ex qua E.mus Ordinarius Lisbonensis habuit Archiepiscopum Auxiliarem, una est, ut illi auxilietur in functionibus, peculiariter quae stricte episcopales sunt, seu episcopalem Ordinem requirentes, quas per se agere non potest, vel non vult ipsemet Ordinarius. Si ergo Ordinario assistere Dignitates et Canonici certo tenentur, quomodo non tenebuntur assistere Auxiliari easdem pro Ordinario functiones agenti? *b)* S. R. C. per Decretum 3984 pluribus dubiis ea de re tractantibus, respondit, inter quae II°, quod sic se habet: « Tenentur ne *(Canonici et Dignitates)* eidem

(Episc. Auxiliari) assistere, conficienti sacra Olea, sacras Ordinationes habenti, vel alias similes functiones stricte episcopales pro Archiepiscopo proprio exequenti? » Quid autem respondere debuit ac potuit S. R. Tribunal, nisi: « Affirmative in omnibus »?. *c)* Quid quod, tandem, ipsae Constitutiones Synodales Lisbonensis Capituli id omnes Canonicis et Dignitatibus imponunt? Aiunt enim: « Iubemus ut Episcopus, qui vice nostra in hoc Archiepiscopatu officium aget, Olea benedicat ea die *(fer. V in coena Dom.)* iuxta formam et caeremonias in Pontificali et Caeremoniali Romano praescriptas. Huic benedictioni inservient Decanus, Capitulum, Beneficiati et Cappellani, etc.» *(Lib. I, Tit. XIII)*.

Haec satis sint, aliis praetermissis Decretis, uti 159, 236 ad 4, etc., in quibus una semper et eadem est sententia, videlicet: « Teneri Canonicos et Dignitates Episcopo Suffraganeo *assistere*, quoties.... functiones Episcopales nomine proprii Archiepiscopi exercet ». Ergo dictae assistentiae recusatio non licet.

y) Denique inquiritur: An generatim Decretum Ex Romanorum Pontificum, *n. 2624, applicari in omnibus suis partibus debeat Canonicis Patriarchalis Lisbonensis, quod attinet usum Pontificalium, usu tantum] faldistorii excepto, ex Breve Pii Papae IX* Iam inde ab anno *(1855), illis permisso?*

Resp.

Respondemus affirmative. Ratio patet, quia nempe obiectum dicti Decreti aliud non est nisi *privilegium Pontificalium Collegiis Canonicorum insignioribus collatum, statis quibusdam conditionibus moderandum (Decr. 2624 sub initio)*. Etenim iam ab anno 1684 in *Panormitana*, atque in *Urbinaten.* 1752, eiusmodi privilegium S. R. C. moderata fuerat; *novis tamen et deterioribus adhuc percrescentibus adversus haec instituta consuetudinibus*, Pius Pp. VII necessarium iudicavit *rem universam eidem Sacrae Congr. discutiendam demandare.* Re discussa, et Constitutione, de qua supra, evulgata, altera quoque evulgata est, ad illam confirmandam et sanciendam, nempe quae incipit « Decet Romanos Pontifices », ex qua iterum notum fit, Pp. Pium VII voluisse per Constitutionem « Ex Romanor. Pontif. » *opportune praefinire quidnam iuris inducant Mitrae ac Pontificalium usus, aliaque id genus Insignia, quibus placuit Apostolicae Sedis Abbates praelatosque nonnullos Episcopo inferiores, et quaedam Canonicorum Collegia honestare.* Ex his proinde Constitutionibus Decretisque citatis sequitur citra omne dubium, Collegia Canonicorum iisdem subiacere regulis normisque inibi praescriptis, pro iis enim emanatae sunt, et eadem Collegia apprime respiciunt.

Neque id sufficit, sed Summus Pontifex Pius VII praecipit omnimode earumdem executionem et observantiam. Ait enim: « Quocirca Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, aliisque locorum Ordinariis per Apostolica scripta *mandamus*, ut praesentes Litteras atque omnia et singula in eis statuta faciant auctoritate executioni mandare » *(Decet Rom. Pontifices)*. Quinimo, adeo firma et gravia sunt quae statuuntur, ut *observari omnino debeant*, « non obstante quibusvis editis vel edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit, Ecclesiarum quarum Capitulis pontificalia Insignia concessa reperiuntur, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis et Litteris Apostolicis, quibusvis personis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis, etiam si de illis specialis, specifica et expressa mentio habenda... foret... *derogamus* ».

Ergo nulla suppetere potest dubitandi ratio, Constitutionem *Ex Romanorum Pontificum* quae ab alia *Decet Romanos Pontifices* confirmationem sanctionemque recipit, applicari non tantum *posse*, ut Dubium propositum affirmat, sed etiam *debere*, sicut omnibus Canonicorum Collegiis, ita Lisbonensium pro quibus facta est. Id tamen intelligendum est *exceptis excipiendis*, et in casu nostro uno excepto, quod peculiariter concessum est, nempe faldistorii usu, Capituli Lisbonensis Dignitatibus indultum posterius per Breve Pii Pp. IX, quod incipit *Iam inde ab anno.* Iure merito hinc reposuimus praesenti petitioni: Affirmative.

III. Tertia sequitur controversia, quae sic proponitur in Summario:

Utrum Statutis Capitularibus standum sit, etiam circa eas partes, quae sunt contra ius commune?

Respondemus negative. *a)* Ex auctoritate Concilii Romani, habiti sub Benedicto Pp. XIII anno 1725, quod iubet: « Nihil in iis *(Statutis et Constit. Capitularibus)* sit, quod a iuris dispositione et Congregationum Decretis, usuque recepto et approbato exorbitet ». Praeterea in eo legitur: « Episcopi in iis examinandis, si quid contra ius vel Tridentini Decreta aut Pontificias Constitutiones irrepsisse cognoverint, super eo Sedem consulant Apostolicam, a qua iuris remedia expectent ». Denique in illo consuetudines omnes reprobantur contra Librorum Liturgicorum praescripta: « Consuetudines autem nonnisi rationabiles et honestas admittant; et si quas a ratione declinasse, vel contra Breviarii aut Missalis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis, vel ritualis Rom. Rubricas inolevisse, ac proinde indebitam legis speciem usurpasse compererint, eas vel corrigant, vel omnino delendas decernant » (Conc. Rom., tit. II, c. 4 et 5).

b) Ex Libro II Decretalium (Tit. XI, Cap. I, in sexto) in quo habetur: « Quod in Statutis Capitularibus contra ius commune reperitur, est nullum et irritum, neque ad illud exequendum Chorales ullo modo adstringi possunt, etsi Statuta iureiurando promiserint ». Ratio patet, quia secus Ecclesiae leges pessumdarentur: aliunde iuramentum non esse vinculum iniquitatis latet neminem.

c) Denique ex iam habito vulgatoque Responso demonstratur, quod S. I. O. dare dignatus est d. 14 Decembris 1901, videlicet: A Canonicis Lisbonensibus ac Dignitatibus « serventur ius commune, Rubricae et Decreta S. R. Congregationis ».

Capitulum Lisbonense obiicit quidem aliquas conditiones in limine fundationis positas; sed obiectionem nullius prorsus esse ponderis, non est hic demonstrandi locus: alibi demonstrabitur.

IV. Ultimo inquiritur:

An confirmari, an revocari debeat Decretum E.mi Patriarchae, datum die 5 Febr. 1898?

Resp.

Aeque responsio, quae dari unice potest, sequens est: Negative ad primam partem: Affirmative ad alteram. Nam ex responsione ab I. S. O. iam data constat, servanda esse ius commune, Rubricas et Decreta Sac. Rit. Congr. Atqui Iuri communi, Rubricis et Decretis Sac. Rit. Congr. opponitur E.mi Patriarchae Decretum; ergo. *Prob. minor.* Ius commune praecipit ut in Statutis Capitularibus *nihil sit, quod a iuris dispositione et Congregationum Decretis exorbitet*, sicut a Rubricis, ut superius visum est; secus Episcopi tenentur eadem Statuta corrigere, et exorbitantias

delere. Iam nunc Statuta Patriarchalis Lisbonensis iuri communi, Rubricis, Decretisque Sacrarum Congregationum in pluribus opponuntur. Quid vero Decretum Patriarchale? « Praecipimus *in sua integritate*, uti litera indicat observantiam Statutorum, quibus regitur Capitulum huiusce Sedis Patriarchalis ».

Rubricae exigunt, ut *tam Canonici, quam alii de choro, Caeremoniariis in his, quae ad cultum divinum spectant, sine contradictione obediant (Caerem, Episc. Lib. I, Cap. V, n. 5)*, quod et Decretis S. R. Congr. confirmatur ulterius *(n. 2578 ad 10 et 3611 ad 7)*. Decretum vero Patriarchale, uti bene consideranti patet, ipsos caeremoniarum magistros Canonico digniori de choro subiicit, quem iubet dubia liturgica resolvere, quae in actu functionum suboriri possunt et suboriuntur.

Volunt et iubent Decreta, ut non Canonici, non locorum Ordinarii liturgicas controversias resolvant, quasi illi primum, isti secundum, hac in re, tribunal constituant; cum Canonici obedire, et Ordinarii teneantur « *opportunis remediis, providere, ut Rubricae et S. R. Congr. Decreta rite serventur; si quid vero dubii occurrat, recurrendum ad eamdem S. Congregationem pro declaratione» (Decr. 2621 ad 1, 179 ad 1 et 2425 ad 14)*. In Decreto nihilominus Patriarchali habetur oppositum, quatenus in eo delegatur Capitulum, uti Eminentissimum Patriarcham repraesentans, ut *in sessione Capitulari enodet casus incertos et difficiles*, inde ad Patriarcham, demum ad S. R. Tribunal deferendos. Ergo Decretum Patriarchale, utpote contra Decreta S. R. Congr., eiusque iurium laesivum, non sustinetur et revocandum.

Post hucusque exposita et probata, gaudemus nobis nil aliud fecisse, quam sapientissimum demonstrare responsum, die 14 Dec. 1901 ab I. S. O. exhibitum, quodque impraesenti ab Eminentiis Vestris confirmatum iri confidimus per aliud responsum definitivum: *In decisis; et amplius.* Omnia sint dicta sub censura Eminentiarum Vestrarum, quibus iudicium nostrum humillime subiicimus.

C. Mancini, P. C.M.

Vicarii parochorum, praesertim in Gallia, possunt transferri, nedum ex culpa, sed etiam pro opportunitate et maiori bono Ecclesiae, iudicio Ordinarii.

Eminentissime et Reverendissime Domine mi Obsme,

Vehementer obstupui de interpretatione quam in quodam opusculo datam inveni litteris, de mandato S.mi D. N., ab infrascripto S. huius Congregationis Concilii Secretario conscriptis patrono sacerdotis Allegret.

Harum litterarum duplex est pars. In prima nunciatur Sanctitatem Suam, attentis omnibus, censuisse non expedire causam sacerdotis Allegret in generalibus comitiis S. C. disceptari. In altera asseritur, attenta factorum serie, et habita ratione de iis quae Eminentia Vestra retulit, bono nomini et honori huius sacerdotis nullum allatum fuisse detrimentum.

Iamvero ex denegato a Sanctitate Sua novo causae examine, confirmata evasit resolutio S. huius Congregationis, quae semel et iterum admittere noluit querelam sacerdotis Allegret contra Ordinarium [ob translationem ab una ad aliam paroeciam, pro munere vicarii exercendo, atque hoc ipso ratam habuit archiepiscopalis curiae Parisiensis dispositionem.

Quae, etsi sac. Allegret adversa, iustam esse et canonicis legibus consonam in dubium revocari non licet, cum vicarii seu coadiutores paroeciales, natura sua, amovibiles sint, et nedum ex culpa et ex causis disciplinaribus, sed etiam pro opportunitate et maiori Ecclesiae bono, iudicio Ordinarii sui, in Gallia praesertim, de uno in alium locum transferri possint, quin querelam de iniuria aut de damnis movere queant.

Quod quidem in casu sac. Allegret eo minus fieri licebat, quia ex ipsa eius confessione constat disciplinarem causam ad remotionem seu translationem non defuisse. Pervicacia enim eius in exigenda cuiusdam confratris sui condemnatione, et reluctantia quiescendi iudicio Ordinarii sui, ordini et ecclesiasticae disciplinae sin minus adversabatur, et aliqua coërcitione digna erat.

Verum quia error in agendo et aliquis excessus in modis, praesertim si ex iustitiae zelo, utique intempestivo, proveniat, non dehonestat hominem, et cum aliunde de moribus et honesta vita sac. Allegret Eminentia Vestra bonum praeberet testimonium, ideo in dictis litteris addita sunt verba quae sac. Allegret laudi et honori utique sunt, sed in curiae archiepiscopalis Parisiensis condemnationem non possunt ullo pacto verti. Etenim ideo sunt addita quia, cum in suis instantiis sac. Allegret praetenderet honorem sibi in translatione laesum, iudicatum est iis verbis et favorabili S. Sedis testimonio praecipuam querelarum causam auferri.

Verum cum dolore nunc video hunc sacerdotem mala pro bonis rependere, suo sensu abreptum cum scandalo conari quae in bonum finem sunt scripta in aliorum perniciem torquere, et ad viam declinare quae in ruinam ducit. Quapropter rogo E. V. ut de his omnibus graviter moneat hunc sacerdotem, et, pro ea qua pollet paterna charitate et patientia, satagat ad saniores sensus eumdem reducere.

Faxit autem Deus ut haec paterna monita audiat sac. Allegret, et caveat ne in his calamitatibus temporum sibi et Ecclesiae causa sit novi mali et doloris.

Et manus Eiusdem E. V. humillime deosculor.

E. V.

Romae, 9 Iunii 1903.

Humillimus, addictissimus servus verus

VINCENTIUS, Card. Ep. *Praenest. Praefectus*

R. *Archiepiscopus Nazianzenus, Secretarius.*

Emo Card. Archiepiscopo Parisien.

E SACRA CONGREGATIONE
EPISCOPORUM ET REGULARIUM

4589/51 I.

PONENTE E.MO AC R.MO

CARDINALI CASSETTA

Die 24 Aprilis 1903.

Imolen. — Iurispatronatus.

Movetur controversia circa interpretationem ultimi elogii testatoris, quoad ius patronatus passivum, nonnullasque alias dispositiones.

Clemens Galanotti, testamento diei 19 Iunii 1674, statuit erectionem Ecclesiae et Confraternitatis S. Onophrii, in civitate *Lugo*, cui bona a Congregatione charitatis nunc usurpata legavit. Inter alia ipse: « (§ 14) Capellanum Ecclesiae ad vitam nominavit presbyterum Caesarem Orsini, et post eius mortem aliquem ex filiis Ioannis Baptistae Malerbi, dummodo illo tempore sit sacerdos; secus vero voluit ut confratribus legitime adunatis in perpetuum competat ius eligendi capellanum. Hic (§ 16) curam Ecclesiae geret, ipsam claudendo et aperiendo ac omnia ad eum spectantia agendo; necnon (§ 11) semper et in perpetuum pro suo commodo et usu cubiculum Ecclesiae erigendae adnexum habebit. Iussit praeterea (§ 15) ut a Confraternitate perpetuo eligatur actor, qui tam ruri quam in civitate ministret, curam pauperum gerat, Ecclesiam verrat ac mundet, atque prope Ecclesiam cum familia assidue habitet. »

Pacifica semper processit nominatio capellani, illa quoque actualis canonici Iosephi Malerbi, qui tamen paulo post suam electionem die 11 septembris 1881 motu proprio deputavit clericum-custodem aut sacrestanum, cui defuncto alium atque alium substituit. Confratres autem, qui de duobus prioribus custodibus conquesti fuerant, ultima vice vividius restiterunt, atque ipsi quoque clericum nominarunt, hoc sibi ius exclusive vindicando. Porro haec quaestio duas alias graviores excitavit; una quidem circa ius nominandi capellanum ipsum versatur, altera vero circa ius capellani ad habendum pro suo usu et commoditate cubiculum Ecclesiae adnexum.

Curia Imolen. rem dirimere frustra aggressa est; tandem hodiernus episcopus R.mus Baldassarri, desiderio motus amice componendi potiusquam iuridice dirimendi controversiam, die 30 Ianuarii 1902 decretum dedit, quo « Confraternitati ius nominandi capellanum, praeferendo tamen familiam Malerbi quoties ipsa sacerdotem haberet; capellano autem ius eligendi custodem nec non ius ad cubiculum Ecclesiae adnexum » competere iudicavit. Ab hoc decreto sodalitas ad hanc S. Congregationem Episcoporum et Regularium recursum interposuit; proinde hodie sub hisce rogandi formulis quaestio proponitur resolvenda:

I. *An decretum episcopi Imolen. diei 30 Ianuarii 1902 sit confirmandum vel infirmandum in casu;* et quatenus affirmative ad secundam partem, et negative ad primam.

II. *An pertineat Confraternitati S. Onophrii, independenter ab omni iure activo vel passivo familiae Malerbi, ius nominandi proprium capellanum in casu.*

III. *An praedictae Confraternitati exclusive spectet ius nominandi clericum-custodem.*

IV. *An Confraternitas disponere possit de reliquis cubiculis pro habitatione custodis eiusque familiae; aut assignare ea debeat capellano.*

In primis audiatur compendium animadversionum ex parte cappellani.

Defensio canonici Malerbi in duplicem partem dispesc potest; in quarum prima ille iura sua tuetur, praescindendo ab episcopali decreto; in altera vero decretum ipsum confirmandum esse deducit.

Et 1° *quoad quaestionis meritum*, dictus capellanus *primo loco* ostendere nititur: *sacerdotibus familiae Malerbi competere ius activum et passivum quoad capellaniam S. Onophrii.* Sane, ait ipse, dispositio testamentaria (§ 14) tribus hypothesibus conditionata est; prima ad sacerdotem Orsini se refert, cui salva voluntaria renuntiatione ad vitam capellania pertinet; secunda respicit Io. B. Malerbi dummodo ipse, capellania per D. Orsini renuntiationem aut mortem vacante, filium ad eam aptum habeat; ultima demum Confraternitatem S. Onophrii respicit, eo tantum in casu quo, vacante ex parte Orsini capellania, Io. B. Malerbi filium idoneum non habeat. Prima hypothesis est taxativa et privilegium transitorium concedit; reliquae duae ius stabile perpetuumque implendae conditionis conferunt. Hanc conditionem primus implevit Io. B. Malerbi qui, defuncto D. Orsini a. 1721, ad capellaniam filium suum Innocentium presbyterum praesentavit, quique proinde memoratum ius suis descendentibus transmisit. Quod eidem de facto recognitum est, sive quia capellani S. Onophrii, excepto quodam D. Tassinari, usque in praesens semper ex familia Malerbi fuerunt, sive quia curia dioecesana, iuxta fundationis tabulas actualem capellanum agnoscens ex gente Malerbi legitimum descendentem et ad normam iuris seu testatoris mentem electum, a. 1881 eidem concessit investituram.

Praeterea, pergit can. Malerbi, testator in ordine ad capellani successionem omnia in perpetuum disposuit « *totum in perpetuum* »; hinc domo Malerbi ius nominationis passivum perpetuo competere debet. Eo vel magis quod officium D. Orsini per eius mortem explicite limitatur, dum e contra quoad Malerbi nulla invenitur limitatio, nisi in unico casu quod nempe defuncto Orsini, non adsit sacerdos Malerbi. Huiusmodi perpetuitatem iuris hodiernus capellanus arguit etiam ex eo, quod fundator beneficii de filiis Io. B. Malerbi in numero plurali loquatur; hoc enim iuxta ipsum importat unum debere alteri in perpetuum succedere, quum in una eademque capellania haberi non possit nisi unus capellanus, nec de caetero unquam acciderit plures simul esse capellanos beneficii praedicti.

Insuper can. Malerbi ostendit ad familiam eiusdem nominis iuspatronatus passivum capellaniae ex duplici facto, negativo nempe et positivo, pertinere. Factum negativum habetur in eo quod constitutiones et capitula confraternitatis, dum relate ad ipsius acta, officia et officiales plures tradunt normas, nihil omnino de capellani electione et functionibus statuunt; quod certe facere debuissent si, deficientibus Orsini et Innocentio Malerbi, ad eam ius activum nominandi capellanum transiisset. Factum vero positivum est, quod a morte Orsini a. 1721 capellanus S. Onophrii semper aliquis presbyter de domo Malerbi fuit, et quidem absque alia formalitate quam Ordinarii confirmatione: quae

secularis praxis confirmata est per decretum episcopi Tesorieri a. 1881 absolute concedens ius nominandi capellanum familiae Malerbi. Unde si non ex lata lege seu testamento, saltem vi praescriptionis, in citata familia habetur ad capellaniam ius inconcussum.

Quin imo ait actualis capellanus, iuxta vulgatum adagium « quamvis sit evidens mens testatoris, tamen non est negligenda interpretatio eius », testatoris voluntas ex peculiari eiusdem benevolentia erga domum Malerbi interpretanda est. Ita facile explicatur, quomodo fundator de iure electionis passivo disponat, atque de activo licet maioris ponderis et magis necessario, uno dempto casu, nihil edicat; nam « exclusio unius est inclusio alterius », ac proinde Galanotti excludens ius sodalitatis, hoc ipso ius Malerbi inclusit. Sane ius electionis passivum in Malerbi descendentibus, quum sit perpetuum et transmissibile, confunditur cum iure activo; ideoque si gens Malerbi aliquem habeat sacerdotem aptum, ius eligendi applicatur uti activum et passivum, e contra deficiente presbytero applicatur tantummodo uti activum, extraneum nominando capellanum.

Tandem can. Malerbi refert attestationem 50 personarum asserentium, quod populus Luci S. Onophrium nuncupat Ecclesiam denominatione Malerbi.

Secundo loco canonicus Malerbi probare satagit, *capellano exclusive competere ius nominandi custodem seu sacristam S. Onophrii.* Etenim ex testamento liquet custodem Ecclesiae esse ipsum capellanum, qui « curam Ecclesiae gerere debet, eam claudendo et aperiendo et omnia ipsi spectantia agendo ». Hoc idem confirmatur a capitulis pii sodalitii ab episcopo Zani a. 1680 confirmatis, et statuentibus: « teneri capellanum aperire et claudere Ecclesiam eamque custodire iuxta testatoris voluntatem ». Ad officium autem custodis pertinet ea, quae necessaria sunt, peragere per se vel etiam per alium sibi benevisum ac proinde a se eligendum non autem ab alio.

Revera tabulae fundationis ius conferunt sodalibus eligendi actorem, qui « inserviat tam ruri quam in civitate Luci, curam habeat pauperum, mundet Ecclesiam necessariaque omnia peragat »; at sub actoris nomine non venit custos et eo minus sacrestanus. Imo ipse testator duo officia distinguit, custodis nempe et actoris; quorum primum utpote nobilius, capellano, alterum humilius, operario a consodalibus eligendo assignat. Sed hodie quum ex una parte duo haec officia in unica tantum persona ob temporum calamitates coniungantur, et ex altera secundarium sequi debeat naturam principalis, consequitur ad eum spectare ius eligendi actorem, ad quem ius eligendi custodem pertinet.

De caetero Confraternitati interest relinquere capellano electionem custodis, ut se liberet ab omni onere a Congregatione charitatis sibi attributo. Et Congregatio charitatis capellanum reddendo immunem ab eligendo custode, immeritum sibi ius arrogat, quia beneficii fundator « cuicumque etiam superiori quovis sub praetextu suam voluntatem ex toto vel in parte mutare » prohibuit omnino.

Regium autem decretum, quod confratres a. 1866 obtinuisse iactitant, sibi tribuens facultatem eligendi clericum-custodem, non modo ridiculum est, quia utpote declarativum et non imperativum nequit iura ei tribuere qui nec habuit nec habere debet; sed etiam iuris laesivum eo quod materiam religiosam Ecclesiae spectantem ingrediatur.

Etiam hic iuri accedit factum; nam ab a. 1880 usque ad praesens tempus non pium sodalitium sed capellanus duos custodes defunctos substituit.

Nec satis, iuxta can. Malerbi, non modo capellanus sed ipsa etiam familia Malerbi iure gaudet interveniendi in electione clerici, quia hic potiusquam Confraternitatis est eiusdem domus famulus, quum illa sit proprietaria et compatrona, atque praecipua supellectilia exclusive possideat. Sane iam ab a. 1684 ipsa in Ecclesia S. Onophrii legitime possidet unam ex tribus capellis B. Mariae Virgini Lauretanae dicatam, quam a. 1691 in beneficium canonice erexit cum privilegio perpetuo sepulturae gentilitiae et funerum tamquam in propria paroecia, eamque a. 1868 a regio fisco vindicavit; imo vi huiusmodi iurispatronatus in posterum Ecclesia divino cultui claudi nequit. Accedit quod gens Malerbi ius habet in domo Ecclesiae adnexa ad locum pro custodiendis sacris supellectilibus suae capellae; quae necessaria sunt non solum ad propria legata perpetua, officia, solemnia et functiones adimplendas, sed etiam ad totius Ecclesiae cultum decentem.

3° Tandem can. Malerbi sustinet *capellanum habere ius ad liberum cubiculum in domo Loci pii pro suo usu et commoditate;* uti ex testamenti verbis (§ 11) manifeste apparet. Sed praecise quaestio movetur, an capellanus hodie ius ad hoc cubiculum habeat, cum diu custos ipso usus sit; et can. Malerbi respondit ius capellani admodum extare, sive quia ipse est proprie et vere custos, sive quia hoc ius capellano est a testatore concessum in perpetuum; quod si anteactis temporibus illo usus est clericus, habetur abusus, qui nec legem facere nec destruere iura valet. Immo hoc ius semper manet, etiamsi capellanus prius aliud cubiculum habitasset, quia hoc non amplius hodie ad Ecclesiam pertinet; quod confirmatur a capitulis sodalitatis ab episcopo Zani sancitis et ab usu vicennali eiusdem cubiculi a capellano peracto. De caetero nihil refert Confraternitatem aliter non posse providere habitationi custodis, quia aequum non est ut dominus famulo locum cedere debeat, eo vel magis quod res manere possunt sicut in anteactis 20 annis.

Tandem hodiernus capellanus primam orationis suae partem concludit, observando capitula a Confraternitate in medium allata non fuisse ab auctoritate ecclesiastica approbata; atque decreta civilia ab eadem invocata respicere tantum relationes inter Confraternitatem et Congregationem charitatis, non autem inter illam et capellanum: in rebus dubiis episcopus interpretare potest ultimam testatoris voluntatem, quum ex hoc nulla mutatio introducatur.

Gradum faciens Can. Malerbi ad alteram orationis partem *relate ad decretum episcopale confirmandum vel infirmandum, declarat se plene huic decreto adhaerere, cuius proinde ab hac S. C. confirmationem petit.* Episcopus enim Baldassarri imprimis statuit: « Confraternitas in perpetuum nominabit Ecclesiae capellanum, praeferendo tamen aliquem sacerdotem ex familia Malerbi tempore vacationis aptum ». Episcopus, uti liquet, sodalitati concedit ius eligendi capellanum, sed pari modo tribuit praelationem familiae Malerbi. Haec praelatio fundatur praesertim in benevola fundatoris voluntate dictae familiae favendi, in constanti praxi praelationis ipsius, in indecentia duorum capellanorum in eadem Ecclesia, in necessitate tuendi Ecclesiam a civili suppressione per familiam Malerbi, et demum in grati animi significatione confratrum erga memoratam gentem, quae oratorium ditavi

suppellectilibus et apparatibus sacris, illiusque propriis expensis restaurationem curavit.

Praeterea, prosequitur Malerbi, in eodem episcopali decreto, iure, conceditur capellano facultatem eligendi custodem, eo quod ex fundationis tabulis constat capellanum esse custodem natum ecclesiae, « cuius curam gerere tenetur eamque aperiendo et claudendo et omnia ipsi spectantia agendo »: quod confirmatur a primitivis sodalitatis capitulis, quae sola sancita fuere ab ecclesiastica auctoritate quaeque statuunt: « teneri capellanum iuxta testatoris mentem aperire ac claudere Ecclesiam eamque custodire », nec non a solemni investitura custodis actuali capellano a confratribus tributa per formale actum diei 17 Octobris 1881.

Tandem, concludit idem canonicus, merito dioecesanum episcopum concessisse capellano ius habitandi cubiculum ecclesiae adnexum, quia hoc non modo deducitur ex testamento sed etiam ex primaevis et adhuc vigentibus capitulis sodalitatis, ab auctoritate ecclesiastica approbatis, nec non ex facto quod actualis capellanus 20 abhinc annis eodem gaudet cubiculo.

Ex adverso, Confraternitas iura sua in tuto ponere sategit.

Illius Advocatus, imprimis notat primum dubium a partibus concordatum de confirmando vel infirmando decreto episcopi imolen. stricte loquendo heic admitti non posse. Nam principium iuris est: causas in secunda instantia agitandas eiusdem speciei ac in prima esse debere. In casu autem non habetur vera et proprie dicta appellatio, quum agatur de decreto extraiudicialiter emisso; uti ex actis et ex ipsius episcopi attestatione constat. Nunquam enim instauratum fuit verum ac proprie dictum iudicium seu « legitima controversia quae est inter actorem et reum apud iudicem disceptatio et definitio » *(Sancti, de iudic., lib. II, tit. I)*. Nunquam apparuit quinam ex duobus contendentibus fuit actor, quinam reus; nulla partium citatio facta fuit, auditi non fuerunt testes nec allata documenta; brevi, omnes veri processus normae omissae fuerunt. Ipse episcopus fatetur decretum condidisse animo iuvandi utrisque contendentibus et quaestionem dirimendi pro bono pacis, non autem secundum iuris iustitiaeque regulas nec animo partem laesam immittendi in propriis iuris exercitium; quae intentio episcopalis clarius elucet ex quadam eiusdem epistola una simul cum decreto ad confratres missa. Decretum ergo episcopi est extraiudiciale; in extraiudicialibus vero appellationis actus « nonnisi improprie appellatio vocatur, cum sit non causae prosecutio apud iudicem superiorem, sed vera causae instauratio seu prima in litem provocatio » *(Lega, de iudiciis eccl., lib. I, vol. I, pag. 599)*. Proinde consequitur hanc causam non esse appellationem a sententia primi gradus sed ipsam causam primae instantiae; hinc iudicandum esse de ipso quaestionis merito, abstractione facta a memorato episcopi decreto. Quamobrem frustra opponitur res iudicata, sive quia decretum extraiudiciale nunquam in rem iudicatam transiit, sive quia confratres tempore utili recursum habuere, qui ab episcopo et ab ipsa S. Congregatio admissus fuit.

Quibus praemissis, sodalitatis patronus ad meritum controversiae pergens, primo competere contendit *confraternitati S. Onophrii, independenter a quocumque iure activo vel passivo familiae Malerbi ius nominandi proprium capellanum.* Sane quoad ius electionis activum, testator vel ipsemet nominat personam, videlicet duos priores capellanos, vel vult ut electio fiat a confratribus legitime coadunatis; de familia vero Malerbi quoad hoc ne verbum quidem facit, et tamen notum est adagium: « testator ubi voluit dixit, ubi noluit tacuit ». Quinimo hodiernus capellanus, suos praedecessores imitatus, supplex libellum confratribus obtulit, ut eligeretur.

Capellanus Malerbi iuspatronatus activum propriae familiae etiam ex eo coniicit, quod ipsa pluribus annis, pro ecclesiae cultu et instauratione, magnas sustinuit expensas; sed huic contradicit orator, quum sola congregatio charitatis, ad tramitem legis, omnes instaurationis cultusque expensas sustinuit. Quod si aliquando familia Malerbi aliquid sui impendit, abunde compensata est per stipendium ex bonis ecclesiae exactum pro suo custode contra sodalitatis voluntatem.

Patrocinator etiam iuspatronatus passivum familiae Malerbi negat. Nam, ut ipse observat, ipsemet testator duos priores capellanos nominavit, inconditionate nempe Orsini et hypothetice unum ex filiis Io. B. Malerbi si tempore vacationis capellaniae aliquis adsit sacerdos; secus vero statuit ut electio capellani in perpetuum fieret a sodalibus legitime adunatis, cum facultate eum mutandi aliumque pro eorum arbitrio assumendi.

Nullimode admitti potest interpretatio testamenti a can. Malerbi facta, quia dispositio testamentaria est tam evidens ut quaevis interpretatio contraria sensui litterali superflua evadat, imo et nociva menti testatoris. Ratio ab eodem canonico adducta, quia videlicet gens Malerbi ample beneficata fuit a Galanotti haereditate, nihil ad rem facit, nisi ad ostendendum quod, quando fundator illam beneficare voluit, clare loquutus est; quando vero noluit, nihil dixit.

Insuper testator ad capellaniam non omnes Malerbi filios sed unum tantum ex eis in casu vacationis aptum vocat. At etiam dato quod ipse plures Io. B. Malerbi filios vocasset ad capellaniam, vocati absque dubio non praesumuntur descendentes, quia iuxta communem doctorum sententiam sub nomine filiorum non veniunt nepotes multoque minus pronepotes: « filiorum enim nomine comprehendi in fideicommissis et iurepatronatus omnes descendentes, sive a feminis sive a masculis prodeuntes, tritissimum est » *(Rota coram Veri, dec. 137, n. 29)*. « Generatim et proprie loquendo nomine filiorum non comprehenduntur nepotes ». *(Menocchio, cons. 215, § 6)*. Et De-Luca affirmare non dubitat: « sub nomine filiorum non veniunt nepotes multoque minus pronepotes » *(De Fideicom. disc. 236, § 4)*. Et praecise in hoc consistit capitalis distinctio etiam in iure romano admissa inter verba *filii* et *familiae;* filii enim vocati a vocatione nepotes atque descendentes excludebant; familia e contra omnes complectebatur; « decernimus familiae nomen talem habere vigorem, parentes, liberos omnesque propinquos per hanc appellationem significari » *(Cod. V, de verborum significatione)*.

Item frustra Malerbi ad praescriptionem appellat, sive quia ipsemet, absque ulla iuris praesumptione, a confraternitate petiit ut in capellanum eligeretur; sive quia ab a. 1860, tres tantum electi sunt capellani ex Malerbi domo, quamvis aliquando vacante capellania adessent eiusdem nominis sacerdotes; sive demum quia etiam dato et non concesso quod omnes sacerdotes Malerbi fuerint capellani S. Onophrii, ex eo tamen erui nequit eorum familiam hoc ius vi

praescriptionis acquisivisse, deest, enim animus dominantis, quum ipsi capellaniam possedissent tamquam a sodalitate deputati libereque electi.

Utique verum est, prosequitur advocatus, familiam Malerbi iurepatronatus gaudere capellae B. Mariae Virgini Lauretanae dicatae in ecclesia S. Onophrii, proindeque congregationem charitatis prohiberi ab ipsius ecclesiae suppressione; sed ex hoc minime exurgit eamdem familiam iure pollere nominandi confraternitatis capellanum.

Quo vero ad subscriptionem 50 personarum asserentium populum Luci S. Onophrium vocare ecclesiam iurispatronatus familiae Malerbi, orator adnotat quod populus distinctiones iuridicas curare non valet, et quod ratio huius popularis opinionis desumenda est sive ex eo quod gens Malerbi capellam in ecclesia possideat, sive ex eo quod ipsa iam a pluribus annis abusive retineat claves habitationis custodis necnon ecclesiae, absolutum imperium exercendo. Caeterum non pauci subscriptores, tunc temporis ne suspicantes quidem de praesenti controversia, hodie se paratos esse fatentur declarare quod cives magis edocti retinent capellanum dependere a confraternitate, ad quam pertinet proprietas ecclesiae. Ergo, quum ius confraternitatis sit diversum a iure Malerbi, nihil impedit quominus duo habeantur capellani, unus sodalitatis et alter Malerbi; imo hoc etiam inconveniens tolli potest per conventionem, vi cuius capellanus ecclesiae, sicut anteactis temporibus, onera quoque capellae Malerbi adimplere valeat.

Secundo advocatus probare adlaborat *ad confraternitatem exclusive pertinere ius nominandi custodem;* nam in testamento statuitur: « a confraternitate in perpetuum fieri electionem actoris, qui serviat tam ruri quam in civitate, curam gerat pauperum, curet ecclesiae nitorem eamque verrat, atque omnia necessaria peragat... ». Qui proinde sub dependentia consodalitii, praeterquam officia simplicis actoris, alia quoque clerici-custodis adimplere debuerit. Hodie vero officium actoris proprium propter usurpationem pii Operis a congregatione charitatis factam cessavit, sed alterum clerici officium intactum permansit; ideoque confratres qui, independenter a capellano ipsaque familia Malerbi, iure gaudebant eligendi actorem-custodem, officio illius ob maiorem vim cessante, adhuc retinent potestatem eligendi clericum, qui curet nitorem ecclesiae et alia necessaria peragat.

De cetero, observat orator, ecclesiae custos a confratribus est eligendus hac quoque de causa, quia nempe iuxta testatoris mentem confratres sunt custodes nati ecclesiae, ac proinde ius habent eligendi personam sibi benevisam, quae eorum vices gerat in materiali templi custodia. Quamobrem ipse Galonotti onus custodi imposuit continuae residentiae, quae ex lege canonica iurisdictionem ecclesiasticam minime importat, in domo ecclesiae adnexa; dum e contra capellano tantum assignavit liberum cubiculum, quem pro suo lubito habitare posset. Hinc capellanus Malerbi dici nequit custos natus ecclesiae, eo quod obligationem habitationis perpetuae penes ipsam minime habeat; sicuti verificatur in parochis, qui soli sunt suarum ecclesiarum custodes propter obligationem continuae residentiae. Igitur can. Malerbi est simplex confraternitatis capellanus, ad quem proinde solummodo pertinet quasdam religiosas functiones peragere.

Relate vero ad capitulata, quae dictus canonicus in medium profert tamquam ab episcopo Zani a. 1680 approbata, vel sunt conformia testamento et tunc valorem habent, quia ab ipso vim obligandi accipiunt; vel sunt difformia et tunc nihil valent, quia nemo praeter Pontificem dispositionibus testamentariis derogare valide potest. Caeterum extat capitulatum, quod sodalitas praesenti capellano in suo electionis actu imposuit, quodque ipse recognoscere recusat; sed in eo ne verbum quidem fit de custodia ecclesiae capellano concessa, quinimo absoluta eiusdem a confratribus dependentia praescribitur.

Insuper ex eo quod Malerbi gens possideat capellam in ecclesia erui nequit quod ius habeat clericum eligendi etiam contra ipsam sodalium voluntatem; ad eam proinde spectat cura capellae non autem totius ecclesiae; quemadmodum familia Malerbi, exceptione facta ab actuali capellano, semper retinuit, uti ex pluribus documentis et praesertim ex supplici libello a quodam Chrysostomo Malerbi a. 1771 ad confraternitatem porrecto liquet.

Unde patrocinator concludit observando quod omnes custodum electiones usque in hodiernum diem a confratribus semper factae fuerunt, atque ab auctoritate ecclesiastica et civili sancitae fuerunt.

Tertio demum advocatus contendit *cubiculum, quod adhuc superest, assignandum esse custodi eiusque familiae, non autem capellano.* Etenim, postquam congregatio charitatis totam domum ecclesiae adnexam usurpaverit, sodalitati non supersunt nisi duo cubicula, quae concedenda videntur custodi, qui ex fundationis tabulis continuo residere tenetur cum familia penes ecclesiam ratione proprii officii, dum ex adverso capellanus ius habet tantum habitandi cubiculum pro suo usu et commoditate, quando ipsi videbitur. In conflictu autem duorum iurium, minus maiori cedat necesse est; necnon prius necessitati quam commoditati consulendum est. Eo vel magis quod habitatio nunc custodi assignata, quum duobus tantum cubiculis constet, minus digna est pro capellano; ex alia parte confraternitas ex se parata est penes congregationem charitatis aliam habitationem ipsi magis congruentem expostulare. Caeterum inde ab a. 1800 solus custos non autem capellanus illud cubiculum habitat, cui capellanus Tassinari per debitam compensationem a sodalitate acceptam renunciavit. Nihilominus suo arbitrio actualis capellanus potitus est cubiculi locique adnexi, atque clavium ecclesiae; inde indignatio confratrum, qui sese abstinuerunt ab explendis religiosis muneribus.

Episcopus Imolen., potius desiderio motus pacifice litem componendi, quam iuridice eam dirimendi, hac de re die 30 Ianuarii 1902 decretum emisit; hodie vero sui iudicii rationes huic S. Tribunali exponit. Ipse imprimis recognovit « confraternitati ius activum perpetuum nominandi capellanum, concedendo tamen familiae Malerbi praelationem electionis, potius in convenientia quam in iure fundatam, si in casu vacationis ex eadem aliquis adsit sacerdos ». Etenim, scribit episcopus, ex testamento apparet benevola testatoris dispositio familiae Malerbi favendi, sive quia eidem domum quamdam reliquerit, sive quia ipse testator sacro chrismati Io. B. Malerbi tenuit, sive quia successorem primi capellani nominavit aliquem presbyterum ex eiusdem filiis, sive demum quia uxor testatoris iam defuncti capellam atque gentilitium sepulchrum eidem familiae concessit. Quod confirmatur a constanti praxi, qua confraternitas semper praelationem dedit familiae Malerbi in electione capellani. His accedit, pergit episcopus, necessitas confrater-

nitatis sibi amicam habendi familiam Malerbi, quae quum habeat iuspatronatus perpetuum capellae necnon ius ad sepulturam gentilitiam aliasque functiones, sola impedire potest ne ecclesia ipsa a civili potestate supprimatur, instante praesertim congregatione charitatis quae expensas cultus solvere tenetur. Hac de causa episcopus Moretti a. 1870 ab ecclesia S. Onophrii translationem Missarum Malerbi concedere nequivit. Quinimo dictam praelationem suadet ipsa grati animi significatio confraternitatis erga Malerbi gentem, quae ecclesiam ditavit multis et splendidioribus supellectilibus sacris, eamque providet de necessariis pro quotidiano cultu, necnon magnam partem habuit in ipsius ecclesiae instauratione. Demum si capellanus familiae Malerbi non esset etiam ecclesiae capellanus, haberentur in eadem ecclesia duo simul capellani, quod inconveniens est.

Insuper episcopus Imolen. concedit « capellano ius nominandi custodem seu sacristam ecclesiae, qui eius vices gerat, quamvis convenientia postulet ut hic sit quoque a confraternitate acceptus ». Nam ex testamento liquet capellanum pro tempore esse custodem natum ecclesiae, quum ipse debeat eiusdem curam gerere in ea aperienda et claudenda et omnia ad eum spectantia peragendo. Uti talis recognitus fuit a praedecessoribus episcopis in pluribus capitulatis, praesertim vero in illis ab episcopo Zani a. 1680 approbatis; uti talem ipsa confraternitas per actum authenticum diei 17 octobris 1881 declaravit actualem capellanum. Deinde episcopus ad maiorem rei intelligentiam advertit testatorem duas nominasse personas, nempe actorem qui serviat ruri mundetque ecclesiam, et capellanum qui curam gerat ecclesiae, eam claudendo et aperiendo et omnia ad eum pertinentia peragendo. Horum primus ratione officii est villicus et verrens ecclesiam, cuius electio ad confratres spectat; secundus est capellanus, qui arbitrio suo alium deputare potest vices suas gerentem, cuius proinde mominatio ad eum pertinere debet.

Tandem episcopus decrevit « capellanum ius habere ad habitationem ecclesiae adnexam, pro suo usu et commoditate », quia haec est expressa testatoris voluntas.

Quibus hinc inde deductis, proposita prudenti E.morum Patrum iudicio sequentia fuere

DUBIA.

I. *An decretum episcopi Imolen. die 30 Ianuarii 1902 sit confirmandum vel infirmandum in casu;* et quatenus affirmative ad secundam partem, et negative ad primam:

II. *An pertineat confraternitati S. Onophrii, independenter ab omni iure activo vel passivo familiae Malerbi, ius nominandi proprium capellanum in casu.*

III. *An praedictae confraternitati exclusive spectet ius nominandi clericum-custodem.*

IV. *An confraternitas disponere possit de reliquis cubiculis pro habitatione custodis eiusque familiae; aut assignare ea debeat capellano.*

E.mi Patres, rebus aequa lance perpensis respondere censuerunt:

Ad I. *Affirmative ad primam partem, seu confirmandum esse decretum iuxta modum; modus est ut in sequentibus.*

Ad II. *Affirmative; aequum tamen esse ut in casu vacationis, si adsit sacerdos ex familia Malerbi, confratres, caeteris paribus, eum praeferant.*

Ad III. *Placere de concordia et ad mentem; mens est: quod nominatio clerici-custodis fiat communi consensu a confraternitate et a capellano, et in casu dissensus provideat episcopus.*

Ad IV. *Episcopus iura utriusque partis ex bono et aequo componat.*

II.

Declaratio circa ingressum in clausuram pro sepultura monialium.

E.me Domine,

Mos est immemorabilis apud omnes huius Dioecesis Conventus monialium claustralium in cuiusque illarum cadavere sepeliendo, plures convocare Sacerdotes, qui clausuram ingrediuntur officia sepulturae praestituri, vel eidem comitaturi, ita ut octo, vel decem, et quandoque duodecim connumerentur, praeter operarios laicos qui materiale sepeliendi opus perficiunt. Communitatum harum aliquarum constitutiones nihil de hac re praescribunt; aliarum vero Constitutiones plurimos ad idem consignant Sacerdotes fratres eiusdem respectivi Ordinis Religiosi, scilicet sex, vel octo, vel decem, vel duodecim aut, in horum defectu, quatuor Sacerdotes saeculares cum operariis laicis, quibus omnibus levis solet offerri convictus intra claustra post perfectum opus. Usque modo hanc toleravi praxim cum proposito istam adeundi Sacram Congregationem pro instructionibus, et maxime quia aliqui ex praedecessoribus meis eidem mori expresse consensisse videntur, prout ab ipsis Communitatibus asseritur, quin tamen, ob assuetam monialium laudabilem obedientiam et submissionem, timenda videatur gravis earum resistentia adversus reformationem si expediat. Cum vero praefata praxis minus quidem conformata appareat disciplinae regulari, ut de hac re me consultius exhibeam, aut tutius Sacrae istius Congregationis auctoritate suffultus procedam, Emorum Patrum sapientiae et consilio sequentia reverenter summitto resolvenda:

1.um An praedictus mos et praxis prout iacent, in omnibus sustineri possint.

2.um An saltem praescriptum de ipsa re in Constitutionibus super quatuor Sacerdotibus saecularibus, cum Ordinis fratres omnino desint, sit observantia dignum, quod proinde sustineri et custodiri liceat; ac deinde caeteras Communitates quibus nihil in Constitutionibus praescribitur, eidem providentiae accommodari expediat.

3.um Dato quod nec ista probentur, et habita prudenti consideratione ad perennem praxim, qui Sacerdotum numerus cum operariis laicis intra claustra admitti debet ut sacra officia sepulturae eiusque materialis labor peragantur?

4.um Denique, an sit laudandus vel saltem permittendus levis convictus gratitudinis et obsequii gratia personis praedictis oblatus statim ac opus finiatur, priusquam claustra deserant; vel saltem tolerandus in communi collocutionis loco ubi saeculares conveniunt pro monialium salutatione.

Interea fausta omnia Eminentiae Vestrae obventura adprecatur a Domino humilis ac devotissimus Vestri servus (signatus) Aloysius Philippus, Episcop. Zamoren.

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro

concessarum, Sacra Congregatio E.rum ac R.rum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita expositis dubiis respondendum censuit prout sequitur: ad I.um, II.um et III.um attenta consuetudine, usum de quo in precibus tollerari posse, ita tamen ut monialium confessarii, sociis assumptis e sacerdotibus regularibus vel saecularibus in numero et qualitate a Constitutionibus singulorum monasteriorum vel consuetudine ubi in ipsis Constitutionibus non cavetur determinatis, cum operariis ad opus necessariis et ab Episcopo approbandis, clausuram ingredi valeant, ad officium sepulturae pro moniali demortua exsolvendum; — ad IV.um negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Romae 24 Aprilis 1903.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. † S.

Ph. Giustini, *Secret.*

III.

Dubia circa electionem, dimissionem et mutationem triennalem Confessarii pro sanctimonialibus a Visitatione.

Beatissime Pater,

Ordinarius Tirasonen. exponit, quod extat in sua dioecesi monasterium a Visitatione in quo lex de triennali confesarii ordinarii mutatione haud servatur. Haec enim consuetudo, quae adversatur iuri communi, innititur tum Constitutioni XIX Instituti, quae refertur ad Confessarios, tum responsioni a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium super re data die 19 Augusti 1825. Quum enim Superiorissa Monasterii Almae Urbis rogasset S.mum, ut Institutum sine impedimento uti praefata Constitutione posset, Sacer Consessus respondit: Nihil esse innovandum.

Itaque, etc.

Sacra Congregatio Negociis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, super expositis respondit:

Communicentur Dubia et Resolutiones Congregationis Generalis diei vigesimae Martii 1891. Dubia haec fuere:

1. Se e come alle religiose della Visitazione competa il diritto di eleggere il confessore ordinario?

2. Se alle religiose della Visitazione competa il diritto di licenziare o dimettere il confessore ordinario?

3. Se le religiose della Visitazione possano conservare il loro confessore ordinario a tempo indeterminato, con esenzione cioè, dalla legge della durata triennale in officio?

1. Ius eligendi confessarium ordinarium ex approbatis ab Episcopo ad Sacramentales confessiones sanctimonialium suscipiendas in casu sustineri iuxta modum.

Modus est quod forma electionis praescripta in Constitutione XIX integre servetur, et quod confessarius sic electus indigeat confirmari ab Episcopo, qui si adsit legitima causa, potest etiam eum non confirmare.

2. Providebitur in tertio.

3. Locum habere etiam pro monialibus Visitationis legem triennii pro duratione confessarii ordinarii in officio et ad mentem. Mens est: quod si adsint graves causae amovendi (durante triennio) confessarium ordinarium, servata forma eiusdem Constitutionis XIX, eas manifestent moniales Episcopo, eiusque stent iudicio, salvo semper recursu ad S. Sedem si opus fuerit.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae memoratae Congregationis, die 30 Septembris 1903.

L. ✠. S. F. Card. CASSETTA.

IV.

Dubia circa secundam emissionem votorum solemnium a Monialibus.

Beatissime Pater,

S. Congregationis EE. et RR. decreto *Perpensis temporum adiunctis*, dato 3 maii 1902 (1), praescriptum est, ut in sanctimonialium monasteriis, in quibus emittuntur vota solemnia, his praemittantur a novitiis simplicia quoque vota; porro eiusdem S. Congregationis responso dato in una *Bononiensi* die 28 Iulii 1902 (2) resolvitur: Ritum seu caeremoniale, in unoquoque Monasterio receptum, adhibendum esse in emittenda prima professione, pro qua consuetae formulae suppressis, si adsint, verbis solemnitatem (votorum) exprimentibus, adiiciatur novitiam nuncupare vota simplicia, iuxta Decretum a S. Congr. EE. et RR. die 3 Maii 1902 editum: professionem autem secundam emitti posse privatim in choro seu oratorio interiore coram communitate in manus Superiorissae, praevia approbatione Ordinarii seu Praelati Regularis quoad Monasteria exempta. Sancitis igitur: in prima simplicium votorum professione ritum receptum, suppressis solum verbis solemnitatem votorum exprimentibus esse adhibendum, atque secundam solemnium votorum professionem posse emitti privatim, haec dubitatio mihi movetur:

1. Sitne Ordinarii vel, quoad Monasteria exempta, Praelati Regularis, audito Superiorissae voto, decernere ut secunda quoque professio publice fiat coram Ordinario vel Ordinarii commissario?

2. Quod caeremoniale sit adhibendum in secunda professione, si privatim coram Superiorissa fit, quodque adhibendum, si publice fit coram Ordinario eiusve commissario?

3. Utrum et quo modo in casu posteriori manendum in actionibus symbolicis: benedictione ac traditione veli, anuli, coronae, quae hucusque in ritu solemnis professionis adhibebantur, et ad mentem decreti *Perpensis temporum adiunctis*, posthac iam in prima votorum simplicium professione in usu erunt.

Quas dubitationes resolvendas humillime proponens ad pedes Sanctitatis Vestrae emorior.

hum.llus dev.mus servus filius

LEO Card. DE SKRBENSKY, *Archiep. Pragen.*

Sacra Congregatio E.morum ac R.morum S. R. E. Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, propositis dubiis respondendum censuit, prout respondet:

Ad I. Affirmative, dummodo Superiorissa et Communitas postulent, ut professio, de qua agitur, publice fiat.

Ad. II. In utroque casu secundae professionis requiritur tantummodo, ut Professa proferat formulam professionis adhibitis verbis solemnitatem votorum exprimentibus.

Ad III. Provisum in 2°.

Romae, 15 ianuarii 1903.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. X, p. 204.

(2) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. X, p. 377.

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

URBIS ET ORBIS.

De missa votiva Immac. Conc. B. M. V. quae celebrari poterit die 8 cuiusque mensis a die 8 Dec. 1903 per integrum annum, servatis servandis.

Adventante anno quinquagesimo ab auspicatissima die 8 Decembris anni 1854, qua in maximo templo Vaticano de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis dogmatica definitio a s. m. Pio Papa IX solemniter pronunciata fuit, ut huiusce iubilaei cursus in gloriam divini nominis, in eiusdem Deiparae Virginis honorem atque in fidei et pietatis incrementum verteret, Leo Papa XIII nuper vita functus et felicis recordationis, Commissionem ex quibusdam E.mis Patribus Cardinalibus compositam instituit (1), quae Fidelium cuiusque ordinis et coetus studia et opera ad hunc specialem finem dirigendo et provehendo prospiceret.

Nunc vero haec Sacrorum Purpuratorum Commissio sub novis faustisque auspiciis Sanctae Matris Ecclesiae caelesti Sponso et Capiti perenniter iunctae et post brevem viduitatis luctum altero visibili sponso et capite iucunde decoratae, communia complurium Pastorum et fidelium vota humilesque preces Apostolicae Sedi reverenter porrexit. Quas a subscripto Sacrae Rituum Congregationis Secretario relatas, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X pro eo quo erga Deiparam Virginem studio et amore flagrat, benignissime excipiens indulsit ut, decurrente anno a proximo die festo Immaculatae Conceptionis B. M. V. computando, die octava cuiusque mensis, vel iustis de causis, Dominica eam immediate sequente, in Ecclesiis aut Oratoriis ubi, approbante loci Ordinario, quaedam exercitia pietatis fiant in honorem B. Mariae Virginis Immaculatae praeparatoria quinquagenariis solemniis enunciatae dogmaticae definitionis, unica Missa votiva, sive cum cantu sive lecta, de ipsius Sanctissimae Virginis Immaculata Conceptione celebrari valeat cum eisdem privilegiis quae competunt Missae votivae solemni pro re gravi et publica Ecclesiae causa iuxta Decretum n. 3922 *De Missis votivis* 30 Iunii 1896 § II, quaeque concessa fuerunt Missae votivae de S. Corde Iesu pro prima feria sexta uniuscuiusque mensis ad normam Decreti n. 3712 *Urbis et Orbis* 28 Iunii 1889 et subsequentium declarationum: ita ut huiusmodi Missa dicatur cum *Gloria* et *Credo* et unica Oratione, et dummodo non occurrat festum duplex primae classis aut Dominica item primae classis, aliquod festum eiusdem B. Mariae Virginis, Feria, Vigilia aut Octava ex privilegiatis: in quibus solummodo commemoratio fieri poterit per Orationem Missae votivae post Orationem Missae de die, sub unica conclusione.

Insuper eadem Sanctitas Sua supplici postulationi plene cumulateque satisfaciens hoc etiam liberaliter concessit, ut in praefatis Ecclesiis aut Oratoriis, praeter memoratam Missam votivam qualibet die octava mensis vel Dominica proxime sequenti indultam, caeteris Missis tunc addi possit commemoratio Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis ad instar Festi duplicis simplificati: servatis tamen in omnibus Rubricis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 14 Augusti 1903.

MARIUS Card. MOCENNI.

† D. PANICI, *Archiep. Laodicen.*
S. R. C. Secretarius.

(1) Cfr. fasc. praec., p. 237.

II.

CATALAUNEN.

Preces post Missam a Leone XIII f. r. praescriptae, adhuc dicendae sunt.

R.mus D.nus Michaël Andreas Latty, Episcopus Catalaunensis, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humiliter expetivit; nimirum: « An preces post Missam a Summo Pontifice Leone XIII praescriptae adhuc, Ipso defuncto, dicendae sint? »

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit: *Affirmative.*

Atque ita rescripsit die 11 Septembris 1903.

L. ✠ S.

MARIUS Card. MOCENNI.

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

N. B. Quoad preces praescriptas post Missam notanda sunt S. R. C. decreta; nempe: n. 3637 *Aretina*, 18 Iunii 1885, ad VII et VIII; n. 3682 *Basileen.* 28 Novembris 1887; n. 3805 *Portus Ludovici*, 23 Iunii 1893; n. 3855 *Macaonen.*, 10 Maii 1895, ad VII; et n. 3936 *Agrigentina*, 11 Decembris 1896, ad I.

III.

ITALIAE ET INSULARUM ADIACENTIUM.

Festum S. Catharinae Fliscae Ianuensis sub ritu duplici min. celebretur in tota Italia et insulis adiacentibus, et adhibeatur officium ac Missa propria in usum Archid. Ianuensis.

Divini amoris in iugi dominicae Passionis contemplatione mirabiliter succensa, singulare charitatis erga Deum et proximos exemplum semet exhibuit Catharina Ianuensis, e nobili Fliscorum gente exorta, quae, iuxta Apostolicae Sedis oraculum, divinae maiestatis sublimitatem tanta ex parte perspicere digna facta fuit, quantam humanae menti vix ferre datum est. Hanc porro inclytam mulierem, omnigenae virtutis operibus scriptisque insignem, sancti viri aeque ac docti summis laudibus extulerunt; eamque, animas igne Purgatorii detentas admirabili charitatis exemplo prosequutam, illarumque cruciatus enarrantem, et in suo corpore, prout in carne licet, diu referentem, catholici dogmatis veluti vindicem contra novatores haereticos celebrarunt.

Quae omnia secum reputans R.mus D. Salvator Magnasco, Archiepiscopus Ianuensis, caeterorum quoque Liguriae Antistitum vota depromens, sanctissimum Dominum nostrum Leonem Papam XIII enixis precibus rogavit, ut huius sanctae Viduae festum, iampridem a Clemente Papa XI aliquibus locis indultum, sub ritu duplici minori, et cum Officio ac

Missa propriis, in usum Archidioeceseos Ianuen., ad universam Ecclesiam extendere dignaretur. Sanctitas porro Sua, has preces, ab infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario relatas peramanter excipiens, sanctae Catharinae Fliscae Adurnae festum, diei XXII Martii affixum, sub expetito ritu, et cum supradictis Officio ac Missa, ad cunctas Italiae atque Insularum adiacentium dioeceses tantummodo extendere dignata est; servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 16 Septembris 1886.

L. ✠ S.

D. Card. BARTOLINI, *Praef.*
† LAURENTIUS SALVATI, *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

Indulgentiae quas Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X impertitur Christifidelibus, qui retinentes aliquam ex coronis, rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, numismatibus, ab eadem Sanctitate sua Benedictis, praescripta pia opera adimpleverint.

MONITA.

Ut quis valeat Indulgentias lucrari, quas Summus Pontifex Pius X impertitur omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui retinent aliquam ex coronis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, ac numismatibus ab eadem Sanctitate Sua benedictis requiritur:

1° Ut Christifideles in propria deferant persona aliquod ex enunciatis obiectis.

2° Quod si id minime fiat, requiritur ut illud in proprio cubiculo, vel alio decenti loco suae habitationis retineant, et coram eo devote praescriptas preces recitent.

3° Excluduntur ab apostolicae benedictionis concessione imagines typis exaratae, depictae, itemque cruces, crucifixi, parvae statuae et numismata ex stanno, plumbo, aliave ex materia fragili seu consumptibili confecta.

4° Imagines repraesentare debent Sanctos, qui vel iam consueta forma canonizati, vel in martyrologiis rite probatis descripti fuerint.

Hisce praehabitis, Indulgentiae, quae ex Summi Pontificis concessione ab eo acquiri possunt, qui aliquod ex supradictis obiectis retinet, et pia opera quae ad eas assequendas impleri debent, recensentur.

Quisquis saltem in hebdomada semel recitaverit coronam Dominicam vel aliquam ex coronis B. V. Mariae aut rosarium eiusve tertiam partem aut divinum officium, vel officium parvum eiusdem B. Virginis aut fidelium defunctorum, aut septem psalmos poenitentiales aut graduales, vel consueverit catechesim christianam tradere, aut carceribus detentos, vel aegrotos in nosocomiis misericorditer invisere, vel pauperibus opitulari, aut missae interesse, eamve peragere, si fuerit Sacerdos: quisquis haec fecerit vere contritus et peccata sua confessus ad S. Synaxim accedet quolibet ex infrascriptis diebus, nempe Nativitatis Dominicae, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, itemque diebus festis SS.mae Trinitatis, Corporis Domini, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. V. Mariae, Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae, S. Iosephi Sponsi eiusdem B. Mariae Virginis, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi, Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Mathiae, et Omnium Sanctorum; eodemque die devote Deum exoraverit pro haeresum et schismatum extirpatione, catholicae fidei incremento, pace et concordia inter principes christianos, aliisque S. Ecclesiae necessitatibus; quolibet dictorum dierum Plenariam Indulgentiam lucrabitur.

Quisquis vero, corde saltem contritus, haec omnia peregerit in aliis festis Domini, et B. V. Mariae, quolibet dictorum dierum Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum acquiret: quavis Dominica vel alio anni festo Indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum lucrabitur: sin autem eadem alio quocumque anni die expleverit, centum dierum Indulgentiam acquiret.

Praeterea quisquis consueverit semel saltem in hebdomada recitare aliquam ex coronis aut rosarium, vel officium parvum B. Mariae Virginis, vel fidelium defunctorum, aut vesperas, aut nocturnum saltem cum laudibus, aut septem psalmos poenitentiales cum litaniis adiectisque precibus, quoties id peregerit centum dierum Indulgentiam consequetur.

Quisquis in mortis articulo constitutus, animam suam devote Deo commendaverit, atque iuxta instructionem fel. rec. Benedicti XIV in Constitut. quae incipit *Pia Mater* sub die 5 Aprilis 1747, paratus sit obsequenti animo a Deo mortem opperiri, vere poenitens, confessus et S. Communione refectus, et si id nequiverit, saltem contritus invocaverit corde, si labiis impeditus fuerit, SS.mum Nomen Iesu, Plenariam Indulgentiam assequetur.

Quisquis praemiserit qualemcumque orationem praeparationi Missae, vel Sanctae Communionis, aut recitationi divini officii, vel officii parvi B. V. Mariae, toties quinquaginta dierum Indulgentiam acquiret.

Quisquis in carcere detentos, aut aegrotantes in nosocomiis inviserit, iisque opitulatus fuerit, vel in Ecclesia christianam catechesim tradiderit, aut domi illam suos filios, propinquos et famulos docuerit, toties biscentum dierum Indulgentiam lucrabitur.

Quisquis ad aeris campani signum, mane vel meridie aut vespere solitas preces, nempe *Angelus Domini*, aut eas ignorans recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria*, vel pariter sub primam noctis horam, edito pro defunctorum suffragio campanae signo, dixerit psalmum *De profundis*, aut illum nesciens recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria*, centum dierum Indulgentiam acquiret.

Eamdem pariter consequetur Indulgentiam, qui Feria sexta devote cogitaverit de passione ac morte Domini Nostri Iesu Christi, terque Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitaverit.

Is qui suam examinaverit conscientiam, et quem sincere poenituerit peccatorum suorum cum proposito illa emendandi, devoteque ter recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria* in honorem SS.mae Trinitatis, aut in memoriam Quinque Vulnerum D. N. Iesu Christi quinquies pronunciaverit *Pater noster* et *Ave Maria*, centum dierum Indulgentiam acquiret.

Quisquis devote pro fidelibus oraverit, qui sunt in tran-

situ vitae, vel saltem pro iis dixerit *Pater noster* et *Ave Maria*, quinquaginta dierum Indulgentiam consequetur.

Omnes Indulgentiae superius expositae a singulis Christifidelibus vel pro seipsis lucrifieri possunt, vel in animarum Purgatorii levamen applicari.

Expresse declarari voluit Summus Pontifex supradictarum indulgentiarum concessione, nullatenus derogari indulgentiis a Praedecessoribus Suis iam concessis pro quibusdam operibus piis superius recensitis: quas quidem indulgentias voluit omnes in suo robore plene manere.

Iubet deinde idem Summus Pontifex Indulgentias Christifidelibus concessas, qui retinent aliquod ex praedictis obiectis, iuxta decretum sa: me: Alexandri VII editum die 6 Februarii 1657, non transire personam illorum pro quibus benedicta fuerint, vel illorum quibus ab iis prima vice fuerint distributa: et si fuerit amissum vel deperditum unum alterumve ex iisdem obiectis, nequire ei subrogari aliud ad libitum, minime obstantibus quibusvis privilegiis et concessionibus in contrarium: nec posse pariter commodari vel precario aliis tradi ad hoc ut indulgentiam communicent, secus eamdem indulgentiam amittent: itemque recensita obiecta benedicta, vix dum pontificiam benedictionem receperint, nequire venundari, iuxta decretum S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis tuendis praepositae editum die 5 Iunii 1721.

Praeterea idem Summus Pontifex confirmat decretum sa: me: Benedicti XIV editum die 19 Augusti 1752, quo expresse declaratur, vi benedictionis crucifixis, numismatibus etc. uti supra impertitae, non intelligi Privilegio gaudere altaria ubi huiusmodi obiecta collocata fuerint, neque pariter Missas quas Sacerdos eadem secum deferens celebraverit.

Insuper vetat, ne qui morientibus adsistunt benedictionem cum Indulgentia Plenaria in articulo mortis iisdem impertiantur cum huiusmodi Crucifixis, absque peculiari facultate in scriptis obtenta, cum satis in id provisum fuerit ab eodem Pontifice Benedicto XIV in praecitata Constitut. *Pia Mater*.

Tandem Sanctitas Sua vult et praecipit praesentem elenchum indulgentiarum pro maiori fidelium commodo edi typis posse non solum latina lingua vel italica, sed alio quocumque idiomate, ita tamen ut pro quolibet elencho, qui ubicumque, et quovis idiomate edatur, adsit approbatio S. Congregationis Indulgentiarum.

Non obstantibus quolibet decreto, constitutione, aut dispositione in contrarium etiamsi speciali mentione dignis.

Datum Romae ex Secretaria S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 28 Augusti 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

Pro R. P. D. FRANC. SOGARO, Archiep. Amiden., *Secret.*
IOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Subst.*

II.

Summarium Indulgentiarum, Privilegiorum, Indultorum, Sodalibus Tertii Ordinis Saecularis B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, concessorum.

I.

INDULGENTIAE PLENARIAE:

A) Tertiariis ex utroque sexu vere poenitentibus, confessis ac S. Communione refectis:

1° Die ingressus in tertium Ordinem;
2° Die quo primitus profitentur;
3° Semel in anno, die quo professionem renovaverint;
4° Quo die una simul ad concionem menstruam seu *conferentiam* conveniunt;
5° Quoties potioris vitae studio per octo dies continuos statis animi meditationibus operam daturi vacaverint;
6° Semel in mense ad libitum.

B) Iisdem Tertiariis, si uti supra dispositi ad mentem Summi Pontificis oraverint:

I. Bis in anno, Benedictionem nomine eiusdem Summi Pontificis accepturis;

II. Sequentibus festis diebus, quibus Absolutionem Generalem acceperint:

1° Nativitatis D. N. Iesu Christi;
2° Paschatis Resurrectionis;
3° Pentecostes;
4° SS.mi Corporis Christi;
5° Purificationis, } B. Mariae Virg.;
6° Assumptionis, }
7° S. Ioseph, Sp. eiusdem B. V.;
8° S. Theresiae Virg.;
9° Omnium Sanctorum Ordinis.

C) Eisdem Tertiariis, qui uti supra dispositi, Ecclesiam Ordinis, vel ubi Sedes Sodalitii invenitur constituta, vel eorum defectu respectivam Ecclesiam parochialem devote visitaverint diebus festis sequentibus:

1° SS. Trinitatis,
2° Circumcisionis, } D. N. Iesu Christi;
3° Ascensionis, }
4° SS.mi Cordis Iesu;
5° Purificationis,
6° Assumptionis,
7° Annuntiationis,
8° Visitationis, } B. Mariae Virginis;
9° Nativitatis,
10° Praesentationis,
11° Imm. Conceptionis,
12° S. Andreae Corsini Ep. Conf. (4 Februarii);
13° S. Petri Thomae Ep. Mart. (15 Febr.);
14° S. Avertani Conf. (25 Febr.);
15° S. Cyrilli Conf. (6 Martii);
16° Feria V in Coena Domini;
17° d. S. Ioseph Sponsi B. M. V. (19 Martii);
18° B. Baptistae Mant. Conf. (23 Martii);
19° S. Bertholdi Conf. (29 Martii);
20° S. Alberti Ep. Conf., Ordinis Legisl. (8 Aprilis);
21° Patrocinii S. Ioseph (Dom. III. post Pascha);
22° S. Angeli Mart. (5 Maii);
23° S. Simonis Stock Conf. (16 Maii);
24° S. Mariae Magd. de Pazzis Virg. (25 Maii);

25° B. Mariae V. de Monte Carmelo, *toties quoties* (16 Iulii);

26° S. Eliae Prophetae, Ordinis Patroni (20 Iulii);

27° S. Annae Matris B. M. V. (26 Iulii);

28° S. Alberti Conf. (7 Augusti);

29° S. Ioachim Patris B. M. V. Conf. (Dom. intra Octavam Assumpt.);

30° Transverberationis Cordis S. Theresiae Virg. (27 Augusti);

31° S. Brocardi Conf. (2 Septembris);

32° S. Theresiae Virg. (15 Octobris);

33° Omnium Sanctorum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo (14 Novemb.);

34° Die commemor. omnium defunctorum Ordinis, pro defunctis tantum (15 vel 16 Nov.);

35° S. Ioannis a Cruce Conf. (24 Nov.);

36° BB. Dionysii et Redempti Protomartyr. Ord. (29 Novembris).

D) In mortis articulo, si, uti supra dispositi, vel saltem contriti, SS.mum Iesu Nomen ore, si potuerint, sin minus corde invocaverint.

II.

INDULGENTIAE STATIONUM URBIS.

Diebus Stationum in Missali Romano descriptis iidem Tertiarii, si Ecclesiam Ordinis aut eam, in qua sedes Sodalitii est constituta, earumque defectu propriam paroeciam, visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, easdem Indulgentias consequuntur, quas praefatis diebus lucrarentur, si personaliter visitarent Ecclesias Urbis vel extra eam, caeteris tamen adimpletis conditionibus.

III.

INDULGENTIAE PARTIALES:

A) Quinque annorum totidemque quadragenarum, si Sanctissimum Sacramentum, dum ad infirmos defertur, comitati fuerint; vel interfuerint antiphonae *Salve Regina,* quae diebus Sabbati et in vigiliis festorum B. M. V. in Ecclesiis Ordinis a Fratribus solemniter cani solet.

B) Trium annorum totidemque quadragenarum in qualibet ex festivitatibus B. M. V., quae celebrantur ab universa Ecclesia, si devote visitaverint Ecclesiam Ordinis, vel Sodalitii, vel utraque deficiente, suam parochialem Ecclesiam.

C) Tercentorum dierum quoties aliquod pium opus pietatis vel charitatis corde saltem contrito ac devote exercuerint.

Omnes et singulae hucusque recensitae Indulgentiae, excepta tamen plenaria in articulo mortis lucranda, sunt etiam applicabiles animabus in Purgatorio detentis.

IV.

PRIVILEGIA.

1° Sacerdotes Tertiarii ad quodlibet Altare missam celebrantes, gaudent indulto Altaris privilegiati personalis tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo simile indultum pro alia die non obtinuerint.

2° Missae omnes, quae in suffragium celebrantur Sodalium defunctorum sunt semper et ubique privilegiatae.

V.

INDULTA.

1° Tertiarii degentes in locis ubi nulla extet Ordinis Ecclesia, lucrari valeant omnes Indulgentias fidelibus easdem Ordinis Ecclesias visitantibus concessas, ea conditione, ut respectivam Ecclesiam parochialem visitent, caeteris servatis de iure servandis.

2° Tertiarii, si sint infirmi, aut fuerint ob aliud quodcumque permanens impedimentum praepediti, ne foris e domo prodeant, lucrari possunt easdem Indulgentias, dummodo, alia opera imposita adimplentes, loco communis et visitationis Ecclesiae, opus aliquod a confessario constitutum perfecerint.

3° Tertiarii, qui in collegiis, seminariis aliisque communitatibus degunt, lucrari valent Indulgentias Sodalitati proprias, privatum respectivae domus Sacellum, loco Ecclesiae Sodalitii visitando, caeteris adimpletis conditionibus.

DECRETUM.

Quum per Decretum huius S. Cong.nis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae diei 18 Iulii 1902, undequaque abrogatis omnibus Indulgentiis, quibus Tertiarii Saeculares cuiusvis Ordinis ob communicationem cum primo et secundo respective perfruebantur, Supremis Moderatoribus Religiosorum Ordinum proprium Tertium Ordinem habentium praescriptum fuerit, ut novum Indulgentiarum Indicem pro suis Tertiariis Saecularibus proponerent, Praepositus Generalis Ordinis Carmelitarum Excalceatorum tali mandato obtemperans novum praedictum Indicem elaboravit, illumque huic S. Congr.ni humiliter subiecit, quae, adhibita etiam quorumdam ex suis Consultoribus opera, illum ad examen revocavit. SS.mus vero D.nus Noster Pius Pp. X in Audientia die 28 Augusti 1903, audita de his omnibus relatione facta ab infrascripto Cardinali Praefecto, ex Indulgentiis in supra proposito Elencho enumeratis, eas, quae olim Tertiariis directe tributae fuerant, benigne confirmavit, alias vero loco earum, quibus vi communicationis gaudebant, clementer est impartitus; simulque mandavit ut in posterum utriusque Ordinis Carmelitarum, sive Antiquae Observantiae, sive Excalceatorum, Sodales Tertiarii in saeculo viventes, earum tantummodo participes evadant Indulgentiarum, iisque potiantur Privilegiis et Indultis, quae in praedicto Elencho recensentur. Quam concessionem eadem Sanctitas Sua perpetuis quoque futuris temporibus valituram esse voluit, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Cong.nis die 18 Septembris 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

Loco ✠ Sigilli.

Pro R. P. D. FRANC. SOGARO Archiep. Amid., *Secr.*

IOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Substit.*

III.

URBIS ET ORBIS. — DECRETUM

Quo Indulgentiae recitationi latinae parvi Officii B. M. V. adnexae, ad eiusdem vulgarem recitationem privatam extenduntur.

Quamvis S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita in una *Sebenicen.* sub die 13 Septembris 1888, expresse edixerit, non expedire ut extenderentur ad recitationem parvi Officii B. Mariae Virginis, in quodcumque vulgare idioma

translati, Indulgentiae a RR. PP. adnexae recitationi eiusdem Officii, uti illud prostat in fine Breviarii Romani; nihilominus instantius ab hac eadem S. Congregatione expostulatum est, ut praefatam Indulgentiarum extensionem concedere dignaretur, hisce potissimum de causis, quod hac nostra aetate latini sermonis quamplurimi sint omnino ignari, ususque in pluribus catholici Orbis regionibus iam inoleverit, hoc Officium recitandi lingua vernacula expressum, et admodum difficile foret fideles ab hoc usu retrahere.

Quare haec S. C. sequens postulatum denuo examinandum duxit:

« An, non obstante Decreto in una *Sebenicen.*, die 13 Septembris 1888, expediat Indulgentias a RR. PP. concessas « Christifidelibus recitantibus parvum Officium B. Mariae « Virginis, uti extat in fine Breviarii Romani, extendere ad « illos, qui idem Officium recitaverint in aliam linguam « translatum, praevia recognitione et approbatione Ordi- « narii loci, ubi vulgaris est lingua? »

Et E.mi Patres ad Vaticanum coadunati die 18 Augusti 1903 responderunt:

Affirmative pro privata tantum recitatione.

SS.mus vero D.nus Noster Pius PP. X in Audientia habita die 28 Augusti 1903 ab infrascripto Card. Praefecto sententiam E.morum Patrum approbavit, et Indulgentiarum petitam extensionem benigne concessit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 28 Augusti 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

Pro R. P. D. FRANCISCO SOGARO, Arch. Amiden., *Secret.*
IOSEPHUS M. Canonicus COSELLI, *Substit.*

IV.

Summarium Indulgentiarum, Privilegiorum ac Indultorum Tertiariis Saecularibus Ordinis Eremitarum S. P. Augustini tributorum.

I.

INDULGENTIAE PLENARIAE:

A) Tertiariis ex utroque sexu vere poenitentibus, confessis ac S. Synaxi refectis:

1° Die ingressus in Tertium Ordinem;

2° Die professionis;

3° Die 5 Maii, anniversario Conversionis S. P. Augustini, dummodo Professionem renovaverint;

4° Quoties potioris vitae studio per octo dies continuos spiritualibus exercitiis vacaverint;

5° Semel in mense, die cuiusque arbitrio eligendo, si per integrum mensem singulis diebus per duos horae quadrantes mentali orationi dent operam;

6° Quo die ad concionem menstruam, seu *conferentiam*, convenerint.

B) Iisdem Tertiariis, si confessi et S. Communione refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint, sequentibus diebus festis, quibus Absolutionem Generalem, seu Benedictionem acceperint: nempe:

1° Nativitatis D. N. I. C.,
2° Epiphaniae »
3° Paschatis »
4° Adscensionis D. N. I. C.
5° Pentecostes »
6° Feria V in Coena Domini,
7° SS.mi Corporis Christi,
8° Nativitatis B. M. V.,
9° Annuntiationis »
10° Purificationis »
11° Assumptionis »
12° B. M. V. de Consolatione,
13° Dominica I Adventus,
14° » I Quadragesimae,
15° » IV »
16° » IV Octobris,
17° Dedicationis S. Michaelis Archangeli,
18° Nativitatis S. Ioannis Baptistae,
19° SS. Apostolorum Petri et Pauli,
20° S. Patris Augustini.

C) Iisdem Tertiariis, si uti supra dispositi, Ecclesiam ubi sedes Sodalitii est constituta devote visitaverint, diebus festis sequentibus:

1° In omnibus Dominicis Quadragesimae,
2° In omnibus diebus sabbatis infra annum,
3° In festo SS.mae Trinitatis,
4° SS.mi Cordis Iesu,
5° Immaculatae Conceptionis B. M. V.,
6° S. Familiae Iesu, Mariae, Ioseph,
7° SS. Angelorum Custodum,
8° S. Fulgentii Ep. Conf. Ord. (19 Ian.),
9° S. Guillelmi Conf. Ord. (6 Feb.),
10° B. Christinae de Spoleto Virg. Tertiariae Ord. (14 Februarii),
11° B. Iuliae a Certaldo Virg. Tert. Ord. (24 Feb.),
12° S. Possidii Ep. Conf. Ord. (17 Maii),
13° B. Luciae Amerinae Virg. Tert. Ord. (17 Iul.),
14° S. Alipii Ep. Conf. Ord. (16 Aug.),
15° S. Antonini Mart. Ord. (5 Sept.),
16° B. Alfonsi de Orozco Conf. Ord. (19 Sep.),
17° S. Gelasii Pont. et Conf. Ord. (20 Nov.),
18° Omnium Sanctorum Ord. (13 Nov.).

D) Iisdem Tertiariis morituris si uti supra dispositi, vel saltem contriti, SS.mum Iesu nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint,

II.

INDULGENTIAE PARTIALES:

A) Centum annorum et totidem quadragenarum:

1° In festo Inventionis et
2° Exaltationis S. Crucis;
3° S. Ioannis Baptistae;
4° Omnium Sanctorum.

B) Septuaginta annorum et totidem quadragenarum:

1° In omnibus festis D. N. I. C. quae in universa Ecclesia celebrantur,

2° In omnibus festis B. Mariae V., ab universa Ecclesia pariter celebratis,

3° In festis Apostolorum et Evangelistarum.

Dummodo dictis diebus corde saltem contriti ac devote Ecclesiam Ordinis vel altare Sodalitii visitaverint et aliquo temporis spatio oraverint.

C) Tercentorum dierum quoties aliquod pium opus pietatis vel charitatis corde saltem contriti exercuerint.

III.

INDULGENTIAE STATIONALES.

Diebus Stationum in Missali Romano descriptis iidem Tertiarii, si Ecclesiam in qua sedes Sodalitii est constituta visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, easdem indulgentias consequuntur, quas lucrarentur si Ecclesias Urbis in eodem Missali recensitas praefatis diebus personaliter visitarent, dummodo alia pia opera praescripta exercuerint.

IV.

INDULGENTIAE SEPTEM ECCLESIARUM URBIS.

Tertiarii, qui septem Altaria in Ecclesiis Ordinis S. Augustini vel Sodalitatis ad hoc designata visitaverint, easdem indulgentias lucrantur, quas consequerentur visitando septem Ecclesias Urbis.

V.

INDULGENTIAE PRO RECITATIONE CORONULAE B. M. V. DE CONSOLATIONE:

1° Tertiarii quoties integram coronulam corde saltem contrito ac devote recitaverint, lucrantur indulgentiam *centum dierum* pro qualibet oratione Dominica, vel Angelica salutatione.

2° Quoties vero eadem coronula recitetur *a*) in Ecclesiis ubi Sodalitas sedem habet; *b*) in festo B. M. V. Matris Consolationis, aut in singulis diebus octavae eiusdem festi, Tertiarii lucrantur pariter pro quolibet *Pater* vel *Ave* indulgentiam *bis centum* dierum.

3° Tertiarii qui coronulam quater in hebdomada recitare solent, plenariam indulgentiam semel in anno, die eorum arbitrio eligenda, lucrari valent, dummodo vere poenitentes et confessi S. Synaxim sumpserint atque eandem coronulam recitaverint.

4° Item plenariam lucrantur Tertiarii, qui per integrum mensem quotidie praedictam coronulam recitaverint, simulque intra eundem mensem die cuiusque arbitrio eligenda, vere poenitentes, confessi ac S. Mensa refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint.

Omnes et singulae indulgentiae hucusque relatae, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, sunt etiam applicabiles animabus defunctorum in purgatorio detentis.

VI.

PRIVILEGIA.

1° Sacerdotes Tertiarii ad quodlibet altare missam celebrantes, gaudent indulto altaris privilegiati personalis tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo pro alia die simile indultum non obtinuerint.

2° Missae omnes, quae in suffragium Sodalium defunctorum celebrantur sunt semper et ubique privilegiatae.

VII.

INDULTA.

1° Tertiarii degentes in locis ubi nulla extet Ecclesia Ordinis S. Augustini lucrari valent omnes indulgentias quas consequerentur dictam Ecclesiam visitando, si caeteris iniunctis operibus positis, Ecclesiam ubi Sodalitas sedem habet, vel, hac etiam deficiente, Parochialem suam Ecclesiam visitaverint.

2° Tertiarii, si sint infirmi vel convalescentes, nec commode possint e domo egredi, recitando quinquies *Pater* et *Ave* et orando ad intentionem Summi Pontificis, lucrari possunt easdem indulgentias ac si personaliter Ecclesiam Ordinis vel Sodalitii visitaverint, caeteris tamen conditionibus adimpletis.

3° Tertiarii, qui in Collegiis, Seminariis, aliisque communitatibus degunt, lucrari valent indulgentias Sodalitati proprias privatum respectivae domus Sacellum loco Ecclesiae Ordinis vel Sodalitii visitando, caeteris adimpletis conditionibus.

DECRETUM.

Quum per Decretum huius S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliq. praepositae diei 18 Iulii 1902, undequaque abrogatis omnibus Indulgentiis, quibus Tertiarii saeculares cuiusvis Ordinis, ob communicationem cum primo et secundo Ordine respective perfruebantur, Supremis Moderatoribus religiosorum Ordinum proprium Tertium Ordinem habentium praescriptum fuerit, ut novum Indulgentiarum Indicem pro suis Tertiariis saecularibus proponerent; Prior Generalis Ordinis Eremit. S. Augustini tali mandato obtemperans novum praedictum Indicem elaboravit, illumque huic S. C. humillime subiecit; quae adhibita etiam quorumdam ex suis Consultoribus opera, illum ad examen revocavit. SS.mus vero D. N. Pius PP. X, in Audientia diei 28 Augusti 1903, audita de his omnibus relatione facta ab infrascripto Card. Praefecto, ex Indulgentiis in supra proposito Elencho enumeratis, eas, quae olim Tertiariis directe tributae fuerunt, benigne confirmavit, alias vero, loco earum, quibus vi communicationis gaudebant, clementer est impertitus; simulque mandavit ut in posterum praedicti Ordinis Sodales Tertiarii in saeculo viventes earum tantummodo participes evadant Indulgentiarum, iisque potiantur privilegiis et indultis, quae in praedicto Elencho recensentur. Quam concessionem eadem Sanctitas Sua perpetuis quoque futuris temporibus valituram esse voluit, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 5 Septembris 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Francisco Sogaro, Arch. Amiden., *Secret.*
Iosephus M. Canonicus Coselli, *Substit.*

E SACRA POENITENTIARIA

Rescripta minora S. Sedis, licet ab excommunicato impetrata, valida sunt in foro conscientiae (1).

Tizio sacerdote nel tempo in cui era innodato da scomunica riservata occulta, da cui ottenne poscia l'assolu-

(1) Titius sacerdos, tempore quo erat innodatus excommunicatione reservata occulta,... petiit et obtinuit a S. R. Congregationibus nonnullas gratias privatas, ipsi speciali Rescripto concessas; id est: a S. C. Indicis facultatem legendi libros prohibitos, — a S. Officio dispensationem a ieiunio, — a S. C. Indulgentiarum facultatem benedicendi coronas etc. cum applicatione Indulgentiarum, — a S. C. Rituum benedicendi sacras supellectiles etc. Audiens autem excommunicatos incapaces esse ad impetrandas gratias Pontificias, in multis angustiis versatur, dubitans utrum possit nec ne uti facultatibus supradictis, unde quaerit: *a*) utrum pro validis habenda sint Rescripta supradicta a Titio obtenta quum erat excommunicationis vinculo irretitus? — *b*) in casu negativo quomodo se gerere debeat Titius ne manifestetur causa invaliditatis praedictorum Rescriptorum?

zione, chiedeva ed otteneva dalle S. Rom. Congregazioni alcune grazie personali, che gli furono concesse con speciali Rescritti; cioè dalla S. Congregazione dell'Indice la facoltà di leggere i libri proibiti — dal S. Uffizio la facoltà, ossia la dispensa dal digiuno — dalla S. Congregazione delle Indulgenze la facoltà di benedire corone ed altri oggetti con applicazione di Indulgenze — dalla S. Congregazione de' Riti di benedire S. Suppellettili ed altro.

Ma avendo ora rilevato che gli scomunicati sono incapaci di impetrare grazie Pontificie, trovasi in molte angustie nel dubbio se possa validamente usare delle facoltà e grazie di cui sopra, per cui col mio mezzo chiede:

a) se abbiano a ritenersi validi i Rescritti di cui sopra ottenuti da Tizio, quando trovavasi vincolato da scomunica,

b) e nel caso negativo come abbia a contenersi Tizio per non manifestare la causa della invalidità degli ottenuti Rescritti.

Sacra Poenitentiaria, mature consideratis expositis, rescribit: Orator super praemissis acquiescat. Pro foro conscientiae tantum.

Datum Romae, ex Sacra Poenitentiaria die 9 Septembris 1898.

A. Carcani, *S. P. Reg.*
R. Celli, *S. P. Subst.*

E SECRETARIA STATUS

De mandato SSmi, reprobantur tentamina contra indolem actionis popularis christianae in Italia servandam.

Ill.mo e Rev.mo
Monsignor Domenico Bucchi Accica
Vescovo di Orvieto.

Il Santo Padre mi dà ordine di partecipare alla S. V. Ill.ma e Rev.ma la dolorosa impressione che gli ha fatto la lettera pubblicata il 29 agosto p. p. nel periodico settimanale *Il Comune* (1), che si stampa in codesta città; nè poteva essere altrimenti, perchè tutto lo scritto da capo a fondo non può non qualificarsi che per sommamente irreverente e ribelle ad ogni autorità; e l'impressione dolorosa provata dal Santo Padre in questa circostanza è accresciuta dal fatto che più volte il suddetto periodico ha esternato i medesimi sentimenti.

Il Santo Padre pertanto con la assoluta disapprovazione per tutto ciò che viene esposto in quella lettera, sia in ordine ai principî come alle persone, mi autorizza a dichiarare, che non sarà mai per riconoscere alcuna opera di azione popolare cristiana, che non faccia capo e non sia ossequente all'opera dei Congressi cattolici, come rammenta l'obbligo che hanno tutti i Chierici e Sacerdoti in qualunque officio costituiti, a non prendere parte in verun modo alle Associazioni, che sotto il nome di *partiti*, portano la divisione degli animi e le scissure nel campo cattolico, distruggendo quella unità per la quale ha fatto l'ultima preghiera al Divin Padre il nostro Redentore SS.mo, e quella carità, che è l'unico carattere distintivo dei veri cristiani.

(1) Scriptum cui alluditur, prodiit die 29 Augusti, sub titulo *In attesa*. *N. D.*

Nell'eseguire il venerato comando di Sua Santità, colgo questo incontro per raffermarmi con sensi della più distinta stima

Di V. S. Ill.ma e R.ma
Li 7 settembre 1903.

Servitore
Raffaele Merry del Val
Pro-Segretario di Stato di S. S.

E VICARIATU URBIS

Dispositiones circa celebrationem Missarum, in ecclesiis Urbis.

PIETRO del Tit. de' SS. Quattro Coronati della S. R. C. Prete Cardinale RESPIGHI della Santità di N. S. Vicario Generale della Romana Curia e suo Distretto Giudice Ordinario, ecc.

Da quando per la fiducia del Santo Padre fummo chiamati a reggere questo Vicariato, più volte credemmo nostro dovere di informarci sulla esatta osservanza delle disposizioni emanate dai Nostri Antecessori, relative alla celebrazione del S. Sacrificio della Messa, e particolarmente di quelle contenute nella Notificazione del 20 novembre 1889.

Giudicando ora necessario tornare ad insistere sullo stesso argomento, confermiamo in generale le disposizioni sopra citate, e ordiniamo quanto segue:

I. Non siano ammessi a celebrare la s. Messa sacerdoti forestieri, benchè conosciuti dai Rettori o dai Sagrestani delle chiese, se non esibiscano la relativa licenza, ottenuta in iscritto dalla Segreteria del Nostro Vicariato. Si potrà solo permettere di celebrare ai sacerdoti suddetti nel giorno del loro arrivo in Roma, affinchè abbiano tempo di provvedersi della necessaria licenza.

II. Dai sacerdoti romani, e da quelli domiciliati in Roma, si deve esigere il documento in iscritto della facoltà da Noi loro accordata e della rinnovazione alla rispettiva scadenza.

III. Non si permetta la celebrazione dei divini Misteri a quei sacerdoti, i quali si presentassero senza il conveniente abito ecclesiastico o senza tonsura.

IV. Tutti i Rettori o Sagrestani delle Chiese di Roma registrino in apposito libro, distinto per mesi, tanto i nomi di quei sacerdoti che ordinariamente celebrano nella Chiesa a ciascuno di essi affidata, quanto degli altri che straordinariamente, per qualunque occasione, al detto scopo si presenteranno, ancora se invitati. Da questo libro dovranno ogni mese compilare la nota da trasmettersi alla Segreteria del Vicariato. Vogliamo inoltre che sia del libro, come delle vacchette delle Messe, facciano immediata presentazione all'Officiale del Vicariato, che, da Noi autorizzato, ne facesse richiesta.

V. Nelle Chiese e Cappelle di comunità femminile la Suora incaricata della Sagrestia ritirerà dai sacerdoti, che domandassero di celebrare, la relativa pagella, per farla esaminare dal Rettore della Chiesa o dal Cappellano ordinario

della Comunità stessa, il quale non potrà essere nominato senza il nostro esplicito consenso.

VI. A chiunque contravvenisse alle suddette disposizioni sarà inflitta una « multa di L. 25 » e, in caso di ripetuta mancanza, anche la « sospensione a divinis ».

VII. Ordiniamo infine che la presente, per norma degli stessi Rettori e Sagrestani, non che dei sacerdoti celebranti, rimanga affissa in tutte le Sagrestie, affinchè da niuno possa allegarsene ignoranza.

Dato dalla Nostra Residenza, il dì 18 febbraio 1903.

PIETRO Card. Vicario

PIETRO Can. CHECCHI, *Segr.*

ANALECTA VETERA

Nonnulla documenta inedita S. Congr. Episc. et Reg. (An. 1677-1690).

292. Senen. — Consensus.

E.mi e R.mi Signori. — Il Rettore e Parroco della Chiesa Parrochiale di S. Pietro alla Magione in Siena, di Ius patronato dell'Eccma Religione di Malta riverentemente espone all'EE. loro, come a mesi passati dalla Compagnia Laicale sotto il titolo della Beatissima Vergine detta di Fontegiusta, dentro il territorio di detta Parochia di San Pietro furono porrette preci all'EE. loro, nelle quali esprimeva esser fermamente stabilita nelli pretesi usi e facoltà di tener sempre e non privatamente il Santissimo Sagramento dell'altare, all'uso delle Parochie, e di fare il sepolcro, et altre funzioni della settimana Santa non solo nell'oratorio suo privato, ma anco nella Chiesa sua grande, che ha segregata da quello commune a tutto il Popolo della città con fondamento d'essere in possesso non interrotto, et immemorabile o per li privilegii, o per consuetudine, e perchè fin dall'anno 1575 Monsignor Bossio Visitatore apostolico non reprovò tali usi, ma con qualche decreto, et ordine pare che tacitamente approvasse i medesimi, e per altre ragioni espresse in dette loro preci dall'EE. loro sotto il 21 Marzo 1686 fu rescritto a Monsignor Arcivescovo veris existentibus narratis, et accedente consensu Parochi facultatem impertiatur, ita ut iuribus Parochialibus nullum praeiudicium afferatur, et eidem Parocho reservetur facultas exercendi per se ipsum in dicta Ecclesia praefatas functiones.

In esecutione di detto rescritto, fattasi per parte della Compagnia istanza all'Oratore, a prestare il consenso coherentemente a detti decreto e rescritto dell'EE. loro toties quoties ne sia richiesto etiam ad Annum conforme si prattica dall'altre Confraternite di Siena, ma tale consenso non viene accettato dalla detta Compagnia, che pretende haverlo assoluto, indefinito, e per sempre, tale però et in simil forma stima l'Oratore non essere tenuto prestarlo, specialmente per li susseguenti motivi, e raggioni.

E primieramente dice non doversi da simil licenza indefinita per la consideratione havuta non pregiudicare alla giurisditione della Parochia, perchè una volta data non si può più revocare.

2° Perchè altre volte dall'Emo Cardinale Arcivescovo antecessore, in atto di visita fu prohibita a detta Compagnia la retentione del Santissimo Sacramento dell'Altare, et amministratione de Sacramenti con commandarli la remotione delle sedie confessionali (et in questo fu obbedito finchè visse, ma doppo morto, senza ottener revocatione del decreto della visita fu da detta Compagnia e suo Cappellano rimesso il tutto) come anche perchè la retentione del Santissimo Sacramento et amministratione dei Sacramenti, etc., che, da troppo pregiudizio alla detta Parrocchia ed all'altre circonvicine per esser tanto diminuite di popolo, come anco perchè li veniva tolta la frequenza.

3° Perchè dentro la iurisditione di detta Parochia, che non supera il numero di 250 anime da Communione, vi sono oltre alla detta Compagnia situata questa in un fondo fuor dell'habitato, due altre Chiese di Monasterii di Monache.

4° Perchè alla detta Parochia vi sono vicino a pochi passi distanti altre Parochie, una non troppo distante da detta Compagnia e piu vicina alla detta Compagnia, che non è la propria Parochia e l'altra poco lontana contenente sotto di se altra Chiesa di Monastero di Monache, e queste due Parrochie non superano il numero di 450 anime da Communione, officianti tutte queste chiese in diversi tempi et in hore distinte per commodo dè popoli, et amministrando tutte queste Parochie secondo l'obligo con ogni prontezza a chi gli richiede i Santissimi Sacramenti, onde non scorge bisogno d'altre chiese per simili funtioni.

5° Perchè pretendono li fratelli di detta Compagnia fare in detta loro Chiesa, mediante il Cappellano da loro stipendiato, e senza licenza del Parocho, ogn'altra funtione propria de Parochi come solemniter celebrare, confesiones audire, sacramenta ministrare, etc.

Supplica perciò humilmente l'EE. V.re a restar servite d'ordinare, che l'Oratore non sia tenuto a prestar in altra forma il detto consenso che ad tempus, e che quando la Compagnia persista di recusarlo, debba onninamente astenersi dall'esercizio delle sopradette funtioni parrochiali.

Siccome ancora supplica l'EE. loro ad ordinare a Monsignor Illustrissimo Arcivescovo a non concedere simile consenzo senza scienza del Parocho pregiudicando in questo modo al ius Parochiale siccome è intervenuto, et accaduto gia una volta che, etc.

Responsum fuit, die 21 Iunii 1686: *Esse in arbitrio Parochi.*

Nota Emi Casanata: — Consensum Parochi esse sibi arbitrarium et propterea scribendum Archiepiscopo ut ad forman consensus Parochi exequatur decretum S. Congregationis.

ANALECTA VARIA

ROMANAE INSTITUTIONES

I.

Casus Conscientiae propositus et solutus Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli. (1)

VII.

De impedimento criminis.

Die 16 Martii 1903 hora, 16 $^1/_2$ (4 $^1/_2$ pom.)

Titius tanta familiaritate cum Caio eiusque familia utitur, ut semel et iterum cum Berta Caii uxore adulterium patraverit. Interim Caius graviter decumbit, ac certo moriturum se esse existimans, miserrimam conditionem, in quam, se vita functo, prolapsura erit sua uxor vehementer condolet. At simul animo reputans, optimum vitae statum eamdem fore habituram, si Titio post suam mortem nupserit, matrimonium inter eos ineundum proponere non dubitat. Itaque singulis ad se separatim accersitis suum animum aperit, et ambo eius verbis commoti, Berta praesertim, iuxta propositum se facturos data fide promittunt. His solatus uniuscuiusque promissionem sibi datam manifestare utrique simul studet, quam quisque eorum libenti animo confirmat.

Post haec, cum Caius diem supremum obiisset, Titius et Berta promissionem ad invicem mox sibi renovarunt. Sed antequam statuta ad nuptias dies adveniat, Berta omnia, quae inter se et Titium acciderant, confessario aperit. Qui statim reponit, nuptias inter ipsos subsistere non posse, ob dirimens criminis impedimentum ab eis per adulterium et matrimonii promissionem contractum. In lacrimas effusa mulier protestatur, se penitus ignorasse, per haec quae patravit impedimentum induci. At confessarius nec Bertae excusationem admittit, nec a sententia discedit, et tamquam unicum remedium proponit dispensationem a Romano Pontifice impetrandam. Dictis non acquiescens mulier ad alterum confessarium, quem doctiorem putat, accedit ab eo quaerens:

1°. *An et quibus sub conditionibus matrimonii promissio cum adulterio dirimens criminis impedimentum inducat?*

2°. *An impedimentum huiusmodi ab iis, qui illud ignorant, incurratur?*

3°. *An ad matrimonium, de quo in casu, valide contrahendum dispensatione opus sit?*

Sermo hic est, ut patet, de impedimento dirimente *criminis*, quod impedimentum est tantum iuris ecclesiastici. Non omnia tamen crimina impedimentum dirimens matrimonii inducunt; sed sequentia tantum: adulterium cum promissione matrimonii; coniugicidium ab utraque parte patratum; adulterium cum attentatione matrimonii; adulterium cum coniugicidio, ab una tantum parte commisso.

Ecclesia autem huiusmodi impedimentum criminis induxit, et reos inhabiles reddidit ad matrimonium inter se ineundum:

a) in poenam commissi criminis, iniuriae scilicet illatae coniugi innocenti ac matrimonio;

b) ut fidei matrimoniorum et coniugum incolumitati consuleret, praecisa criminosis omni spe coniugii ineundi, et remota ab eisdem ansa frangendi fidem et captandi mortem coniugis innocentis;

c) quia huiusmodi matrimonium inter reos foret publice inhonestum et perniciosum.

In casu proposito, ut ex eius lectione patet, agitur de prima specie impedimenti criminis, nempe de adulterio cum matrimonii promissione. Praetermissis igitur aliis huius impedimenti speciebus,

Resp. ad 1um. Quod adulterium a duobus patratum, accedente promissione matrimonii contrahendi post obitum coniugis, quem alter vel uterque viventem habet, constituat imped. dirimens matrimonii, ita ut, soluto etiam primo matrimonio, nuptiae inter adulteros consistere nequeant, evincitur ex pluribus textibus Iuris Canonici, e. g., *cap. 6 Significasti, cap. 7 Veniens, et cap. fin. tituli VII De eo qui duxit etc.*

Quaeramus potius, quibus sub conditionibus matrimonii promissio cum adulterio dirimens criminis impedimentum inducat.

Quae conditiones debent verificari tum ex parte *adulterii*, tum ex parte *promissionis*, tum ex parte *utriusque simul.*

Adulterium, ut patet, est copula illicita, in qua uterque, vel saltem alteruter coëuntium est matrimonio iunctus. In adulterio, praeter malitiam contra castitatem, reperitur malitia contra iustitiam; violatur enim ius, quod coniugi in corpus compartis competit. Quando vero uterque coniugatus est, duplicatur iniuria, ac propterea haec circumstantia in confessione exprimenda est.

Ex parte igitur adulterii pro impedimento incurrendo conditiones sequentes requiruntur:

a) ut sit *verum*, idest, ut saltem alteruter fornicator matrimonio non mere putatitio, sed legitimo et valido, etiamsi forte non consummato, sit coniunctus;

b) *formale* et quidem ex utraque parte; videlicet necesse est, ut utraque pars sciat saltem alterutram esse matrimonio iunctam. Nec sufficit, ut utraque sciat se esse coniugatam; sic enim non fieret iniuria eidem matrimonio, quod ad incurrendum impedimentum requiritur. Minime vero necessarium est, ut uterque matrimonio iunctus sit; nullo enim iure duplex adulterium requiritur.

Ex dictis apparet ab hoc imped. excusare ignorantiam invincibilem status coniugalis in altera parte. Omnes pariter admittunt excusare ignorantiam vincibilem leviter culpabilem, et nullatenus excusare ignorantiam affectatam. Utrum vero excuset ignorantia vincibilis graviter culpabilis, quam vocant crassam et supinam, prout refert *S. Alphons., lib. VI, n. 1036*, plerique DD. negant, alii vero magnae quoque auctoritatis affirmant. A poenis enim excusat quaelibet ignorantia facti, nisi sit affectata. Praeterea ad formale adulterium requiritur *dolus:* iam vero cum ignorantia crassa, nisi fuerit saltem affectata, non datur dolus.

Caeterum cum unicuique ex duabus oppositis sententiis sua non desit probabilitas, ex generali canone, impedimentum in

(1) *N. B.* Hosce nostros casus Consc. sub tutela legum positos, nemo fraudulenter iterum edat, secus iudicialem poenam luet.

casu ignorantiae crassae et supinae ut mere probabile, atque adeo incertum, quod perinde est ac nullum, censeri potest.

c) consummatum: intercedente nempe copula carnali perfecta, et ex se sufficiente ad generationem humanam. Non sufficit ergo copula imperfecta, qua integritas virginalis amissa foret, sed ex qua, semine aut nullatenus, aut extra vas naturale effuso, generatio sequi non posset.

Ex parte vero promissionis sequentes conditiones concurrere debent; nempe

a) Ut sit de matrimonio *post mortem coniugis ineundo.* Si enim promitteretur matrimonium contrahendum altero vivente, non haberetur ansa captandae mortis coniugis; quae ratio est huius impedimenti. Hinc non esset impedimentum, si Titius Caiae diceret: Promitto nuptias, postquam divortium civile obtinueris;

b) ut sit *signo expressa,* et *ab altera parte acceptata.* Porro indifferens est, utrum haec promissio praecedat, aut comitetur, aut sequatur adulterium; sed si praecedat, requiritur, ut retractata ante adulterium non fuerit.

Utrum taciturnitas sit signum acceptationis, disputant hinc inde DD. et *S. Alphons. loc. cit., n. 1038* utramque sententiam appellat probabilem. Verum probabilius videtur, non sufficere ad inducendum impedimentum alterius partis silentium. Acceptatio enim promissionis, hic locum habet delicti, cui poena erroganda est, et notissimum est delicta non praesumi; atqui in casu delictum praesumeretur: quia in taciturnitate habemus consensum mere praesumptum.

c) Tum promissio tum acceptatio debet esse *vera*, et ideo non sufficit *ficta*: haec enim non est stricte dicta promissio vel acceptatio, qualis in materia odiosa requiritur.

d) Insuper non sufficit *conditionata* promissio, aut acceptatio. Conditionata enim promissio eiusque acceptatio minorem ansam praebent captandae mortis coniugis. Secus vero dicendum, si adiecta conditio fuerit impleta.

e) Tandem requiritur, ut promissio sit *mutua* h. e. ut sit promissio et repromissio. Equidem prout docet *S. Alphons. loc. cit., n. 1041,* sententia communior et probabilior id negat. Ut enim patet *ex cap. 1 et 6, tit. VII De eo qui duxit etc.,* nulla in Iure mentio fit de repromissione, seu non est sermo de fide mutua, sed simpliciter *de fide data ducendi, vel matrimonii contrahendi.* Nihilominus oppositae sententiae sua non deest probabilitas. Locutiones enim in Iure adhibitae e. g. *de fide data ducendi etc.,* absque ulla vi intelligi possunt de fide mutua, poena autem aequalis aequalem in utroque culpam supponit. Id etiam confirmari potest ex eo, quod in formulis dispensationum Datariae Apostolicae clausula habetur: *data sibi invicem fide de matrimonio post coniugis obitum contrahendo;* quae clausula repromissionem importat.

Hinc stante probabilitate utriusque sententiae concludendum est, quod practice non est urgendum impedimentum in foro conscientiae, ubi deficit repromissio.

Ex parte tandem utriusque requiritur, ut tum *promissio* matrimonii, tum *adulterium* fiant *vivente* priore coniuge, seu constante eodem matrimonio; nimirum tum adulterium tum matrimonii promissio cedere in iniuriam debent unius eiusdemque coniugis; quod non contingeret, si Berta v. g. vivente primo marito promitteret matrimonium Titio: cum eodem vero adulterium committeret, quando post primi mariti mortem Caio nupsisset.

Resp. ad 2um. Haec quaestio, ut patet, non respicit forum externum, in quo iuris ignorantia non praesumitur, sed internum. Certum est autem ignorantiam neque in foro conscientiae excusare ab aliis impedimentis, sed pro criminis impedimento est specialis difficultas, cum habeat rationem poenae.

Quaestio huiusmodi, quae inter DD. agitatur, ex eo oritur, quod non omnes inter se conveniunt in assignanda huius impedimenti indole.

Plures affirmant ignorantiam excusare; quia hoc impedimentum, saltem *principaliter,* inductum est ad delinquentium punitionem, et proinde habet rationem *poenae,* et quidem *extraordinariae,* quae scilicet per se ne in confuso quidem praevideri potest. Atqui ab huiusmodi poenis ignorantia, nedum legis praecipientis, sed etiam punientis excusat.

Plerique e contra negant ignorantiam excusare. Istud enim impedimentum potius ad sanctitatem societatis coniugalis conservandam, quam ad delinquentes puniendos statutum est: scilicet publico moralitatis sensu indecens et inhonestum est, quod matrimonium contrahatur inter has criminosas personas. Hoc igitur impedimentum *primario* et *principaliter* habet rationem *vinculi,* licet *secundario* etiam *poenae* rationem habeat, et consequenter semper incurritur. Praeterea non apparet cur poena haec in impedimento criminis, quam sola ratio et sensus communis omnibus suadet, quamque omnes codices civilium nationum habent, dicenda sit extraordinaria; videtur enim e contrario proportionata quam maxime et apprime postulata a crimine.

Consulendus est de hac quaestione Ferdin. Krimer, qui *in lib. 4 Decretal. a n. 1011 ad n. 1029* ex professo hanc quaestionem tractat, libratisque utriusque partis rationibus sic concludit *n. 1024:* « Ex istis opinionibus sibi oppositis, affirmativa (scil. impedimentum etiam ignoratum incurri) est sine dubio valde probabilis; negativa tamen non modo probabilis est absolute, sed etiam relate ad oppositam suam probabilitatem retinet ».

Caeterum quidquid sit de merito intrinseco istarum duarum opinionum, in praxi nulla est difficultas. Si enim ambo criminosi impedimenti legem ignorabant, nulla stricta obligatione petendae dispensationis tenentur.

In casu enim ignorantiae impedimentum criminis contrahi est tantum *probabile*; atqui cum impedimento iuris ecclesiastici, quod sit probabile probabilitate iuris, licet matrimonium contrahere. Nam, si forte impedimentum reipsa adsit, Ecclesia supplere censetur defectum contractus de iure canonico irriti; sicut iurisdictionis defectum supplet, quoties communiter DD. tenent, eam supplere iurisdictionem in sacramento poenitentiae, stante eius probabilitate. Porro opinio docens, Ecclesiam defectum supplere etiam in praesenti casu dubii impedimenti, generaliter ut probabilis recepta est ab innumeris doctoribus, qui ei suffragantur, prout testatur S. Alphonsus, *lib. VI, n. 901.* Igitur in huiusmodi casu non est necesse in praxi dispensationem petere. Attamen, si absit notabilis incommodi timor, consultius erit eam petere, ut dubia in posterum removeantur.

Resp. ad 3um. Negative, quia inter Titium et Bertam non est inductum criminis impedimentum. Et quidem inter illos intercessit adulterium verum, formale et consummatum; *verum,* quia Berta in casu dicitur *uxor* Caii; *formale,* quia Titius bene noverat, Bertam esse coniugatam; *consummatum,* ut debet supponi adulterium *semel et iterum* habitum.

Sed tamen promissio, quae adulterio accessit, talis non est, qualis requiritur ad contrahendum impedimentum.

In primis non abs re animadverti posset, quod in casu promissio matrimonii ineundi post Caii mortem inter Titium et Bertam, non videtur esse criminosa, nec turpis, qualis deberet esse, spectato fine, ob quem Ecclesia criminis impedimentum statuit. Huiusmodi enim promissio, nec dat ansam captandae mortis Caii, nec est eidem iniuriosa; siquidem ipse Caius auctor est huius promissionis, ipse est, qui

ad illud matrimonium post sui mortem celebrandum invitat, et post datam sibi de illo fidem maxime solatur.

Insuper, et hoc rem magis evincit, ut promissio de matrimonio post mortem coniugis ineundo, simul cum adulterio, criminis impedimentum inducat, debet esse facta ab unoquoque ex adulteris, non cuivis tertio, sed alteri in adulterio complici, et ab isto saltem acceptata. Iamvero id in casu non verificatur, siquidem promissio a Titio facta ducendi Bertam post mortem Caii, et viceversa, non facta fuit *ad invicem*, non *mutuo*, sed ab unoquoque eorum, separatim accersito, facta fuit moribundo Caio. Hinc promissio talis non est, quae ad impedimentum sufficiat.

Contra quam resolutionem duo videntur opponi posse:

Et *a)* prout narratur in casu, Caius uniuscuiusque promissionem sibi prius separatim datam, deinde manifestare utrique simul studet, quam quisque eorum libenti animo confirmat.

Resp. Hoc nihil addit, quod sufficiat ad contrahendum impedimentum. Siquidem ambo adulteri *mere et simpliciter* promissionem *iam datam* confirmant; idest sese referunt ad promissionem singillatim Caio prius factam et hanc iterum ratam habent. Ergo agitur semper de fide data non ad invicem, sed cuidam tertio.

b) Additur in casu, quod, defuncto Caio, Titius et Berta promissionem *ad invicem* mox sibi renovant.

Resp. Sine dubio praeter adulterium, habetur tandem mutua inter adulteros promissio. Sed, prout supra *in resp. ad 1*, notatum est, adulterium et promissio verificari debent *vivente priore coniuge*, seu constante eodem matrimonio. Atqui e contra promissio haec mutua intercedit post mortem Caii.

Concluditur igitur quod, quin opus sit recurrere ad circumstantiam ignorati a Berta impedimenti, ad matrimonium inter Titium et Bertam valide contrahendum non obstat criminis impedimentum, nec proinde illius dispensatio necessaria est. Hinc patet Bertae confessarium, in responsione eidem data, errasse.

Petrus Checchi,
Epitomator ex officio.

II.

Casus Liturgicus propositus et solutus Romae, in Academia Liturgica.

VIII.

De iis quae canenda sunt in Missis et Vesperis solemnibus iuxta Graduale et Antiphonarium Romanum.

Die 6 Maii 1903, hora 4 a meridie.

Domninus presbyter diversandi causa plures Italiae civitates peragrans, varias in earum Ecclesiis consuetudines miratus est, quae sacrorum Rituum regulis minime conformes sibi visae sunt. Primo autem notavit, in Missa nunc cantata, nunc solemni, fere semper a choro omissum fuisse cantum Introitus, Gradualis, aut Tractus, aliorumque versuum, Offertorii et Communionis, cantoribus satis contentis de solis partibus Missae non mutabilibus canendis, nempe *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus* et *Agnus*. Praeterea in quadam Ecclesia duos vidit clericos pluviali indutos, quibus unicum erat munus, *Gloria* et *Credo* praeintonandi, Celebranti, qui autem in Praefatione et Oratione dominica utebatur cantu quodam ad libitum, haud vero ut in Missali praescribitur. Item Elevationis tempore audit alicubi, in solemniori Missa, cantionem vulgarem quam prohibitam censet. In pluribus similiter Ecclesiis, etiam Cathedralibus, audivit Vesperas cum cantu, sed omnes antiphonas alicubi lectas, alicubi vero cantatas quidem, sed singulas una sub eadem cantilena. Insuper in aliquibus Ecclesiis, ubi easdem audivit Vesperas solemnes, miratus animadvertit, nullam in iis commemorationem unquam fieri. Denique in aliis Ecclesiis Vesperas ita concentas audivit, ut primus tantum psalmus cantatus fuisset, reliquis lectis. *Quaeritur:*

1. Quasnam antiquitas liturgica normas ab initio tradiderit circa cantum aliquarum partium, seu Missae seu Vesperarum solemnium?

2. Quid de obligatione liturgicorum librorum cantus in Ecclesiis?

3. Quid dicendum de omnibus singularisque consuetudinibus in casu?

SOLUTIO.

In Conventu Academiae habito die 6 Maii 1903, super casu proposito disseruit R. D. Alphonsus M. Desanctis, Pont. Sem. Rom. alumnus; atque epitomem egit R.mus D.nus Carolus Respighi, Ap. Caer. Mag.

I. Quasnam antiquitas liturgica normas ab initio tradiderit circa cantum aliquarum partium, seu Missae seu Vesperarum solemnium?

Documenta priorum temporum haud omnino deficiunt, quae nobis cantum originarium singularum partium tum Missae tum Vesperarum solemnium ostendant.

Propositas quaestiones enodaturis tradere in primis regulam generalem S. R. C. nobis opportunum videtur, circa partes in Missa solemni canendas: « Si partes divini Officii vel Missae omittantur in Choro ob sonitum organi, tum submissa voce dicenda quae omittuntur; quando vero non pulsatur, integre sunt cantanda ».

Quaenam vero sint partes licite omittendae, declarat documentum illud cui titulus: *Regolamento per la musica sacra approvato da S. S. Leone XIII* (d. d. 24 Septembris 1884), ubi legitur: « È proibito omettere l'Introito, la Sequenza, il *Sanctus*, il *Benedictus*, l'*Agnus*, L'omissione però del Graduale, Tratto, Offertorio, Comunione, in certe circostanze particolari, come di voci mancanti, col supplemento dell'organo, viene tollerato ».

Introitus, qui etiam *ingressa* vocabatur, iuxta ritum Ambrosianum quia canitur cum Sacerdos *intrat* ad altare, nil aliud est nisi antiphona, quam sequitur versiculus quidam (raro plures) alicuius psalmi cum *Gloria Patri* (quod tantum omittitur tempore Passionis ac in Missis pro defunctis). Totus quidem psalmus olim decantabatur in processione, quae fiebat ante Missam solemnem.

De huius antiphonae auctore varias scriptores protulerunt sententias: at quia res non immediate nostra refert, hanc sub silentio transibimus, tantum innuentes illam probabilius S. Gregorio Magno esse tribuendam.

Sequitur deinde cantus *Kyrie*. Sententiae clarissimi viri Duchesne et nos adhaerentes, retinemus has invocationes quamdam esse reliquiam alicuius antiquae consuetudinis, qua, ut etiam in hodierna Liturgia servatur in Missa Sabbati sancti et Vigiliae Pentecostes, ante Missam alternatim litaniae canebantur.

In nonnullis libris liturgicis monasticis videmus *Kyrie* interpolatum quibusdam interpositis clausulis, privata forsan auctoritate invectis, iuxta varias festivitates. Sic e. g. in festis solemnibus: *Kyrie, fons bonitatis, a quo bona cuncta*

procedunt, eleison. In festis D. N. I. C.: *Kyrie, cunctipotens genitor, Deus omnicreator, eleison. Christe, Dei splendor, virtus, Patrisque Sophia, eleison.* In festis B. M. V.: *Kyrie, virginitatis amator, inclyte Pater et creator Mariae, eleison,* etc. ...

Iuxta Caerem. Ep. organum alternare potest suum sonum cum cantu illis tantum temporibus anni a praescriptionibus generalibus non impeditis. Cum cantatur a Choro ultimum *Kyrie, eleison*, Sacerdos se confert ad medium altaris, et cantat « Gloria in excelsis Deo », *modulationibus statutis.* Caerem. Episcoporum sinit alternari sonum organi cum versiculis hymni angelici, dummodo hi *submissa voce*, recitentur.

Circa usum praeintonandi Celebranti *Gloria in excelsis* a Sacerdote pluviali induto, S. R. C., die 24 Iulii, anno 1683, n. 1711, *servandas Rubricas Missalis et Caeremonialis,* respondit in quibus, ut patet nulla fit mentio de ista praeintonatione. Petitae insuper facultati a Cortonensi Capitulo respondit non esse concedendas litteras remissoriales ad effectum probandi consuetudinem immemorabilem praeintonationis *Gloria* et *Credo*, « et Canonicos teneri intonare absque ulla praeintonatione » (D. 2114). Dispositione Summi Pontificis Telesphori (an. 498-514) primitus Romae invectus fuit cantus hymni angelici in priore Missa de Nativitate; deinde Symmachus cantari permisit *Gloria* in festis dominicis atque de martyribus, sed in Missa tantum a Summo Pontifice celebrata; et adhuc saec. XI simplicibus Sacerdotibus in festis Paschâtis tantum *Gloria* canendi facultas dabatur.

Hymno angelico expleto, atque Epistola a Subdiacono cantata, sequitur *Graduale*, quod antiquitus Diaconus, et sub Gregorio Magno quidam cantor, canebat. Hoc ab initio erat responsorium, dictum *Responsorium graduale*, et uti tale, ab universo Choro repetebatur post praeconcinnatores, sicut hodie fit in responsoriis Officii.

Iuxta Rubricas adhuc vigentes duo cantores incipiunt *Graduale*, usque ad signum, duabus lineis verticalibus expressum, et cuncti prosequuntur debita cum attentione.

Duo cantores *Versum Gradualis* dicunt. Si *Alleluia, alleluia* cum Versu sunt dicenda, primum *Alleluia* cantatur a duobus, Chorus autem repetit *Alleluia*, et subiungit neuma, protrahens syllabam *a*. Duo cantores intonant *Versum*, et Chorus respondet. Finito *Versu* iidem duo repetunt *Alleluia*, et chorus addit solum neuma. Post Septuagesimam, omissis *Alleluia* et *Versu* sequenti, dicitur *Tractus*, cuius singuli *Versus* intonantur a duobus, prosequente universo Choro. Antiquitus *Tractus* decantabatur absque ulla interruptione, *tractim*, haud intellecta hac voce in sensu lente et lugubriter canendi. Tempore paschali omittitur *Graduale* et eius loco dicitur *Alleluia, alleluia* cum *Versu*, modo supra dicto. Sequitur statim unum *Alleluia*, quod intonant duo cantores usque ad neuma, et Chorus addit neuma. Versus et unum *Alleluia* in fine cantantur modo supra descripto. Cantus *Alleluia* non invenitur in Liturgia ante saeculum XI, et introductum fuit tanquam additio ad *Graduale*, cuius instar, seu potius prout olim hoc decantabatur, alternatim Responsorii more decantatur, et non in omnibus festis habebatur. Tempore paschali, omisso *Graduali*, dicitur: *a)* duplex *Alleluia* et Versiculus; *b)* unum *Alleluia* et Versiculus; curnam hi duo cantus *a)*, *b)* fere semper differunt tono? Quia (iuxta sententiam cl.mi Pothier) decantabantur separatim; *a)* decantabatur post lectionem antiqui Testamenti; *b)* decantabatur post Epistolam Novi, uti accidit hodie in feria IV Quatuor Temporum ante festum SS. Trinitatis.

Finito Evangelio, Sacerdos intonat, si dicendum sit: *Credo in unum Deum,* prosequente Choro: *Patrem omnipotentem,* etc... Haud satis constat priorum temporum documentis quando Symbolum in singulis ecclesiis decantari coepit: hoc sine dubio manet, Romanam Ecclesiam Symboli recitationem fere postremam accepisse; etenim, ut innuit Berno Abbas, « neque Romana Ecclesia fuit aliquando haereseos labe infecta ».

Caerem. Ep. praecipit: « Cum dicitur Symbolum, non est alternandum cum organo, sed illud integrum per Chorum cantu intelligibili proferatur ». Circa hanc Rubricam fere innumerabilia adsunt Decreta, nec non S. R. C. responsiones, quas brevitatis gratia omittimus. Si autem omnes et singuli decantantur articuli, organus intermisceri potest ut cantores aliquantisper moram faciant.

Sequitur *Offertorium* seu aliquis versus, ut plurimum psalmi vel cuiuspiam loci S. Scripturae. Decantabatur antiquitus integer psalmus vel aliquod Responsorium variis partibus constans, quod nimis prolixis modulationibus cantores concinebant. Huiusmodi consuetudinis vestigium nunc prostat penes illud *Domine Iesu Christe*, et ℣. *Hostias et preces* in Missa defunctorum. Eo dicitur *Offertorium*, ait clarissimus Amberger, quod cantabatur cum Episcopus vel Sacerdos a Clero et ab omnibus fidelibus munera excipiebant; nunc autem canitur *Offertorium*, dum Deo hostiam laudis offerunt Sacerdotes. Illud omittere, vel eius loco concentus alios decantare nefas est, uti S. R. C. decrevit.

Praefationem excipit *Sanctus*, variis illis modulationibus statutis iuxta varias festivitates, et tantum post Elevationem, Chorus incipit cantum: *Benedictus*. Documentum illud: « Regolamento per la musica sacra ecc. »; iam a nobis superius citatum, prohibet quominus praeter cantum ipsius Missae cantetur a musicis aliqua laus vernaculo sermone; ibi legitur (§ I, art. 3): « La lingua propria della nostra Chiesa essendo latina, solo questa dovrà usarsi nella composizione musicale sacro-figurata. Gli stessi mottetti saranno composti di parole tolte dalla Sacra Scrittura, dal Breviario e Messale Romano, dagl'inni di san Tommaso d'Aquino, di altro santo dottore o da altri inni e preci approvati dalla Chiesa ». Idem insinuat Decretum 3230, S. R. C., seu: « Cantiones vulgari sermone inter Missarum solemnia prohibitae sunt; et ubi hic usus invaluit, Episcopus prudenter se gerat, ut valeat sensim sine sensu hunc morem removere, absque fidelium scandalo ».

Chorus tandem, postquam Celebrans Sanguinem Iesu Christi sumpserit, intonat *Communionem*. Resultat concentus iste quodam versiculo ex psalmis aliisve Scripturae locis discerpto, quem intonant cantores eodem ferme modo quo *Introitus* vel *Offertorium*. Huic antiphonae (ad Communionem) penes libros liturgicos IX saec. quidam psalmus addebatur in participatione fidelium ad S. Synaxim canendus, et post: *Gloria Patri,* praefatam antiphonam repetere mos erat.

Quae hucusque diximus satis sint circa cantum variarum partium Missae: paucis, nunc, de Vesperis solemnibus agamus.

Cuilibet psalmo praecedit antiphona, quae, si placuerit, finito psalmo, poterit per organum repeti, dummodo tamen per aliquos ad id deputatos clara voce recitetur.

Alicubi antiphonae omnes sub eadem cantilena decantantur, ubi invaluit consuetudo celebrandi Vesperas sine cantu Gregoriano, sed, ut italice dicitur, *figurato;* hoc tolerari potest, quia tunc ex antiphona non desumitur totius psalmi intonatio.

Adhuc saec. IV vigebat antiphonia qua psalmos concinebat populus, qui duobus choris cantum alternabat. Huiusmodi alternatae modulationis psalmorum vestigium, populum inter ac scholam cantorum, prostat nunc in illa; *Lumen ad revelationem* et *Nunc dimittis* in festo Purificationis B. M. V. Regulariter Psalmi decantari deberent a Choro et ab ipsismet Canonicis et Beneficiatis aliisque de Capitulo, in tono et cantu Gregoriano cum gravitate et decore, ita ut eorum verba ab

omnibus intelligantur; tunc et Antiphonae sub modulatione *gregoriana* concinendae erunt.

S. C. R. Decreto 3539 edixit, nullo modo tolerari posse, quod in Vesperis cantarentur aliqui versiculi ex omnibus vel aliquibus psalmis, caeteris omissis; iussitque, ubi haec invaluit consuetudo, ut eliminaretur. Si quaeritur insuper, utrum decantari possit tantum prior psalmus, atque caeteri recitari, respondemus negative, nam nil est quod hanc consuetudinem tolerandam insinuet. Insuper animadvertendum est, iis diebus, quibus duo vel plura cadunt Officia, fieri debere *Commemorationes*. Quia vero unum Officium solummodo integrum celebrari potest, praeeminet semper illud quod potius est; caeteri *commemorantur* ad *Laudes* et ad *Vesperas*. Quod si Kalendarium singularum dioecesum hac de re indicationes necessarias non habet, res moderanda est ad tramites liturgicarum legum.

Nullo pacto vero praetermitti possunt *Commemorationes* neque ratione solemnitatis neque alia quacunque ex causa, nam ipsae constituunt divini Officii partem aliquam praeceptam, cuius omissio nullimode est toleranda. Excipe si de Officio agatur mere votivo, nullo modo sub legibus ecclesiasticis cadente. Ratio est quia vel non cantantur Vesperae, in ecclesiis ubi obligatio chori non habetur, vel si cantantur, iuxta Rubricas Breviarii adamussim sunt decantandae.

Haec satis sint de iis quae canenda sunt in Missis et Vesperis solemnibus; alteram nunc nostrae dissertationis partem aggrediamur.

II. Quid de obligatione liturgicorum librorum cantus in Ecclesiis?

Nomine librorum liturgicorum veniunt libri continentes varios concentus qui in catholica Liturgia occurrunt. Hi potissimum sunt:

1. *Missale Romanum*, preces continens ac lectiones praescriptas in Missa, necnon intonationes Celebrantis atque varios modos decantandi Praefationes, *Pater noster*, etc. Tenetur Sacerdos in Missa cantare, iuxta quod praescribitur in Missali, nam S. R. C. die 14 Martii an. 1896 proposito dubio: « Utrum intonationes Hymni angelici, ac Symboli necnon singulae modulationes a Celebrante in Missa cantata exsequendae, videlicet Orationum, Praefationis, Orationis dominicae, etc.... ex praecepto servari debeant prout iacent in Missali, an mutari potius valeant iuxta consuetudinem quarumdam Ecclesiarum », respondit « *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam, et quamcunque contrariam consuetudinem esse eliminandam ».

2. *Graduale Romanum*, continens *concentus* chorales, scilicet *introitus*, *gradualia*, *alleluia*, *tractus*, *sequentias*, *offertoria*, *communiones* totius anni ecclesiastici; in eius appendice prostat *Ordinarium Missae*, seu *concentus invariabiles* ad Missam, iuxta gradum festivitatis ordinati.

Circa nomen huius libri, hoc scimus, quod originem ducit ex *gradibus* ambonis, seu ab illo *scamno* ante altare posito, quod cantor ascendebat. Hic concentus, usque ad finem saec. VI, decantabatur ab uno Diacono; Celebrans caeterique fideles illum integrum auscultabant, unde evincitur, cantum illum *ad gradus* fuisse maximi momenti, nam caeteras omnes modulationes Chorus universus *in plano* exsequebatur.

Ex dictis desumitur, hanc vocem *Graduale* nomen concentus maioris ponderis in Missa designasse, et librum in quo continebatur. Hinc concludendum (cum repraesentet *Graduale* partem Missae antiquiorem semper conservatam in Liturgia et quidem magni ponderis), reprobandam esse consuetudinem illud submissa voce recitandi, quod integrum decantandum est, iuxta morem priorum fidelium, qui nos praecesserunt optimo exemplo in iis etiam quae ad divinum cultum pertinent.

Alii etiam enumerantur libri liturgici, ut *Pontificale Romanum*, *Rituale Romanum*, *Caeremoniale Episcoporum* aliique, de quibus singillatim disserere longum esset. Ad Vesperas quod attinet, primum locum tenet *Antiphonarium Romanum*, comprehendens antiphonas ad Matutinum, ad Laudes et ad Vesperas, invitatoria, responsoria, psalmorum intonationes, etc.

Nunc generatim dicimus quoad horum librorum usum nullam obligationem singulis Ecclesiis imponi, cum ex S. R. C. licentia, adhiberi possit in Ecclesiis cantus, ut dicitur, musico-figuratus, dummodo hic bene statutis limitibus contineatur.

De obligatione liturgicorum librorum cantus agentibus, et praecipue de obligatione *Gradualis*, occurrit, hisce praesertim diebus, quaestio magis digna notatu circa editiones continentes concentus qui dicuntur italice *raccorciati*, atque illas quae comprehendunt concentus traditionales.

S. R. C., die 21 Aprilis 1873, edidit Decretum quod sequitur: « In Missa cantus romanus gregorianus adhiberi debet, et quidem ex editionibus a S. R. C. adprobatis vel exemplaribus authentico testimonio Ordinarii cum illis cohaerentibus »: ulterius alicubi saepe commendantur dioecesibus universi orbis catholici editiones Ratisbonenses; sed hic animadvertere necesse est, has omnes ecclesiasticas decisiones potissimum editas fuisse ad eliminandas quamplures malas consuetudines, quibus singulae Ecclesiae suum peculiare decantandi genus invexerant. Hinc, ut etiam in cantu liturgico unitas haberetur, omnibus dioecesibus proposuit S. R. C. unicam editionem adhibendam. Haec tamen nil aliud est nisi quaedam praescriptio *ad tempus*, minime, vero, ut nonnulli praetendunt, documentum quo characterem officialem induant Ratisbonenses editiones, ad exclusionem concentuum traditionalium. Etenim, iuxta traditionem ecclesiasticam, observatam etiam in nota Constitutione Ioannis XXII, hac de re praescriptiones Ecclesiae *negativae* potius erunt dicendae quam *positivae*, non indicant scilicet quaenam adhiberi debeat musices sacra (quod aliis argumentis dignoscitur), sed quaenam adhiberi nullo modo debeat, ut divino cultui inserviat. Hodie quidem, concentus traditionales non solum permittit S. R. Congregatio, sed quodammodo praescribit aliquibus Ecclesiis, praesertim monasticis, quae solae huic formae cantus genuinum valorem tribuunt, necnon omnibus etiam locis, ubi de eadem recta intelligentia possidetur.

Interea vero, quo iure a quibusdam denegatur illis character officialis, quem caeterum semper habuerant et habent, cum concentus traditionales repraesentent cantum primitivum et officialem totius Liturgiae catholicae? Hinc vero patet utilitas reditus huius ad formam primitivam, quae utilitas magis ex hac consideratione elucet: documentum illud a nobis saepe citatum: *Regolamento per la musica sacra, ecc.*, ad coërcendos abusus musices sacro-figuratae, ait: « Il *Gloria* non sia diviso in tante parti separate con gli assòli di genere drammatico. Il *Credo* pure sia composto tutto di seguito, in modo da formare un tutto ben connesso. Si evitino, per quanto si può, gli assòli, i duetti foggiati a maniera di canto teatrale, nè si posponga il posto che le parole occupano nel rispettivo testo » (§ IV).

Haec praescriptio ubinam observatur? Quamplures, omnibus constat, adsunt Ecclesiae, in quibus genus quoddam musices prorsus profanum adhibetur, ita ut fideles domum Dei ingrediuntur tanquam *spectaculum* adeuntes. Hinc necessitas reditus *ad fontes S. Gregorii;* nam concentus traditionales semper sese exhibent ut principium salutare cuiuscumque de re musica in Ecclesia novae institutionis. Etenim uti quaelibet posterior forma musices sacrae evoluta fuit ex

concentibus gregorianis traditionalibus, ita reditus ad cantus ecclesiastici sanctitatem atque gravitatem ab iis omnibus attendi debet, quibus cura est, ut illorum concentuum primitiva inspiratio excolatur.

Optime igitur huic quaestioni spectat illud summi Pontificis Leonis XIII s. m.: « declinare ab instituto corruptio est; ad institutum redire, sanatio ».

Doct. PETRUS PIACENZA.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ NE PEREANT

Août 1903.

9 Dimanche (1).

— Sa Majesté Apostolique, François-Joseph, envoie au St-Père un très affectueux télégramme exprimant ses vœux et ses félicitations pour le Couronnement.

— Le Président de la République Argentine accrédite par dépêche M. Daniel Garcia Mansilla, Chargé d'Affaires près le St-Siège, en qualité de Plénipotentiaire extraordinaire en mission spéciale, pour féliciter Sa Sainteté et représenter le Gouvernement à la cérémonie du Couronnement.

— Dans l'après-midi, le St-Père reçoit en audience M. le Comte J.-B. Paganuzzi et sa famille.

— A huit heures du soir, S. A. R. le Duc Robert de Parme, accompagné de ses filles, les Princesses Adélaïde et Béatrice, et de son fils le Prince Sixte, est reçu par le St-Père selon le cérémonial réservé aux Princes des Familles Régnantes.

10 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. Em. les Cardinaux Gruscha, Arch. de Vienne; — Richelmy, Arch. de Turin; — Boschi, Arch. de Ferrare; — et Tripepi, Préfet de la S. C. des Indulg.

— Dans l'après-midi, le St-Père reçoit les Députations des Chapitres de Venise, d'Udine, de Trévise, de Mantoue et de Padoue; — Il reçoit ensuite dans la Salle Clémentine les pèlerins de ces mêmes Diocèses.

— M. le Dr. Luis Garabelli, Ministre de l'Uruguay résidant en Allemagne, est chargé par son Gouvernement de se rendre à Rome en mission spéciale, pour présenter à Sa Sainteté les félicitations du Gouvernement de l'Uruguay.

— Par Billet du Pro-Secrétaire d'Etat, Mgr R. Angeli, ex-Secrétaire particulier de Léon XIII, est nommé Protonotaire Apostolique *ad instar participantium.*

— Le St-Père confirme dans leurs charges de Chapelains Secrets, NN. SS. Vincent Ungherini, Nazaréen Marzolini et Adrien Zecchini.

11 Mardi.

Les différentes Députations de Venise, venues à Rome pour assister au Couronnement de Pie X, sont admises dans la Chapelle Pauline pour entendre la messe du nouveau Pontife. A cause de la chaleur excessive, le St-Père éprouve un malaise, dont il ne tarde pas à se remettre complètement.

12 Mercredi.

Le St-Père fait à 7 heures du matin une longue promenade à pied dans les jardins du Vatican.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Michel Lega est nommé Sous-Secrétaire de la S. C. du Concile.

13 Jeudi.

Dans la matinée, M. le Comte Nicolas Szécsen de Temerin présente au St-Père les lettres qui lui confirment sa Mission d'Ambassadeur d'Autriche-Hongrie près le St-Siège.

— Dans l'après-midi, LL. Exc. M. Garzia Mansilla, Ministre Plénip. de l'Argentine près le St-Siège, M. Luis Garabelli, Ministre de l'Uruguay à Berlin, et M. Jean-Marie de Goyeneche, Env. Extr. et Min. Plénip. du Pérou, offrent au St-Père les hommages, les félicitations et les vœux de leurs Gouvernements respectifs.

14 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. Em. les Card. Casañas y Pagès, Ev. de Barcelone; — Pierre Respighi, Son Vicaire Général; — et Vivès y Tuto.

— Le St-Père reçoit également en audiences: LL. GG. Monseigneur D. Panici, Secrétaire de la S. C. des Rites; — Mgr Grégoire Haggear, Arch. Grec-Catholique de St-Jean d'Acre; — et Mgr Georges Szembek, Ev. de Plosko.

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Philippe Gentili, Assesseur de la S. C. de la S. Visite Apost., est nommé Secrétaire de la même S. Congrégation; — et Monseigneur Dominique Crocicchia, Substitut de la dite S. Congrégation en est nommé Assesseur.

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Cardinal F. de Paule Cassetta est nommé Protecteur de l'Archiconfrérie du T.-S. Sacrement et du S. Nom de Dieu, érigée dans la Vén. Eglise Collégiale des SS. Celse et Julien; — et S. Em. le Card. Sébastien Martinelli est nommé Protecteur de la Congrégation des Sœurs de la Providence, à Indianopolis.

15 Samedi.

LL. Excellences M. Joseph Gutierrez de Agüerra, Ambassadeur d'Espagne près le St-Siège; M. le Baron Antoine de Cetto, Env. Extr. et Min. Plénip. de Bavière près le St-Siège; M. le Baron Wulfran de Rotenhan, Env. Extr. et Min. Plénip. de Prusse près le St-Siège; et M. le Comte Jules de Wagner, Env. Extr. et Min. Plénip. de la Principauté de Monaco près le St-Siège, présentent au St-Père les lettres qui les confirment dans leurs Missions diplomatiques, et Lui offrent en même temps les hommages, les félicitations et les vœux de leurs Gouvernements respectifs.

— Dans la soirée, le St-Père reçoit en audiences: M. le Comte Camille Pecci, Brigadier Général de la Garde-Noble et Commandant de la Garde Palatine d'honneur; — M. le Baron Léopold Meyer de Schauensee, Commandant de la Garde-Suisse; — M. le Comte de Villalonga, Sénateur espagnol; — et M. le Comte Grosoli, qui est confirmé dans sa mission de Président Général de l'Œuvre des Congrès et des Comités catholiques en Italie.

16 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. Em. les Card. Martin de Herrera y de la Iglesia, Arch. de Compostelle; — et François Segna, Préfet des Archives du St-Siège; — ainsi que S. G. Mgr Hartz, Arch. de Manille.

— Une Députation de la Vén. Archiconfrérie de S. Roch, présente au St-Père les pains bénits à l'occasion de la fête du S. Titulaire, dont une relique insigne est vénérée à Venise.

17 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Sanminiatelli Zabarella; — et S. Exc. M. le Prince D. Marius Chigi, Maréchal perpétuel du Conclave, accompagné de son Secrétaire M. l'avocat Henri Kambo, de son aumônier

(1) Vide in fasc. praec. *Diarium Curiae Romanae,* usque ad diem 9 Augusti. *N. D.*

M. l'abbé Fiori et de ses quatre Capitaines, MM. Senni, Tosi, Alessandri et Manni.

— Dans l'après-midi, S. Em. le Card. Charles Nocella est reçu en audience — Le St-Père reçoit ensuite dans la *Loggia* du 3e étage plusieurs personnes de distinction.

— Le St-Père charge Son Aumônier. Mgr Costantini, de distribuer 100,000 fr. aux pauvres de Rome.

18 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. Em. les Cardinaux Di Pietro, Pro-Dataire; — Gotti, Préfet de S. C. de la Prop.; — Cassetta; — et Cavicchioni.

— Dans la soirée, S. A. le Prince D. Philippe Orsini, Assistant au Trône Pontifical, et S. Exc. M. le Prince D. Philippe Lancellotti, sont reçus en audience.

— Le St-Père reçoit ensuite dans la *Loggia* du 3e étage M. le Comm. Henri Angelini, Consul du Mexique, qui présente plusieurs familles mexicaines.

19 Mercredi.

S. Exc. M. Armand Nisard, Ambassadeur de France près le St-Siège, offre au St-Père les vœux et les félicitations du Président de la République Française, à l'occasion de son élévation au Trône Pontifical.

— Le St-Père reçoit en audiences: LL. Em. les Cardinaux Martinelli et Pierotti, — ainsi que LL. GG. Mgr Jules Drohobeczki, Ev. grec-ruthène de Crisio; — et Mgr Bernardin Caldaioli, Ev. de Grosseto.

— Dans la soirée, le St-Père reçoit en audiences: le R.me P. Minas Nourikhan, Proc. Gén. des Méchitaristes de Venise; — Mgr Paléologue, Curé du Pirée; — le R. P. Sottovia, de la Compagnie de Jésus; — ainsi que plusieurs autres personnes.

20 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. Em. les Cardinaux Dominique Ferrata, Préfet de la S. C. des Ev. et Rég.; — François Satolli, Préfet de la S. C. des Etudes; — Casimir Gennari; — et Louis Macchi.

— S. Exc. M. le Marquis Alexandre Capranica, Bailli de l'Ordre Souverain de Malte, en l'absence du Grand-Maître, présente les Membres du Grand Magistère de l'Ordre.

— S. Exc. M. le Duc de San Martino de Montalbo remet à Sa Sainteté les lettres de félicitation de LL. AA. RR. le Comte de Caserte et le Duc de Calabre.

— Dans la soirée, le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Laurent Chieppa, Ev. de Cariati; — Mgr Philippe Giustini, Secrétaire de la S. C. des Ev. et Rég.; — M. le Commandeur Ludovic Seitz, Directeur Artistique des Galeries Pontificales; — et un grand nombre d'autres personnes.

21 Vendredi.

S. Em. le Card. Séraphin Vannutelli est reçu en audience.

— S. Exc. M. le Baron d'Erp, Ministre de Belgique près le St-Siège, présente au St-Père les lettres de son Gouvernement, qui le confirment dans sa Mission diplomatique.

— Le R.me P. Albert Lepidi, Maître des Sacrés Palais, est reçu en audience.

— Dans la soirée, plusieurs personnes sont admises à baiser la main de Sa Sainteté.

22 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. Em. les Cardinaux Pierre Respighi; — Jean-Baptiste Casali del Drago; — et André Steinhuber.

— Le R.me P. Bernard d'Andermatt, Ministre Général des Capucins, accompagné par les membres de la Curie Généralice, est reçu en audience.

— Dans la soirée, M. le Dr Joseph Lapponi, Directeur de l'hygiène et de l'Assistance sanitaire des Sacrés Palais Apostoliques, présente au St-Père les employés qui sont sous sa dépendance.

23 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. François Segna, Préfet des Archives du St-Siège; — ainsi que LL. GG. Mgr Henri Grazioli, Arch. Tit. de Nicopolis; — Mgr Sauveur Fratocchi, Ev. Tit. de Memphis, Auxiliaire d'Orvieto; — et Mgr Cavallari, consacré Ev. Tit. de Philadelphie.

— Dans l'après-midi, le St-Père reçoit plusieurs personnes dans la *Loggia* du 3e étage.

24 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Thomas Hendreeck, Ev. de Cebù, aux Iles Philippines; — et Mgr Félix Cialdini, Arch. Tit. de Cyrène; — Mgr Constantin Contini-Riccardi, Auditeur de la S. Rote; — le T. R. P. Dom Benoît Chambon, Proc. Gén. des Cisterciens Réformés, accompagné par le T. R. P. Dom Dominique Schercouse, Abbé de N.-D. des Catacombes, et le R. P. Dom Urbain, Définiteur Général; — ainsi que M. le Marquis François Naro Patrizi Montoro, Porte-Etendard héréditaire de la Sainte Eglise Romaine.

25 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. Em. les Cardinaux Vincent Vannutelli, Préfet de la S. C. du Concile; — Louis Macchi, Secrétaire des Brefs; — André Aiuti, Pro-Nonce Apostolique en Portugal; — et Patrice François Moran, Arch. de Sydney.

— Congr. Antipréparatoire des S. Rites, tenue sous la présidence de S. Em. le Card. Dominique Ferrata, remplaçant S. Em. le Card. Séraphin Cretoni, Ponent, pour l'examen des deux miracles qui sont proposés pour la Canonisation du Bienheureux Joseph Oriol, Prêtre Bénéficier de l'Eglise de Sainte-Marie des Rois, à Barcelone.

26 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Paul-Marie Barone, Arch. Tit. de Mélitène; — et Mgr Siméon Volonteri, Ev. Tit. de Paléopolis, Vic. Ap. de l'Ho-Nan Méridional; — ainsi que Mgr Alexandre Verde, Promoteur de la Foi; — Mgr Ludovic Schüller, Abbréviateur du Parc Majeur; — et Mgr Alessi, Chanoine Théologal de la Cathédrale de Padoue.

— Par délégation spéciale de Sa Sainteté, S. G. Mgr G. Pifferi bénit les *Agnus Dei* qui portent l'effigie du nouveau Pontife.

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Basile Pompili, le R. P. Eugène Polidori, S. J., et le R. Dom Léon Allodi, Bénédictin de la Congr. de Subiaco, sont nommés Consulteurs de la S. C. des Ev. et Rég.

27 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Camille Sorgente, Arch. de Cosenza; — et Mgr Louis Pugliese, Ev. d'Ugento; — ainsi que le R.me Dom Maur Tinti, Abbé de S. Bernard aux Thermes; — le R.me P. François de Paule Ragonesi, Général des Théatins; — et le R. P. Vitale, Curé de S. Charles ai Catinari.

— A 5 heures 1|2 le St-Père impose le chapeau cardinalice à S. Em. le Card. Sébastien Herrero y Espinosa de los Monteros, Arch. de Valence, créé Cardinal dans le Consistoire secret du 22 juin de l'année courante. Il lui assigne le Titre Presbytéral des SS. Boniface et Alexis sur l'Aventin. Cette cérémonie extraordinaire a été accomplie à cause de l'âge avancé et de la santé précaire de l'Eminent Archevêque, afin de lui éviter un prochain voyage à Rome.

28 Vendredi.

Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, LL. EEm. les Cardinaux Mariano Rampolla del Tindaro, et François de Sales Della Volpe, sont nommés Membres de la S. C. de la Propagande pour les Affaires du Rite Oriental.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Cardinal Sébastien Herrero y Espinosa de los Monteros, qui a reçu hier le Chapeau Cardinalice, est appelé à faire partie des Congrégations suivantes: Ev. et Rég., Rites, Cérémonial, Indulgences.

— Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Louis Tripepi, Préfet de la S. C. des Indulg.; — S. G. Mgr Joseph Moràbito, Ev. de Mileto; — et Mgr Sauveur Talamo, Clerc de la Chambre Apost.

— Dans la soirée, le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Gotti, Préfet de la Propag.; — et LL. Exc. M. le Duc et Madame la Duchesse de Mondragone, avec leur famille.

29 Samedi.

S. Exc. M. Michel d'Antas, Ambassadeur de Sa Majesté Très Fidèle près le St-Siège, présente au St-Père les Lettres qui le confirment dans ses fonctions, en même temps que les félicitations et les vœux de son Gouvernement.

— S. Exc. M. Constantin Goubastow, Ministre Résident de Russie près le St-Siège, présente au St-Père les Lettres qui le confirment dans sa Mission diplomatique.

— Dans la soirée, le St-Père reçoit dans la *Loggia* du 3e étage plusieurs personnes de marque, ainsi qu'une députation de l'Institut des Sœurs de Charité de la Vén. Capitanio.

30 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Marie Grasselli, Ev.-Arch. de Viterbe; — et Mgr Maur Nardi, Ev. Tit. de Thèbes; — ainsi que le T. R. P. Abbé Dom Jean Strozzi, Proc. Gén. des Chanoines Réguliers du T. S. Rédempteur; — Mgr Emmanuel Corragioni d'Orelli, Prélat Domestique, Chapelain de la Garde-Suisse; — S. A. S. la Princesse Orsini; — LL. Exc. le Prince et la Princesse de Piombino; — et S. Exc. le Général Comte Pianciani.

31 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. François de Sales Della Volpe, Préfet de l'Economat de la S. C. de Propag.; — S. G. Mgr Amilcar Tonietti, Arch. Tit. de Tiana; — le R.me Dom Arsène Pellegrini, Abbé des Basiliens de Grottaferrata; — et Mgr. Pierre Wenzel, Sous-Archiviste des Archives du Vatican.

— Mgr Joseph Wilpert présente au St-Père un important travail sur les peintures des Catacombes.

Septembre 1903.

1 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Jules Drohobeczki, Ev. Grec-Ruthène de Crisio; — le R.me P. Félix Fioretti, Sup. Gén. des Barnabites; — le R.me P. Bernard Maiolo, Correcteur Général des Minimes; — et Madame la Marquise Aurore Misciatelli, avec sa fille.

— Dans la soirée, plusieurs personnes sont reçues dans la *Loggia* du troisième étage.

— Congr. Ordinaire des S. Rites tenue au Vatican, pour y examiner les questions suivantes:

1. Confirmation du culte rendu de temps immémorial au Serv. de Dieu J.-B. de Fabriano, Prêtre Profès de l'Ordre des Mineurs;

2. *Item* pour le Serv. de Dieu Jean de Verceil, sixième Maître Général de l'Ordre des Prédicateurs;

3. Déclaration du cas excepté au sujet des Décrets d'Urbain VIII, et concession et approbation des Leçons propres du second Nocturne en l'honneur de St Just, moine et martyr, patron principal de la Ville et du Diocèse de Suse;

4. Concession et approbation des Offices et des Légendes pour le Martyrologe, en faveur de plusieurs Saints Irlandais;

5. Concession et approbation de la fête avec Office et Messe, du Patronage de St Vincent de Paule, Fondateur de la Congr. de la Mission et des Filles de la Charité;

6. Concession et approbation de l'Office et de la Messe en l'honneur de la T. Ste Vierge sous le vocable *Douce Mère*, pour le Diocèse de Bois-le-Duc;

7. Concession et approbation de l'Office et de la Messe en l'honneur du Bienh. Pierre Dumoulin-Borie, de la Société des Missions Etrangères, pour le Diocèse de Tulle;

8. Révision des écrits de la Serv. de Dieu Adélaïde Cini, Fondatrice de l'Institut du Sacré-Cœur de Jésus, dans la ville de Malte;

9. Révision de la seconde partie des écrits du Serv. de Dieu Ludovic de Cassoria, Prêtre Profès de l'Ordre des Mineurs, et Fondateur des Frères *Bigi* (gris) de la Charité;

10. Solution de plusieurs questions liturgiques.

— Mgr Boniface Marin, Vicaire Général, par procuration de S. Em. le Card. Herrero y Espinosa de los Monteros, Arch. de Valence, prend possession du titre Cardinalice des SS. Boniface et Alexis sur l'Aventin.

2 Mercredi.

Itaque mirari licet, esse complures, qui novarum rerum cupidine, ut est aetatis ingenium, coniicere laborent, quae Nostra gerendi pontificatus ratio futura sit. Quasi vero investigatione res egeat, aut planum non sit, Nos eam ipsam insistere velle, nec aliam posse viam, quam decessores Nostri usque adhuc institerint. *Instaurare omnia in Christo*, hoc ediximus Nobis esse propositum; et quoniam *Christus est veritas*, idcirco obeundum Nobis est in primis magisterium et praeconium veritatis. Hinc simplex, dilucidus sermo Iesu Christi et efficax perpetuo, curabimus, dimanet ex ore Nostro, alteque inculcetur animis, sancte custodiendus; quam quidem custodiam Ipse adiumentum dignoscendae veritatis voluit esse maximum: *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis. Et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (1).

Pro munere autem tuendae veritatis christianaeque legis, Nostrum necessitate erit: notiones illustrare et asserere maximarum rerum, sive natura informatas, sive divinitus traditas, quas nunc obscuratas passim atque obliteratas videmus; disciplinae, potestatis, iustitiae aequitatisque, quae convelluntur hodie, principia firmare; universos singulos, neque solum qui parent, sed et qui imperant, utpote omnes eodem prognatos Patre, in privata publicaque vita, in genere etiam sociali et politico ad honestatis normam regulamque dirigere. — Utique intelligimus nonnullis offensioni fore, quod dicimus, curare Nos rem etiam politicam oportere. Verum quisque aequus rerum iudex videt, Pontificem a magisterio, quod gerit, fidei morumque nequaquam posse politicorum genus diiungere. Praeterea caput quum sit rectorque summus perfectae societatis, quae est Ecclesia, ex hominibus coalescentis, inter homines constitutae profecto velle, debet, cum principibus civitatum et gubernatoribus rei publicae mutua sibi officia intercedere, si catholicorum in omni ora ac parte terrarum velit et securitati et libertati esse consultum.

Insitum quidem est homini, ut veritatem sitienter appetat, oblatamque amplexetur amanter et retineat. Sed tamen vitio

(1) Ioann. VIII, 31-32.

naturae fit, ut nimis multi nihil oderint peius, quam denuntiationem veritatis, utpote quae errores ipsorum nudet cupiditatesve coërceat. Horum omnium convicia minaeque Nos minime commovebunt; sustentamur quippe admonitione illa Iesu Christi: *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit* (1). Caeterum illa, de quibus quotidie veritatem catholicam invidiose criminantur, quod libertatem impediat, quod scientiae officiat, quod humanitatis progressiones retardet, num disserere opus est quam sint plena falsitatis? — Enimvero infinitatem sentiendi agendique licentiam, cui nullius auctoritatis nomen nec divinae nec humanae sit sanctum, nulla sint intacta iura, quaeque, ordinis disciplinaeque fundamenta convellens, in exitium rapiat civitates, damnat eam quidem Ecclesia cohibendamque severe censet; sed istud corruptio libertatis est, libertas veri nominis non est. Sinceram autem germanamque libertatem, qua nempe cuique liceat, quod aequum iustumque sit, facere, tantum abest ut Ecclesia compescat, ut expeditissimam debere esse semper contenderit. — Nec minus distat a vero quod aiunt, obsistere scientiae fidem: quum contra verissimum sit, prodesse etiam nec ita parum. Praeter enim ea quae sunt supra naturam, de quibus nulla potest esse homini sine fide cognitio, multae res sunt aeque maximae in ipso naturae ordine, quas quidem sibi pervias habeat humana ratio, sed, fidei aucta lumine, multo certius clariusque percipiat; in caeteris autem vera veris pugnantia facere, quando utrumque genus ab uno eodemque capite et fonte, Deo nimirum, proficiscitur, absurdum est. — Ita vel ingeniorum inventa, vel experientiae reperta, vel incrementa disciplinarum, quaecumque demum actionem vitae mortalis provehunt in melius, quid est causae cur Nobis, qui catholicae veritatis custodes sumus, non probentur? Imo est, quare fovenda etiam, Decessorum exemplo, videantur. At vero recentioris philosophiae, civilisque prudentiae decreta, quibus hodie humanarum rerum cursus eo impellitur, quo legis aeternae praescripta non sinunt, ea Nos refellere et redarguere, memores Apostolici officii, debemus. In quo quidem non humanitatem remoramur progredientem, sed ne ad interitum ruat prohibemus.

At enim necessarium aggressi pro veritate certamen inimicos hostesque veritatis, quorum vehementer miseret, amantissime complectimur, divinaeque benignitati cum lacrimis commendamus. Nam si, quae vera iusta recta sunt probare et tueri, quae falsa iniusta prava detestari et reiicere, lex est sanctissima romani pontificatus; non minus est, misericordiam veniamque dilargiri peccantibus, idque ad similitudinem Auctoris sui, qui *pro transgressoribus rogavit*. Siquidem Deus, qui *erat in Christo mundum reconcilians sibi*, per Pontifices romanos potissime, ut Vicarios Filii sui, prorogari in aevum voluit *ministerium reconciliationis*, quae propterea ab earum esset auctoritate iudicioque requirenda. Autumare igitur reconciliandam esse Nobis cum quopiam gratiam, esset id quidem iniuriose et perverse iudicantium de munere officioque Nostro, quo ipso debemus paternam erga omnes gerere voluntatem.

Equidem non confidemus, quod decessores Nostri nequivere, assequi Nos posse, ut late fusos errores iniustitiamque omnem vincat usquequaque veritas; in id tamen summa contentione, ut diximus, nitemur. Quod si vota Nostra non sunt plene eventura, illud certe, Deo dante, fiet ut imperium veritatis et in bonis constabiliatur, et ad alios complures, non male animatos propagetur.

(1) Ioann. XV, 18.

Nunc vero iucundum est, animum adiicere ad amplissimum Collegium Vestrum, Venerabiles Fratres, supplendum; cuius honore afficere hodie duos lectos viros decrevimus. Alter, vestris ipsorum testimoniis per interregnum ornatus praestantem animi et ingenii indolem, paremque gerendarum rerum prudentiam paucis hisce mensibus Nobis egregie probavit. Alterius eximia pietatis doctrinaeque ornamenta, et in diuturna episcopalis procuratione muneris absolutam numeris omnibus diligentiam iamdiu Ipsi habémus exploratissima. Ii autem sunt:

RAPHAËL MERRY DEL VAL, Archiep. Tit. Nicaenus.

IOSEPHUS CALLEGARI, Episcopus Patavinus.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales

RAPHAËLEM MERRY DEL VAL

IOSEPHUM CALLEGARI

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Romae, die 12 Novembris 1903.

Consistorium Publicum.

La Santità di Nostro Signore Papa Pio X ha tenuto questa mattina pubblico Concistoro nel Palazzo Apostolico Vaticano, per dare il Cappello Cardinalizio agli E.mi e R.mi Signori Cardinali Aiuti, Taliani e Katschthaler, creati e pubblicati dalla s. m. di Leone XIII nel Concistoro Segreto del 22 passato giugno, Merry del Val e Callegari, creati e pubblicati nel Concistoro Segreto del prossimo passato lunedì.

Consistorium Secretum.

Terminato il Concistoro pubblico, ha avuto luogo, nell'Aula solita, il Concistoro Segreto, in cui il Santo Padre, dopo chiusa la bocca, giusta il costume agli E.mi e R.mi Cardinali novelli, ha proposto le seguenti Chiese:

Chiesa Cattedrale di Astorga, pel R. D. Giuliano Miranda y Restner, diocesano di Segovia, dottore in sacra teologia, Canonico Decano della Cattedrale di Segovia.

Chiesa titolare Vescovile di Lorima, pel R. D. Francesco Garcia y Lopez, arcidiocesano di Valenza, Vicario Generale della stessa arcidiocesi, deputato ausiliare dell'E.mo e R.mo sig. Card. Sebastiano Herrero y Espinosa de los Monteros, Arcivescovo di Valenza.

In seguito Sua Santità ha aperto, secondo il consueto, la bocca ai novelli Porporati, e si è fatta a Sua Beatitudine la postulazione del Sacro Pallio per le Chiese Metropolitane di Westminster, Los Angeles, Mohilow e Porto Principe.

Finalmente il Santo Padre ha posto l'anello Cardinalizio ai prefati Cardinali, e ha assegnato all'E.mo Aiuti il titolo Presbiterale di S. Girolamo degli Schiavoni; quello di San Bernardo alle Terme all'E.mo Taliani; quello di S. Tommaso in Parione all'E.mo Katschthaler; quello di S. Prassede all'E.mo Merry del Val, e quello di S. Maria in Cosmedin all'E.mo Callegari.

Ritiratasi S. Santità nei Suoi appartamenti, ha ricevuto privatamente gli E.mi Porporati.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 21 Novembris 1903, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda:

A. — Per Summaria precum.

I. BERGOMEN. — Dispensationis ab irregularitate. — R. *Attentis omnibus non expedire.*

II. GUASTALLEN. — Consuetudinum quoad servitium chorale. — R. Ad I^um^. *Praevia sanatione quoad praeteritum, quoad futurum, pro gratia ad quinquennium, cum facto verbo SS^mo^.* — Ad II^um^. *Serventur statuta.* — Ad III^um^ et IV^um^. *Servetur ius commune.* — Ad V^um^. *Pro gratia dispensationis a cantu dumtaxat missae conventualis per quinquennium, exceptis omnibus diebus festis aliisque ab Episcopo determinandis pro suo arbitrio et conscientia, facto verbo cum SS^mo^.*

III. MEDIOLANEN. — Oneris Missarum quoad applicationem. — R. *Attentis omnibus, pro gratia dispensationis a missae applicatione pro fundatore diebus festis ad cautelam facto verbo cum SS^mo^.*

B. — In Folio.

I. PARISIEN. — Nullitatis matrimonii. — R. *Sententiam esse confirmandam.*

II. PARISIEN. — Nullitatis matrimonii. — R. *Sententiam esse confirmandam.*

III. MOHYLOVIEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.*

IV. MECHLINIEN. — Nullitatis matrimonii. — R. *In decisis.*

V. LUBLINEN. seu VARSAVIEN. — Separationis thori et cohabitationis. — R. Ad I^um^. *Providebitur in 2°.* — Ad II^um^. *Affirmative ad 1^am^ partem ex culpa viri attenta etiam eius confessione; negative ad 2^am^.*

VI. COLOCEN. — Resignationis beneficii. — R. Ad I^um^. *In decisis et amplius.* — Ad II^um^. *Negative ad 1^am^ partem, affirmative ad 2^am^, ita tamen ut pensio non solvatur sacerdoti Fonyò, usque dum peractis spiritualibus exercitiis tempore et loco ab Archiepiscopo determinandis, scandala data non reparaverit, absolutionem ab excommunicatione, quatenus opus sit, non obtinuerit et humiliter se subiecerit.* (Sub-secreto).

VII. PISTORIEN. — Praesentationis ad ecclesiam parochialem. — R. *Negative et amplius.* (Reservata).

A. — Per Summaria precum.

4519/2 I.

Bergomen. — Dispensationis ab irregularitate.

Non conceditur dispensatio ab irregularitate ob amputationem utriusque pedis cum promovendo, etsi bonae sit indolis et ab Ordinario commendetur.

Samuel Gotti alumnus Seminarii Bergomensis, ex contracti morbi consequentia amputationem utriusque pedis pati coactus est. Verum huic defectui suppletum est applicatione automatici instrumenti ad genua, ita ut commode se movere et deambulare queat iuxta medici curantis fidem. Cupiens praefatus iuvenis militiae ecclesiasticae sese adscribere, supplicem libellum pro dispensatione a contracta irregularitate H. S. Congregationi obtulit, quae censuit Episcopum Bergomensem interpellare, nedum super qualitatibus moralibus et intellectualibus Oratoris, sed etiam ut referret utrum adesset probabile periculum renovationis vel propagationis morbi, quod progressu temporis liberam corporis motionem et deambulationem impediret: et praesertim utrum timeri possit aliqua irreverentia in sacro faciendo.

Episcopus in sua relatione Oratori favet, sed quoad periculum irreverentiae in Missae celebratione haec refert: « A « riguardo poi al pericolo od alle irreverenze che possono « verificarsi nella celebrazione della santa Messa, quando « l'Oratore ottenuta dispensa dall'irregolarità fisica, venisse « ordinato sacerdote, debbo dichiarare che un vero pericolo « od una vera irreverenza non si è rilevata nel compimento « degli atti e delle ceremonie della santa Messa, ma che « però il modo di salire e di scendere dai gradini dell'al« tare, quello di rivolgersi al popolo nel dire: *Dominus « vobiscum, Orate fratres* ect., fa una certa impressione, « quasi che il giovane abbia ad ogni momento a cadere. « Inoltre nell'atto di rivolgersi dall'altare verso il popolo è « necessario che esso con una mano si appoggi all'altare ».

Irregularem in themate Oratorem esse colligi potest *ex cap. presbyterum de cler. aegrotante*, in quo sacerdoti cui fortuito palmae medietas cum duobus digitis abscissa erat, non permittitur Missae celebratio « quia nec secure propter « debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem hoc « fieri posse confidimus ».

Hinc colligitur, ait Pirhing *Ius can. lib. 3 in commentario ad hoc cap.*: « quod duae generatim sint causae quae « inducunt irregularitatem ex corporis vitio, seu inhabilem « reddunt ad officium sacerdotale exercendum, vel in totum « vel solum ex parte, quarum quaelibet per se sola sufficit, « videlicet propter debilitatem, per quam impeditur con« gruum exercitium ordinis vel propter notabilem deformi« tatem, quae parit scandalum, vel horrorem aliquem affert « spectantibus ».

Iam vero quod haec duo in infelici Oratore concurrant eruitur ex ipsa nuper allata relatione Episcopi, ex qua constat quod alumnus Gotti nequit absque aliqua admiratione *(fa una certa impressione)* sacrosancti Sacrificii coeremonias exequi, et aliunde Orator nequit sese ex altari vertere ad populum absque fulcro manus sinistrae super eodem altari.

Potius in casu inspiciendum est, utrum adsint causae proportionatae pro benigna relaxatione a praefata irregularitate. At in themate non pauca gratiae concessioni obicem parare videntur. In primis res est de gravissimo defectu membrorum, nempe de defectu utriusque pedis, qui, propter notabilem deformitatem, grave scandalum et admirationem inter fideles gignere valet: neminem autem latet quamcumque minimam circumstantiam nostris temporibus impiis ansam praebere clerum irrisionibus exponendi. Insuper H. S. Congregatio dispensationem denegavit in casibus mitioribus. Ita Clerico Marini in *Patavina dispensationis 27 Aprilis 1861* ob deformitatem in manu dextra, quamvis indicem et pollicem expeditos haberet, non obstante voto favorabili Ordinarii, rescriptum fuit: *Non expedire.* Sic ob defectum in sinistra manu non fuit concessa dispensatio uti videre est in *Pampilonen. Dispensationis 22 Novembris 1856*, et *Policastren. Dispensationis super irregularitate 21 Martii 1863.*

Accedit tertio quod non agitur de sacerdote iam promoto

ius habente ad ordinum exercitium sed de clerico promovendo, quo in casu difficilius huiusmodi dispensationes concedi solent, uti S. Congregatio tenuit in *Comen. 5 Maii 1775, et 11 Iulii 1776, et in Firmana 24 Maii 1723,* et in aliis sexcentis decisionibus. Tandem adnotandum censeo, quod Clericus Orator non est extraordinaria ingenii vi praeditus, qua quodammodo posset physicum defectum compensare et magnae esse ecclesiae utilitatis, sed tantum pollet intellectualibus dotibus ordinariis licet sufficientibus, uti declarat Seminarii Bergomensis Rector: « Negli studi poi, seb« bene nuovo (Orator) e proveniente da scuola privata, ci « fece concepire quelle speranze, che si nutrono per chi alle « suddette doti mostrò di avere unito un ingegno, a quanto « si potè arguire in sì breve tempo, *almeno sufficiente* ».

Verum ex adverso perpendendum est quod ratio seu causa irregularitatis ex defectu in eo sita est quod defectus talis sit, vel quod impediat exercitium ordinis, vel quod pariat scandalum et admirationem in populo christiano. Id praeter quam quod liquet ex *cit. capit. Presbyterum de cler. aegrot.* erui etiam potest *ex cap. 1 de corpore vit.* ubi Alexander III ita ait: « Respondemus, quod cum ipse non perdiderit tantum de digito, quod *sine scandalo* possit solemniter celebrare, satis potes permittere ipsum in suo ordine ministrare », et de clerico promovendo cui nuper dexterae pollice fortuito casu avulsa fuerat ungula in cap. eodem: « Mandamus quatenus si ad frangendam Eucharistiam sit in ipso pollice *potens*, et aliud canonicum non obstet impedimentum, propter deformitatem huiusmodi non dimittas, quin eum ad ordinem promoveas sacerdotii ». Hinc quando duo praefata extrema exulant videtur potius agi de materiali quam de formali irregularitatis defectu, si ita loqui permissum est, uti traditur in *Mediolanen. Dispensationis ab irregularitate diei 14 Aprilis 1894 circa finem* (1).

Iam vero clericus Gotti non obstante enunciato defectu et valet explere sacras Missae caeremonias absque irreverentiae periculo, et nulla est timenda in populo admiratio ex huiusmodi promotione: « redeant verba superius excripta Ordinarii Bergomensis ».

« A riguardo poi al pericolo ed alla irriverenza che pos« sono verificarsi nella celebrazione della santa Messa, quando « l'Oratore... debbo dichiarare che un vero pericolo od una « vera irriverenza non si è rilevata negli atti delle cerimonie « della santa Messa ». Neque difficultatem facessere valet quod in praesentiarum Orator nequeat expedite nonnullas caeremonias Sacrificii explere uti in principio notatum est; hanc enim difficultatem diluit attestatio medici Longhi, quam iuvat ex integro referre: « Il sottoscritto medico chirurgo, « Direttore dell'Ospedale Rota, può con coscienza di causa, « asserire che l'amputazione dei piedi fatta a Gotti Samuele « è dovuta a cancrena simmetrica dei piedi in seguito a com« plicazione di grave infezione tifica, non già per discrezia « sanguigna o malattia cronica ossea; quindi è sperabile, « anzi dirò quasi impossibile (almeno sarebbe un caso nuovo « in letteratura medica) che il morbo si riproduca. Il sotto« scritto poi crede che, col progresso degli anni, il Gotti ac« quisterà sempre maggior confidenza coll'apparecchio orto« pedico di cui si serve, quindi sempre maggiore estetica « acquisterà nella deambulazione, quantunque fa bisogno di « un occhio pratico ed esperto per conoscere che il Gotti « manca di piedi ».

Quoad vero admirationem in populo, quamvis Episcopus referat de clerico Gotti « che il modo di salire e di scen« dere i gradini dell'altare, quello di rivolgersi al popolo « nel dire: *Dominus vobiscum, Orate fratres etc.* fa una « certa impressione... » tamen observari potest quod haec impressio progressu temporis facile evanescet, tum ob faciliorem et perfectiorem usum instrumenti automatici ab Oratore acquisitum, tum ex consuetudine in populo videndi Oratorem in Missae celebratione ex noto axiomate: « ab assuetis non fit passio ».

Neque timendum de improborum irrisionibus; impii enim vel de hac ecclesiae disciplinae parte non sese occupant, aut ab auctoritate ecclesiastica parvipenduntur, uti probant dispensationes passim concessae corpore vitiatis pro ascensu ad sacra ministeria.

Neque pro relaxatione huiusmodi impedimenti desunt graves et rationabiles causae. In primis non videtur deesse votum favorabile Ordinarii commendantis Oratoris instantiam considerationi S. Sedis: quod votum semper in magno pretio ab hac S. Congregatione haberi solet: adsunt attestationes parochi oppidi Oratoris et Rectoris Seminarii Bergomensis qui concorditer deponunt de candore morum Oratoris, de eius propensione ad statum ecclesiasticum, et de sufficienti capacitate pro explendis sacris studiis. Igitur videtur precibus esse annuendum.

Eo vel magis quia id suadet utilitas et necessitas ecclesiae. Sane in ea incidimus tempora, in quibus non omnibus volentibus licet nomen dare clericali militiae, terrenam enim militiam adolescentes sequi coguntur. Ex quo fit ut rari sint iuvenes qui militiam ecclesiasticam amplectantur. In hac nova cleri conditione, pia mater ecclesia remittere aliquantulum solet de antiquo suo rigore in huiusmodi dispensationibus concedendis; hinc quando adsint iuvenes bonae indolis, ingenio ac bonitate morum distincti, hanc dispensationem elargitur; christifideles enim bonorum morum exemplum conspicientes, corporis defectum haud curare solent.

Quin aliquid obsit quod in themate non agitur de sacerdote iam promoto sed de clerico promovendo. Heic non adducam innumeras S. Congregationis resolutiones ex quibus patet dispensatum etiam esse cum clericis promovendis super irregularitate proveniente ex gravi defectu corporis, sed tantummodo seligam eas quae quamdam affinitatem seu similitudinem habent cum praesenti casu.

Sic in *Bergomen. dispensationis ab irregularitate diei 13 Iunii 1868* dispensatum fuit cum clerico Dominico Colleoni, qui pedi sinistro amputato substituerat instrumentum automaticum ita affabre elaboratum, ut expedite ambulare posset quamvis aliquantulum claudicans: addita tamen fuit in rescripto clausula *pro gratia in exemplum non afferenda.* Alter consimilis casus dispensationis habetur in una *Mathilicen. diei 5 Martii 1866*, quamvis inibi res sit de clerico religioso professo.

Sed adsunt duo recentiores casus id fortasse graviores quam praesens. Primus est in una *Adrien. diei 11 Decembris 1875* in qua agebatur de promotione ad ordines clerici Iosephi Bisi, cui crus et pars coscae praecisa fuerat: ipse pro deambulatione utebatur instrumento ligneo; gratia tamen concessa fuit per sequens rescriptum: *Attentis peculiaribus circumstantiis arbitrio et conscientiae Episcopi facto verbo cum SS.mo.* Secundus casus est in *Mediolanen. diei 11 Aprilis 1894.* Clericus Caietanus Canavesi ex morbi consectario amputationem perpessus fuerat cruris sinistri: surrogatum ei fuit crus ligneum quod motum recipiebat ab instrumento ortopedico, ita ut ascendere et descendere posset ab altari quamvis in genuflectendo aliquam experiretur difficultatem: Oratoris precibus S. Congregatio annuit per haec verba: *Vigore etc... pro gratia dispensationis et habilitationis ad sacerdotium inclusive, et scribatur Ordinario et ad mentem.* Mens autem fuit ut Ordinarius ante gratiae concessionem certior et securus evaderet quod in usu lignei cruris omne periculum irreverentiae in exercitio sacrorum ordinum abesset.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* vol. II, p. 169.

Cum itaque iuxta H. S. Ordinis praxim huiusmodi dispensationes concedi soleant, erit EE. VV. officium diiudicare utrum in proposito casu tales circumstantiae concurrant, quae Oratoris preces benigne excipiendas esse suadeant.

Quare etc.

Hisce non obstantibus, Emi Patres responderunt: *Attentis omnibus, non expedire.*

446/3 II.

Guastallen. — Consuetudinum quoad servitium chorale.

Ob speciales circumstantias, et ad quinquennium, facto verbo cum SSmo, tolerantur nonnullae consuetudines quoad chori servitium et partitionem distributionum, quae iuri communi adversantur.

Capitulum Ecclesiae Cathedralis Guastallensis supplici oblato libello exponit in sua ecclesia nonnullas extare consuetudines quoad chori servitium et partitionem distributionum, quae prorsus a iuris canonici et praesertim Concilii Tridentini sanctionibus dissonant, et ita eas recenset:

« *a)* I Canonici ed i Mansionari che stanno assenti dal « coro nel tempo delle ferie (che è di due mesi solamente) « non perdono le distribuzioni, o meglio non vengono as- « soggettati alla puntatura.

« *b)* I medesimi che per infermità non prendono parte « al servizio corale, fanno loro le distribuzioni dei propri « Canonicati o Mansionerie, ma non l'aumento delle distri- « buzioni, che perdono quelli, i quali non intervengono al- « l'ufficiatura corale.

« *c)* Il terzo dei Canonicati e delle Mansionerie vacanti « nella Cattedrale, viene corrisposto ogni anno dal R. Sub- « economo, ma la somma percepita non va in *cumulum* « *fallentiarum,* sì bene viene distribuita *super capita* in « proporzione però di prebenda.

« *d)* Il Canonico Teologo ed il Canonico Penitenziere « hanno rispettivamente una prebenda risultante da un Ca- « nonicato di Massa e dalla metà di un beneficio semplice « per apostolica autorità soppresso e distratto: tuttavia essi « sono assoggettati alla puntatura quanto alla prebenda del « Canonicato primitivo, senza tenere intero calcolo dell'au- « mento proveniente dai redditi della parte di benefizio « aggiunta.

« *e)* Da che il numero degli addetti al coro è stato « assai diminuito, anzi quasi dimezzato, si canta la Messa « Conventuale solamente nei giorni festivi, anche ultima- « mente soppressi: così pure non si cantano i primi vespri « dei giorni più solenni, e l'ora di *terza* viene cantata sola- « mente prima della Messa Pontificale ».

Quoad has consuetudines Capitulum ita suam sententiam pandit. « Lo stesso Capitolo è del sommesso parere che le « consuetudini, di cui alle lettere *a, b, c,* si possano ritenere « legittimamente indotte, perchè tutte particolari e imme- « morabili non solo, ma anche perchè le prime due sono tas- « sativamente contenute ed espresse nelle Costituzioni Capi- « tolari vigenti approvate dall'Autorità Superiore come da « relativo Decreto in data 27 giugno 1850. In quanto poi « alla consuetudine accennata alla lettera *d)* il Capitolo la « riconosce almeno cinquantenne, e quindi non insiste perchè « venga abrogata; ma per parte sua lascia libera facoltà « al Teologo e Penitenziere di comportarsi come crederanno « conveniente. Finalmente riguardo alla consuetudine, della « quale è detto alla lettera *e,* il Capitolo espone che essa è « stata da un ventennio introdotta perchè i Canonici da venti, « che erano, furono ridotti a dodici, ed anche questi per de- « ficienza di clero obbligati a vari servizi in Diocesi. Perciò, « dietro il riflesso che persistono anche attualmente le cause « che le diedero origine; alle quali s'aggiunge ora che buona « parte dei Capitolari è occupata nell'aumentato insegna- « mento al Seminario, mentre altri debbono tuttora occu- « parsi non di rado in incarichi speciali a bene della Dio- « cesi, il ridotto Capitolo prega umilmente V. B. a degnarsi « di concedere anche per essa un benigno indulto ».

Episcopus Guastallensis preces Capituli commendat sequenti epistola quam fere ex integro referre pretium operae duco: « In risposta alla mia Relazione sullo stato di questa « Chiesa pel 105 triennio, l'Eminenza Vostra R.ma, con vene- « rata lettera del 12 Agosto u. s., mi ordinava di avvisare « questo Capitolo che, non potendosi avere per legittime le « consuetudini corali, ancorchè immemorabili, contrarie alle « leggi canoniche, si uniformasse nel servizio corale alle « leggi generali della Chiesa, e ne implorasse dispensa « dalla S. Sede. Tale ordine fu da me eseguito fino dal « Settembre p. p.

« Il Capitolo, nella persuasione che le consuetudini notate « come non uniformi al diritto canonico fossero state intro- « dotte con venia apostolica, sperò di trovare nell'Archivio « Capitolare, o in quello della Curia, qualche documento « che comprovasse la legittimità di tali consuetudini; ma, « fatte accurate e ripetute indagini, non ho trovato alcun « atto della S. Sede a favore dell'asserta legittimità. Per « questo invia all'Eminenza Vostra R.ma, per mio mezzo, « l'acclusa prece, diretta ad ottenere un benigno indulto che « lo autorizzi a non interrompere le consuetudini indicate « nella prece stessa.

« In proposito di tali consuetudini, io posso dire che le « consuetudini, di cui alle lettere *a* e *b,* sono realmente « sanzionate sulle costituzioni Capitolari regolarmente ap- « provate dall'Ordinario, e che la consuetudine, di cui alla « lettera *c,* sembra legittimata dagli Ordinari, che in antico « approvavano annualmente le ripartizioni corali. Quanto « alle consuetudini indicate alla lettera *d,* i Canonici Peni- « tenziere e Teologo dicono che la terza parte delle poche « rendite del Benefizio annesse alle loro prebende non è stata « aggiunta alla quota delle distribuzioni, perchè tale Bene- « fizio, avendo oneri particolari di Messa, è stato conside- « rato come distinto dalle prebende canonicali. La consue- « tudine, di cui alla lettera *e,* è stata senza dubbio introdotta « arbitrariamente, ma è vero che i Canonicati da 20 furono « ridotti a 12, ed è pur vero che attualmente si trovano in « questa città soltanto 17 Sacerdoti, compreso il sottoscritto, « cioè 12 Canonici e 4 Beneficiati, e che con questi si deve « provvedere all'ufficiatura corale, al servizio parrocchiale, « alla direzione ed all'insegnamento del Seminario, al ser- « vizio delle varie Chiese della città, agli uffici della Curia, « alle opere di azione cattolica, ed a vari altri bisogni della « Diocesi.

« Perciò, non ritenendo cosa opportuna aumentare ora il « servizio corale, pregherei l'Eminenza Vostra R.ma a voler « concedere a questo Capitolo *ad quinquennium,* od almeno « *ad biennium,* la dispensa dall'obbligo di cantare: *a)* la « Messa Conventuale nei giorni feriali; *b)* l'ora di *terza* « nei giorni festivi non solenni; *c)* i primi vespri delle mag- « giori solennità.

« Quanto alle altre consuetudini non ho ragioni per op- « pormi alla loro convalidazione, perchè vedo che non sono « di ostacolo alla regolarità del servizio corale ».

In merito praesentis controversiae advertam primo consuetudinem *sub litt. e* directe afficere chori servitium, cae-

teras *directe* respicere distributiones quotidianas *indirecte* etiam servitium chori. Distributiones enim quotidianae, quibus aequivalent punctaturae, invectae sunt et a iure statutae, ut edicitur *in Veliterna, Punctaturarum 27 Martii 1886*, ut chorali servitio addicti de negligentibus diligentes, de tardis assidui fierent et iuxta Conc. Trid., *Sess. 21, cap. 3, de Reform.* « ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum in omnibus obsequium praestetur ».

Secundo observo praenarratas consuetudines conglobatim ab H. S. C. fuisse reprobatas ut Episcopus Guastallensis testatur initio suae relationis. Verum claritatis ergo heic transcribo particulam epistolae S. Congregationis Episcopo Guastallensi quae ita se habet « Cathedralis ecclesiae canonicos admone nullam peculiarem consuetudinem, quantumvis inveteratam posse contra generales iuris leges in chorali servitio uti legitimam haberi. Si locorum ac temporum adiuncta remissionem aliquam suadent, ea est ab Apostolica Sede commendatis a Te precibus impetranda ». Ex quo colligitur quod in praesenti themate, omissa quacumque disquisitione circa consuetudinem etiam in linea praesumptiva, ratio concedendi vel denegandi indulti tota pendet a circumstantiis in quibus Capitulum Orator versatur.

Atqui iuxta Episcopi relationem circumstantiae pro gratiae concessione existunt: quales procul dubio sunt, reductus numerus canonicorum, gravia et multiplicia officia quibus canonici et mansionarii incumbere debent sive in Seminario, sive in Curia, sive in ipsa civitate Guastallensi cum in ea non alii adsint presbyteri praeter enunciatos chorales. Ergo Capituli preces viderentur benigno favore esse excipiendae. Attamen haec generice dicta sunt.

In specie vero quoad lucrum distributionum quotidianarum pro absentibus tempore vacationum Conciliarium expendi potest, quod cum tale tempus in Capitulo Guastallensi restrictum sit ad duos menses et aliunde cum canonici infra annum variis gravibus muneribus detineantur, aequum censetur ut hi compensentur implorato privilegio. Reapse S. Congregatio concedere solet talia indulta ex specialibus circumstantiis uti testantur resolutiones in *Oriolen. 1º Decembris 1784* et *Alben. servitii chori 11 Iulii 1885* et quidem cum clausula ut in praecitata *Alben.* ut canonici eodem tempore absentes non sint ultra tertiam partem et vacationes non contingant tempore Adventus et Quadragesimae vel solemnioribus anni festis uti fuit praescriptum in *Auximana diei 12 Iulii 1631.*

Quoad consuetudinem excludendi canonicos infirmos e participatione distributionum canonicorum negligentium seu a iure accrescendi, quamvis hoc videatur opponi dispositioni Concilii Trid., *sess. 24, cap. 12,* quae considerat canonicos infirmos tamquam personaliter praesentes quoad distributiones quotidianas, tamen cum haec consuetudo non tangat chori servitium, nullum divino cultui damnum ex eius approbatione obvenire potest. Idque eo fortius quia ipsa est etiam in Constitutionibus Capituli Guastallensis in Ordinario recognitis.

Relate ad consuetudinem sub *litera c,* vi cuius tertia pars redituum praebendarum vacantium a Gubernio persoluta non immititur *in cumulum fallentiarum,* sed potius cuique praebendato tribuitur in ratione proportionali praebendae, observari posset quod haec partitio spectari potest ceu quaedam redintegratio bonorum vel redituum Capitulo a Fisco direptorum; deinde Episcopus notat quod haec divisio facta semper fuit de consensu Ordinariorum. Ad rem censeo referre resolutionem H. S. Congregationis in *Veliterna Punctaturarum diei 27 Martii 1885.* Inibi inter alia agebatur de partitione redituum duorum beneficiorum vacantium quae ex defectu subiectorum interim conferri non poterant. Quaesitum proinde fuit II. *An reditus duorum aliorum beneficiorum vacantium aeque atque ex integro dividantur inter beneficiatos non habita ratione servitii vel potius sit distrahenda tertia pars quae diligentioribus tantum accrescat in casu;* S. Congregatio respondit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Quoad consuetudinem sub *litera d* adverti potest quod augmentum praebendae sive theologalis, sive Poenitentiariae proveniens ex partitione beneficii suppressi est parvi momenti, uti notat Episcopus Guastallensis; deinde haec tenuis quota fere absorbetur ab oneribus particularibus Missarum, quae beneficium suppressum gravabant: hine pars in cumulum distributionum quotidianarum vel fallentiarum immittenda levissima evaderet.

Demum quoad consuetudinem sub *litera e* relate ad Missam conventualem nota est dispositio *cap. Creatura de celeb. Missar.* et Constitutio Bened. XIV *Cum semper oblatas,* quae in omnibus ecclesiis sive Cathedralibus sive Collegiatis praescribit, ut quotidie pro benefactoribus in genere applicetur et cantetur Missa conventualis: hisce tamen non obstantibus, quando causae iustae concurrant aliqualis reductio concedi solet, praesertim quando agitur de reductione Missarum cum cantu in missas lectas ut in themate pari ratione iudicium ferendum videtur circa omissionem cantus in recitatione Vesperarum in diebus solemnibus et in recitatione Tertiae praeter quam in Missa Pontificali. Quamvis enim haec sunt contra Rubricas Generales, tamen iustis concurrentibus causis aliqua indulgentia in hoc puncto concedi solet. Causas vero pro reductione officiaturae choralis in casu adesse easque gravissimas, uti supra visum est testatur relatio Episcopi Guastallensis.

Ex adverso gratiae concessioni haec obstare videntur. Primo quoad consuetudines a litera *a* usque ad literam *b* inclusive tum Episcopus, tum Capitulum eas censet esse admittendas quia sunt recognitae in Capitularibus Constitutionibus ab Ordinario anno 1850 approbatis. Sed statuta Capitularia quamtumvis iurata et auctoritate Ordinarii roborata nihil possunt contra ius commune et praesertim contra ius Tridentinum, ut docet Fagnanus in *cap. licet de praeb. n. 92* et passim alii auctores. Praeterea denegare canonicis infirmis augmentum ex negligentium fallentiis videtur esse contra aequitatem.

Quoad consuetudines sub literis *c, d,* Episcopus ait eis sese non adversari, sicuti non reprobat duas praecedentes consuetudines « perchè veggo che non sono di ostacolo alla « regolarità del servizio corale », haec ratio non satis solida apparet: distributiones enim quotidianae vel punctaturae ideo a iure invectae sunt, uti supra monitum fuit, ut canonici de negligentibus fiant diligentes: hinc indirecte afficiunt servitium chori.

Quoad consuetudinem sub litera *e* adnotasse sufficiat, hanc arbitrario modo a Capitulo fuisse introductam: ita testatur Episcopus: « La consuetudine di cui alla lettera *e* è stata « senza dubbio introdotta arbitrariamente » quare eam convalidare esset quodammodo praemio Capituli malitiam donare, et aliis Capitulis ansam dare chorale servitium negligendi.

Haec pro meo modulo adnotanda censui. Verum quocumque responso praefatae quaestiones sint dimittendae, aliqua ratio haberi oportet quoad praeteritam servatam praxim super qua sanationem et condonationem concedendam esse tum bona Capituli fides, tum praeclara munera ab eo in bonum animarum cum zelo exercita suadent et commendant.

Quare etc.

Emi Patres rescripserunt uti supra.

$\frac{5784}{2}$ III.

Mediolanen. — Oneris Missarum quoad applicationem.

Generatim quum fundator iniunxit missae celebrationem, censetur voluisse etiam illius applicationem; sed cum in casu hoc satis non constet, adsintque gravia motiva reducendi missas, ad cautelam, et facto verbo cum SSmo, super dicto onere, quatenus opus sit, relaxatur.

Supremo quo decessit testamento diei 11 Octobris 1847, Aloysius Bonsignori duo instituit beneficia coadiutorialia seu cappellanias cum onere coadiuvandi parochum in paroeciis Busti Arsitio et Cairati, eisque assignavit pro dote quartam partem suorum bonorum, ita ut ea in quinque partes divisa, tres partes cederent favore beneficii in paroecia Busti Arsitii erigendi, et reliquae duae partes alteri beneficio essent adiudicandae; quoad onera vero utriusque beneficii ita cavit. « Gli obblighi che impongo sono quelli « in sussidio della cura d'anime, della celebrazione della « messa nei giorni festivi e festeggiati in luogo a pro del « pubblico e della celebrazione della messa secondo la mia « intenzione nel primo ed ultimo giorno feriale di ogni set« timana. Tutte le altre sono in libertà. Così impongo l'ob« bligo sì all'uno che all'altro dei beneficiati di convertire « tanta parte del reddito da me lasciato, quanta risponde « a milanesi lire 150 annue per cadauno per fare elemosine « ad infermi di Busto e Cairate ».

Defuncto testatore et expletis die 5 Aug. 1854 omnibus solemnitatibus tum circa constitutionem dotis, tum circa canonicam erectionem cappellaniarum, a decreto erectionis onera beneficiati in paroecia loci Cairati ita describuntur. « Statuimus iuxta piam et declaratam testatoris mentem « onera beneficii sic erecti esse exercitium curae animarum « administrandique sacramenta etiam infirmis in universa « paroecia Cairati, praedicandi, doctrinamque christianam « explicandi ad mentem parochi; 2. celebrandi et applicandi « ad mentem institutoris in ecclesia paroeciali missam om« nibus diebus festivis tam de praecepto quam de consue« tudine in paroecia et insuper primo et ultimo die feriali « uniuscuiusque hebdomadae ».

Hanc cappellaniam, anno 1895, obtinuit sacerdos Aegidius Bosetti, qui ratus obligationem applicandi diebus festis non praescribi a tabulis fundationis, expostulavit id declarari a Curia Mediolanensi et reapse suis votis consonam habuit declarationem sub die 22 Ian. praefati anni per sequentia verba. « L'investito di detto beneficio è tenuto « all'applicazione delle messe secondo l'intenzione del fon« datore soltanto il lunedì e sabbato di ogni settimana ». Verum instante Promotore Locorum Piorum quaestio ad trutinam iterum revocata est ab Ordinariatu Mediolanensi et die 21 Ianuarii 1902 contraria prodiit decisio, nempe onus inesse applicandi ad mentem pii institutoris etiam in diebus festis tum de praecepto tum de consuetudine.

Huic decisioni non acquievit novus cappellanus Fortunatus Adamoli, qui per medium Ordinarii petiit ut quaestio definiretur ab H. S. Congregatione, addens insuper preces ut in casu quod constaret de praefata obligatione, sibi indulgeatur praeter sanationem super praeteritis omissionibus, congrua oneris reductio, attenta tenuitate reditus cappellaniae.

Hisce acceptis precibus rogavi E.mum Archiepiscopum ut non gravaretur referre praesertim super apparenti antinomia inter tabulas fundationis et decretum erectionis utriusque cappellaniae. Mandatis H. S. Congregationis E.mus Archiepiscopus sedulo morem gerens litteris diei 11 Feb. p. p. ita rescripsit: « Quoad vero ea quae exquirebantur, id est, « an et quomodo explicari posset apparens contradictio inter « actum et decretum de quo supra in assignatione onerum « missarum, putarem decretum erectionis interpretatum esse « verba testatoris *a pro del pubblico* apposita ad onus mis« sarum diebus festis celebrandarum, eo sensu quod appli« candae essent dictae missae *pro populo*, cum e contra « explicari possint pro onere celebrandi diebus festis in pa« roecia *in commodum fidelium;* et tandem, simplificandae « dictionis gratia, omnia onera missarum comprehendisse « unica formula - *celebrandi et applicandi ad mentem « institutoris*, etc. ».

Ex triplici capite modernus cappellanus Adamoli arguit se non teneri ad missae applicationem diebus festis pro cappellaniae fundatore: 1° ex tabulis testamentariis pii Institutoris Bonsignori; 2° ex ipsarum interpretatione emissa a Curia dioecesana die 22 Ian. 1895; 3° ab instrumento immissionis in possessionem factae a laico suboeconomo.

Quoad primum, cappellanus observat quod si expendantur testamenti verba, diversa dictio apparet quando agitur de missis festivis et quando sermo est de missis ferialibus. In secundo enim casu praescribitur celebratio missarum secundum testatoris intentionem, quod non fit in primo. Hinc habetur discretivae argumentum quae praesumere facit voluntatis diversitatem inter unum et alterum casum ceu tradit Card. De Luca *De donat. dis. 8, n. 23* et consequenter onus impositum applicationis pro anima fundatoris coarctatum tantum fuisse ad missas celebrandas diebus ferialibus, ceu etiam erui potest ex S. Rota in *Tuden. Servitiorum super bono iure 21 Martii 1757 Coram Frangipane.*

Neque dicatur quod illa verba testatoris *a pro del pubblico* importent onus applicationis missae pro populo, cum potius intelligi debeant de celebratione missarum diebus festis *in commodum fidelium,* quo quidem casu applicatio exclusa censetur uti tradit *Amostaz. de causis piis lib. 3, cap. 3, n. 46, et S. H. Cong. in Novarien. 22 Novembris 1727 et in Spoletana 18 Septembris 1751.*

Neque aliter sentire videtur ipsa Curia Mediolanensis uti patet ex litteris E.mi Archiepiscopi supra relatis die 11 Feb. 1903: « Putarem decretum erectionis interpretatum esse verba « testatoris *a pro del pubblico* apposita ad onus missarum « diebus festis celebrandarum, eo sensu quod dictae missae « essent applicandae pro populo, cum e contra explicari « possint pro onere celebrandi diebus festis in paroecia *in « commodum fidelium.* »

Hucusque dicta maius pondus obtinent ex eo quod obligatio applicandi missam pro populo est onus personale parochorum ceu deprehenditur ex Conc. Trid. *sess. 23, cap. 1, de Reform.* Cappellani autem, quocumque titulo censeantur, suppetias parochis ferentes non teneantur ad missae applicationem pro populo, cui titulares per se satisfacere debent, uti docet Lucidi *de Vis. SS. LL. vol. 1, pag. 427, n. 360.*

Secundo cappellanus deducit se non teneri ad applicationem missae diebus festis; sed tantum ad celebrationem ex declaratione Curiae Mediolanensis facta die 22 Ian. 1895: haec enim primo est conformior tabulis testamentariis, quae ut superius visum est, imponunt diebus festis tantum onus celebrationis missarum in commodum populi: neque secundo videtur discrepare a decreto erectionis, quia expressio decreti: « *Onus celebrandi et applicandi ad mentem insti« tutoris* in ecclesia paroeciali missam omnibus diebus festis « tam de praecepto quam de consuetudine in paroecia et « insuper primo et ultimo die feriali uniuscuiusque hebdo« madae » ita potest explicari ut onus simplicis celebrationis referatur ad dies festos, et onus applicationis ad dies feriales

quod plene responderet legi fundationis: et hoc iure merito praesumi debet, quia Ordinarii sunt quidem executores nati piarum voluntatum, sed eas immutare nequeunt.

Huic autem principio cum directe sese opponat ultima declaratio curiae Mediolanensis superioris anni 1902, quae novum onus imponere vellet cappellano, nempe obligationem applicandi diebus festis ad mentem fundatoris, haec profecto admitti non debet; sed potius standum est declarationi an. 1895.

Tandem cappellanus profert instrumentum immissionis in possessionem temporalem bonorum cappellaniae datae a suboeconomo in quo haec leguntur: « Obblighi del beneficio: per « annue messe da celebrarsi in suffragio dell'anima del « def. ingegnere Bonsignori L. 154. — N. B. Il beneficiato « è tenuto alla celebrazione della messa in Cairate nei giorni « festivi e nei giorni di devozione in paese. »

Quod si, expositis non obstantibus, H. S. O. placuerit ultimam Curiae Mediolanensis decisionem confirmare tunc Orator cappellanus Adamoli instat, ut sibi concedatur benigna condonatio super praeteritis omissionibus habita ratione suae bonae fidei, et congrua reductio onerum quoad futurum, attenta tenuitate redituum cappellaniae et attento quod dictae reductiones etiam in antecessum fuerunt concessae: quas preces nomine cappellani ita exhibet Curia Mediolanensis: « Nel caso affermativo lo scrivente Ordinariato « supplica per una benigna sanatoria sulle omissioni passate, e per una riduzione degli oneri originarii, attesa la « tenuità del beneficio di un reddito annuo fluttuante di « circa L. 1300, gravato d'imposte sommanti a L. 445 e « dell'obbligo originario dell'annua largizione di L. 100 ai « poveri; attesa parimenti la tenuità degli introiti avventizi « che può percepire in paese, e l'esempio di indulti di ridu« zioni già concessi ai suoi antecessori. »

At in contrarium, contra cappellanum perpendi potest quod iniuncta missae celebratione censetur quoque volita eius applicatio nisi expresse haec fuerit relicta arbitrio cappellani ceu tradit Pignatelli, *com. can. 139, n. 12 et seq. tit. 1.* De Angelis, *lib. 3, tit. 41, n. 4.* Praesertim si congrua dos fuerit pro cappellania statuta, Amost., *de caus. piis, lib. 2, cap. 3, n. 5.* Praestat ad rem doctrinam Bened. XIV referre *De Sacrif. Missae, lib. 3, cap. 9, n. 2:* « S. Cong. « Concilii regula est, intelligendum esse appositum etiam « onus applicandi Missam animae institutoris seu fundatoris « beneficii seu cappellaniae... Porro verisimilius est eum qui « beneficium seu cappellaniam fundaverit et onus celebrandi « missam imposuerit, voluisse eamdem etiam sibi applicari. « Notissima est S. Cong. resolutio in *Causa Tinnen. Ap« plicationis sacrificii 18 Aug. 1668 in lib. Decret. fol. 61* « ubi haec habentur. Ex dispositione testamentaria antiquitus « facta a pio testatore reperitur fundata quaedam cappel« lania cum onere cappellano pro tempore sacrum faciendi « singulis Dominicis aliisque festivis diebus, nulla adiecta « declaratione, ad cuius suffragium applicandum esset sacri« ficium. Ideo Episcopus Tinnensis supplicat per S. Cong. de« clarari, an eiusmodi sacrificium applicandum sit pro anima « ipsius testatoris an vero ad libitum cappellani, uti hactenus « factum esse comperit. Die 18 Aug. 1668 S. Cong. C. re« spondit applicandum esse Sacrificium pro anima funda« toris » et hanc doctrinam confirmat aliis decisionibus eiusdem S. Congregationis.

Iam vero si examinentur tum tabulae fundationis Cappellaniae Bonsignori, tum decretum erectionis respectivae factae a Curia Mediolanensi, ex utrisque clare videtur posse deduci onus applicandi comprehendere nedum missas praescriptas in diebus ferialibus, sed etiam illas quae in diebus festivis sunt celebrandae. Re quidem vera in testamento post descriptum onus missarum per haec verba: « Gli ob« blighi che impongo sono.... della celebrazione della messa « nei giorni festivi e festeggiati in luogo a pro del pubblico « e della celebrazione della messa secondo la mia inten« zione nel primo ed ultimo giorno feriale di ogni setti« mana » additur: « Tutte le altre (messe) sono in libertà » quae expressio indicat omnes missas supra descriptas esse applicandas, caeteras vero relinqui in Cappellani arbitrio.

Nec dissimilis conclusio fluere videtur si paulisper ad trutinam revocetur erectionis cappellaniae decretum: ibi enim, uti patet ex contextu superius allato, obligatio *celebrandi et applicandi ad mentem institutoris* complectitur tum missas festivas, tum duas feriales in unaquaque hebdomada. Quare iure merito Curia Mediolanensis revocata priori decisione declaravit die 21 Ianuarii 1902: « Che su detto beneficio « gravitava l'onere di celebrare ed applicare le messe secondo « la mente del pio fondatore nei giorni festivi sì di precetto « che di consuetudine e nel primo ed ultimo giorno feriale di « ogni settimana ». Quoad vero expetitum indultum reductionis missarum, in hypothesi quod constet de obligatione applicandi in utroque casu uti supra dictum est, haec putarem advertenda circa adductam causam tenuitatis redituum cappellaniae. Scitum est ex constit. Pii V *Ad exequendum* et ex conc. Trid. *sess. 24 cap. 13 de Reform.* congruam pro parochis in scutatis 100, constitui: sed in themate non est sermo de beneficio paroeciali sed de mera cappellania in adiutorium parochi constituta: ad huius titularis proinde congruam sustentationem non exigitur summa pro parochis taxata sed summa longe inferior sufficere potest. At reditus Cappellaniae loci Cairati, testante Ordinariatu Mediolanensi, est in libellis 1300 a quibus si detrahantur libellae 445 pro solutione taxarum et libellae 100 annuatim in pauperum subsidium elargiendae, adhuc supersunt libellae 745, qui reditus profecto tenuis non videtur pro congrua cappellani manutentione.

Verum haec argumenta et alia superius adducta quanti sint facienda sive quoad declarationem oneris applicandi diebus festis ad mentem fundatoris, sive quoad indulgendam congruam reductionem oneris EE. Vestrarum prudenti iudicio reservatur.

Quare, etc.

Rescriptum fuit: *Attentis omnibus, pro gratia dispensationis a missae applicatione pro fundatore diebus festis, ad cautelam, facto verbo cum SSmo.*

E SACRA CONGREGATIONE
EPISCOPORUM ET REGULARIUM

25104/14 I.

PONENTE E.MO AC R.MO

CARDINALI GENNARI

Die 6 Februarii 1903.

Romana — Liberationis onerum.

Controversia inter Comitem V. Senni et Capitulum S. Michaëlis in Foro Piscium quoad relaxationem conditionum a S. Poenit. impositarum quando publicae licitationi emptum est latifundum quoddam Capituli.

Comes Franciscus Senni publicae licitationi emit anno 1875

latifundum, vulgo nominatum *della Maglianella*, extra portam Cavalleggeri in suburbio Romae situm, a Fisco iam usurpatum vi legis conversionis proprietatis ecclesiasticae et spectans ad Capitulum S. Michaëlis in Foro Piscium, quod Comitem precibus ad hanc emptionem impulerat. Acquisitio facta fuit accedente licentia auctoritatis ecclesiasticae et cum notis conditionibus S. Poenitentiariae.

Comite Francisco defuncto, et bonis paternis divisis inter haeredes, latifundus Maglianella assignatus fuit comiti filio Vincentio, qui suas res oeconomice ordinare cupiens definitivo modo, die 16 septembris 1900 supplicem libellum ad S. C. Episc. et Reg. obtulit pro liberatione et absolutione a conditionibus a S. Poenitentiaria impositis. Super hoc libello interpellatum fuit Capitulum S. Michaëlis in Foro Piscium, sed consensum praestare denegavit, nisi sub conditione congruae compensationis. Ast hanc conditionem omnino Comes Vincentius Senni reiecit.

Iamvero Capitulum, praemisso quod reapse impulit defunctum Franciscum Senni ad emendum latifundum Maglianella, ne praedium in manus speculatorum reciderit, observat quod emptor conditionibus sibi a S. Poenitentiaria impositis non paruit, et praesertim tertiae conditioni, nempe *erogandi redditus bonorum* (emptorum) *qui facta proportione excedunt solutum pretium, in favorem personarum aut locorum piorum ad quae dicta bona de iure pertinent.* Siquidem Capitulo a familia Senni ab anno 1875 usque ad praesens nihil persolutum est, et quamvis Capitulum ignoret libros administrationis, quia hi nunquam a defuncto Francisco Senni vel ab eius haeredibus exhibiti sunt, attamen pro certo habet non tenue lucrum ex praefato contractu in emptorem derivasse: quod ita Capitulum aggreditur probandum.

Notorium est, quod latifundus a Francisco Senni emptus publica licitatione fuit pro 298,000 libellis; quibus si addantur libellae 2687,50 pro redemptione census favore Praelaturae Biancheri et insuper libellae 17.000 pro expensis emptionis et redemptionis nec non libellae 4000 pro melioramentis a lege praescriptis, resultat summa totalis libel. 321.687,50. Atqui, ait Capitulum, longe alius et maior est latifundi Maglianella realis valor! id enim ex eo resultat quod ante pseudo-legem pro conversione proprietatis ecclesiasticae actum fuerat pro eo latifundo vendendo haeredibus Serafini in libell. 400.000, aliunde cum publica licitatio aperta fuerit in libellis 280.900 id aperte portendit fundi realem valorem pertingere quatuorcentum millia libellarum, cum commissio liquidationis assis ecclesiastici in usu haberet aperiendi licitationes pretio tertia parte infra realem valorem. Quin imo si ratio habeatur modi censendi valorem fundorum, nempe triplicandi eorum censum vulgo *estimo*, cum census latifundi Maglianella an. 1821 fuerit in libellis 142.927, calculo ducto in praesens eius valor constaret in libell. 428.783, non pensatis melioramentis a Capitulo in fundo adductis ab an. 1821 usque in praesens.

Nec obstat quod Comes Senni obiiciat ex praefato latifundo damnum oeconomicum persensisse, et proferat exemplum Capituli Vaticani et S. Mariae in Via Lata, quae canones reduxerunt. Huic obiectioni Capitulum contradictor ita respondet: ipso Senni fatente, proventus nitidus annuus, media facta, est in libell. 12.673, quae summa respectu solutae pecuniae repraesentat interesse in libell. 4 pro singulis centenis, quod aequale est interesse in versuris publicis italicis: hinc conquestum damnum, iuxta Capitulum, in eo est quod Comes Senni pinguius lucrum ferre vellet: exempla autem adducta nihil proficere, cum praetensae canonum reductiones abfuerint: quin imo Capitulum S. M. in Via Lata emphyteusim iniit cum quadam societate pro concessione fundorum in libell. 40.000, dum prius retracta summa ex contractu cum quodam Piacentini non excedebat libell. 24,000. Concludit itaque Capitulum contradictor: lucrum reportatum a Comite Senni in emptione latifundi Maglianella fuit in libell. 100.000. De hoc lucro Capitulum petit sibi pro bono pacis adiudicari medietatem, nempe libell. 50.000, quae summa inserviet ad compensandum damnum quod sibi obveniet ex proxima conversione pro reductione redditus publici ad libell. 3 1|2 in singula centena.

Ex adverso, Comes Vincentius Senni observat quod Capitulum tripliciter errat: 1. vel nescit facta, 2. vel exaggerat valorem latifundi, 3. vel ex erroneis praemissis trahit falsas consequentias. Concedit utique emphyteusim convenientiorem esse quam alienationem assis ecclesiastici; attamen subiungit quod in praesens etiam Capitula Vaticani et S. M. in Via Lata spinte aut sponte sub condonationis specie imminuunt suorum bonorum canonem emphyteuticum. Etenim pretium locationis operae personarum et publicae gabellae auctae sunt, dum e contra valor fructuum terrae imminutus est.

Quoad latifundum Maglianella, Comes Senni asserit ipsum solvisse libellas 321.687,50 pro illius acquisitione; hoc est: libell. 298.000 pro pretio publicae licitationis, libell. 2687,50 pro redemptione census favore Praelaturae Biancheri, libell. 17.000 pro expensis emptionis et redemptionis et libell. 4000 pro melioramentis a lege praescriptis. Error est latifundum Maglianella habuisse vel etiam nunc habere valorem 400.000 libellarum. Defuit enim semper tam prodigus emptor, et pretium publicae licitationis inferius valori reali esse non potuit libell. 100.000. Quando Comes Senni emit fundum, invenit contractum locationis inter Capitulum et quendam Gasparri, quem contractum servare debuit per duos annos. Hoc tempore, Comes Senni obtinuit libell. 10.625, iuxta locationis pactum. Postea iniit alium locationis contractum sub annuo pretio libell. 14.500 nitidarum. Post 9 annos iniit novum contractum locationis sub annuo pretio lib. 15.000, sed statim debuit hoc imminuere usque ad 12.500 libellarum. Usque dum et ipse Comes coactus fuit conducendi ex sese latifundum Maglianella, cum annuo redditu minimo libell. 7266 et maximo libell. 14.932. Videtur ergo quod pretium antiquae locationis inter Capitulum et Gasparri, in libell. 10.625 est melior probatio valoris latifundi, scil. 200.000 libellarum, minime vero 400.000 lib. ut Capitulum iactat.

Quod si Comes Senni emit fundum pro annua rata, ipse statim adnotat se solvisse interesse, ratione 6 libell. pro singulis centenis. Hoc posito, dum ipse ex latifundo primis tribus annis habuit redditus 10,625 libell., e contra debuit solvere libell. 16.084,35, pro tota sorte libellarum 321.687,50. Insuper Comes Senni asserit annuum redditum latifundi, proportione facta, esse libell. 12.673, quae repraesentant sortem libell. 253,460. At pro acquisitione latifundi Maglianella solutae sunt libell. 321.687,50, cuius sortis foenus est libell. 16.084,35. Ex altera parte Comes Senni habuit annuos redditus medietate facta, libell. 12.673, ac propterea annuatim perdidit lib. 3411,35, et ideo post 28 annos, quia tanto tempore ipse est dominus latifundi, amisit summam totalem libell. 95.517.80, quae magis augeretur, si adiun-

gantur foenora, uti dicuntur, composita, (*interessi composti*). Error igitur est latifundum Maglianella habuisse vel habere valorem lib. 400.000 et comitem Senni per 28 annos redditus sortis libell. 120.000 indebite accepisse.

Comes Vincentius Senni adiungit quod « ille qui nunc possidet huiusmodi latifundum non est ille ipse qui relationes habuit cum Capitulo et cum S. Poenitentiaria.... ac propterea nullum vinculum iuridicum aut morale idipsum obstringit ». Sed obstat Art. 5 a S. Poenitentiaria Comiti Francisco Senni impositum, h. e.: « certiorandi haeredes et successores de huiusmodi obligationibus per syngrapham subscriptam ad hoc, ut et ipsi sciant ad quid teneantur ». Unde Comes Vincentius teneretur saltem vinculo conscientiae ad conditiones servandas, iam acceptatas a suo parente. — Concludit Comes Senni, quod si possibilis foret retrocessio latifundi, Capitulum deberet ei solvere l. 321.687,50 et insuper l. 95,517,80, condonatis foenoribus compositis; uti patet, summam totalem libell. 417.205,30.

Denique Comes Senni adnotat quod nunc valor latifundi Maglianella quam maxime imminutus est, quia invenitur intra fines bonificationis agri Romani.

Nunc remanet ab EE. PP. solvendum

DUBIUM

An et quomodo acceptandus sit supplex libellus Comitis Vincentii Senni in casu?

E.mi Patres, re mature perpensa, responderunt: *Placere de concordia.*

II.

Per Professionem perpetuam votorum simplicium inducitur vacatio beneficiorum residentialium.

Eminenza R.ma,

La Congregazione dei Missionari Figli del Cuore Imm. di Maria ottenne dalla S. Congregazione dei VV. e RR. nel 1880 la facoltà di ricevere i suoi alunni agli Ordini Sacri col titolo *mensae communis* con questa clausola *exclusis tamen quoad titulum mensae communis iis qui societatem ingrediuntur proprio titulo S. Ordinationis gaudentes.* La S. Congregazione degli Affari Straordinari poi, in data 29 marzo 1881, accordò *ad decennium* la grazia senza la registrazione surriferita, aggiungendo che la grazia serviva *tum pro ordinatis, tum pro iis qui iam ordinati alio titulo eamdem ingrediuntur ibique profitentur.* Questa grazia fu negata nel 1891 tanto dall'una quanto dall'altra delle mentovate Sacre Congregazioni.

Ora si domanda se i novizi che possiedono un beneficio residenziale, prima della professione debbono ricorrere alla S. Congregazione dei Vescovi e Regolari per poter rinunziare il beneficio, o piuttosto il beneficio vaca per il fatto della professione?

Sacra Cong. E.morum et R.morum S. R. E. Cardinalium negotiis et Consultationibus EE. et RR. praeposita proposito dubio: An in Congregatione Missionariorum nuncup. Imm. Cordis B. M. V. Filiorum professio perpetua vacationem beneficiorum residentialium inducat: respondendum censuit prout respondet: *Affirmative.*

Datum Romae ex Scria. eiusdem S. Cong.is die 25 Augusti 1903.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

Ph. GIUSTINI, *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

SIPONTINA.

De pileo deferendo a Sodalibus in funeribus associandis.

Postulantibus Sodalibus laicis a S. Antonio Abbate nuncupatis, loci *Montesantangelo,* intra fines Sipontinae Archidioeceseos, utrum in processionibus et in associationibus defunctorum adhibere valeant pileum cinerei coloris, prouti olim habebant, Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

Affirmative, tantum in funeribus associandis extra oppidum, vel in eius extremitate, tempore pluvio, et iuxta usum *Archiconfraternitatis a bona morte* in Urbe.

Atque ita rescripsit. Die 17 Iulii 1903.

L. ✠ S.

S. Card. CRETONI, *S. R. C. Praef.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

IACEN.

Dubium circa cantum Missae de Requie.

Hodiernus Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Iacensis, in Hispania, de sui R.mi Domini Episcopi consensu atque mandato, Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit, nimirum:

In nonnullis Iacensis Dioeceseos Paroeciis invaluit consuetudo, quae est immemorialis, qua in exequiis Defunctorum, Officio persoluto, tres Missae celebrantur, quarum duae primae de Sancto et sine Ministris in ritu duplici, vel de Requie, ritu permittente, tertia vero ut vere exequialis de die obitus et cum Ministris successive cani solet a Sacerdotibus funeri assistentibus. Hinc quaeritur: Utrum, virtute privilegii eidem Dioecesi Iacensi concessi in qualibet hebdomada duas Missas de Requie canendi, praedictae duae Missae primae eodem die exequiarum in eadem Ecclesia et in eodem Altari absque Ministris celebratae cum cantu post Officium Defunctorum, permitti possit ut sint de Requie in duplicibus minoribus et maioribus tantum iuxta Decretum N. 3472 *Tarantasien.* 18 Decembris 1878?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit:

« *Detur Decretum N. 2915 Tuden. 23 Maii 1846 ad XI* ».

Atque ita rescripsit, die 2 Septembris 1903.

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Nota. — Decretum N. 2915, *Tuden.* 23 Maii 1846, ad quod S. C. remittit, en quomodo sonat:

Dub. XI: In die depositionis aliquorum defunctorum, cantato officio et Missa de Requie praesente cadavere, mos invaluit in aliquibus Ecclesiis huius dioecesis, quod etiam in duplicibus minoribus et etiam aliquando maioribus, adhuc praesente cadavere, cantentur iterum duo vel tres Nocturni defunctorum atque totidem missae de Requie; ita ut una eademque die celebrentur Officium et Missa de die obitus, de die tertia, septima et trigesima a depositione defuncti. Quaeritur: An talis consuetudo liceat in diebus duplicibus minoribus vel maioribus, adhuc praesente cadavere; vel sit tollenda utpote contraria pluribus Decretis Sacrae Rituum Congregationis?

R. Ad XI: « *Tolerandam, quoad Officium defunctorum; tollendam, quoad Missas; quae unica esse debet, iuxta Decreta alias edita* ». (*N. D.*).

III.

SANCTI DEODATI — DECRETUM

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Petri Ioseph Formet, Eremitae nuncupati.

INFORMATIO ADVOCATI

(*Sequitur. Vide fasc. praec. p. 298*)

DE TEMPERANTIA.

52. « *Coërcere et sedare cupiditates sive appetitiones sensuum* », iuxta Augustinum (1), temperantia est. Quomodo praefulserit hac virtute Petrus, referunt nobis Testes universi. « Je sais que la tempérance du Serviteur de Dieu fut poussée au degré le plus élevé ». « Je sais (confirmat alius) que le Serviteur de Dieu pratiqua avec héroïsme la vertu de tempérance ». His alius astipulatur qui asserit: « Je sais que le Serviteur de Dieu pratiqua à un très haut degré la vertu de tempérance ». Et quomodo dubitare possemus de temperantia illius qui, relictis omnibus, contentus in solitudine vivit necessaria quavis re penitus inops? Caeterum Testes edocent: « qu'il ne s'est pas seulement abstenu de tout excès dans le boire et le manger, mais qu'il a poussé le jeûne et l'abstinence à un degré incroyable ». Nedum enim ieiunia illa a legibus Ecclesiae praescripta diligenter servabat, sed talis erat abstinentia Eius, ut vere dici possit quod « *sa vie était un jeûne perpétuel* ». Revera semel tantum in die se reficere soluit et pauca illa atque vilis alimonia qua Ipse vescebatur talis erat, ut ad nauseam potius movendam quam ad appetitum excitandum aptissima videretur: panem enim aliaque omnia alimenta quae ex charitate ab aliis excepisset, nonnisi prius corrupta insumebat, « Il ne mangeait qu'après le coucher du soleil, et des aliments gâtés ». « Il laissait moisir sans le manger le pain qu'on lui donnait; il en était de même des autres aliments ». Tali autem modo a cibis melioribus abhorruit, ut « lorsqu'en échange de quelque service rendu on lui offrait du petit lait, il refusait en disant que *c'était trop bon* ».

53. Qui tanta temperantia in cibo et potu praefulsit in somno quoque temperantissimus fuit: quiescebat enim incommode in feretro et de hora in horam per artificiosum instrumentum excitabatur ut Deum cogitare Ipse posset precesque in Eum effundere. « Il couchait dans un cercueil, où il ne prenait que fort peu de repos ». Corpus insuper innocentissimum tot tantisque ieiuniis extenuatum Ipse macerare atque excruciare non destitit. Desiderio poenarum excitatus se cingulo ex cuspidibus ferreis cingere solebat iisque adeo acutis, ut vestes Eius sanguine quandoque inquinatae apparerent exterius et clavos calceamentis ita defixos immiserat, ut carnes Eius saevissime lacerarent. « Portait un cilice et une ceinture de fer garnie de pointes aiguës, qui faisaient quelquefois suinter son sang à travers ses vêtements, et aussi qu'il avait planté dans ses sabots des clous dont la pointe lui déchirait la chair ». Haec autem omnia poenitentiae instrumenta post Eius obitum prodierunt; ea enim Ipse dum viveret, humilitatis amore, celare diligenter curavit. « Il cachait si soigneusement ses instruments de pénitence, qu'on ne les découvrit qu'après sa mort, en l'ensevelissant ». Narrat alter e Testibus quod pater suus dum esset in silvis intentus laboribus aliquem in solitudine cantantem audiit, cumque vocem Dei Servi animadvertisset, in abscondito Eum transeuntem conspicere voluit. At ecce: veniens Petrus improviso consistit seque vestibus usque ad corporis medietatem expolians, urticis excerptis, carnes suas iis defricare fortiter incipit; qua re absoluta, rursus induit vestes rursusque iter atque intermissos sequitur cantus. « Après quoi, ayant repris ses vêtements, il continua son chemin en même temps que son cantique ».

54. Superfluus heic certe est sermo de PAUPERTATE, nobis enim iam notum est quomodo vir ille pauperrimus et qui nullo tenebatur voto ad virtutem hanc servandam, omnia quae ab aliis in eleemosynam exciperet in pauperum utilitatem illico traderet. « A part ce qui lui était le plus nécessaire pour sa subsistance, il donnait tout le reste aux pauvres ». Talis erat paupertas in eremo ut cum M. Hingret, moderator Eius animae, huc olim veniret, lacrymas continere nequiverit. Etenim Ipse « pratiqua et aima la pauvreté d'une façon admirable », « et mena dans son ermitage, jusqu'à la fin de sa vie, la vie la plus pauvre et la plus mortifiée ». Et nos hac re desuper, cum eodem Teste, qui est primus ex officio vocatus, concludimus: « Il est à peine besoin de parler... de la pauvreté volontaire du Serviteur de Dieu. Il *n'a jamais rien possédé que son cercueil et quelques ustensiles de cuisine* ».

55. Praestantes edocent asceseos praeceptores magni habendam non esse mortificationem externam nisi illam interna comitetur. Sublimissima autem exempla quae doctrinae huius Dei Servus exhibuit admirati iam sumus quum in Capite superiori loquebamur de Fortitudine, et vidimus quomodo Ipse magnanime sensus dominaretur ut voluntatem Domini sequeretur; aggressus est ideo irrisiones, vexationes ac persecutiones hominum superavit, inimicis veniam obtulit eosque appellavit amicos. At quomodo sensus Ipse edomuerit praesertim prodiit in modo illo admirabili quo CASTITATEM egregie servavit. « Il exerça toute sa vie une grande vigilance sur ses sens ». Et miramur equidem: heic enim non de homine dicimus, qui vitam suam in claustro a iuvene exegit, qui vixit in mediis mortificationum exemplis, qui vixit a strepitu mundano remotus; at agitur de viro qui Angelicam animae innocentiam nedum in solitudine silvarum sed etiam in media gentium conversatione perfecte servavit. Servavit quum famulatui addictus dominorum potestati subiiciebatur, servavit quum militarem agebat vitam in mediis militum copiis, aliorum licentiam assidue conspiciens, tot excitatus illecebris, tot obnoxius tentationibus. « Le Serviteur de Dieu garda la continence parfaite du corps et du cœur, même lorsqu'il vivait en domesticité, même au milieu des camps »; et alter e Testibus confirmat quod Petrus perfectam continentiam servaverit « non seulement dans son ermitage, quand il habitait Ventron, mais même

(1) De Morib. Eccl. Cap. 19.

quand il fut au service miitaire ou au service des particuliers ».

56. Eremiticam postea vitam agens totus intendit ad pulcherriman servandam virtutem. « Les précautions extrêmes pour préserver sa vertu sont connues de tous ». Foeminas in sua cella, nisi plures insimul, nunquam admisit, separatim autem eas per angustos cancellos alloquutus est, oculis adeo demissis incedebat ut eorum color fere esset ignotus, cuiusque generis poenis maceravit corpus omnesque ei denegavit oblectationes. Ad preces praeterea confugit, Virginem Dei Matrem exoravit, suscepit frequentissime Sacramenta. « Il pratiqua toute sa vie une continence parfaite de corps, de cœur et d'esprit », « il pratiqua cette vertu toute sa vie d'une façon admirable ». Ex assiduo virtutis huius exercitio factum est quod Ipse inclinationes omnes naturae et sensuum incitamenta vinceret; ita ut quum vehementes tentationes Eum aggressae sunt ex eis victor gloriosus evaserit. « Il triompha des sollicitations dont il fut l'objet de la part de personnes effrontées ».

57. Quae cum ita se habeant, iure optimo alter e Testibus asserit: « La vie de Frère Joseph n'a été qu'un acte continuel d'extrême tempérance non seulement dans le boire et le manger, mais encore *dans l'immolation de tous les plaisirs corporels, même permis* ».

DE HUMILITATE.

58. Petrus noster qui Iesum tanto dilectionis affectu prosequutus est, Eius exemplum assidue imitari contendit; cumque Christus Ipse dixisset: « *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* », ille per integrum vitae suae decursum divinum hoc consilium impenso studio adimplevit, ita ut singulari modo humilitate praefulserit. « Le Serviteur de Dieu pratiqua l'humilité à un degré suréminent ». « Je sais (alius inquit) que la vie du Serviteur de Dieu ne fut qu'un long acte d'humilité », et alius confirmat: « il fut toujours considéré, soit dans son pays natal, soit à Ventron et dans les environs, comme un modèle d'humilité chrétienne ».

59. Aliqua tamen S. Alfonsus indicia praebet ut ex iis humilitas arguere tuto possimus et primum Sanctus hic Doctor edocet virtutem hanc ex demissione et vili sui ipsius cognitione prodire (1). Quoniam vero cordis humani scrutator est tantummodo Deus, superest nobis ut supradictum animi sensum ex dictis et verbis eruamus quae ex cordis plenitudine sincere et absque artificio proficiscuntur. Sunt autem innumera in Actis talia internae humilitatis exempla. « Dans ses paroles, qui étaient toujours sincères, et dans ses actes il se mettait toujours le dernier de tous ». Hinc se ultimum aestimabat peccatorem et ex eis indignissimum. Quod si ab Eo preces aliquando efflagitarentur pro quovis a Domino beneficio implorando, petentes hortabatur ut quoque ipsi tamen, Deum deprecarentur. « Je prierai (dicebat Ipse), mais priez surtout vous-mêmes, Dieu exaucera plutôt vos prières que les miennes », et iis qui, gratia impetrata, ad Eum veniebant ut gratum ei animum ostenderent, respondere Ipse solebat: « Le bon Dieu a plutôt exaucé vos prières que les miennes ». Ex intima hac persuasione vilitatis suae illud naturaliter oriebatur quod a laudibus et honoribus tamquam a peste Ipse abhorreret. « Il avait horreur des louanges ». « Le Serviteur de Dieu (dicit alius) fuyait avec la plus grande sollicitude les louanges des hommes ». Illis igitur qui elogiis virtutes Eius aliquando efferebant. « Je suis peut-être (respondebat) plus pécheur que les autres », moerebatur quod fama suae sanctitatis effunderetur, se fuga subduxit quum omnes vitam suam demirantes animadvertit, viris dignitate praeclaris qui Ipsum in eremo visitatum adierant, cellae aditum interclusit eosque ex cancellis humiliter alloquutus est. « Il ne consentit enfin à leur adresser la parole qu'à travers la petite grille dont j'ai parlé tout à l'heure ».

60. Edocet insuper Alfonsus, humilitatis heroicae proprium esse ut quis tum dona divinitus accepta, tum illa omnia quae suam in laudem verti possent, aliis diligenter occultet. Hoc quoque Dei Servus exequutus est qui gratias innumeras queis ex alto cumulabatur, sedulo omnibus abscondebat eique totidem erant incitamenta ad proprium nihilum agnoscendum eo magis aliisque illud declarandum. « Loin de se laisser aller à la vaine gloire, quand il avait obtenu quelques faveurs célestes, il n'en était alors que plus humble et plus défiant de lui-même », et alio etiam loco videmus: Toutes les faveurs qu'on obtenait par ses prières, au lieu de lui inspirer de la vaine gloire, ne faisaient que lui donner plus d'humilité et de défiance de lui-même ». Eodem humilitatis instinctu excitatus tum mortificationes omnes quas exercere Ipse solebat, tum poenitentiae instrumenta queis ad macerandum suum corpus innocentissimum utebatur, assidua ac singulari diligentia aliis celare curavit: « j'ai toujours entendu dire qu'il veillait attentivement à ce que ses pénitences restassent ignorées de tous »; quod alius quoque testis confirmat iis verbis: « Il se servait pour se mortifier d'instruments de pénitence, mais il les cachait si soigneusement, qu'on ne s'en aperçut qu'après sa mort ».

61. Illi denique, iuxta laudatum Doctorem, humilitatis perfectissimae culmen attingunt qui persecutiones, iniurias, contemptum diligunt, amplectuntur, desiderant. Sublimissimum etiam hoc virtutis meritum adeptus est Petrus qui humiliationum summopere laetabatur, « recevait avec joie les humiliations qu'on lui infligeaft ». Et revera iam in aliis Orationis capitibus plus quam semel occasio nobis data est videndi quomodo Ipse contentus et gestiens gaudio contumelias ac iniquas tulerit vexationes, gentium irrisiones toleraverit, percussiones in silentio passus fuerit, et immo se percutientibus dulcissime illico pepercerit. « Quand il était en butte aux mauvais traitements, non seulement il n'en était point contristé, mais il les supportait avec une sainte joie et une ardente charité. Mes amis, je vous pardonne, répondait-il à des jeunes gens qui venaient de le frapper ».

62. Neque miramur equidem: tantam enim virtutum excellentiam quam in Dei Famulo hucusque sumus admirati profundas in humilitate radices habuisse oportebat, iuxta illud: « *Quanto magnus es, humilia te in omnibus et coram Deo invenies gratiam* » (1).

DE DONIS SUPERNATURALIBUS
ET MIRACULIS IN VITA.

63. Omnipotens ille Dominus, qui semper *exaltavit humiles*, heroicam sui Famuli sanctitatem singularibus extulit honoribus, eamque supernis quoque donis celebriorem apud homines reddidit, « le Serviteur de Dieu fut favorisé de plusieurs dons surnaturels »; et alter e Testibus inquit: « le Serviteur de Dieu fut favorisé de dons surnaturels, tels que dons de prophétie, d'intuition, de miracle ». Et enimvero Dei Servus prophetico certe dono praeditus erat quum amico suo Choffel praedixit Eum suae mortis nuncium auditurum per sonitum sacri aeris Ecclesiae *Ventron*, qui sonitus in eo loco ubi commorabatur Choffel audiri certe non potuisset: et revera omnia postea impleta sunt veluti dixerat Petrus: prophetico Ipse illustrabatur lumine quum genitoribus moerentibus et de futura filiorum sorte dubitantibus optimum

(1) Le glorie di Maria - Parte II.

(1) Eccl. C. 3.

eorumdem exitum praenuntiavit, ut deinde contigit adamussim: prophetico certe afflatus erat spiritu quum obitum suum et plura eius adiuncta vaticinatus est; quae omnia ut Ipse indicaverat confirmata fuerunt. Felicem defunctorum conditionem viventibus qui eos moerebantur atque cum lacrymis revocabant, declaravit aliquando eosque solatus est. « Cet esprit prophétique se serait aussi appliqué à l'état des âmes des défunts. »

64. Eodem instinctu caelitus indito quo Petrus futura praenovit, arcana quoque cordium Ipse scrutatus est. Venientibus itaque ad Eum ut aliquid annuntiarent quod Ipse scire non poterat, se illud iam scire declaravit. « Vous venez m'annoncer la mort du petit Thomas; je la connaissais déjà ». Desideria praeveniebat illorum, qui a longe accedebant ad Ipsum pro beneficiis implorandis. « Il a pressenti sans aucune indication naturelle les demandes de grâces qu'on venait lui présenter de bien loin ». Consilia quibusvis opportuna atque aptissimas tradidit hortationes. « Sa discrétion dans les conseils qu'il donnait,... lui faisait donner des avis avec une sorte de discrétion et selon juste occurrence. »

65. Sed maiora quamplurimum Testes referunt: scilicet sanationes ipsas mirabiles, quae, Dei Famulo intercessore contigerunt. « On attribua à son intercession des faits miraculeux. Frère Joseph a accompli plusieurs miracles pendant sa vie. Le Serviteur de Dieu (confirmat alius adhuc) a obtenu du ciel des faveurs ou des guérisons miraculeuses ». Legimus in Actis de puero caeco cui Dei Servus perfectum oculorum usum restituit; de alio puero legimus, qui ob gravissimam infirmitatem prope mortem adductus, precibus nostri Petri optimam assequitur valetudinem; legimus de iuvene, qui miserrimo ac insanabili malo affectus in brachio, per Dei Famulum illico perfecteque sanatur. Praeclarissimum insuper donum habuit revocandi ad vitam pueros, quos ex utero mortuos mater emiserat, donec Baptismum exciperent, « plusieurs enfants mort-nés, apportés à l'ermitage, obtinrent, par les prières de Frère Joseph, quelques instants de vie pour recevoir la grâce du Saint Baptême »; et alius ait: « le Serviteur de Dieu a obtenu du Ciel... des résurrections momentanées d'enfants mort-nés pour leur procurer la grâce du Baptême ». Astipulatur his alius qui asserit: « Je sais de source certaine et je tiens de ma grand'mère que le Serviteur de Dieu opéra pendant sa vie bon nombre de miracles, entre autres des résurrections d'enfants morts sans Baptême. »

66. Accesserunt his omnibus alia dona: scilicet in fundendis precibus talis erat fervor Eius, ut e fronte copiosus manaret sudor, « Frère Joseph pria avec tant de ferveur, que la sueur lui découla du front ». Supernis quandoque communicationibus gavisus est. « Frère Joseph a eu des communications surnaturelles avec le Ciel ». Dum sacris cantibus Ipse noctu intenderet caelestes angelorum voces cum sua consociabantur Eumque dulcissime recreabant, « des voix célestes venaient se joindre à la sienne et répétaient avec lui le refrain de son cantique ».

67. Haec autem omnia sublimissima et heroicae virtutes insimul quamplurimum certe contulerunt ut illam Petrus sanctitatis famam assequeretur, de qua nunc sumus in capite sequenti dicturi.

DE FAMA SANCTITATIS IN VITA.

68. Ea semper est virtutum omnium praestantia ut illam gentes universae admirentur, fateantur, laudibus undique amplissimis obsequenter concelebrent. Haud mirabimur ideo si Petrus integritate morum eximius, tot egregius operibus, tot gratiis caelestibus exornatus, *Sanctus* unanimi consensu haberetur talisque praedicaretur ab omnibus. « De son vivant, le Serviteur de Dieu jouissait d'une grande réputation de sainteté; la réputation et l'opinion de sainteté du Serviteur de Dieu était très répandue »; haec enim sanctitatis opinio, quocumque Ipse iverit Eum sequuta fideliter est, « même pendant sa vie, Frère Joseph a eu une réputation de sainteté incontestée dans tous les lieux où il a vécu ». Revera iam ex eo tempore in quo sese Joseph famulatui addixerat, domini queis Ipse inserviebat insignem sanctitatem Eius aestimarunt, aestimarunt eam duces exercitus quum Ipse militiam ageret Eumque dimittentes dixerunt: « Va te faire saint où tu voudras », aestimarunt eam quotquot Ipsum postea novissent et nedum infima plebs, nedum ignorantes, nedum homines populi rudes sed viri tum civili tum ecclesiastica muneris dignitate clarissimi, doctrina praestantes, pietate insignes Eum habuerunt *Sanctum*. « Il était regardé par les ecclésiastiques et les laïcs comme un saint homme ». Rmus Episcopus Tullensis Petrum ad mensam propriam aliquando invitavit Eique splendidum tradidit existimationis testimonium. « L'Evêque de Toul, que je crois avoir été Mgr Claude Dronas, mit Frère Joseph publiquement à l'épreuve en l'invitant à sa table, et lui rendit un éclatant témoignage d'estime ». Et M. Hingret qui conscientiam Dei Servi moderabatur summo venerationis obsequio Eum prosequutus est. « Son confesseur, M. Hingret, avait pour lui-même, de son vivant, la plus grande vénération ». Clarissime certe Dei Famuli sanctitas effulsit, nedum enim piae gentes, sed etiam irreligiosi homines, illam celebrarunt eamque sincere confessi sunt. « C'était vraiment la voix du peuple sans distinction de savants et d'ignorants, de chrétiens pratiquants et *non pratiquants* ».

69. Maxima haec opinio sanctitatis qua fruebatur Dei Famulus ex Eius virtutibus gratiisque supernaturalibus orta, nedum in loco *Ventron* viguit, nam quamcito limites praetergressa per vicinias propagata est et etiam ad longinquas Regiones usque pervenit: ex iisque veniebant ad eremum gentes praeclarissimae ut viderent hominem sanctitate celebrem Eumque colerent atque alloquerentur. « Cette réputation s'étendait déjà au loin. Ainsi elle lui amena cette visite des chanoinesses de Remiremont qui est connue de tout le monde, ... plusieurs chanoinesses (ait quoque alius) firent exprès le voyage de Ventron pour voir un si saint personnage ». Alii accedebant fidentes ad Eum ut consilia exquirerent, alii ut suis se precibus commendarent, alii ut beneficia et gratias, Ipso intercessore, a Domino exposcerent; plurimas enim regiones tanta sanctitatis fama pervaserat. « Elle (existimatio haec) n'est pas circonscrite au pays de Ventron, mais elle s'étend dans tous les pays environnants et jusque dans des lieux fort éloignés ».

70. Eo magis autem haec omnia profecto habenda sunt quia non agitur heic de missionario aliquo, qui regiones innumeras lustraverit, qui doctrinae suae lumen effuserit, difficile aliquod munus impleverit, aliquam instituerit fundationem; at de homine loquitur qui genere pauperrimo natus, solitariam in eremo vitam traducens « a répandu autour de lui l'édification et la bonne odeur de N.S. Jésus-Christ, à ce point qu'on l'a toujours regardé comme un saint ».

DE PRETIOSO S. D. OBITU, DE CONCURSU AD FUNUS ET HUMATIONE.

71. Aliqui iam dies transierant et fideles, qui Ecclesiam adibant non amplius viderant ibi Petrum orantem, quotidie aegroti ad lectulum suum Eius expectabant levamen in vanum, dulcissimi cantus non resonabant amplius in solitudine silvarum. Accesserunt igitur gentes ad eremum Petri: at heu! Sanctum invenerunt hominem, qui suo in feretro iacens, adeo erat pressus debilitate, ut saxum quod per noctem identidem in Eius pectus ruere solebat, a se amovere Ipse nequiverat.

Interrogantibus Eum si quo forte subsidio in misera illa conditione indigeret se nil aliud exoptare, respondit, quam ut Sacramentis morientium quamcito reficeretur. Haec itaque ministrata Ipsi sunt a quodam Religioso, qui vices Parochi per ea tempora absentis, gerebat eaque sacramenta vir ille tanta fide, tanto ardore, tanta pietate suscepit, ut singulari adstantibus esset exemplo ex eorumque oculis copiosas exprimeret lacrymas. Perstitit infirmus in cubili pauperrimo tranquillus, Eiusque verba et vultus interna revelabant gaudia. At vero premebat patientia heroica morbi cruciatus et maiores adhuc poenas a Domino exposcebat. « Encore plus, ô mon Dieu, si c'est votre sainte volonté », cumque illi qui aderant dolores Eius aliquando misererentur, Ipse ad eos dulcissime conversus, esse haud satis, inquit, ea quae patiebatur pro suis expiandis iniquitatibus. Dum haec incensus poenitentiae spiritu protestabatur, in beata Domini pace requievit – Dies erat Aprilis trigesima anni 1784.

72. « Cette mort produisit sur tous les paroissiens l'impression la plus vive et la plus douloureuse ». Cum viri spectabiles cadaver lavare voluerint, Petri corpus e suis vestibus expoliantes invenerunt illas impressas inscriptiones « *Marie, mère de mon cœur; loué et adoré soit Jésus-Christ* », aliaque visa sunt in corpore illo sculpta signa pietatis. Postea tela serica, ex dono habita, tegitur ac in feretro ponitur, ita nihilominus ut inscriptiones adspicientibus paterent.

73. Interea nuncio mortis propagato, confluebat turmatim ad eremum gentium copia e viciniis, ut funebrem eremitae pompam usque ad tumulum prosequeretur. Talis autem haec pompa fuit ut illud haud longum iter, ob difficultatem incedendi, duas perduraverit horas, etenim: « la foule qui vint pour ses funérailles était tellement considérable, qu'elle remplissait l'espace des trois kilom. qui séparent l'église de l'ermitage ». Dum sancti viri cadaver per semitas eremi ad Ecclesiam traduceretur, mirabile certe contigit factum, scilicit: « à chaque croix où le Serviteur de Dieu avait coutume de faire ses stations, le corps devenait tellement lourd, que les porteurs étaient obligés de s'arrêter et de le déposer. Tous ceux qui formaient le convoi tâchaient de s'approcher du cercueil et de le toucher; la prière faite, le corps reprenait sa légèreté ordinaire, jusqu'à ce qu'enfin on arriva devant l'église ». Heic ut omnium desideria explerentur, Petri exuviae tota die manserunt expositae. Sancto certamine gentes sacra illi numismata aliasve res pias admovere procurabant, serenitatem demortui viri inspiciebant, poenitentiam et virtutem Eius memorabant, ad Eum in genua provoluti, gratias et beneficia implorabant.

74. Denique Petri corpus in coemeterio apud Ecclesiam summo cum obsequio reconditum est: prius autem M. Hingret qui tanti viri conscientiam fuerat moderatus, sibi in Eius memoriam Crucifixum retinuit, quem contra pectus ille compresserat quum emisit spiritum.

75. « . . . les restes de Frère Joseph (addit alter e testibus) furent exhumés le 11 juillet 1854 par Monseigneur Caverot, qui prononça l'éloge funèbre du Serviteur de Dieu en présence des autorités de la paroisse, de l'arrondissement et d'une foule évaluée à quinze mille personnes ».

DE FAMA SANCTITATIS S. D. POST EIUS OBITUM.

76. « La réputation de sainteté dont jouissait le Serviteur de Dieu pendant sa vie ne fit que s'accroître après sa mort et jusqu'à ce jour ». Quanto revera venerationis obsequio gentes universae Dei Servum prosequerentur iam in superiori Capite vidimus enarrantes de funere ipsius et de sepultura. At non desiit eo tempore fama. Innumerae post Eius obitum impressae sunt imagines quas ardentissimo omnes desiderio exquirunt, exposcunt, singulari devotionis instinctu diligenter asservant. Et convenit assidua gentium copia ad tumulum Eius nedum ex habitatoribus Ventron sed ex viciniis etiam; immo ex longinquis quoque locis piae instituuntur peregrinationes ad sepulchrum Dei Servi. « Le tombeau de Frère Joseph est devenu le but d'un pèlerinage de plus en plus fréquenté ». Ibi alii subsidium pro suis necessitatibus implorant, alii ex-voto, grati animi ergo et donaria pro gratiis exceptis offerunt, alii missarum celebrationem expetunt, omnes in libro heic apposito sua nomina denique inscribunt.

77. Communis haec existimationis confessio nedum ex infimo vulgo aut plebis hominibus prodiit, sed etiam viri ecclesiasticis dignitatibus clari sincerum obsequii testimonium erga Dei Servum pie manifestarunt; et nobis ferunt Acta de Religiosis, de Parochis, de Vicariis Generalibus, de Episcopis, de Archiepiscopis usque, qui ad eremum et sepulchrum Eius quotannis religiose conveniunt ibique ardentes effundunt preces. « Des foules considérables, composées non seulement de gens du peuple, mais de prêtres, religieux, dignitaires ecclésiastiques, Evêques même, vinrent chaque année à son tombeau et à son ermitage ». Rmus Episcopus Grégoire, anno 1797. scripsit de Servo Dei: « la réputation de ses vertus, qui ne se sont jamais démenties, fait qu'on accourt de loin pour visiter son tombeau ». Episcopi Caverot, de Briey, Sonnois processum pro Ipsius Beatificatione instituere proposuerant. Episcopus Foucault hoc denique propositum maximo animi ardore exequutus nunc est.

78. Illud autem admirabile eo magis est, quod nedum piae gentes, sed immo irreligiosi quoque homines ac impii istam Dei Famuli sanctitatem sint omni quovis tempore venerati: ita ut teterrimo etiam publicae seditionis tempore, illo, inquam, tempore ecclesiae et Religioni adeo adverso, dum hostes infensissimi omnia pietatis indicia evertere conarentur, Dei Servi tumulus fuerit a tanta barbarie mirifice servatus. « Tous, parents, amis, ennemis, laïcs, ecclésiastiques, en tout temps se sont accordés à affirmer cette sainteté éminente, même pendant les temps si troublés de la révolution et dans ce pays si fortement miné par les écrits de Voltaire et de Jean-Jacques Rousseau », et alio etiam loco legimus: « la vénération populaire envers le Serviteur de Dieu s'est toujours maintenue et a été plutôt en augmentant, même à cette époque néfaste de la révolution, où tant d'objets de piété furent profanés et détruits ». Alter denique e Testibus qui est Parochus *Ventron* refert gregem suum Eum palam ad sepulchrum deprecari et addit: « même des gens non pratiquants tiennent à se procurer et à conserver des objets qui viennent de lui ». Et revera Dei Servi reliquiae maximo habentur in honore et « sont réservées comme reliques dans les familles ». Innumeri qui veniunt ad sepulchrum Eius ut aliquid in memoriam Illius asservent, frustula petrae, quae tumulum operit adeo diripuerunt, ut eam plus quam semel renovare opus fuerit. « Il fallut remplacer plusieurs fois la pierre tombale qui recouvrait ses restes, tant elle était mutilée par la dévotion des pèlerins qui en emportaient des fragments ».

79. Desiderium hoc possidendi aliquid ex reliquiis Eius maxime prodiit anno 1854 quum Dei Servi corporis exhumatio a Rmo Episcopo Caverot peracta est. Ea igitur occasione, cum plura exuviarum Eius fragmenta humi forte mansissent, inenarrabili certamine gentes ea omnia abstulerunt quae cum particulis ex ornamento feretri, inter populum distributa postea sunt. « Le peuple s'empara des débris de sépulture, terre, etc. Tous les ornements du catafalque furent pillés et partagés par la foule. La croix en fer forgé qui surmontait la tombe du Serviteur de Dieu existe encore ». Et iam vix Eo demortuo « les chanoinesses de Remiremont « s'efforcèrent, mais en vain, d'obtenir son corps ».

80. Tanta sanctitatis opinio ex heroicis Dei Famuli virtutibus orta invaluit solidior in dies et latius effusa, quin ullus contradiceret unquam, ad nostra usque tempora mirifice increvit: quod splendide caeterum ostendunt nobis innumerae illae Postulatoriae Litterae Summario heic adiectae quas Viri dignitatibus, doctrina, pietate insignes ad Pontificem Summum e longinquis usque Regionibus miserunt ut Caussae huius nobilissimae Commissio signetur et meritam Dei Servus gloriam in hoc quoque mundo tandem aliquando assequatur.

DE MIRACULIS POST OBITUM S. D.

81. Ad augendam provehendamque famam de qua diximus hactenus haud parum profecto miracula contulerunt, quae Dei Famulo intercessore, post Eius obitum Dominus omnipotens operari dignatus est. Legimus itaque in Actis: « depuis sa mort, le Serviteur de Dieu a accompli un grand nombre de faits miraculeux », et alio loco dicitur: « ... le Serviteur de Dieu, depuis sa mort a opéré de nombreux miracles », aliusque adhuc Testis confirmat innumera miracula causam esse quod ingens confluat populi concursus ad sepulcrum Dei Servi. « Ce qui amenait les pèlerins de tous côtés, c'étaient les grâces extraordinaires et très nombreuses qu'on obtenait par son intercession ». Narratur in actis de infante qui miserrime ruens in liquidum quoddam ebulliens iamque duos exinde annos in lectulo iacens, ope Dei Servi fidenter implorata, illico ad sanitatem perfecte restituitur; refertur de caeca a nativitate quae visionis usum optime assequitur; loquitur de puero qui ab horrida operatione chirurgica, Dei Servi auxilio invocato apud eremum Eius, mirifice liberatur. Puerulus qui aetatem quinque annorum attigerat et deambulare non poterat ob insanabilem in cruribus deformitatem, vix ad sepulcrum Dei Servi adducitur, plenam extemplo valetudinem adipiscitur; adolescentula quatuordecim annos nata cum loquelae usu impediretur, intercessione Dei Famuli implorata, ab hoc defectu sanatur; mulier nomine Rosa Clément quae daemonis obsessionem patiebatur, ad tumulum Dei Servi adducta, quamcito libertatem assequitur.

82. At longe mirabilius sanationibus est factum quod Testis Ius enarrat. Scilicet anno 1808 ex Claudio et Catharina Valdenaire natus est infans qui iam in suae genitricis utero mortuus erat. Moerebantur summopere parentes quod puer ille salutaribus baptismi aquis ablui non potuisset. Pater itaque singulari motus fiducia in Dei Servum, ab Eo expetit ut aliquid vitae tempus mortuo concederet, quo baptismum posset excipere. « *Qu'on le porte donc à son tombeau* ». Huc perventi omnes qui adierant, dum fervore maximo preces effundebant, infans ille demortuus sanguinem emittit e naribus atque indubia perhibet indicia vitae, ita ut Parochus ei baptismum administrare tuto potuerit « et après le Baptême, l'enfant mourut ». Testis idem qui plura alia prodigia retulit, in fine suae depositionis asserit: « Je connais *une multitude d'autres faits* qu'il me serait trop long d'énumérer ».

83. Et nos etiam alia innumera quae a Testibus relata leguntur, brevitatis amore praetermittimus; ea enim de quibus hoc in Articulo agitur, erunt in alia iudicii sede et Deo adiuvante tractanda. Alacri igitur fiducia erecti ex tanta virtutum praestantia, ex opinione gentium universali, e maxima prodigiorum excellentia, preces Vobis AA. Patres obsequenter iteramus cum Rmo D. Alberto d'Armailhacq, Antistite Urbano et Causae Postulatore eximio, cumque omnibus iis praeclarissimis Viris qui Litteras dedere Postulatorias ut Commissio Introductionis Causae signetur et tandem aliquando meritos Dei Famulo decernantur honores.

Quare, etc. — 4 Augusti 1899.

AUGUSTINUS ROLLI, Adv. — ADULPHUS GUIDI.

Revisa: ALEXANDER Adv. VERDE,

S. R. C. Assessor et S. Fidei Subpromotor.

IV.

CONSTANTIEN. ET ABRINCEN. — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Magdalenae Postel, institutricis Sororum Scholarum Christianarum a Misericordia.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Charitate in Deum et Proximum; itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?

Multis dudum tentantibus catholicae religionis fundamenta divellere, atque hominum genus, obiecta specie sive honestatis sive sapientiae, transversum agere, providentissimus Deus opposuit identidem verae doctrinae ac sanctitatis exempla, confirmans utramque illam sententiam « qui nititur mendaciis hic pascit ventos » (Prov. X, 4); contra vero: « labia iusti erudiunt plurimos » (Prov. X, 21). Quod cum saepe aliis in locis tum maxime in Gallia contigit, quo tempore ab iis, qui se philosophos iactabant, per simulationem intelligentiae, incredibilis malitia inducta est atque perversitas. Horum fraude circumventa praesertim iuvenilis aetas institutoribus eguit, quorum disciplinae summa esset: « initium Sapientiae timor Domini ». Iam ut puerorum institutioni divinitus consultum est per Scholarum Christianarum patrem S. Ioannem Baptistam de la Salle, ita puellis mater et magistra data est Ven. Dei Famula Maria Magdalena Postel, institutrix et ipsa novae Familiae, cui titulus: « Sorores Scholarum Christianarum a misericordia ».

Barflorei in Gallia, quod oppidum est Constantiensis Dioecesis, IV Cal. Decembris MDCCLVI, honestis ac pientissimis parentibus edita in lucem est Ven. Dei Serva, inditis nominibus Iulia, Francisca, Catharina, quibus post nuncupata vota religionis illa suffecit « Maria Magdalena » innocentiae ac poenitentiae connubium conciliante charitate. A vitae primordiis divina gratia praeveniente talis extitit ut maturae fastigia sanctitatis attigerit. Nondum enim septimum annum aetatis egressae aptari poterant Apostoli verba, « conversatio nostra in caelis est ». Iam tum sui afflictandi sollicita poterat regii vatis usurpare verba: « castigatio mea in matutinis ». A peccato fugiens « tamquam a facie colubri », caelo tonante, gaudio gestiebat, spem fovens eo terrore perculsos errantes ad meliorem frugem redituros. Eadem duellum, arrepta cruce, cum orantium puerorum manipulo deprecata est. Quasi uni sibi dictum putans: « frange esurienti panem tuum... cum videris nudum, operi eum » ad id charitatis processit, ut et saepe suas exuerit vestes et omni pene cibo abstinuerit. Apud virgines Benedictinas Valloniis degentes collocata ut institueretur, tam sancte se gessit ut *Filia Dei* passim appellaretur. His virtutibus, in primisque sedulo studio edocendorum rudium, mature significavit cui potissime ministerio esset a divina Providentia destinata.

Anno vitae suae ferme XVIII ad paternum oppidum reversa, puellis ludum aperuit, praesertim egenis, eas enutriens et « quasi aquila provocans ad volandum pullos suos ». Inter haec, Europa vasto illo flagrare coepit incendio, quo

subversis humanae societatis ordinibus, legibus, regnis, direpta templa sunt, expilatae aedes, foedata omnia rapinis, ludibrio, sanguine. Mediae procellae impavida virgo se obiecit; sacerdotes in excidium quaesitos, extorres, hospitio recepit; victum iisdem et locum sacris peragendis cum sui capitis periculo suppeditavit; naviculae ipsis eripiendis ut praesto essent, effecit. Urgente vero metu, ne sancta mysteria violarentur, eius puris manibus credita pyxis est Eucharistiae asservandae, et caetera sacrorum suppellex. Sic fere per decennium quo caecus ille perstitit furor, mulier ista fortis « de longe portans panem suum », apostolico plane munere functa est, iure gratulata quod par sibi, quae Deiparae, fortuna contigisset, gestandi Iesum in ulnis.

Quum tempestas illa resedit, Caesaroburgum se contulit, ibique pauperum filiarum a misericordia fundamenta iecit, cui instituto propositum esset adolescentiam optimis moribus imbuere, utilissimis erudire disciplinis, ut inde piae matresfamilias prodirent atque ita christiana posset restaurari societas. Ac fuit ille quidem initio « vere pusillus grex » coalescens Sororibus tribus, duce Ven. Maria Magdalena; nec ante annum a sui ortu tricesimum per sexcentas aerumnas, per famem, per rerum omnium inopiam, mutatis crebro domiciliis, quasi deturbatum apiarium, nulla suppetente mundi fiducia, tandem aliquando succrevit; ex eoque tempore sic est progressus ut per Ven. Dei Servam non modo Dominicus ager auctus fuerit nova Sororum Familia in primis numero et virtute florente, sed arti quoque ac religionis decori consultum per instauratum ingens illud aedificium, quod olim Abbatia SS. Salvatoris le Vicomte appellabatur.

Virtutibus omne genus ditatae virgini, quae, per diuturnum vitae cursum a summa animi puritate, ne transversum quidem unguem discedens ad perfectionis fastigium divinitus excitata omnibus visa est, eidemque de Ecclesia ac de civili societate tam benemeritae per integri ferme saeculi spatium, nihil iam reliquum erat nisi ut requiesceret tandem a laboribus suis exciperetque vocem invitantis ad caelum: « Veni sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus praeparavit ». Itaque die XVI mense Iulii, anno MDCCCXLVI, quem diem postremum vitae suae fore praenuntiaverat existentibus Sororibus ad numerum CLIX, qua hora Christus emisit spiritum, et ipsa candidae instar columbae efflavit animam placidissime.

Eius fama sanctitatis post obitum personante adhuc et succrescente quotidie, eademque pluribus confirmata signis, penes Constantiensem Curiam testimonia collecta sunt et processus ordinaria auctoritate institutus, caeterisque iure confectis S.mus D. N. Leo XIII Commissionem introductionis causae Ven. Servae Dei sua manu signavit; initi mox Apostolici fuere processus, quorum validitate comprobata, de heroico virtutum gradu disceptari coeptum est penes SS. RR. Congregationem; primum in antepraeparatorio Conventu in Aedibus cl. m. Cardinalis Caietani Aloisi-Masella, Causae Relatoris, quinto cal. martias an. MDCCCCII; deinde in praeparatoriis Comitiis ad Vaticanum habitis decimotertio cal. Februarias volventis anni; ac denique in generalibus coram S.mo D. N. Leone Papa XIII in Aedibus Vaticanis quarto idus Maias eiusdem anni coactis, in quibus cum a R.mo Cardinali Dominico Ferrata, Causae Relatore, dubium fuisset propositum: « An constet de Virtutibus theologalibus Fide, Spe, Charitate in Deum et Proximum; nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis Ven. Servae Dei Mariae Magdalenae Postel in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur? » E.mi PP. Cardinales SS. tuendis Ritibus praepositi et Patres Consultores suam ordine sententiam aperuere. Quibus perpensis Beatissimus Pater, quamvis supersedendum censuit, adstantes hortatus ut caeleste lumen ad rite iudicandum efflagitarent, his tamen verbis Conventum dimisit: « Altricem heroum Galliam, quae hanc Ven. Dei Famulam Mariam Magdalenam Postel feliciter edidit terris, felicius eduxit caelo, hodie commemorare licuit. Conventus enim hodiernus amplissimum Consultoribus Vobisque campum aperuit ad testandam virtutum eius insignem excellentiam. Vestris sententiis decretorii Nostri iudicii confirmationem accessuram, Dei numine adspirante, quantocius confidimus. Id unum optandum sperandumque restat ut Galliam suam Ven. Maria Magdalena benigne respiciat; et cui vivens per calamitosa tempora largam misericordiae opem attulit, eidem eheu! asperrimae in religionem procellae fluctibus exagitatae valida apud Deum deprecatione succurrat ».

Hodierna vero die, qua sollemnia recoluntur ob adventum Spiritus Sancti, idem S.mus Dominus sacris litatis in privato Sacello, nobiliorem hanc aulam Vaticanae Aedis ingressus est, et pontificio Solio assidens R.mos Cardinales accessivit Seraphinum Cretoni SS. Rituum Congregationi Praefectum, et Dominicum Ferrata Causae Relatorem, itemque R. P. Alexandrum Verde S. Fidei Promotorem et me infrascriptum Secretarium, iisque adstantibus solemniter pronuntiavit: « *Ita constare de Virtutibus theologalibus Fide, Spe, Charitate in Deum et proximum; itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis* Ven. Servae Dei Mariae Magdalenae Postel *in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur, ut procedi possit ad ulteriora, idest ad quatuor miraculorum discussionem* ».

Hoc autem Decretum publici iuris fieri, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri iussit, pridie Cal. Iunias anno MDCCCCIII.

SERAPHINUS Card. CRETONI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Diomedes Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

V.

SOCIETATIS IESU

Approbatur Officium cum Missa propria, de Festo Omnium Sanctorum S. J. sub ritu duplici 2ae classis.

Impensa totius Societatis Iesu vota depromens, Rmus Pater Ludovicus Martin, eidem Societati Praepositus Generalis, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII, humillimis precibus rogavit, ut Festum Omnium Sanctorum sub ritu duplici secundae classis, prouti compluribus Religiosis Ordinibus concessum fuit, amodo a Patribus Alumnisque ipsius Societatis in posterum recoli valeat: atque schema respectivi Officii cum Missa proprii diligenter exaratum, supremae Apostolicae Sedis sanctioni demississime subiecit.

Exhibitum vero huiusmodi Officium et Missam quum, ad iuris tramitem, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Andreas

Steinhuber, Relator, in ordinariis Sacrorum Rituum comitiis, subsignata die ad Vaticanum habitis, proposuerit; Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, re mature perpensa, auditoque R. P. D. Alexandro Verde, S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: « *Pro gratia et ad Emum Ponentem cum Promotore Fidei* ». Die 21 Aprilis 1903.

Quare, propositi Officii et Missae ab ipso Emo Ponente cum Promotore Fidei revisione accuratissime peracta, hisque omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII, per infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum relatis; Sanctitas Sua sententiam Sacri ipsius Consilii ratam habens, suprascriptum Officium cum Missa proprium de Festo Omnium Sanctorum Societatis Iesu, enuntiata Dominica Novembris ritu duplici secundae classis ab universa eadem Societate in posterum quotannis recolendo, benigne approbare dignata est: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22, iisdem mense et anno.

S. Card. CRETONI, *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Sec.rius.*

Officium in festo omnium Sanctorum Societatis Jesu.

AD VESPERAS

Ant. 1. Omnis, qui invocaverit Nomen Domini, salvus erit

Psalmi ut in I. Vesp. de com. Apost.

2. Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitae.

3. Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates.

4. Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.

5. Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum coelorum.

Capitulum. *I. Thess. IV.*

Fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis.

HYMNUS

Jesu dicata Nomini,
Cohors beata militum
Victrix, subactis hostibus,
Agit triumphi gloriam.

Ignatius cui legifer
Sanctique ductor agminis
Praeest, ovatque in omnibus
Gessisse bella filiis.

Hinc purpurati sanguine,
Adstant recincti laureis:
Divina quique cordibus
Christi intu erunt munera.

Sunt quos coronat liliis
Intacta morum castitas:
Evexit et quos sanctitas
Domesticis virtutibus.

Jesu beantur lumine,
Jesum salutant canticis,
Jesuque grati deferunt
Palmas, coronas, lilia.

Patri perennis gloria,
Natoque Patris unico,
Sanctoque sit Paraclito
Saeculum per omne gloria.
Amen.

℣. Sit Nomen Domini benedictum. Alleluia.

℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum. Alleluia.

Ad Magnif. Ant. Hi sunt fratrum amatores, et populi Israël: hi sunt, qui multum orant pro populo, et universa sancta civitate.

ORATIO

Da nobis quaesumus Domine, per intercessionem beati Patris Ignatii sanctorumque omnium qui sub sanctissimo Nominis Jesu vexillo ipso duce militarunt: ita tibi perfecto corde servire; ut post huius vitae cursum gloriosi exitus illorum consortes esse mereamur. Per Dominum.

AD MATUTINUM

Invitat. Regem regum Dominum venite adoremus: Quia ipse est corona Sanctorum omnium.

HYMNUS

Sol noctis umbras discutit,
Terrasque complet lumine:
Tu, Christe, nostris mentibus,
Aeterna lux illabere.

Fratrum triumpho plaudimus,
Qui te secuti principem,
Tuo perennem Nomini
Laudem beati concinunt.

O Nomen admirabile,
Omnique maius nomine!
Invicta semper militum
Tutela, terror hostium.

Nostrum decus, spes unica,
Jesu, fidelis agminis,
Quod sub tuis insignibus
Caeli meret stipendia.

Fac nos benigno numine
Exempla patrum persequi:
Te corda nostra diligant;
In corde regnes omnium.

Patri perennis gloria,
Natoque Patris unico,
Sanctoque sit Paraclito
Saeculum per omne gloria.
Amen.

IN I. NOCTURNO

Ant. 1. Turris fortissima Nomen Domini: ad ipsum currit iustus, et exaltabitur.

Psalmi in tribus Nocturnis ut in Festo Omnium Sanctorum

2. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.

3. Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus et mundo corde.

℣. Laetamini in Domino, et exultate iusti.

℟. Et gloriamini omnes recti corde.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Ephesios.

Lectio 1. *Cap. 1.*

Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo. Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in charitate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum: secundum propositum voluntatis suae, in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. In quo habemus redem-

ptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae eius, quae superabundavit in nobis in omni sapientia, et prudentia: ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quae in caelis, et quae in terra sunt, in ipso: in quo etiam et nos sorte vocati sumus praedestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae; ut simus in laudem gloriae eius.

℟. Adorabant viventem in saecula saeculorum, et mittebant coronas suas ante thronum dicentes: * Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem. ℣. Fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes. Dignus es.

Lectio 2. *Cap. IV.*

Obsecro itaque vos, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, et unus spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi; veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.

℟. Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei; et clamabant voce magna: * Usquequo Domine, non vindicas sanguinem nostrum? ℣. Et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum. Usquequo.

DE EPISTOLA AD ROMANOS

Lectio III. *Cap. XII.*

Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Habentes autem donationes secundum gratiam, quae data est nobis, differentes: sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui praeest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. Dilectio sine simulatione. Odientes malum , adhaerentes bono: charitate fraternitatis invicem diligentes: honore invicem praevenientes: sollicitudine non pigri: spiritu ferventes: Domino servientes: spe gaudentes: in tribulatione patientes: orationi instantes. Benedicite persequentibus vos: benedicite et nolite maledicere. Nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

℟. Sedes Dei et Agni in illa erunt, et servi eius servient illi; et videbunt faciem eius; * Et Nomen eius in frontibus eorum. ℣. Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in saecula saeculorum. Et Nomen. Gloria Patri. Et Nomen.

IN II. NOCTURNO

Ant. 1. Dominus pars hereditatis meae, et calicis mei: tu es qui restitues hereditatem meam mihi.

2. Impinguasti in oleo caput meum: et calix meus inebrians quam praeclarus est.

3 Magnificavit Dominus facere nobiscum: facti sumus laetantes.

℣. Exultent iusti in conspectu Dei.
℟. Et delectentur in laetitia.

DE SERMONE S. BERNARDI ABBATIS

In trans. S. Malach. Ep. serm. II. circ. med.

LECTIO IV.

Congratulemur, fratres, congratulemur, ut dignum est, parentibus nostris; quia et pium est defunctos plangere, et pium magis congaudere viventibus. Numquid non vivunt? Et beate. Nimirum visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Denique iam concives sanctorum et domestici Dei, psallunt pariter et agunt gratias dicentes: Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. Transierunt plane viriliter, et feliciter pertransierunt. Transierunt per ignem et aquam, quos nec tristia frangere, nec detinere mollia potuerunt. Laetemur, quod angeli nostri ascenderunt ad cives suos, pro filiis captivitatis legatione fungentes, corda nobis conciliantes beatorum, vota illis intimantes miserorum. Laetemur, inquam, et exsultemus, quia caelestis illa curia ex nobis habet, quibus sit cura nostri, qui suis nos protegant meritis, quos informarunt exemplis, miraculis confirmarunt.

℟. Beati pauperes spiritu: * Quoniam ipsorum est regnum caelorum.

℣. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt. Quoniam.

LECTIO V.

Benedictus Dominus Deus, qui tantorum Sanctorum ministerio visitavit plebem suam, et nunc assumptis iis in sanctam civitatem, tantae recordatione suavitatis nostram non desinit consolari captivitatem. Exultent in Domino spiritus eorum, quod levati pondere corporeae molis, nulla iam terrena materia praegravantur, quominus tota alacritate ac vivacitate corpoream omnem et incorpoream transeuntes creaturam, pergant toti in Deum, et adhaerentes illi, unus sint cum eo spiritus in aeternum.

℟. Qui ad iustitiam erudiunt multos: * Quasi stellae in perpetuas aeternitates.

℣. Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona. — Quasi stellae etc.

LECTIO VI.

Domum istam decet sanctitudo, in qua tantae frequentatur memoria sanctitatis. Sancti nostri, servate eam in sanctitate et iustitia, miserti nostri, qui inter tot et tantas miserias memoriam abundantiae suavitatis vestrae eructamus. Magna est super vos divinae dispensatio pietatis; qui vos parvos fecit in oculis vestris, magnos in suis; qui magna fecit per vos, salvans tot gentes, magna fecit vobis, introducens vos in gloriam suam. Festivitas vestra, quae merito vestris virtutibus votiva impenditur, vestris nobis efficiatur meritis et precibus salutaris. Liceat nobis aliquas, vobis migrantibus, retinere reliquias de fructibus spiritus, quibus onusti ascenditis, qui in vestro hodie tam delicioso convivio congregamur. Vita vestra, lex vitae et disciplinae; memoria vestra, dulcedo suavitatis et gratiae.

℟. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: * Quoniam ipsorum est regnum caelorum.

℣. Nolite mirari, si odit vos mundus; quia me priorem vobis odio habuit. Ipsorum. Gloria Patri. Quoniam.

IN III. NOCTURNO

Ant. 1. Fundatur exultatione universae terrae mons Sion: Deus fundavit eum in aeternum.

2. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.

3. Beati qui habitant in domo tua, Domine: in saecula saeculorum laudabunt te.

℣. Justi autem in perpetuum vivent.
℟. Et apud Dominum est merces eorum.
Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. *Cap. V.*

In illo tempore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. Et reliqua.

HOMILIA S. BERNARDI ABBATIS

In festo Omn. Sanct. Serm. 3 in Matth. V.

Advertistis, nisi fallor, tres esse sanctarum status animarum: primum videlicet in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in corpore iam glorificato. Primum in militia, secundum in requie, tertium in beatitudine consummata; primum denique in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Multo magis tamen atria concupiscibilia. Sed beati omnino qui habitant in domo tua, Domine. Laetatus plane sum in his, quae dicta sunt mihi, fratres, quoniam in domum Domini ibimus. Quod si quaeritis, unde id tam fiducialiter praesumam; inde sine dubio, quod iam multi ex nobis in atriis stent, exspectantes donec recipiant corpora sua, donec impleatur numerus fratrum. In illam enim beatissimam domum nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis, idest nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne.

℟. Beata gens, cuius Dominus Deus eius: * Populus, quem elegit in haereditatem sibi.

℣. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Populus.

LECTIO VIII.

Propterea cum resurrectionem expeterent corporum, acceperunt divinum responsum, dicens: Sustinete modicum tempus, donec compleatur numerus fratrum vestrorum. Acceperunt tamen iam singulas stolas; sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur et nos. Stola enim prima ipsa est felicitas et requies animarum: secunda vero immortalitas et gloria corporum. Sed una hoc tibi, o misera caro, unde tibi hoc? Animae sanctae, quas propria Deus insignivit imagine, te desiderant; quas redemit proprio sanguine, te expectant; et ipsarum sine te compleri laetitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest.

℟. Defecit caro mea, et cor meum: * Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.

℣. Quid mihi est in caelo? et a te quid volui super terram? Deus cordis mei. Gloria Patri. Deus cordis mei.

LECTIO IX.

Quid ergo? putasne, poterit humana anima in hoc gaudium Domini sui et in hanc eius requiem intrare? Poterit sine dubio, si fidelis inveniatur super pauca, quae accepit militiae suae tempore. Sciat ergo servus Christi vas suum possidere in sanctificatione; glorificet et portet Deum in corpore suo: nec dubium quin fidelem in modico servum supra multa constituat Dominus liberalis et dives. Supra multa plane, quoniam constituet eum dominum domus suae, et principem omnis possessionis suae. Haec est ergo beata spes quam expectant animae sanctae: et licet in gratiarum actione versentur pro ea felicitate, in qua iam requiescunt; adhuc tamen orant et clamant ad Deum pro ea consummatione, quam praestolantur.

AD LAUDES

et per Horas

Ant. 1. Notas mihi fecisti vias vitae: adimplebis me laetitia cum vultu tuo.

2. Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua.

3. Sanctorum velut aquilae iuventus renovabitur: florebunt sicut lilium in civitate Domini.

4. Inebriabuntur ab ubertate domus tuae: et torrente voluptatis tuae potabis eos.

5. Haec requies mea in saeculum saeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.

Capitulum. *I. Thess. IV.*

Fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis.

HYMNUS.

Ö virgo Mater, virginum
Flos, nostra quam sodalitas
Vitae vel ipso a limine
Dulcem parentem nominat.

Sancta auspicato vulnere
Vocas ad arma Ignatium:
Materna parvo coetui
Arridet orto charitas.

Ades sereno lumine,
Motosque sedas aequoris
Fluctus, procellas disiicis,
Pacisque reddis munera.

Te afflante, virtus enitet,
Rubet rosarum purpura,
Intacta florent lilia,
Palmae virescunt martyrum.

Rex Jesus et dux agminis;
Tu, Mater alma Numinis,
Regina: utrique subdimur,
Jesu tuique milites.

Patris perennis gloria,
Natoque Patris unico,
Sanctoque sit Paraclito
Saeculum per omne gloria.
Amen.

℣. Adiutorium nostrum in Nomine Domini:
℟. Qui fecit caelum et terram.

Ad Bened. Ant. Ecce Dominus veniet, et omnes Sancti eius cum eo; et erit in die illa lux magna. Alleluia.

ORATIO

Da nobis, quaesumus Domine, per intercessionem beati Patris Ignatii sanctorumque omnium qui sub sanctissimo Nominis Jesu vexillo ipso duce militarunt: ita tibi perfecto corde servire; ut post huius vitae cursum gloriosi exitus illorum consortes esse mereamur. Per Dominum.

AD TERTIAM

Capit. I. *Thess. IV.*

Fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis.

℟. *br.* Laetamini in Domino: * Et exultate iusti. Laetamini.

℣. Et gloriamini omnes recti corde. Et exultate. Gloria Patri. Laetamini.

℣. Exultent iusti in conspectu Dei.
℟. Et delectentur in laetitia.

AD SEXTAM

Capit. *Tob. 11. 18.*

Filii Sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.

℟. *br.* Exultent iusti * In conspectu Dei. Exultent. ℣. Et

delectentur in laetitia. In conspectu. Gloria Patri. Exultent.

℣. Justi autem in perpetuum vivent.

℟. Et apud Dominum est merces eorum.

AD NONAM.

Capit. *2. Cor. II. 14.*

Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, et odorem notitiae suae manifestat per nos in omni loco; quia Christi bonus odor sumus Deo.

℟. br. Iusti autem: * In perpetuum vivent. Iusti. ℣. Et apud Dominum est merces eorum: In perpet. Gloria Patri. Iusti.

℣. Adiutorium nostrum in Nomine Domini:

℟. Qui fecit caelum et terram.

IN II. VESPERIS

Ant. 1. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Psalmi ut in I. Vesp., et loco ultim., Ps. 115 Credidi.

2. Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

3. Mihi autem adhaerere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam.

4. Fortitudo mea, et laus mea Dominus: vox exultationis et salutis in tabernaculis iustorum.

5. Unam peti a Domino, hanc requiram: ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.

Capitulum. *I. Thess. IV.*

Fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Iesu, ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis.

Hymnus, ut in I. Vesperis.

℣. Sit nomen Domini benedictum, Alleluia.

℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum, Alleluia.

Ad Magnif. Ant. Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, centuplum accipietis, et vitam aeternam possidebitis.

ORATIO

Da nobis, quaesumus Domine, per intercessionem beati Patris Ignatii sanctorumque omnium qui sub sanctissimo Nominis Jesu vexillo ipso duce militarunt: ita tibi perfecto corde servire; ut post huius vitae cursum gloriosi exitus illorum consortes esse mereamur. Per Dominum.

Missa in festo omnium Sanctorum Societatis Jesu.

Introitus. *Philip. II.*

In nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium, et infernorum: et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.

Ps. 8. Domine, Dominus noster, quam admirabile est Nomen tuum in universa terra! ℣. Gloria Patri.

ORATIO

Deus, qui nos, sub sanctissimo Nominis tui vexillo militantes, beati Patris Ignatii et Sanctorum nostrorum praesidio confirmasti; concede, ut, quorum celebramus gloriam, virtutum quoque imitemur exempla. Qui vivis.

Lectio Epistolae Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.
Ep. II. cap. VI.

Fratres: Adiuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum; sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiae a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam: ut seductores, et veraces, sicut qui ignoti et cogniti: quasi morientes, et ecce vivimus: ut castigati, et non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. Vos enim estis templum Dei vivi sicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis et inambulabo inter eos: et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus.

Graduale. — Hebr. XIII. Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.

℣. *Ps. 132.* Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum. Alleluia, Alleluia.

℣. *Luc. XXII.* Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: et ego dispono vobis regnum ut sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel. Alleluia.

✠ *Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum.*

In illo tempore: Videns Iesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, et aperiens os suum, docebat eos dicens: Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum caelorum. Beati mites; quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent; quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam; quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes; quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici; quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; quoniam ipsorum est regnum caelorum. Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me: gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.

CREDO

Offertorium. Ecc. XLIV. Filii eorum propter illos usque in aeternum manent: semen eorum et gloria eorum non derelinquetur. Nomen eorum vivit in generationem et generationem.

SECRETA

Militibus tuis, Domine, adesto propitius, Sanctorum nostrorum interveniente suffragio; et quos caelestibus mysteriis alis ad victoriam, tui Nominis virtute confirma. Qui vivis.

Communio. I. Cor. I. 9. Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filii eius Iesu Christi Domini nostri.

POSTCOMMUNIO

Fac nos, Domine Iesu, immortalitatis alimonia refectos, in Corde tuo iugiter vivere; ut te in omnibus et super omnia diligentes, perpetua vita cum Sanctis tuis fruamur in caelis. Qui vivis.

VI.

CONGREGATIONIS MISSIONIS.

Approbatur Festum cum Officio et Missa propriis de Patrocinio S. Vincentii a Paulo, celebrandum 20 Dec. in Ecclesiis Congr. Missionis et Puellarum Charitatis.

Quo magis cultus et pietas in sanctum Vincentium a Paulo Congregationis Missionis et Puellarum a Charitate Parentem et Fundatorem, necnon omnium Societatum Charitatis peculiarem Patronum, foveatur et promoveatur, R.mus Dominus Antonius Fiat, praefatae Congregationis Superior

Generalis, a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa X supplex efflagitavit, ut in Ecclesiis et Cappellis Congregationis Missionis et Puellarum Charitatis festum peragi valeat de Patrocinio S. Vincentii a Paulo, die 20 Decembris quotannis recolendum, cum Officio et Missa propria, iuxta schema Apostolicae Sedis sanctioni demisse subiectum; prout aliis Ordinibus seu Congregationibus simile festum de eorum sanctis Fundatoribus conces um est.

Huiusmodi vero Officium et Missam, quum de more E.mus et R.mus Dominus Cardinalis Vincentius Vannutelli, Episcopus Praenestinus et Causae Ponens seu Relator, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum habito, proposuerit; E.mi et R.mi Patres, Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, auditoque R. P. D. Alexandro Verde, S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: *Pro gratia et ad E.mum Ponentem cum Promotore Fidei.* Die 1 Septembris 1903.

Facta postmodum de his Sanctissimo eidem Domino nostro per subscriptum Sacrae Rituum Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis ratam habuit; ac suprascriptum Officium cum Missa revisum atque emendatum approbare atque cum ipso Festum Patrocinii sancti Vincentii a Paulo die 20 Decembris sub ritu duplici maiori, Ecclesiis et Oratoriis Congregationis Missionis et Puellarum Charitatis recolendum, concedere dignata est: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 7 iisdem mense et anno.

M. Card. MOCENNI.

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Commentarium.

Sicut iam RR. Lectores nostri norunt ex Lectionibus Breviarii Romani, anno 1885, S. M. Leo Pp. XIII. Apostolicis Litteris in forma Brevis datis, die 12 Maii, *declaravit et constituit S. Vincentium Societatum omnium charitatis in toto catholico orbe existentium* **peculiarem apud Deum Patronum.**

Haec tam praeclara tamque optata gratia, quae inclyti Fundatoris caput sicut gloriosa redimivit corona, pietas omnium tam spectata in Vincentium, et impensiorem in Eum venerationem conciliandi desiderium, Sodales Congregationis Missionis vehementer excitarunt ad assecutionem obtinendam Officii et Missae in festo Patrocinii sui Sancti celebrandi. Ac id ex voto sibi cessurum sperarunt, quia validissimae ac gravissimae suppetunt rationes, quae petitioni perbelle suffragabantur. Praeter enim illas, quae cultum eiusdem Sancti fovendum magis magisque, ac amplificandum suadebant, praesertim post eam, quam memoravimus, pontificiam declarationem, qua *Patroni charitatis operum titulo S. Vincentius* exornatur, alia nec minoris ponderis neque robore destituta erant argumenta, ad quae Sodales firmiter appellabant. Festivitates nimirum, praecipuas, in honorem S. Vincentii, omnes in ea anni parte, aestivo scilicet tempore vel autumnali celebrari, in qua apud cives mos invalescit, charitatis institutionum sociis minime exceptis, rusticandi causa, urbes derelinquendi. Quapropter debita Vincentio solemnia haud eo aguntur fidelium concursu ac splendore, quem tam gloriosi Coelicolae decus exposcit. Ecquis ergo non pervidet, Patrocinii festivitate concessa, novae huius accessione laudis, immortali Sancti gloriae Eiusque cultus magnificentiae optime consultum iri?

Huc accedit S. R. C. praxis, quae petitioni favere videbatur. Nam nihil novi concessionem, de qua sermo, praese ferre testantur alia eiusdem Congr. Decreta, quae similibus concessionibus, ad preces Provinciarum, Urbium, Religiosorum Ordinum, etc., abundant, non alia de causa, quam ad fovendam postulantium pietatem. Nonne inclytus S. Benedicti Ordo festum Patrocinii sui Fundatoris obtinuit? Nonne idem Minimi pro suo Conditore S. Francisco de Paula? Nec secus dicendum est de regno neapolitano pro Patrocinio S. Ianuarii, neque de extincto iam Poloniae regno pro festo Patrocinii in honorem S. Stanislai, vel de urbe Catania in Sicilia pro S. Rosalia. Atque ita porro de aliis locis, ut apertissime ex Decreto S. R. C., diei 5 Februarii 1895 evincitur, ex quo series approbatur festorum quae primaria aut secundaria dicuntur, quae inter posterioris generis festa adscribuntur, extra natalem diem, *Inventionis, Translationis* vel *Receptionis Corporis, Patrocinii*, aliaque hisce similia.

Quare Congregationis Missionis Sodales hisce freti exemplis, certantibus communibus studiis, in Vincentium permoti, inque sui Ordinis decus, neque non in utilitatem sociorum omnium charitatis institutionum, quae ab Eo originem ducunt, plura alia censuerunt, ac non exigua, fidelibus obventura beneficia, si religio ac pietas in hunc Sanctum foveantur. Neque impedimento fuit quod Missionis Sacerdotes tribus iam gaudeant festivitatibus pro S. Vincentio concessis, indeque superfluum reputaretur, aliud pro Ipso decernere festum. Enimvero ad propositam obiectionem repellendam, non eo praetermisso, quod, nova huiusmodi concessione admissa, praefati Sacerdotes festum habeant celebrandum in unaquaque Breviarii parte, scilicet *festum Translationis* in parte verna, *Principale* in aestiva, *Natalis diei* in autumnali, *Patrocinii* demum in hiemali; illud notandum occurrit, passim plurimas festivitates concedere S. R. C. consuevisse, aliis Ordinibus Regularibus. Sic S. Benedicti filii, universa pariter Minorum Familia, ac Fratres, quos Minimos vocant, eorum Fundatoris diem celebrant *Natalitium, Inventionis, Translationis*, vel etiam *Illationis Corporis*, vel *Patrocinii*, vel festum quoque Canonizationis. Quoniam vero Sacerdotes Congr. Missionis Cleri Romani utuntur Calendario, in quo pauci hodie sunt dies vacui ad recitandum Officium votivum S. Fundatoris per hebdomadam, ex concessione novi festi, *Patrocinii*, parumper compensatur huiusmodi deficientia.

Cum autem Officium *Patrocinii*, prout exhibitum fuit, nil habeat proprium praeter Orationem et Lectiones secundi Nocturni, quae per totum, ex Brevi supra recensito diei 12 Maii 1885, depromptae sunt; Missa, praeter Orationes, sit ut in Festo XIX Iulii, nil impediebat quominus religiosissimis votis tum Moderatoris Generalis Vincentiani Instituti, tum Sodalium, tum Postulatoris Augustini Veneziani a S. R. C. fieret satis.

Doct. Petrus Piacenza.

Die XX Decembris

In festo Patrocinii S. Vincentii a Paulo Cons. pro Congr. Missionis et Puellarum Charitatis.

DUPLEX MAIUS

Omnia ut in Festo XIX Julii, praeter sequent.

AD MISSAM.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui in corde B. Vincentii mirum charitatis ardorem accendere voluisti ad omnigenas hominum aerumnas levandas, concede, ipso intercedente; ut quicumque eiusdem patrocinio gloriamur, quotidie in tua et proximorum dilectione crescamus. Qui vivis et regnas etc.

SECRETA.

Suscipe, quam tibi offerimus, Domine, ad honorem B. Vincentii hostiam salutarem, immensae tuae in homines pignus dilectionis. Per Dominum etc.

POSTCOMMUNIO.

Salutaribus repleti mysteriis fac nos, quaesumus, Domine, ita famuli tui Vincentii charitatem aemulari, ut ad caelestem mereamur gloriam pervenire. Per Dominum.

IN OFFICIO.

IN PRIMO NOCTURNO.

Lect. de Scriptura occurr. (Decret. S. R. C. 30 Iunii 1896). *In Feria quatuor temporum ut in Festo.*

IN SECUNDO NOCTURNO.

Ex litteris apostolicis in forma Brevis datis die 12 Maii 1885.

LECTIO IV.

Mirifice inter eos qui divini Praeceptoris ingressi vestigia virtutum omnium perfectionem et absolutionem assequi studuerunt, volvente saeculo XVII effulsit Vincentius a Paulo magnum illud charitatis exemplar, qui huiusmodi virtutis laude quam maxime excelluit. Nullum enim propemodum fuit aerumnarum genus, cui charitas eius deesset, nullus labor, quem ad proximorum commodum atque utilitatem non ultro susciperet. Neque vero postquam Vincentius ex vita ad coelum demigravit rerum salutarium, quas instituerat, fons exaruit, sed in multos quasi rivulos deductus fluit adhuc large copioseque in Ecclesia. Vir enim sanctissimus ad hanc virtutem non modo contendit ipse, sed ad imitationem sui plurimos evocavit, quorum alios ad communem religiosae vitae disciplinam congregavit, alios in pias sodalitates, a se legibus sapientissimis constitutas, recepit.

LECTIO V.

Quot vero sint fructus quos ab iis humana societas quotidie percipit, vel ex eo facile coniici potest quod nondum tertio a constitutione una exacto saeculo iam istiusmodi utriusque sexus societates per universas fere orbis terrarum partes, se propagaverint et ubique admirationem omnium sibi merito comparaverint. Neminem certe fugit Vincentianos sodales praesto esse indigentibus omnibus, assidere aegrotis in valetudinariis, versari in ergastulis, in scholis, inter ipsa bellatorum arma duplicantes ubique subsidium corporibus nempe atque animis.

LECTIO VI.

Quibus de rebus Romani Pontifices Vincentianas Congregationes et Sodalitates, caeterasque omnes Charitatis Sodalitates, quae etsi idem non habent nomen ab eodem tamen capite originem ducunt, in honore habuerunt et praecipua semper cura complexi sunt. Leo autem decimus tertius decessorum inhaerens vestigiis, ut hujusmodi societates omnes Auctoris et Constitutoris sui spiritum largius hauriant, quo studium bonorum operum in omnibus excitetur, plerisque instantibus sacrorum Antistitibus, Apostolica Auctoritate Vincentium a Paulo omnium societatum charitatis in toto Catholico orbe existentium, et ab eo quomodocumque promanantium peculiarem apud Deum Patronum declaravit et constituit. Pius vero decimus, primo sui Pontificatus anno, eiusdem patrocinii Festum e Sacrorum Rituum Congregationis consulto hac die celebrandum indulsit.

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

Cardinales in suis Titulis ac Dioecesibus 200, Archiepi 100, et Epi 50 dierum indulg. elargiri valeant in perpetuum.

DECRETUM.

Pontificale Iubilaeum fel. rec. Leonis XIII, solemnibus ubique laetitiis ab orbe catholico peractum, congruam sane occasionem praebuit, qua plures sacrorum Antistites, praesertim ex regione Neapolitana et Sicula, ad auspicatum eventum novo quodam pietatis religiosique fructus pignore consecrandum, enixas, coniunctis simul litteris, preces admoverunt, ut sua, in indulgentiis elargiendis, facultas aliquantum ab Apostolica Sede adaugeretur. — Has vero postulationes, Pontificis optimi obitu, interceptas, sed, ex S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae consulto, ab infrascripto Cardinali, eidem Congregationi Praefecto, in audientia die 28 Augusti, hoc vertente anno, ad Vaticanum habita, rursum et suppliciter exhibitas, cum primum agnovit Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa Decimus, nihil se in votis magis habere est testatus, quam ut gloriosam Antecessoris memoriam digno, hac etiam in re, honoris documento prosequeretur, et propriam insuper, erga universos ecclesiasticos ordines, paternam charitatem oppido ostenderet. Quapropter Sanctitas Sua, percepta omnium relatione, non modo memoratis votis annuere, verum etiam clementer decernere dignata est, ut in posterum E.mi Patres Cardinales, in suis titulis aeque ac Dioecesibus, *bis centum*, Archiepiscopi *centum*, atque denique Episcopi *quinquaginta* dierum indulgentiam elargiri valeant, dum tamen serventur cuncta huc usque ab eisdem servata, in huiusmodi indulgentiarum elargitionibus. Hanc autem concessionem futuris quoque temporibus perpetuo valituram extare voluit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 28 Augusti an. 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. FRANCISCO SOGARO Archiep. Amid., *Secretario.*
IOSEPHUS MARIA Can. COSELLI, *Substitutus.*

E VICARIATU URBIS

I.

Normae circa admissionem et commorationem Clericorum italorum qui Urbem adeunt studiorum causa.

E.mo e R.mo Signore Mio Os.smo,

Nell'agosto dell'anno passato fu spedita a tutti gl'Ill.mi e R.mi Ordinari d'Italia una lettera circolare nella quale, con l'approvazione del S. Padre, si davano alcune istruzioni rispetto all'invio di chierici e sacerdoti studenti in quest'alma città. Quelle istruzioni giova adesso ricordare

e dichiarare meglio, perchè siano evitati certi inconvenienti che anche nell'anno scolastico decorso si sono dovuti lamentare.

Innanzi tutto pertanto raccomando di nuovo che non si conceda il permesso di recarsi a Roma per attendere agli studî se non a quei giovani chierici e sacerdoti, che per le doti dell'ingegno e per lo spirito ecclesiastico siano degni di speciale considerazione e tali da poterne sperare un vero vantaggio per le loro diocesi.

Questi giovani scelti, che quasi in premio sono inviati a Roma, debbono, secondo il desiderio di S. Santità, entrare come convittori in qualche seminario o collegio ecclesiastico. Da questa regola, per gravissime ragioni, potranno alcuni essere dispensati, ma solo colle condizioni seguenti:

a) Che *prima di venire a Roma* abbiano assicurata rivolgendosi direttamente ai superiori di comunità religiose od ecclesiastiche, una dimora conveniente in una di esse, nella quale oltre l'alloggio si dia anche il vitto;

b) Che non si rilasci il *Discessit* se prima da questo Vicariato di Roma non si sia ottenuto il consenso tanto per la persona che si vuole inviare quanto per la comunità nella quale dovrebbe essere ricevuta. A tale scopo le Curie diocesane dovranno fornire a questo Vicariato tutte le notizie e i documenti necessari per dare prudentemente o negare il suddetto consenso;

c) Che tutto sia fatto entro il mese di ottobre, o almeno non più tardi del 15 novembre, giorno nel quale si chiudono le iscrizioni per gli ecclesiastici studenti in questo Vicariato.

Chiunque venisse in Roma senza aver già ottenuto da questo Vicariato il consenso, e assicurato l'alloggio in qualche seminario, collegio ecclesiastico o comunità, ovvero venisse dopo il 15 novembre, non potrà essere ammesso a frequentare gl'istituti pontifici, nè molto meno, se prolungasse abusivamente la sua dimora qui in Roma, potrà essere ammesso agli ordini ancorchè avesse regolari i documenti dalla propria diocesi.

Tali disposizioni valgono indistintamente per tutti gli ecclesiastici studenti che saranno inviati a Roma nel prossimo anno scolastico, sia che debbano incominciare, sia che debbano continuare i corsi.

Infine per gli ecclesiastici che vengono a Roma per frequentare i corsi nella università governativa valgono le disposizioni emanate dalla Congregazione dei Vescovi e Regolari colla *Istruzione* del 21 luglio 1896 (1), emessa secondo il volere del Santo Padre per tutti i vescovi e superiori degli ordini religiosi e delle congregazioni d'Italia. Giudichiamo opportuno ricordare che in conformità degli articoli 5 e 7 della accennata istruzione non possono questi ecclesiastici contemporaneamente attendere anche agli studi sacri, e che devono dimorare in seminario, ovvero in una casa religiosa, o se non altro presso qualche provetto sacerdote di piena fiducia dell'autorità diocesana. Anche per loro adunque dovranno osservarsi le condizioni sopra esposte, con questa sola differenza che, nel caso di vera necessità, sarà sufficiente per essi la dimora presso un sacerdote fornito del debito permesso.

Desiderando vivissimamente che tali disposizioni ottengano il loro pieno effetto, confidiamo che la S. V. Ill.ma e Rev.ma vorrà per la sua parte cooperare efficacemente al nobile scopo, giovando così insieme alla sua diocesi e al decoro del sacerdozio in questa Roma, madre e capo del mondo cattolico.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol IV, p. 484.

Con sensi di profonda stima, Le bacio umilissimamente le mani e mi dichiaro

dell'Eminenza Vostra

Roma, 15 agosto 1902.

Dev.mo Servitore

PIETRO RESPIGHI, Card. Vic.

II.

Pressius exponuntur normae circa admissionem et commorationem Clericorum italorum qui Urbem adeunt, studiorum causa.

Ill.mo e Rev.mo Monsignore,

Furono inviate già da questo Vicariato due circolari relative agli ecclesiastici che vengono in Roma per attendere agli studi, la prima il 10 agosto 1901 (1), l'altra il 15 agosto 1902 (2). Al perfetto conseguimento però dello scopo che ci eravamo prefissi con le disposizioni contenute in quelle circolari, si opponeva l'insufficienza di seminari e collegi ecclesiastici italiani in questa città. Ora che, grazie al Signore, con la istituzione del nuovo collegio diretto dai Figli di Maria tale difficoltà più non esiste, possiamo stabilire definitivamente le norme seguenti che ci affrettiamo di comunicare alla S. V. Ill.ma e R.ma.

1) Tutti i chierici e sacerdoti che sono inviati dai loro Vescovi in Roma per attendere agli studi sacri debbono entrare a far parte di una delle seguenti comunità:

a) Pontificio seminario romano;

b) Pontificio seminario vaticano;

c) Almo collegio Capranica;

d) Collegio apostolico leoniano;

e) Collegio dei Figli di Maria (Via Mascherone, 55).

A tale scopo rivolgano domanda ai singoli superiori dei detti istituti, corredandola dei documenti necessari.

2) Gli ecclesiastici che sono mandati a Roma per attendere a studi nell'Università governativa, debbono osservare le disposizioni contenute nella circolare della S. C. dei VV. e RR. del 21 luglio 1896. Si noti però che non è lasciata facoltà ai singoli studenti di procurarsi l'alloggio, ma debbono domandarlo per mezzo delle rispettive curie diocesane a questo Vicariato, che darà le indicazîoni opportune.

3) Lo stesso si deve dire di quelli ecclesiastici che sono inviati in Roma per attendere alla pratica di diritto canonico nello studio della S. C. del Concilio.

4) Le circolari sopra citate del 10 agosto 1901 e del 15 agosto 1902 conservano il loro valore per tutto ciò che non è stato modificato con la presente.

5) Crediamo poi necessario rivolgere alla S. V. Ill.ma e R.ma alcune speciali raccomandazioni:

a) Le domande delle quali è detto di sopra siano inviate con la maggiore sollecitudine entro la prima quindicina di ottobre, e in ogni modo non più tardi del 31 di detto mese.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XI, p. 404.

(2) *Vide supra.*

b) Non si conceda di venire a Roma, se non ad ecclesiastici di condotta irreprensibile e che, per le prove date del loro ingegno e della loro buona volontà, facciano sperare con fondamento di ben riuscire negli studi.

c) Gli ecclesiastici suddetti abbiano già sufficienti mezzi per provvedere al loro mantenimento, senza bisogno di procurarsi occupazioni lucrose, od anche solo Cappellanie che richiedano la celebrazione della Messa in determinate Chiese od Istituti religiosi; giacchè questo sarebbe inconciliabile con le esigenze dello studio e della disciplina nei collegi e nelle comunità dove gli ecclesiastici stessi dovranno dimorare.

Nutriamo viva fiducia che queste disposizioni fedelmente osservate riusciranno vantaggiose non solo agli ecclesiastici studenti, che in Roma potranno così meglio mantenere lo spirito della loro vocazione, ma altresì alle varie diocesi nelle quali, compiuti i loro studi, quelli ecclesiastici dovranno esercitare il loro santo ministero.

Coi sensi di verace stima e di profondo rispetto, mi professo di V. S. Ill.ma e R.ma

Roma, 15 agosto 1903.

Dev.mo Servitore
PIETRO RESPIGHI, Card. Vic.

ANALECTA VETERA

Nonnulla documenta inedita S. Congr. Episc. et Reg. (An. 1677-1690).

293. Squillacen. — Praetensae quartae.

Pretendendo il Vescovo di Squillace, da Frati Domenicani, la quarta canonica d'una eredità lasciata da Prospero Carnevale alla Cappella del SS.mo Rosario, nella Chiesa di Domenico di Stilo, e supplicando detti frati all'EE. VV. d'opportuno rimedio, fu scritto al Vescovo pro informatione, et Egli con sua delli 28 di decembre prossimo passato, scrive che il convento di detti Frati sta soggetto alla sua giurisdizzione in vigor del decreto *ut in parvis* Ap. cl. Fagn. nel c. relatum ne Clerici, vel Monachi n. 71. 3ii Decretal. p. 2. pag. 420. e perciò puole da questo convento essiger la quarta canonica in vigore del c. 15. de testamentis. Rispondono li Frati che la quarta canonica non si deve al Vescovo dell'heredità o legati fatti a Regolari essenti, come nota il Passerin. de stat. tom. 2. q. 187. sub art. 4 n. 591, pag. 551, ne si prova che il Convento di Stilo sia soggetto al Vescovo a termini del decreto « *Ut in parvis* ». Ma in ogni modo la pretensione del Vescovo è insussistente trattandosi d'heredità gravata da quattro messe quotidiane con altri officii, e spese, quale perciò non è soggetta alla quarta canonica, come fu risoluto nell'anno 1611 dalla Sacra Congregazione della Fabrica riferita dal Maranta, e ne anco è soggetta alla quarta funerale, come nota il Tambur. de iur. abb. tom. p° disp. 15. quaest. 17. nn. 6, e 7, pag. 195.

Fuit responsum die 6 Aprilis 1685: *In casu de quo agitur, quartam non deberi Episcopo.*

294. Terraconen. – Restitutionis salarii.

E.me et R.me Domine. Doctor Ioannes Valls, Vicarius Generalis Rev.mi Archiepiscopi Terraconen. cum quatuor assistentibus sibi assumptis, visitavit de anno 1673, 1674 et 1675 Venerabilem Confraternitatem Presbyterorum Commensalium et Beneficiatorum Cathedralis Terraconen., ac Venerabilem Congregationem S. Michaelis de Pla eorundem Beneficiatorum et Commensalium in eadem civitate, et de facto exegit ab eisdem Commensalibus et Beneficiatis libras 170 constituentes totidem scuta monetae romanae ad computum sui praetensi salarii, et dd. quatuor assistentibus solvi mandavit prout solutae fuerunt aliae librae 213, pariter ad computum suorum laborum, prout ex quietantiis eorundem constat.

Unde pro parte eorundem Confratrum et Congregationis, habito recursu pro repetitione dd. solutionum ad hanc Sacram Congregationem sub die 21 Maii 1677, rescriptum fuit: E.mo Domino Casanatae; citata parte, audiat et referat, et interim nihil innovetur.

Cuius rescripti vigore expeditis litteris monitorialibus ab A. C. cum insertione illius in pede memorialis pro parte dd. Confratrum et Congregationis porrecti, citati fuerunt in partibus personaliter tam dictus D. Valls Vicarius Generalis quam dd. quatuor assistentes, prout ex dicto monitorio cum relatione executionis a tergo pariter in manibus E.mi D.ni mei Ponentis, Signat. B. et pro omnibus praedictis sic citatis comparuit hic in Curia et in actis B. Ioseph Miraze Procurator; quo nunc citato et intimato instant praefatae Confratern. et Congregationes Beneficiatorum sibi restitui duplum dictarum pecuniarum ad formam et tenorem litteralis dispositionis Sacri Concilii Tridentini, sess. 24, de reformatione, cap. 3, quae prohibet expresse Ordinariis locorum, suisque Vicariis Generalibus, ac unicuique suorum quidquid penitus recipiant in visitationibus huiusmodi, praeter sola victualia si visitatio fiat extra Civitatem ubi sita est Cathedra, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili sub poena maledictionis et interdicti ingressus Ecclesiae ac restituendi duplum intra mensem et post mensem, non obstante remissione partium, ut ex eodem decreto S. Concilii colligunt.

Quod fortius procedit, quando (prout hic) visitatio fit in eadem civitate, ubi sita est cathedra, quia tunc neque etiam victualia subministrari debent, ut idem Genuen. cit. cap. 35, n. 9, et sic pluries respondisse Sacram Congregationem refert Piasec. in praxi nova Episcoporum, p. 2, cap. 3, n. 65.

Et haec fortius observari debent a Vicario Generali Archiepiscopatus Terraconen., qui ab eodem Archiepiscopo, et sede vacante a Capitulo habet annuum et fixum salarium.

Unde cum dictus D. Vicarius Generalis eiusque quatuor assistentes remanserint ipso iure suspensi, ut notat Barbos. super d. cap. 3, sess. 24, de reformatione n. 40, monendi etiam videntur, ut praevia restitutione consulant propriis conscientiis.

Quare, etc.

BERNARDUS IACOBELLUS.

Responsum fuit, die 1 Decembris 1679: *Vicarium et assistentes teneri ad restitutionem integram.*

ANALECTA VARIA

Qua ratione Immaculata Mariae V. Conceptio in Protoevangelio continéatur.

Praeambulum.

Anno quinquagesimo ineunte, a quo Pius PP. IX s. m. conceptionem B. Mariae Virginis a labe originali immunem fuisse infallibili magisterio definivit, non iniucundum puto piis atque eruditis *Analectorum* lectoribus obventurum, ut nonnulla proponantur quibus scientifica dogmatis demonstratio illustriori luce declarari forte possit.

Equidem praeter multos auctores qui huius medii saeculi decursu, sive in tractatu theologico cui dogma attinet, sive in speciali monographia, sive etiam monumentis undequaque collatis, hanc ipsam demonstrationem omni ex parte munierunt, non defuit in Gallia qui, paucos ante menses, argumentum traditionale non minus erudito quam perspicuo commentario in finem apologeticum noviter evolvit, bino edito volumine notae illius collectionis cui titulus: *Science et Religion* (1). Quae duo opuscula, facili ac sobrio calamo conscripta, totam professionis catholicae evolutionem in Oriente seorsim ac in Occidente lectoris oculo explicant et divinae traditionis iter tum in primarum aetatum caligine, tum in posteriorum procellis nunquam interruptum, tanta ostendunt perspicuitate, adeo solida doctrina prosequuntur, ut tanquam exemplar historiae dogmatum hodiernis cuiuscumque scholae criticis merito valeant exhiberi (2).

Ideo satius nonnemini videbitur me, cuique de praesenti obiecto scientiae progressum quaeritanti, illum indigitasse scriptorem qui nova et vetera, in Pianam tuendam definitionem, breviter utique sed non minus valide, congesta atque ordinata protulerit: nonne, ipso profitente Pontifice in Bulla *Ineffabilis*, argumentum verbi Dei traditi, nedum solius inspiratae Scripturae, locum definitioni dari tunc posse, S. Sedem edocuit? (1) — Verum hic non sistit scientia dogmatum etiam sola positiva (ne nunc in speculativis immoremur), sed apologeticae limites ac primas theologiae fundamentalis conclusiones longe ulterius transgrediens, veritatem veritati, revelationem revelationi comparat ut dogmatis existentiam confirmet, atque ipso verbo Dei tradito eo securius utitur ad absconditos i. e. implicitos S. Litterarum sensus reserandos, quo clarius magisterii viventis ope, obiectum illius traditionis agnoverit eique assensu fidei firmius adhaeserit. Unde theologo quandoque datur veritates ab Ecclesia iamdudum definitas novis argumentis confirmare. Ne tamen longior sim, sermonem meum protoevangelio restringam, Gen. 3, 15.

In praesenti itaque quaestione, eadem omnino scientiae theologicae evolutio, progressus demonstrationis idem comprobatur, uno servato discrimine pro diversa aetatum indole diversaque ipsius traditionis circa immaculatam Virginis conceptionem explicatiori evolutione. Sane quamvis fere tota Patrum aetate, immaculata Virginis conceptio in aliis praerogativis quas iidem ei attribuunt, solum implicite contenta tibi appareat, eosdem tamen reperies Virginem matrem in protoevangelio, quomodocumque praenuntiatam aut supponere aut demonstrare. Ubi vix deinde immaculata conceptio in praedicatione ecclesiastica explicite recurrit, simul protoevangelium in eius probationem omni studio convertunt. Serius, in scholis, dum ipsam dogmatis revelationem in dubium vertere aut etiam denegare alias ob causas quibusdam placuit, alii omnes, si Petavium excipias, qui eam propugnant, ipsam in protoevangelio saltem implicitam instantius ostendunt modosque omnes inquirunt hanc suam firmandi interpretationem. Hodie tandem, in tanta criticae biblicae vicissitudine ac progressu, dogmate definito, dum Bulla *Ineffabilis* et ipsa, in revelationis huius confirmationem, praeter traditionem, Scripturas etiam ac nominatim protoevangelium appellat, controversia ad ultimum effugium adacta, de *sensu* disputat quo *immaculata* Virgo in verbis illis Domini ad serpentem praenuntiata dicenda sit, utrum *mystico* an *litterali*.

Hanc ultimam idcirco controversiam paulisper agitare vellem ea ratione ut vim perpendam theologici argumenti quod ex protoevangelio pro immaculata Virginis conceptione educitur. Rem igitur ago theologicam potius quam exegeticam, quamvis in huiusmodi materia, aegre possint

(1) R. P. Xavier M. Le Bachelet S. I. *L'Immaculée Conception. Courte histoire d'un dogme.* 1re partie: *L'Orient.* 2e partie: *L'Occident.* — Paris, Bloud, 1903, 2 vol. Idem auctor anno antecedenti duo alia eiusdem collectionis volumina ediderat, in quibus dogma peccati originalis tum apologetice, tum theologice statuit ac vindicat. Valde interest haec opuscula cum illis conferre. — Paulo ante, D. Laur. Ianssens O. S. B. in tom. V Summae egregiam dissertationem dogmaticam ediderat de Conceptione V. Immaculata, de qua cfr. eumdem X. M. Le Bachelet, *Etudes, tom. 94 pag. 264 sq.*

(2) Opuscula haec dixi in finem apologeticum exarata. Auctor reapse hunc finem pandit ab ipsa primi voluminis introductione pag. 4 sq. Sed in fine alterius voluminis, *ch. III. § IV. Conclusion,* ipse ope principiorum theologiae fundamentalis totam demonstrationem apologeticam historice prius propositam, in campum transfert theologiae dogmaticae.

(1) Cf. Malou. *L'Immaculée Conception, I, pag. 245, 246; II, pag. 162.*

utriusque scientiae limites discerni. Exegeta enim non solum grammaticalem verborum significationem indagat atque statuit, sed etiam totius sententiae inspiratae sensum, ex diversa verborum suppositione, ex contextu, ex rerum personarumque adiunctis, ex parallelis, ex fidei analogia determinare satagit. Unde vix exegetam aget qui bonus non fuerit theologus. E converso theologus multa quae ad artem pertinent exegetae, poterit ab huius opera mutuare, eiusdem autem conclusiones, quantum fuerit opus, ad normam rectae theologiae aptare valebit. Haec notata volui non ut quempiam aut theologum, aut exegetam carpere videar: omnes, atque illos praecipue quos infra adducam in medium, cum reverentia suspicio, sed ideo notata, inquam, ea volui quia praecise in praesenti quaestione contingit totam rationem dissensionis ex interpretatione ab exegetis hodiernis protoevangelio adhibita exoriri.

Revera si auctores consulas, singulos quosque aetatis nostrae praecipuos theologos (1), praeter aliquos primi subsellii exegetas (2), pro sensu litterali proque argumento ex eo deducto militare comperies; pro sensu vero typico exegetas illos qui nostris diebus in campo criticae catholicae aciem ducunt, quibus inde ceteri obsequiose subscribunt, et ipsi exegetae; theologos (3) autem paucos ex hac parte invenies. Sed omissa huiusmodi *statistica* ne invidiae occasio praebeatur, ad rem veniamus.

Ad duo tantum capita omnia quae disputari possent restringere malo, idque eo facilius quod haud profanum vulgus alloquor verum lectores huiusce ephemeridis, theologiae probe peritos, quibus multa, aliis forte praemittenda aut explicanda, uti cognita praesupponi iure possunt. Primo igitur interpretationem exegetarum recentem perpendam; nostrum deinde argumentum explicabo.

I.

Animadversiones in textus exegesim.

Textus Genes. 3, 15, de cuius sensu litterali disputatur, ita exstat in Vulgata:

Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius.

(1) Nominasse sufficiat Dominicum Palmieri (*De Deo creante et elevante, th. 87*), Camillum Mazzella (*De Deo creante, pr. 38*), Ludovicum Billot (*De Verbo Incarn., th. 39*), Ioannem B. Malou (*L'Immaculée Conception*, 2 vol. Bruxelles, Goemaere, 1857), M. Ios. Scheeben (*Handbuch d. Kath. Dogm.*, Freiburg, B. Herder, 1882), Heinrich (*Dogmat. Theologie*, Mainz, Kircheim, 1896), I. B. Terrien (*La Mère des hommes*, t. I, p. 35, Paris, Lethielleux), D. Laurentium Janssens (*in Summa Theologica*, tom. V, Friburgi, Herder, 1903).

(2) Fr. Xav. Patrizi, Thom. Lamy, Mathias Flunk.

(3) Christianus Pesch, cuius cursus theologiae vulgatissimus hodie est, hisce ultimis accenseri debet; similiter P. Einig, *de Verbo incarnato*. H. Hurter in edit. 11ª potius nostrae videtur subscribere sententiae.

Rationalistas et Protestantes hodiernos in praesenti omitto, quia apologetam nunc non ago; isti autem praeiudicio suo inficiunt auctoritatem quam in critica historica sibi aliunde mereri quandoque possent.

Lectio originalis hebraica ita ad verbum latine verti potest:

Et inimicitiam ponam inter te et inter mulierem et inter semen tuum et inter semen eius: ipsum conteret tibi caput et tu conteres ei calcaneum.

Omnes catholici conveniunt Hieronymum significationem implicitam totius sententiae sua versione postea *vulgata* vere expressisse: quamvis enim in originali hebraico unum verbum bis in versiculo adhibitum duas patiatur interpretationes, primam scilicet *conterere*, alteram *insidiari* sive *latenter observare*, quarum prior utrique loco possibilis est, Hieronymus tamen, ratione vaticinii Redemptoris perpensa, in primo loco bene vertit *conteret*, in altero *insidiaberis*. — Praeterea victoria de serpente referenda, in textu hebraico mulieris semini immediate attribuitur. Sed eo ipso non inepte Hieronymus eam ipsi retulit mulieri quippe cui, per ipsius semen obtenta, vindicari eadem ratione potest qua *eaedem* inimicitiae in ea ac in eius semine poni a Deo dicuntur. Nihilominus ne in scriptorem inspiratum refundere videar maiorem hanc expressionis determinationem quae Hieronymo vertenti debetur, argumentum in lectione hebraica fundare praetuli.

Porro manifestum est sensum huius vaticinii litteralem pendere totum relate ad praesentem controversiam, a *suppositione* quae vocabuli *mulierem* alia aliave esse possit. Si enim eam mulierem pro Eva supponas, quocunque tandem sensu cetera sententiae verba intelligas, de Virgine Maria littera hic penitus tacet. Haec igitur prima totius dissensus origo.

Revera et Ios. Corluy et Fr. de Hummelauer et ante eos Laur. Reinke eam Evam esse neque aliam esse posse asseverant. Sed si rationem quaeras, unicam apud eos invenies: decem versiculi huius capitis III, ultimus praecedentis et primus sequentis vel vocabulum idem habent quod constanter supponit pro Eva, vel Evae referuntur; quae ceteroquin sola sui sexus tunc exstat, de qua sola agitur in toto huiusce historiae contextu. Ergo et hic, *mulier* nonnisi Eva in sensu litterali esse potest. Volvas, revolvas tot paginas illorum commentariorum, nihil aliud in propositum tibi occurret. Alia enim multa ab eis congesta ac disputata eo tantum vergunt ut cetera versiculo expressa huic interpretationi adaptentur. Duorum recentiorum verba recitare iuvat:

Primus, Ios. Corluy ita loquitur: „ *Ha' ischscha* mulierem, *la femme*. Est nomen genericum mulieris. At cum in praecedentibus (2, 23; 3, 1, 2, 4, 6, 12, 13) perpetuo designet *Evam* et in sequentibus (3, 16, 17, 20, 21; 4, 1) etiam de nulla alia muliere quam de Eva agatur, nemini hunc versiculum absque praeiudicata sententia legenti dubium potest incidere quin hic sensu litterali non alia mulier quam Eva per nomen *ha' ischscha* designetur „ (1).

Alter, Fr. de Hummelauer haec habet: „ Simi-

(1) *Spicilegium dogmatico-biblicum*. Gandavi, 1884, I, p. 348.

liter *mulier Ha'ischscha* eadem omnino, quae in hac tota narratione, erit intelligenda: eadem quae v. 1, 2, 4, 6, 12, 13, 16 hoc nomine designatur; eadem, quae v. 9, (8) 17 ...... *mulier eius* et *mulier tua* audiebat; ergo utique Eva „.

Subiungit idem Auctor: " Nihil est cur exegeta asserat, in hoc *ha'ischscha* articulum esse " emphaticum „. Neque cum *Lamy* obiicias sermonem hic esse de muliere diaboli inimica futura, Evam autem peccato factam esse diaboli amicam. Facta est utique peccato amica, sed protoevangelio constituitur eidem inimica; promissione salutis recipiendae Eva cum toto genere humano ad certamen contra diabolum redintegrandum provocatur „ (1).

Ante omnia adverte haec ultima verba responsionem exhibere duabus difficultatibus, neutiquam vero duplex aliud argumentum, cum articulus huiusmodi determinet quidem vocabulum cui affigitur, ut pro *una* muliere supponat, non vero qualis in individuo ipsa sit, per se solum designet. Utique, si nulla inveniatur in sententia vel discursu contexto, ratio aliam intelligendi, sponte eam censebimus indicatam de qua reliqua narratio loquitur. Quaestio itaque tota remanet solvenda: an ipsa sententiae indoles ac contextus forte aliam intelligi cogit? Solutio ergo huic priori difficultati ab auctore subnexa nihil roboris argumento antea proposito addit. — Similiter quoad alteram solutionem: quaestio superest tota utrum inimicitiae hic dicantur a Deo constitutae in Eva an in Maria: quandoquidem utraque, altera quidem remotius altera vero proxime, sit mater seminis in quo ratio inimicitiarum consistit, probata prius vocabuli suppositione pro alterutra, facile ipsi significatio sententiae *plus minusve aptatur*. Quaerendum igitur adhuc nobis est utrum auctor inspiratus reapse Evam an potius Mariam hic appellaverit.

Videamus itaque quantum possit allata ex contextu argumentandi ratio valere.

Evidens profecto est in narratione alicuius facti interpretanda, cui quatuor personae intervenire dicuntur, absonum fore quintam aliquam, nostro gratuito arbitrio aut ex praeiudicio aliunde futili, in narrationis scenam introduci ideo solum quod una ex illis nomine sexus sui generico designetur. Id porro est quod auctores citati in nostra sententia viderunt, ut in suam diverterent. At vero, omisso nunc praeiudicium nostrum, si reapse desumitur ex analogia fidei, etiam definitae, non fore futile ac contemnendum, ne *exegetae* quidem, hoc, inquam, omisso, sistere malo in intrinseca interpretationis norma. Nimirum animadverto *mulierem* versiculi 15 non uti interloquentem nominari, non uti *subiectum* in scenam narratam introduci, sed *de ea* unam ex quatuor illis personis alii loqui et quidem loqui proposito *alio* facto *futuro* ideoque prorsus *distincto* a facto quod in cetero capitis contextu descriptum, quatuor supradictas personas includit. Iam ergo vis *exclusiva* consequentiae in adversarii argumento penitus evanescit, ex quo quippe sequitur tantum mulierem nominatam *vel* esse Evam, *vel* esse aliam posteriorem. Hoc enim alterum factum in vers. 15 promittitur uti *futurum* atque uti futurum intelligi potuit ac debuit a diabolo atque a protoparentibus nostris. Praepropere igitur concludit ex inadaequatis praemissis propositum argumentum. Contextus sane cui *ante omnem alium remotiorem* recurrere oportet ad determinandam suppositionem vocis *mulierem* in versic. 15, est ipse solus hic versiculus in quo factum illud novum exhibetur totum. Perpendendum scilicet ante omnia utrum inimicitiae illae, *quales* positum iri a Domino praedicuntur, Evae *tales* competere possint atque inde concludendum: *mulier* hic est vel non est eadem illa de qua antea, prout praedicata nova versiculi 15 ipsi reperta sunt exclusive convenire vel non.

Ratio illa igitur ex cetero capitis contextu allata tanquam primum totius interpretationis fundamentum, eam confundit ac pervertit, nedum ordinat atque illustrat. Haec sola animadversio sufficit, ni totus fallor, ad comprobandam veritatem eorum quae in fine introductionis admonebam: scilicet quam periculosum sit in exegesim alicuius textus incedere, adhibendo regulam interpretationis criticae internae quin respectus sufficienter habeatur ad analogiam fidei: eo usque tunc devenitur ut criticae internae regula, ne ipsa quidem recte applicetur.

R. P. de Hummelauer verbis recitatis immediate praemiserat:

" *Serpens* idem omnino erit intelligendus, qui antea: ergo serpens oculis conspectus, auribus auditus, idem simul diaboli instrumentum intus latentis. Ridicule igitur *Ios...* etc. „ (1).

" Similiter mulier... „ uti supra transcriptum a me est.

Sed ex dictis apparet etiam inepte argui *a simili* ex vocis *serpentem* (vel potius *te*), suppositione ad suppositionem vocis *mulierem* determinandam.

Serpens enim v. 14 inducitur *cui* sermonem dirigit Deus — *Et ait Dominus Deus ad serpentem: quia fecisti hoc*, etc. — non tantum *de quo* sermonem habeat: pronomen enim et adiectiva possessiva secundae personae manifestant eumdem esse serpentem *de quo* in v. 15, ac illum *cui* v. 14 loquitur Dominus. Ecce igitur ratio nos cogens ut serpentem utrinque nominatum identificemus in uno supposito. At pro muliere quid *simile?*

Procedamus nunc ad interpretationem vocabuli *serpens*.

P. de Hummelauer ita eam explicat ac si vocabulum adhiberetur ad significandum unice serpentem, individuum animal sed prout instrumentum erat diaboli latentis (2). — Accuratius forte

(1) *In Genesim*, pag. 161.

(1) L. c. ibidem.
(2) L. c. ibidem.

distingueretur hic etiam *suppositio* a *significatione:* significatio in toto capite constanter est ea ab H. explicata; sed omnia omnino praedicata serpenti vel annexa vel attributa nos astringunt ut ipsum pro diabolo serpentem *hunc* movente *supponere* intelligamus, quod neque Evam latere potuit dum loquentem et talia loquentem audiebat. Nobis sane a scriptore inspirato statim ab initio capitis exhibetur uti callidior omnium calliditate *rationali,* quippe qua mulierem locutione interpellat.

Porro magnum inde interpretationis discrimen: quandoquidem enim *praedicata sunt suppositorum* et quandoquidem instrumentum quomodocumque moventi coniunctum veluti abdicat suam *suppositi* rationem (1), omnia illa praedicata in toto capite, non excluso v. 14, diabolo attribuere poterimus in sensu litterali sed metonymice dicta, fundamentum metonymiae praebente instrumento quod motor eius diabolus ipse sibi invaserat. E contra, si illam *suppositionis* et *significationis* distinctionem neglexerimus, nobis facile accidet nonnulla praedicata exclusive serpenti tanquam supposito attribuere, alia primario vel directe serpenti, indirecte aut secundarie diabolo: unde non pauca confusione implectitur vaticinii praesertim interpretatio litteralis atque eius vis non parum attenuatur, insuper ansa praebetur accommodandi per typicam praenuntiationem tantum, immaculatae Christi Matri inimicitias quae in sensu litterali ei non inepte referrentur.

" *Semen mulieris*, scribit P. de Hummelauer, est tota mulieris posteritas, totum genus humanum. Is est obvius expressionis sensus, ita dicitur semen Abrahae, etc. " (2).

Revera, si probatum praesumatur mulierem esse Evam, obvium est intelligi totum genus humanum hic per *eius semen* uno nomine comprehensum: nam Evae generatio carnalis omnium subsequentium generationum prima origo est; ideoque eodem titulo quo legeremus tunc inimicitias a Deo positas in matre, eodem legendum foret eas in filiis eius omnibus etiam positas. Eva enim eiusque posteri sub hoc respectu pares omnino sunt.

At vero si illud praeiudicium seposuerimus uti nondum probatum, aliter logica nos procedere docebit. Prius inquirendum nobis erit utrum semen hic, absoluto atque exclusivo generationis carnalis sensu dicatur, an potius eo quidem sensu sed sub aliquo speciali respectu qui in reliqua sententia manifestetur eiusque extensionem forte restringat. Ita incedendo advertemus *semen*, illud solum intelligi posse in quo inimicitiae cum diabolo a Deo ponuntur; semen idem insuper ita intellectum, directe opponi videbimus semini diaboli, et ipsi sub respectu inimicitiarum intellecto. Ideo ita restricte intelligi debebit hoc mulieris semen, ut excludat quod semini diaboli convenit. Sed semini diaboli sub illo inimicitiarum respectu, convenit imprimis diaboli servitus, per originale peccatum in eodem capite narratum, inducta. Ergo semen mulieris hic nominatur cum *aliquo exclusionis respectu* ad hanc peccati et consequenter diaboli servitutem.

Ulterius perquirendum nobis erit an respectus huiusce exclusionis in vers. hoc 15 significetur talis qualis toto humano generi convenire possit an non. Qua tandem soluta quaestione, locus erit inquirendi utrum revera vocabulum *semen* et locutio complexa *semen alicuius, semen mulieris* in usum Scripturae hebraicae sensum tantummodo collectivum an individuum etiam patiatur ac ferat. Processus demonstrationis inversus quem P. H. adoptavit, adhiberi utique posset si apodictice probaretur locutionem *semen alicuius* nunquam in Scripturis, ne ex adiunctis quidem suppositionem pati particularem. Id sane magnum esset praeiudicium sententiae quam in praesenti propugno contrarium. Verumenimvero idipsum, ut sobrie loquar, nequaquam demonstratur (1). Imo arbitrari licet non semel in vaticiniis V. T. *semen Abrahae* in sensu litterali supponere pro Messia, quod sufficit ut exceptionem ab adversariis obiectam recusare valeamus eo potiori iure quo validius probare potuerimus ex ipso protoevangelio, praelucente etiam si velimus, fidei analogia, *semen* ibi pro solo Christo sensu litterali significando adhiberi. Sed de hoc infra in cap. II.

Sed alia subiungit P. H.: " Notat Reinke, p. 242, in uno v. 15, vocem *semen* aut utrobique collective, aut utrobique de individuo esse accipiendam, non vero modo de collectione et modo de individuo. Cum ergo semen serpentis certissime sumatur collective, ergo item semen mulieris " (2).

Hoc argumentum iterum assumit uti probatam illam vocis *serpentis* interpretationem quam audivimus P. H. ei asserere, qua nempe ipsa pro serpente simul ac pro diabolo *supponeret:* quod sane si esset ac probaretur verum, speciatim in v. 15, *semen* utrobique in eo *univoce* et *proprie* adhiberetur, nedum analogice, ac mulieri quidem proprie, diabolo vero metaphorice attribui posset. Unde inconveniens utique foret *semen* in eodem versu, modo de collectione et modo de individuo intelligi. — Atvero, uti superius ostendi, interpretatio illa dialecticae congruere non videtur. Unde in alteram incidamus oportet, cui alioquin omnia quae omnibus perspectis salvari debent, facile coaptantur. Porro si *semen diaboli* metaphorice dictum intelligi omnino debet, hic *sup-*

(1) Distinguere utique oportet praedicata: alia enim ita sunt virtuti operativae propriae instrumenti reservata ut ne per metonymiam quidem operationem moventis significare possint; alia vero non ita. Atqui in toto capite hoc III, praedicata serpentis *omnia* facili metonymia diabolo moventi principali aptantur.

(2) L. c. pag. 162.

(1) Ad appendicem remitto huius asserti demonstrationem paulo prolixiorem.

(2) L. c. pag. 162.

ponit ad significandam non quidem generationem ullam veram, sed dependentiam et servitutem eius, sponte susceptam atque operam ei navatam, idque in concreto quocumque subiecto. Ideo, ratione habita totius sententiae v. 15 expressae, vox ac metaphora seminis eo fine adhibetur non ut urgeatur adsignificatio *multitudinis* sed potius ut significetur illa servitus atque opera praestita, perinde ac si scriptum fuisset sine ulla metaphora: inter QUEMCUMQUE *tuum asseclam et*..., sive unus tantum sit futurus sive multus. Reliqua enim versiculi sententia nos haud cogit ad respiciendam etiam hanc asseclarum diaboli *multitudinem*.

Utrum vero reliqua sententia nos inducat ad *mulieris* semen intelligendum unum an multum, ex dicendis in altero capite erit concludendum. Uno verbo igitur: non concederem adeo facile Laurentio Reinke semen serpentis hic *certissime sumi collective*, sed potius *universaliter* atque *per se indeterminate* quin tamen sententia tota eam universalitatem *materialiter* intelligi velit; sed significationem potius *formalem* heic sententia tota extollit, quam *concreto* termino exprimit ratione *tantum* formae dicendi *metaphoricae*. Cur scripserim *per se* indeterminate, paulo infra apparebit.

" Conveniebat praeterea, prosequitur P. H., ut de seminis universi fatis edoceretur Adam, qui non ignoraret a divini in paradiso mandati observatione vel neglectu universi seminis fata pendere " (1).

Profecto id debuit scire Adam, totius generis caput, in quo totum genus fuerat ante mandati violationem, ad filiationem adoptivam destinatum; id tamen *ante culpam* novisse debuit in poenae comminatione, non tantummodo in actu *inflictae* poenae, aut in reparationis promissione quae culpae successit. Equidem hoc edocemur ope fidei et rationis naturalis; sed si reticetur in genesiaca primae creationis narratione, exinde argui nequit locum non habuisse ante peccatum huiusmodi revelationem. Quo supposito evanescit tota illa P. H. ratiocinatio. Protoevangelium enim directe atque expresse Reparatorem promittit neque opus erat *semen mulieris* collective supponere ut Adam intelligeret Reparatorem fore totius generis nedum sui uxorisque solius.

" Quare, concludit P. H., in hanc seminis collectivam interpretationem iam conspirant nostri temporis exegetae fere omnes " (*M. Flunck S. I.*, in: Zeitschrift fuer kath. Theologie. Innsbruck, 1888, p. 315) (2).

Ita sane Mathias Flunck l. c. Sed P. H. non dicit eumdem M. Flunck, eodem loco, profiteri se, non obstante eo exegetarum recentium consensu, propugnare sententiam oppositam pro qua nonnullas rationes simul affert. Atqui si ita fecit M. Flunck S. I. in illa celebri ephemeride Oenipontana, nescio cur et mihi non liceret in hisce *Analectis*, seposita paulisper auctoritate extrinseca recentium exegetarum, eorumdem cribrare rationes ut eorum auctoritatis extrinsecae pondus in praesenti quaestione accuratius intelligam: hoc sane pondus tanti valet quanti eorum rationes, iuxta notam Augustini monitionem, nec cogi possum caeco assensu eorum auctoritati mentem meam inclinare. Inclinarem equidem eam, donec tamen eorum numerus atque unanimitas imo et valor in aliis quaestionibus *pignus* esse mihi valent eorum inerrantiae in praesenti. Sed haec est *praesumptio*; praesumptio autem humana probationem adversam admittit ac probatae veritati cedit. Sed de hoc argumento satis.

Subnectit tandem P. H.: " Quandoque sensu translato aliqui dicuntur semen, non quod carne geniti sed quod spiritu quodammodo cognati sint, uti Isaiae, I, 4. " semen iniquorum ", Matth. 3, 7, " progenies viperarum " (cf. Rom. 4, 16). Sed is sensus translatus probandus est, non supponendus, h. l. autem est minime necessarius " (1). Concedo omnino esse probandum. Sed quod semen serpentis attinet, probatum est totum contextum mediatum atque immediatum, imo evidentem aliarum Scripturarum allusionem (2) exigere ut semen serpentis intelligatur pro diaboli semine sensu litterali *supponere*, inde sensu *translato* de eo dici, quamvis, metaphorae causa, *serpentis proprio* sensu esse dicatur. Quoad semen mulieris, nullam in eo admitto translationem. Dixi tantum eius *extensionem* aestimandam esse habito respectu ad inimicitias quae a Deo in ipso poni praedicuntur.

" Vides iam, *Christum* quoque seminis mulieris ambitu concludi; at non solum Christum. Vulnus siquidem, quod serpens seminis calcaneo infligit, imprimis, est peccatum: peccatum autem in Christo non est " (3). Ita ratiocinatur P. H. ut confirmet antecedens assertum, mulieris semen esse collective intelligendum.

Atvero aliter procedam in cap. sequenti: alia via, ex ipso sententiae contextu demonstrabo aliquod assumptum ex quo sequitur, *mulieris semen* pro Christo ac Christo solo in sensu litterali supponere. Quo rite probato, facile sequitur insidias vel etiam contritionem calcanei Christi Domini peccatum intelligi non posse, verum aliquo alio sensu tunc abscondito protoparentibus, nobis vero ex aliis Scripturis apertissimum, aptius posse explicari.

Ratiocinatio recitata e contra sibi certum assumit calcanei contritionem imprimis esse peccatum. Sed hoc est dubio anceps nedum certum: pendet enim a persona cuius dicatur hic calcaneum, utrum Christi, an ceterorum hominum.

(1) L. c. pg. 162.
(2) L. c. pg. 162.

(1) L. c. pg. 162.
(2) Cf. CORLUY, *Spicilegium*, I, pag. 353, 354.
(3) L. c. pg. 162.

Atqui haec est praecise quaestio quae hic agitur. Quomodo ergo sine petitione principii quaestio resolvitur ex praemissa quae ut consistat supponit eam resolutam ?

Quoad interpretationem in sequenti p. 163 a P. H. termino complexo *semen serpentis* adhibitam, redit animadversio superius a me data, praedicata esse suppositorum, serpentem materialem in casu, utpote instrumentum, non esse hic *suppositum* quod a scriptore significari intendatur sed inservire tantum ad metaphoram protrahendam. Inutiliter idcirco conaremur explicare inimicitias quae uti poena serpenti materiali imponerentur. Verum quidem est serpentem post peccatum terrorem homini incutere neque amplius ipsi amice inservire. At ea est omnibus belluis conditio communis quae gratis et inepte assereretur fuisse in sua generalitate, in v. 14 et 15 a Deo significata. Neque de hoc cogitavit hic P. H.

Quoad seminis serpentis extensionem, P. H. in ea expressione omnes daemones includit, malos vero homines ab ea excludit. Alii, uti Ios. Corluy inversum asserunt (1). Mihi non displiceret et hos et illos includi; homines tamen cum aliqua restrictione quam mox dicam. Semen enim diaboli, uti superius innui, *per se* intelliguntur omnes creaturae rationales quae Lucifero sponte sua inserviunt, si ceteri diaboli sint, ratione primordialis liberae in via sua apostasiae qua Luciferum imitati sunt; si homines, ratione repulsae potentiae supernaturalis reparationis, ex qua diabolo assentientes servi, imo filii eius fiunt, et quia consentientes fiunt, non tam *victimae* (2) quam filii et asseclae voluntarii. Isti omnes itaque *per se* segregantur a semine mulieris nedum includuntur in eo, quippe quod non absolute atque exclusive intelligitur de generatione materiali sed de ea restricte uti superius explicavi atque in seq. cap. comprobatur. Alioquin parum in praesenti refert numerum reproborum aut etiam simpliciter malorum fore maiorem aut minorem numero electorum aut simpliciter iustorum; quantacumque fuerit eorum proportio, satis est ut perfecte segregetur ea ratione in duas adversas partes universum genus (3).

Idcirco ea quae isto loco adduntur a P. H., non incongrue nostrae, nedum ipsius sententiae favere videntur.

Sed monui homines *malos* intelligendos hic potius esse cum *aliqua restrictione*: hanc enim immediatus contextus suggerit, quippe quem infra ostendam obvie significare ipsum reparationis opus totius humani generis lapsi, non vero huius applicationem quae communi modo singulis in alterutro foedere locum habet: *Inimicitiae* illae idcirco non sunt quibus singuli pro hac sibi facienda applicatione certant, sunt vero quibus ipse Reparator pro toto genere reparando dimicavit in sua vita mortali. Atqui si ita est *semen diaboli* supponit in protoevangelio, pro illis solis inter malos homines, qui operi a Messia complendo, recusata quam ipse praedicabat fide, data opera obstiterunt. Hos ipse Christus diabolum patrem sibi habere dixit, atque ineunte passione, dum comprehendebatur in horto, horam illam eorum esse qui tenebrarum potestati obediunt. Hoc de tota Christi vita bene ostendit Ioannes Bade in *Christologie*, I, p. 58-60.

Omnia tandem quae ad vocabula *inimicitias*, *insidiaberis*, *conteres* explicanda a R. P. H. afferuntur tum p. 161, 162, tum p. 164, 165 praeclare dicta sunt, dummodo praescindas ab eo quod perpetuo assumitur ac servatur ab auctore, *serpentem* nempe pro naturali ita *supponere* ut multa praedicata (in v. 14 scilicet) eidem primario attribui debeant, alia autem quasi supposito secundario. Si e contra nostram admiseris explicationem, omnia ab auctore asserta in ipsius sensu, in nostro potius comprobata tibi apparebunt.

Haec est itaque brevis discussio interpretationis litteralis quam plerique hodierni exegetae protoevangelio adhibere malunt. Utrum haec interpretatio, recta logicae critices via incedat sibique ideo sua probet assumpta, lector aequitate sua iudicabit.

Quoad alteram quaestionis praemissam, utrum nempe in litterali protoevangelii sensu implicite saltem et formaliter inclusa dici possit immaculatae conceptionis V. M. revelatio, plerique moderni illi exegetae sibi cohaerentes, negativam afferunt responsionem, ac typicam solummodo huius mysterii manifestationem in eo agnoscunt. Mirum tamen est P. H. huic ultimae quaestioni respondere solum afferendo conclusiones I. B. Malou in opere citato, atque ad hunc, paucis annexis animadversionibus, remittere lectorem. Mirum sane: non enim apparet quomodo hae conclusiones cum interpretatione ab eodem H. prius propugnata possint ulla ratione conciliari.

II.

Argumentum theologicum.

Remoto praeiudicio quo critica recens fidei intellectui protoevangelium obnubilavit, ostendere nunc oportet immaculatam Virginis Mariae conceptionem in eodem formaliter implicite fuisse revelatam. Quod profecto obtinebit si ostenderim ipsam in comprehensione alicuius veritatis ibidem explicite revelatae contineri, idque perfecerim vel sola terminorum explicatione, vel ulterius deductivo adhibito ratiocinio cuius tamen ceterae praemissae sint aliae revelatae fide credendae veritates nedum solius rationis naturalis ope manifestatae. Secus enim virtualis quidem continentia haberetur huiusmodi obiecti in revelationis deposito, non vero formalis.

(1) L. c. I, pg. 359.
(2) P. de Hummelauer, l. c., pg. 163 in fine.
(3) P. de Hummelauer, ibidem.

Vi solius continentiae virtualis Ecclesia nequaquam valet definire veritatem aliquam fuisse a Deo revelatam, quippe cui revelantis intentio non se extendit; ipsa nimirum verborum ac propositionis explicite revelatae implicitam significationem non praetergreditur. Contingere tamen potest ut haec *virtualis* in verbo inspirato continentia patefiat ope alterius fontis revelationis, quae traditio obiectiva et divina est, in Ecclesia subque eius magisterio vivente iugiter asservata. Quo in casu, Ecclesia, ea sola traditione edocta, dogma uti in ea contentum definire valet. Id porro fere locum habuit in conceptionis immaculatae definitione: fere, inquam: non enim dici potest, tempore definitionis, *positive constitisse* immaculatam conceptionem in Scripturis *non* contineri *nisi virtualiter:* sed tunc *nondum certo constabat* eam vel in protoevangelio per se spectato, vel in eo sub fidei analogia perpenso, vel in eo a traditione divina explicato, ulla determinata ratione contineri. Eo dubio non obstante, divina traditio rite perquisita, reperta est definitioni condendae sufficere. Quae ita condita fuit ut alteram controversiam relinqueret apertam.

Theologi hodierni qui eamdem quam ego in praesenti, tuentur sententiam alii alia demonstrationis via incedunt, nonnulli equidem egregie (1), sed eorum forte nemo in scriptis suis typo editis, adeo invicte ut nullum adversariorum telis locum relinquere videatur. Ego idcirco, quin novum praetendam reperisse argumentum, conabor pro modulo meo praemissas ita disponere ac consequentiam ita munire ut omnem impugnationem praepediam. Utrum autem felici exitu operam meam impenderim, lectoris erit iudicio suo definire.

Ante omnia, cum catholicus sim, quaedam a regula fidei mutuare me oportet, doctrinam scilicet de peccato originali eiusque reparatione. Fides itaque in sess. V. Trid. Concilii nos docet: 1) primum hominem totamque eius progeniem peccato originali sanctitatem et iustitiam primae conditionis amisisse, iram Dei incurrisse atque in captivitatem incidisse sub diaboli potestate; — 2) Hoc mundi peccatum non tolli nisi per meritum unius mediatoris D. N. I. Ch. qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis iustitia, sanctificatio et redemptio; — 3) Nihil esse damnationis in iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes... Deo dilecti effecti sunt, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.

Haec igitur nostro argumento praelucere debent. Ceteroqui eadem, omnia et singula in theologia demonstrari possunt independenter a protoevangelio. Legitime igitur eorum analogia utor ut protoevangelii litteram catholice valeam interpretari. Ex iis fidei documentis, illa quae sub n. 1 notata sunt, uti superius innui, Adamo iam ante lapsum (et multo magis diabolo) innotescere debuerunt. Nunc autem contendo ea quae sub numeris 2 et 3 exprimuntur, seposita baptismi institutione atque efficacia, Adamo fuisse in protoevangelio ita implicite promissa ut ei innotesceret *tantum futura perfecta ipsius totiusque propaginis restauratio ad primaevam adoptionem;* quae restauratio illa omnia et singula sub n. 2, 3, enuntiata in suo evoluto conceptu includit.

Sane in hac restauratione distingui imprimis debet *ipsum eiusdem opus*, ab eius *applicatione* singulis facienda per media liberae praesertim singulorum adultorum resipiscentiae et cooperationi consentanea. Haec applicationis media aliquo generali modo significantur in verbis Trid. Concilii sub n. 3 recitatis. In protoevangelio vero non continentur nisi consequenter sicut effectus in aliqua ex suis causis, dum e contra ipsum perfectum reparationis opus in eo praedicitur. — Iterum in ipso reparationis opere distingui debet reparationis *factum* a *modo* quo obtineretur: factum in protoevangelio explicite promittitur exstiturum; modus implicite tantum significatur in illa expressa lucta et victoria, indole inimicitiarum illarum perpensa. Quem modum Adam, etsi non tanta distinctione quanta nos, aliqua tamen initiali perspicuitate agnoscere potuit ac posse debuit. De ea insuper potuit tunc a Deo explicite edoceri, quin idipsum in Genesis cap. III, fuerit enarratum.

Hisce praemissis distinctionibus, probo ex ipsa terminorum explicatione atque ex adiunctis in quibus prolatum est protoevangelium, obvium eius sensum Adamo audienti fuisse ut ipsum illud *solum* restaurationis opus in eo expressum intelligeret. Nam clare videbat se praecepti transgressione iram Dei incurrisse, bona sive praesentia sive futura, quae adoptionem constituunt, sibi posterisque amisisse, diabolo Dei inimico se suo assensu subiecisse; haec enim, si deliberate admisit peccatum uti caput totius humani generis totiusque aspectabilis creationis iam constitutum, probe novisse debuit. Ideo, etiamsi omnia *temporalia* transgressionis consectaria ante non perspexit quam Deus ea tanquam poenam distincta inflixit, *spiritualem* tamen praecipue accidere sibi ruinam si peccasset, ignorare antea nequivit. Auditis idcirco verbis a Deo ad diabolum directis, statim intelligere potuit remedium aliquod tantae

(1) Cf. Scheeben, *l. c., vol. III, n. 1687;* Billot, *de Verbo Incarnato;* Palmieri, *de Deo creante;* Mazzella, *de Deo creante;* Lépicier, *de B. V. Maria*, p. 95 sq.; Terrien, l. c.; Ios. Mendive, *Inst. theol. dogm. scholast.*, III, n. 321, p. 481. Nota tamen diligenter ea quae ab hoc auctore dicuntur pg. 482; *Quartum*, unde discrimen statim apparet eius argumenti a nostro. Cf. et *disquisitiones schol. dogmatic.* Valent. Casajoana ab Ign. Serra collectae. Barcinonae, 1894. IV, n. 141, pg. 252 sq. cum notis.

Quibus addi possunt folia lithographica Felicis Pignataro in Gregor. Univ. Professoris, *de Deo creatore, 1902;* pariter l. c. e comp. theol. H. Hurter; atque ultima dissertatio D. Laurentii Janssens superius laudata.

suae ruinae ab ipso summo Domino repromitti, remedium autem spirituale.

Praeterea Adam hanc ruinam, uti iam innui, non suam tantum atque uxoris, sed *totius humani generis* fore cognoverat, utpote quod fuerat totum in ipso tanquam in capite ad statum adoptionis elevatum. Quando igitur Adam Deum audivit, diabolo, *generis totius* triumphatori, praedicentem eius caput iri contritum, de *illa reparatione sola* agi intellexit ac sponte cogitavit quae ad *totum genus* se extenderet, qua Deus ipse suum capitalem inimicum contereret. *Luctam* ideo intellexit praenuntiari quae *Deum inter ac diabolum* iniri deberet, in qua non singula generis humani membra *ipsa pugnarent*, sed Deus et diabolus *de toto genere humano* sibi vindicando, ambo adversi contenderent. Neque huic Adae intellectioni inde officiebatur quod eas inimicitias inter mulierem etiam eiusque semen et diabolum intercessuras esse audiebat: nam hoc ipsum uti *opus Dei*, cui tanquam subiecto primo et praecipuo cetera omnia in illa sententia attribuuntur, eius menti obversabatur; mulier idcirco eiusque semen tanquam *cooperatores tantum atque instrumenta* in Dei opere ipsius intellectui repraesentabantur. Unde Adam per hanc sententiae particulam non impediebatur intelligere agi in ea de reparatione *totius generis humani* a ruina ipsa quam *toti generi* peccatum capitis paulo antea induxerat, reparatione ab ipso solo Deo revera obtinenda. Esto quod Adam tunc ex iis solis verbis distinguere nesciverit *quae* ista mulier foret, *quis* hic eiusdem filius, *qualem* uterque cooperationem Dei pugnae ac victoriae essent praestituri: sed hoc parum interest, dum ambo tanquam *instrumenta* Dei in opere perficiendo explicite proponi videbat: neque Adamum latebat, uti dixi, destructum adoptionis ordinem sola adoptantis Dei potentia ac misericordia posse redintegrari, ideoque quamvis audiret ultimam diaboli capitis *contritionem* semini mulieris attribui, mysterium quidem in hoc advertit sibi adhuc impenetrabile, non potuit tamen eo usque aberrare ut istum solius omnipotentiae divinae proprium effectum in puram creaturam ut in causam principalem, refundi posse aestimaret. — Quae si omnia seduliori studio perpendantur, sponte sua nos inducunt ad concludendum id ipsum quod asserui: obvium protoevangelii sensum Adamo audienti fuisse ut *ipsum restaurationis opus*, nedum, *eo tantum adsignificato, eiusdem applicationem sibi posterisque factam*, in prolata sententia *expressum* intelligeret.

Atvero nobis, quorum oculis tota reparationis oeconomia in sua evolutione perspicue se explicat, evidentissima fit eadem conclusio. Revelatio enim incarnationis Verbi nobis sacramentum illud protoparenti impenetrabile reserat, atque *unam* dat intelligere *personam* divinam, et inimicitias posuisse efficacia omnipotentiae propria, et in natura ex semine mulieris assumpta caput inimici contrivisse inque eadem fuisse contritam a potestate tenebrarum, ad mortem usque corporis.

Praeterea, si analysim illarum inimicitiarum paulisper instituamus, statim videbimus solum reparationis opus a generis humani ruina, praenuntiari descriptum. Breviter dicam: ruina *peccati* in quam totum incidit genus nostrum, unico remedio reparari adaequate poterat, oblatione scilicet satisfactoria tanta, quanta fuerat iniuria trangressionis. Idcirco ratio pugnandi in huiusmodi bello spirituali tota in eo consistebat ex parte Dei, ut sua omnipotenti misericordia disponeret illam tanti valoris satisfactionem sibi aliquando offerri. Quando itaque promisit ipse se, *inimicitias positurum* inter diabolum et mulierem, semen diaboli et semen mulieris ac, vi positarum inimicitiarum, semen mulieris diaboli caput esse contriturum, aequivalenter dixit: efficiam ego ut satisfactio mihi in tui facinoris destructionem adaequata offeratur (inimicitias ponam... caput tuum conteretur); inque opere hoc meo, muliere utar ac eius filio qui ipse totum perficiet (inter te et mulierem semen tuum et semen eius, et ipsum conteret...); tu quidem eidem mulieris filio omni conatu adversaberis plenam tamen ab ipso cladem accepturus (insidiaberis calcaneo eius vel calcaneum eius conteres,... ipsum conteret caput tuum), quemadmodum *plenam* tu de *toto genere* modo retulisti victoriam (quia hoc fecisti...).

Haec, puto, perspicua sunt atque ex simplici conceptus *inimicitiarum ex parte Dei* analysi immediate efflorescunt. Nec quidquam in ea analysi non legitime assumitur: inimicitiae enim dicuntur *positae* a Deo: ergo spectare debeo eas ex parte Dei ipsius pugnantis; — inimicitiae sunt Dei *adversus diabolum* qui paulo ante *totum genus humanum* sibi captivum devinxerat: ergo inimicitiae de quibus hic sermo, eae sunt quibus Deus e contrario de toto genere humano contendit sibi recuperando; — *inimicitias hasce* Deus *ponit* in duabus creaturis: ergo *per se solum* non pugnabit Deus sed *instrumenta* duo sibi adsciscet: pugnabunt ambo, modo utrumque suo, alterum tamen praedam victoria referet: sed quamnam praedam? eam de qua totus est conflictus, totum genus humanum.

Ergo nequaquam describitur hic alia lucta, priori illi consequens, qua singula generis humani membra non de toto genere liberando, sed sibi soli contra diabolum dimicant ad satisfactionem prioris victoriae divinae consequendam. Ergo sub extensione vocabuli *semen* mulieris non intelligitur inclusum *totum genus*, sed *aliquem* solummodo de genere.

Potuisset equidem Deus, inverso ordine, causam per effectum explicare, non vero effectum, tantummodo causa expresse significata, relinquere intelligendum: nempe potuisset diabolo directe et expresse notificare luctam hanc secundam singulorum cum ipso futuram ac veluti in obliquo

adsignificare hanc fore dimicandam virtute plenae prioris victoriae ab ipso Deo referendae. Potuisset utique Deus ita loqui: sed an ita revera locutus est? Ecce quaestio quae agitatur atque ex omnibus praemissis videtur mihi posse concludi alterum hunc sensum quem adversarii sibi assumunt, haud demonstrari, primum vero *obvium* omnino, omnibus ordinate perspectis, apparere (1).

Distinctius propriam *inimicitiarum* rationem evolvere nunc oportet, prout in duobus illis instrumentis referendae victoriae positum iri a Deo, praedicuntur. Sermo heic esse non potest, uti iam animadversum est, nisi de plena satisfactione pro iniuria peccati originantis, Deo ipsi referenda, quam diabolus toto conatu impedire permittetur. Ideo hac oblata satisfactione mulieris filius conteret inimici caput. *Inimicum* ergo *diabolo esse* in praesenti vers. significat vel Deo satisfactionem praestare vel concurrere ad eam.

At sedulo notari debet triplex veluti gradus huius pugnae qui in protoevangelio distinctus perspicue exprimitur: 1us est inimicitiarum positio a Deo facta mulierem inter ac diabolum; 2us est earumdem constitutio inter illius filium et quemcumque diaboli asseclam; 3us est plena victoria quam ille de diabolo in adversum pugnante reportabit. Haec porro totam pugnam ita proponunt descriptam ut: 1) exprimant partium adversantium constitutionem; hinc veluti in acie constituuntur a Deo mulier eiusque semen; inde diabolus iis adversari a Deo permittitur. Qua in re totum opus Dei est, cui utraque pars *passive* subiacere repraesentatur: ego Dominus *ponam*. — 2) Significantur mulier et eius semen *active* cooperari aliquali ratione, uterque sua propria, pugnae ac victoriae divinae de tota praeda recuperanda: pro semine est per se manifesta: pro muliere facile deducitur ex eo quod *eaedem inimicitiae* quibus filius active vincit, et ipsi in prima linea separatim attribuuntur neque ratio apparet ut eas de ipsa solum passive intelligamus: imo maternitas in ea iam, quantumvis confuse, intelligitur cooperatio quaedam victoriae satis activa. — 3) Victoria semini mulieris perfecta attribuitur; diabolo e contra pugnare quidem conceditur sed ita ut activa eius opera, victoriae partis adversae saltem occasionem inducere significetur; nam contritus exhibetur ipso calcaneo quod vulnerat; neque verum est metaphoram *morsus calcanei* si ad diaboli operam significandam adhibeatur, exprimere " imprimis peccati vulnus: „ corporibus etiam nocere valet diabolus: idcirco ad contextum immediatum recurramus oportet quo possimus determinare utrum ille *morsus* nocumentum corporeum tantum an etiam vel solum spirituale significet. Porro in protoevangelio, calcanei morsus opponitur contritioni capitis illius qui mordet: haec autem, uti vidimus, non potest significare nisi plenam pro peccato satisfactionem quae peccati vulnus profecto in satisfaciente excludit.

Ulterius inquirendum nunc venit quid importent in muliere inque eius semine inimicitiae illae a Deo positae, *prout contradistinguuntur ab activa illa cooperatione divinae victoriae.* Porro cum de peccati servitute agatur sub diaboli potestate, diabolo inimicus constituitur aliquis, dum peccati dominio utcumque subtractus, fit amicus Dei; *ipse solus* tunc terminus fit divinae dilectionis, iustitiae sanctitatisque reapse particeps. Ex altera vero parte qui divinae illi victoriae referendae *cooperatur*, *toti humano generi* liberando operam navat placandaeque irae divinae, unde singula generis huius membra iustificari valeant, nondum tamen reapse iustificentur. Inimicitiarum igitur impositio illa a Deo facta est ipsa gratiae sanctificantis infusio qua Deus duo illa plenae obtinendae victoriae instrumenta sanctificando sibi ad pugnam suam *praeparavit.* — Quoad mulieris filium quem Incarnationis oeconomia ipsum fuisse Dei Verbum nobis revelavit, constat hanc praeparationem fuisse ipsius divinitatis unctionem in illa humanitate a Verbo assumpta, increatam scilicet unionis gratiam cui tanquam debitum consectarium accessit in natura hypostatice coniuncta plenitudo gratiae creatae et donorum. Sed praecisione etiam facta a posteriori revelatione divinitatis, quae huic totius generis humani liberatori competit, ex solo protoevangelio, uti supra animadverti, mysterium alicuius unionis *omnipotentiae* divinae cum mulieris semine, potuit ipsi Adamo sub velamine quodam innotescere.

Sed mulieris ipsius praeparatio qualis in protoevangelio indicatur? Sine dubio sanctificatio illa quam paulo antea explicavi. Atvero huiusmodi sanctificatio obtineri non poterit *eo modo ordinario* quo ceteris omnibus eiusdem generis contingit: hi enim utpote qui reparationem in sua oeconomia *completam supponunt* sive tempore sive saltem praevisione divina, ad ipsum *opus reparationis* non pertinent sed ad eius *applicationis* oeconomiam tantum. Locum itaque non habet in opere solius reparationis describendo, talis ordinaria sanctificatio, neque ipsa illis protoevangelii verbis significatur.

Modo itaque omnino extraordinario erit illa mulier liberanda quae a diaboli potestate fore subtracta hic praedicitur.

Porro modus hic duo simul componere debet: primum, hanc liberationem excludi a communi illa *applicationis* ratione; alterum, eam tamen ex meritis Redemptoris oriri: nam mulier illa, si Eva foret, communem et ipsa peccando incurrerat damnationem; si Adae filia nasceretur, eius peccati infectionis debito subiacebat: ab

(1) Omitto alias huius assertionis meae probationes, quae ex fonte Scripturarum aliarum atque ex sensu PP. et traditionis catholicae non aegre possent apponi. Satis in praesenti sit argumentum ex solius textus et contextus sensu et adiunctis deprompsisse.

utroque autem solum Redemptoris remedium sanare valet.

Iamvero ut primum habeatur necesse est mulierem illam NULLA SUAE EXISTENTIAE INSTANTI FUISSE ADHUC LIBERANDAM: secus enim, cum virtus redemptionis eiusque *applicationis ordinariae oeconomia* omnes et *singulos* complectatur qui homines sunt ab Adamo generati, et ipsa si adhuc peccato infecta, in natura exstitisset, eo *ordinario* modo liberari debuisset.

Ut alterum autem verificetur, satis est ut intuitu meritorum futuri Redemptoris a peccati morbo non *sanata* sed *praeservata* reputetur.

Eo pacto igitur mulier totaliter subtracta intelligitur ab oeconomia ordinariae applicationis salutis reparatae, atque ad ordinem ipsius reparationis, *transferri potest*, in quo, *reapse* constituta a Deo nobis in eodem protoevangelio exhibetur.

Exinde apparet duplicem connexionis rationem significari in ipso protoevangelio inter mulierem eiusque filium: prima expressissime asserta: seminis illius triumphantis *mater* erit mulier illa; — altera: inimicitiae illae mulieris, ab ipso seminis eius triumpho tanquam a supremo fonte dimanantes, suam adversus diabolum efficaciam ab eo solo mutuabunt.

Quae dependentiae ratio in eodem versiculo *implicite* tantum adsignificata dici potest in eo quod, dum inimicitiis adversus diabolum mulier participare praedicatur, plena tamen victoria semini eius soli attribuitur.

Haec profecto est mera analysis eaque legitima ipsorum vaticinii verborum, quae ex sola terminorum explicatione, atque ex analogia citati decreti Tridentini, meriti satisfactionisque notione praesupposita, efflorescere videtur. Eam tamen instituere, nobis datur postquam ad culmen evolutae explicationis dogmatis per diuturnum saeculorum decursum pervenimus.

Argumentum hac analysi evolutum ex sensu litterali Gen. III, 15, ad brevem formam reduci potest:

Mulier ad opus reparationis totius generis humani lapsi, ita a Deo assumpta in protoevangelio exhibetur, ut in eadem linea constituatur inimica diabolo, in qua filius eius inimicus et victor existet.

Atqui si mulier illa fuisset a primo suae conceptionis instanti a peccati morbo non *praeservata*, sed sive tunc sive postea *sanata*, nequaquam in eadem linea ac ipse Reparator, instrumentum Deo subordinatum reparationis descriptae praedicata fuisset, sed *potius* intra totum genus reparandum fuisset recensenda. Ergo.

Probatur minor: si mulier in primo instanti fuisset adhuc sananda, eo ipso subiecta fuisset ordinario applicandae reparatae salutis modo. — Cui autem si subiecta fuisset, in describenda linea reparationis, non in ordine Reparatoris sed in numero reparandorum fuisset potius recensenda.

Ultima minor declaratur: qui ordinario applicationis huius modo subiectus est, totaliter ad hunc applicationis ordinem pertinet: si ergo assumitur ad reparationis ipsius operi concurrendum, non assumitur ad eius executionem, nisi ut instrumentum quasi *materiale*, nec praedicari potest et ipse fore *formaliter inimicus*, sua propria operatione activa concurrens in primo gradu lineae unius eiusdemque operis progressivi quo reparatio obtinetur. — Sane ordo reparationis natura antecedit ordinem suae applicationis: ubi itaque directe describitur ille in suis causis activis, hic immisceri nequit.

Hisce itaque habemus mulierem illam, dum praedicitur reparando generi humano cooperatura, eo ipso praedici a communi servitute iri *praeservatam*. — Sed quaenam erit illa mulier? An immediata Reparatoris mater; an alia huic anterior ex cuius semine ipse tandem orietur? — Respondeo illam fore cui materna Reparatoris generatio, plenioris magisque *formalis cooperationis causa* ac medium fuit ad reparationis opus. Hanc autem esse Mariam Virginem nemini Annuntiationis narrationem perpendenti dubium haerere potest.

Ex ea sane liquet conceptionem Verbi incarnandi, *liberae* Virginis acceptationi ita fuisse oblatam, ut ipsa eam recusare potuisset ideoque opus reparationis ab ipso suo principio totum a Virginis assensu pependisse, quem tamen reapse ab ea praeberi Deus auxilio quod efficax fore praesciverat, salva eius libertate procuravit. Mariae igitur maternitas fuit non materialis tantum sed maxime formalis cooperatio ipsi subiecto constituendo ex quo solo plena ac perfecta valeret satisfactio pro peccati iniuria afferri.

Idcirco Maria etiam gratia plena ab angelo salutatur, quacum Dominus est, quae *modo singulari* benedicta existit inter mulieres. Sed cur tantis laudibus exaltanda erat Virgo, iam antequam operationi obumbrantis Spiritus divini consensisset, nisi quia illas inimicitias Deus adversus diabolum in ea posuerat quibus cooperatrix constitueretur toti generi humano reparando? Sicut igitur Protoevangelium theologice explicatum nexum rationemque angelici praeconii ac divinae maternitatis ostendit, ita per regressum narratio tota Annuntiationis, illius primaevi vaticinii interpretationem quam supra evolvi, mirifice illustrat atque omni ex parte confirmat (1).

Quae omnia scripta sint ad maiorem Iesu

(1) Nunc plenissima apparet ad instar tamen corollarii, illa *recirculatio* a Deo in reparatione mirifice adhibita per usum eorumdem mediorum quibus lapsus totius generis acciderat: voluntariae Evae seductioni et lapsui capitis generis humani cooperationi respondet voluntarius ille V. Mariae assensus quo toti Reparatoris operi uno suo actu cooperatrix evadit. Qua de recirculatione cf. BILLOT, *l. c., th. 39, § 2;* HURTER, *l. c., vol. II, n. 593;* TERRIEN, l. c.

Reparatoris nostri gloriam, ac Matris eius et nostrae, Virginis immaculatae exaltationem in saecula.

(*Prosequendum*).

GUILLELMUS ARENDT, e Soc. Jesu.

ROMANAE INSTITUTIONES

Casus Conscientiae propositi et soluti Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli. (1)

VIII.

De impedimento publicae honestatis.

Die 30 Martii 1903, hora 16 $^3/_4$ (4 $^3/_4$ pom.)

Titius romanus matrimonium cum Caia contracturus, licet optime sciat, utpote in fide catholica satis instructus, illud dumtaxat esse verum et legitimum coniugium, quod coram proprio parocho et duobus saltem testibus initur, nihilominus vult etiam caeremoniam civilem peragere, ne secus, quoad temporales nuptiarum effectus, se et filios, si quos suscepturus sit, gravibus incommodis exponat. Hoc igitur animo simul cum Caia magistratui civili se sistit. Deinde mulier paternae domui restituitur, eo proposito, ut sequenti die matrimonium rite coram parocho celebretur; sed interim malo fato Caia gravi morbo corripitur et paucos post dies inexpectato moritur. Titius, ad solatium in maximo animi sui dolore habendum, longum iter aggreditur et nonnisi post aliquot menses in Urbem redit. Alterum matrimonium meditans ad Caiae sororem animum apponit, et huiusmodi intentionem sacerdoti amico manifestat. Qui impedimentum publicae honestatis inter eos duplici ex capite inductum esse asserit, scilicet, tum quia matrimonium sic dictum civile sponsalium vim habet, tum quia aequiparatur matrimonio rato et non consummato, invalido quidem, sed ex formae, non vero consensus defectu. Titius his non acquiescens ad suum parochum accedit, eiusque consilium postulat.

Hic secum quaerit:

1°. *In quo consistat impedimentum iustitiae publicae honestatis, et undenam oriatur?*

2°. *Utrum in casu, prout a sacerdote Titii amico assertum est, habeatur?*

3°. *Quid Titio respondendum?*

Resp. ad 1um. Impedimentum *publicae honestatis*, de quo est sermo in praesenti casu, communiter definiri solet: quaedam *quasi-affinitas* ex sponsalibus (seu de futuro, seu de praesenti) proveniens et obstans matrimonio utriusque sponsi cum alterius consanguineis.

Dicitur quaedam *quasi-affinitas*, quia publicae honestatis impedimentum licet in similitudinem affinitatis procedat, tamen a vera affinitate differt. Etenim affinitas proprie dicta oritur ex coniunctione *corporum*, idest ex carnali copula, eaque perfecta et consummata, qua scilicet vir et mulier fiunt *una caro.* Exinde sequitur quod iam consanguinei viri aliquam propinquitatem contrahant cum muliere, et viceversa consanguinei mulieris cum viro. Haec autem propinquitas appellata est *affinitas;* quia per huiusmodi perfectam copulam una pars accedit ad *fines* cognationis alterius, idest, sanguis unius consanguinitatis ingreditur quasi et attingit fines alterius cognationis. In huiusmodi vero sanguinum aliquali commixtione fundatur ratio indecentiae et inhonestatis, quae haberetur in matrimoniis initis inter singulas personas coëuntes et consanguineos alterius, quacum coitum est: et ob quam rationem inductum est dirimens affinitatis impedimentum.

Ab hoc affinitatis impedimento differt aliud impedimentum publicae honestatis, utpote quod oritur non ex coniunctione *corporum* sed *animorum:* idest ex sponsalibus et matrimonio rato.

Quamvis enim per copulam carnalem perfectam fiat una caro inter virum et mulierem, et per consequens gignatur proximitas sanguinis inter unum ex coëuntibus et consanguineos alterius; tamen quaedam propinquitas inter easdem personas oritur etiam, quando tractatus fit matrimonii, vel per contractum matrimonii de praesenti, vel per promissionem de futuro. Hinc ex publica morum honestate visum est indecens esse matrimonium, quod contraheretur ab una ex partibus, quae tractatum matrimonii inter se habuerunt, cum consanguineis alterius partis. Quia licet non vera affinitas ex tractatu matrimonii oriatur, tamen aliqua animorum coniunctio et proximitas personarum inducitur.

Huius impedimenti vestigia in ipso iure Romano reperiuntur, licet non eodem nomine. Ecclesia deinde hanc legislationem imitans, statuit huiusmodi impedimentum, quod dictum est *iustitiae publicae honestatis*, vel *publicae honestatis*, quasi nempe requisitum ab honestis populi christiani moribus.

Explicata impedimenti publicae honestatis natura, quaerendum nunc est, undenam illud oriatur. Iam in antecedentibus innuimus, huiusmodi impedimentum oriri, tum *ex sponsalibus*, tum *ex matrimonio rato.*

Ut sponsalia impedimentum istud producant requiritur: *a*) ut fuerint *certa* et *valida.* Nam *Concil. Trident., sess. 24, de reform. matrim., cap. 3,* sustulit impedimentum « ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt ».

b) Si fuerint *conditionata* et inita fuerint *sub conditione resolutiva*, cum illico valeant, impedimentum exurgit. Si vero inita fuerint *sub conditione suspensiva*, ea pendente, neque sponsalia sunt, neque est impedimentum; ea vero impleta, si consensus non fuerit revocatus, sine novo consensu valent, et impedimentum pariunt.

c) Quidam DD. putarunt, nullum oriri posse publicae honestatis impedimentum ex sponsalibus *occultis:* reapse enim videtur penitus deficere finis, ad quem impedimentum inductum est, videlicet servanda externa honestas. Sed hanc sententiam merito AA. recentiores unanimes reiiciunt. Nam impedimentum hoc oriri ex sponsalibus etiam occultis, probant plura documenta S. Sedis, et imprimis responsum *S. Inquisitionis ad Archiep. Quebecen. sub die 11 Augusti 1852.*

d) Permanet impedimentum publicae honestatis, etiamsi sponsalia vel *mutuo consensu*, vel *quavis iusta de causa* soluta fuerint. Ratio est, quia impedimentum contrahitur statim post inita valide sponsalia, et impedimentum semel inductum non potest auferri ex voluntate sponsorum, vel alia superveniente causa. Ita etiam ex Declaratione *S. Congreg. Concil. 6 Iul. 1658*, apud *S. Ligorium n. 1063.*

Impedimentum publicae honestatis *ex sponsalibus ortum* contrahitur inter sponsum et consanguineas sponsae, inter sponsam et consanguineos sponsi sive legitimos, sive illegi.

(1) *N. B.* Hosce nostros casus Consc. sub tutela legum positos, nemo fraudulenter iterum edat, secus iudicialem poenam luet.

timos: dirimit tamen matrimonium de iure hodierno intra *primum* dumtaxat *gradum* lineae tum rectae tum obliquae. Sic sponsus invalide nuberet cum matre, sorore, vel filia sponsae suae.

Dixi *de iure hodierno:* nam ex iure antiquiori sponsalia matrimonium dirimebant usque ad quartum gradum. Synodus autem Tridentina *loc. cit.* decrevit: « Iustitiae publicae honestatis impedimentum... ubi (sponsalia) valida fuerint, primum gradum non excedant. »

Impedimentum publicae honestatis oritur etiam *ex matrimonio rato.* Etenim, licet in Iure Decretalium nullo textu huiusmodi impedimentum statuatur, istud tamen DD. argumento *a fortiori* colligunt. Absonum enim foret, publicam honestatem oriri ex sponsalibus, minime vero ex matrimonio rato, quod vinculum validius inducit.

Notandum vero sedulo est, quod Concilium Tridentinum, quamvis ius antiquum pro sponsalibus de futuro coarctaverit, nihil tamen immutavit circa sponsalia de praesenti, idest circa matrimonium ratum. Sic declaravit authentice S. Pius V Const. *Ad Romanum 1 Iulii 1568.*

Hinc sequitur *a)* impedimentum hoc ex matrimonio rato ortum, et quod inter alterum coniugem et compartis consanguineos contrahitur, extendi usque ad *quartum gradum* inclusive lineae rectae et collateralis. Etenim sub veteri Iure usque ad quartum gradum extendebatur.

Sequitur *b)* impedimentum istud post Concil. Trident., perinde ac sub Iure Decretalium, *regulariter* oriri ex matrimonio etiam invalido, ob aliquod nempe impedimentum dirimens e. g. impotentiae, cognationis, disparitatis cultus, criminis, ligaminis etc.

Dixi *regulariter:* duo etenim casus sunt excipiendi.

1) Si oriatur invaliditas *ex defectu consensus.* Censetur autem ex communi DD. sententia, deficere consensus, non tantum si nullus omnino verus consensus praestitus est, sed etiam quando consensus initus fuit ob conditionem non impletam, ob errorem substantialem, ob metum gravem etc., quod valet probabilius (S. Ligorius n. 1062) etiamsi defectus consensus sit omnino occultus.

2) Si invaliditas veniat ex priore impedimento publicae honestatis, orto ex sponsalibus valide contractis; in hoc enim casu non inducitur impedimentum in praeiudicium priorum sponsalium. Hinc si Titius v. g. initis sponsalibus cum Berta, eaque relicta, eius sororem ducat, ad primam redire potest, imo debet; nec indiget dispensatione, nisi matrimonium *consummaverit,* tunc enim supervenit impedimentum affinitatis.

Impedimentum hoc publicae honestatis, sicut diximus agentes de sponsalibus, semel contractum perpetuum est, et perdurat etiam matrimonio soluto. Nullum autem pro fundamento habet *naturale vinculum, nullam naturalem cognationem* et solo iure ecclesiastico ob externam honestatem et decentiam servandam inductum est. Quare infideles conversos non adstringit ob sponsalia vel matrimonia in infidelitate contracta.

Quaestio, quae ad praesentem casum resolvendum magis spectat, est, an honestas publica oriatur ex matrimonio *civili* celebrato in locis, ubi promulgatum est decretum Concilii Tridentini sess. 24, cap. 1, de reform. matrim.?

Haec controversia acriter agitata fuit non multis abhinc annis in utramque partem. Nonnulli affirmabant, civilem actum impedimentum publicae honestatis producere. Supposito enim, quod contrahentes nollent meram caeremoniam civilem peragere, vel in concubinatu vivere, sed e contra intenderent de praesenti contrahere in ordine ad suscipiendas obligationes, et ad assequenda iura coniugalia, prout ipse actus externus id praeseferebat, iam habebatur matrimonium invalidum quidem ex defectu formae substantialis, quod tamen non erat nullum ex defectu consensus.

Quod confirmabant ex ipsa Ecclesiae praxi. Nam si post civilem contractum coniuges simul vivant, ceu vir et uxor, nec alteruter eorum induci possit ad ineundum matrimonium coram Ecclesia, altera pars potest petere et assequi a S. Sede dispensationem *in radice,* qua nempe dispensatur circa impedimentum clandestinitatis, et effectus dispensationis retrotrahitur ad tempus initi contractus civilis. Igitur consensus positus coram officiali civili, consideratur saltem ut consensus naturalis, illegitime positus; scilicet civile matrimonium habetur, ceu matrimonium nullum, non quidem ex defectu consensus, sed ex defectu formae Tridentinae, idest ob impedimentum clandestinitatis.

At e contra, nonnulli negabant ex matrimonio civili publicae honestatis impedimentum subsequi. Etenim matrimonium civile, ubi promulgatum est Tridentinum, *formam* matrimonii non habet, et forma dat *esse rei:* unde nihil omnino est *in esse matrimonii:* adeoque ex illo tamquam *ex matrimonio invalido* impedimentum publicae honestatis oriri non potest.

Sed controversia finem habuit et nunc negativa sententia certa est ex decreto Leonis XIII edito sub die 7 aprilis 1879, seu certum est « actum, qui vulgo dicitur *matrimonium civile,* in locis ubi promulgatum est decretum Conc. Triden. *sess. XXIV, cap. 1, de ref. Matr.,* sive fideles actum ipsum explentes intendant, uti par est (matrimonio ecclesiastico iam rite celebrato, vel cum animo illud quantocius celebrandi) meram caeremoniam civilem peragere, sive intendant sponsalia de futuro inire, sive tandem, ex ignorantia aut in spretum ecclesiasticarum legum, intendant matrimonium de praesenti contrahere, impedimentum iustitiae publicae honestatis non producere ».

Animadvertendum vero est, praefati decreti virtutem coarctari ad solum effectum publicae honestatis impedimenti. Hinc quoad reliqua nihil est innovatum. Unde ex. gr. S. Sedes etiam hodie concedere solet sanationem *in radice* matrimonii civilis, sicut consueverat ante decretum.

Resp. ad 2^m: Negative; scil. stando verbis casus non habetur publicae honestatis impedimentum.

Sane, praescindendo etiam a novissimo decreto Leonis XIII, dum Titius et Caia se sistunt magistratui civili, intendunt mere caeremoniam civilem peragere, probe scientes, illud esse dumtaxat verum et legitimum coniugium, quod in facie Ecclesiae initur. Ergo nullus inter eos matrimonialis consensus.

Si vero attendatur ad decretum citatum, responsio, quae a sacerdote amico datur Titio est falsa et illi contradicit.

Resp. ad 3^m. Titii parochus eum interroget, an ante caeremoniam civilem inter ipsum et Caiam sponsalia valida intercesserunt, licet privata: et in hac hypothesi adesset impedimentum dirimens publicae honestatis cum sorore Caiae, utpote huic consanguinea in primo gradu. Secus vero cum ex sola caeremonia civili coram syndico peracta nullum inductum est impedimentum, Parochus optatas nuptias Titio permittat.

PETRUS CHECCHI
Epitomator ex officio.

IX.

De impedimento raptus.

Die 20 Aprilis 1903, hora 17 1/4 (5 1/4 pom.).

Inter Titium militaris cohortis ducem et Caiam sponsalia privatim inita sunt, licet puellae mater vidua huic matrimonio acriter contradiceret. Caia saepe ad secum colloquendum domi Titium noctu excipiebat. Hic cum ea fugere meditatus, suum consilium eidem aperuit, quae dum a fuga non abhorrere visa est, in eam tamen nunquam consensit. Quadam vice, ut moris erat, Titius ad eam accessit determinatus animo, conceptum propositum eadem nocte exequi. Dum in eo erat, ut id sponsae manifestaret, excitato forte per domum strepitu, Caia adeo timuit, ne mater esset adventura, ut illico sensibus destituta corruerit. Eam inter ulnas Titius amplexatus in curru iam ad hoc parato collocat, et in longinquum oppidum ad domum patrui ipsius puellae defert. Haec sensibus vix restituta inter lacrimas enixe rogat, ut matri restituatur; sed frustra. Per litteras cuncta quae acciderant matri enarrantur, ut tandem matrimonio consentiat, sed omnes conatus in irritum cadunt. Itaque infelix Caia, a patruo dimissa, renuens semper matrimonio consentire sine matris benedictione, transfertur a Titio apud probatissimam mulierem eidem addictam. Titius puellae mox exponit, nisi matrimonium fiat durissimum carcerem sibi imminere ob commissum raptus crimen, quod lege militari severe punitur. Hinc puella sponsum miserata, tandem consentit in nuptias, quae servatis omnibus a lege tridentina praescriptis, nulla orta de raptu suspicione et Caia adhuc in praedicta mulieris domo commorante, solemniter sunt celebratae.

Post aliquot annos, viro suo in bellum proficiscente, Caia alienis indulgens amoribus in aliam regionem se confert, ibique matrimonium cum alio viro conciliat. Postea facti poenitens ad confessarium accedit, eique omnia pandit. Hic secum quaerit:

1° *Quid sit impedimentum raptus, et quae conditiones ad illud incurrendum requirantur?*

2° *An in matrimonio Titii cum Caia huiusmodi impedimentum udsit?*

3° *Utrum ex duobus matrimoniis a Caia initis sit validum?*

Ad Ium. Ab exordio tractationis distinguenda sunt crimen raptus et impedimentum raptus.

Crimen definiri solet: « Violenta mulieris honestae vel etiam viri abductio de loco in locum sive libidinis explendae sive matrimonii causa ». Impedimentum vero definitur: « Violenta cuiusque mulieris abductio de loco in locum, ubi sub potestate raptoris detinetur, matrimonii ineundi causa peracta ».

Raptus, utpote tum libertatem matrimonii laedens, tum libidini ianuam aperiens, iam legibus romanis olim plectebatur (1). Sed et antiquior lex ecclesiastica in raptum saeviebat. Ita Concilium Chalcedon. anno 451 celebratum haec habet: « Eos qui sibi rapiunt uxores, vel eos qui eis auxi-« lium praestiterint, statuit S. Synodus, si quidem clerici « fuerint, cadere de proprio gradu, si vero laici fuerint, « anathema sint » (2).

(1) Cf. *Cod. Theod. de rapt. virg.* et *L. Unic. C. Iustin.*, IX, 13.
(2) Hard., *Collec. Concil.*, II, 612.

Nondum autem sancitur impedimentum, quod circa saeculum IX dumtaxat apparet, impediens quidem, nondum dirimens, inter raptorem et raptam, idque natura sua perpetuum (1). Quae ultima clausula, parumper durior visa, ab Innocentio III ita mitigata est, ut nuptiae inter raptorem et raptam licerent, « dummodo prior dissensio transeat in consensum » (2).

Sed ecce haec mitigatio, quae impedimentum raptus ad impedimentum metus veluti coarctabat, tempore Concilii Tridentini novam disciplinam provocavit, qua, rogantibus legatis Regis Galliae, raptus impedimentum factum est dirimens. En verba Concilii Tridentini: « Decernit S. Synodus, « inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate ra-« ptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. « Quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero « constituta, illum habere in virum consenserit, eam raptor « in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse ac omnes « illi consilium, auxilium et favorem praebentes, sint ipso « iure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque di-« gnitatum incapaces, et, si clerici fuerint, de proprio gradu « decidant. Teneatur praeterea raptor mulierem raptam, sive « eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio « iudicis dotare » (3).

Quando igitur de impedimento raptus fit sermo, haec Concilii Tridentini verba tanquam suprema prae oculis sunt habenda. Quare ad respondendum primo quaesito breviter eadem illustrare sufficiat. Scilicet ut impedimentum raptus incurratur, sequentes conditiones adsint oportet:

1) *Quoad personam. a)* Raptus debet esse mulieris. Viri enim raptus, — qualicumque modo fingatur, — non cadit sub litteram decreti Concilii, quod iam optime animadvertit Sanchez. Porro in huiusmodi rebus standum est verbis legis. Non desunt tamen qui, cum de Justis, menti legislatorum potius attendentes quam litterae legis, raptum extendant quoque ad raptum viri. Sed haec sententia videtur solida probabilitate destituta.

b) Subtilior disputatio movetur circa raptum sponsae, ex ipso iure quod habet sponsus ut sponsa in matrimonium secum ineundum consentiat. Non pauci cum Avancini, praeeunte Lessio, existimant impedimentum raptus non involvere raptum sponsae. Hi tales libenter adducunt verba S. Thomae. Etenim in II-II, q. CLIV, art. 7, quaerens: « utrum raptus « sit species luxuriae distincta a stupro », Angelicus in resp. ad 4m haec scribit: « Sponsus ex ipsa dispensatione « habet aliquod ius in sua sponsa; et ideo, quamvis peccet « violentiam inferendo, excusatur tamen a crimine raptus; « unde Gelasius Papa dicit: « Lex illa praeteritorum Princi-« pum, ibi raptum dixit esse commissum, ubi puella, de cuius « ante nuptias nihil actum fuerat, videbatur abducta ». Sed haec verba non concludunt. Et sane: *α)* S. Thomas inquirit hic de raptus crimine; nos agimus de raptus impedimento. *β)* Tempore S. Thomae minor erat distantia inter sponsalia et matrimonium quam nunc est; unde obiectio ipsa, cui S. Doctor occurrit, post decretum *Tametsi* minus facile moveri potest. *γ)* S. Thomas scribit ante Concilium Tridentinum; unde quantacumque sit tanti Doctoris auctoritas, si dissensio foret inter eum et legem Tridentinam, non illi sed huic esset standum. Quid igitur Patres Tridentini? Excipiuntne raptum sponsae? Nequaquam. Ergo, per se, et sponsae raptu incurritur impedimentum. Duo tamen sunt vera: *α)* consensum sponsae in raptum facilius esse admittendum; *β)* praesertim si parentes iniusto modo nuptiis obsint, quo casu ius augetur sponsi ut sponsam sibi vindicet.

(1) Grat., c. XXXVI, q. II, c. 4, 10, 11.
(2) In Decret., c. 7, *de rapt.*
(3) Sess. XXIV, c. 6.

c) Demum quoad personam animadvertendum est, parum referre, per se, utrum rapta sit mulier honesta an inhonesta. Tridentinum enim Concilium nullam huiusmodi distinctionem apposuit. Dico: per se; nam negari nequit, facilius supponi in muliere inhonesta consensum, ac proin in tali raptu, hoc ex fonte, rarius adesse raptus impedimentum, quia consensus adfuisse praesumitur.

Ex dictis vides, a parte personae duo interesse inter raptus crimen et impedimentum. Crimen inducitur per raptum viri aeque ac mulieris, sed nonnisi honestae; impedimentum vero per raptum mulieris dumtaxat, sed etiam inhonestae. Quare latius patet ex una parte crimen, ex altera impedimentum.

2) *Quoad locum* oportet ut adsit abductio de loco in locum, et quidem ita ut rapta, quae in termino a quo erat libera, in termino ad quem sit in raptoris dominio. Quae ubicumque verificantur, raptus adesse ex hoc fonte dicendus est. Quare vel inutiles vel arbitrariae videntur disputationes, quae apud nonnullos leguntur de distantia requisita inter locum et locum. Nec magna sufficit, si praedicta desint; nec parva est insufficiens, si adsint.

3) *Quoad vim.* Haec vis sive violentia triplicem habet respectum: ad agentes, ad modum, ad voluntatem. De singulis pauca.

a) Quoad *agentes*, animadvertendum est, parum referre utrum raptor immediate an mediate raptam abducat. Ita deputans servos, qui per vim puellam in rhedam immittant et auferant, sane partes suas egit satis ad impedimentum incurrendum. Sed hoc interest inter mandantem et mandatarios, quod impedimentum non incurrit nisi mandans; unde si arrepta puella cum mandatario potius quam cum mandante nuptias inire vellet, etiam in loco tuto nondum constituta, nullum impedimentum raptus obstaret. Poenas tamen incurrunt mandatarii haud secus ac mandans, iuxta expressa verba Concilii Tridentini.

b) Quoad *modum* requiritur vis. Haec autem solet distingui duplex: physica et moralis. Utraque sufficit ad impedimentum inducendum, quia utraque sufficit ut vim ingerens dicatur raptor. Moralis autem vis habet gradus. Unde nil mirum, si ex hac parte, — sicut ubi agitur de metu, — limites determinare, interdum sit res subtilis et ardua. Quo magis vis moralis minuitur, eo propius accedit ad meram seductionem, de qua mox erit dicendum.

Unum adhuc de vi monere placet. Quum raptus dicat violentam abductionem, raptus proprie adesse non videtur, si, v. gr., puella libere ad locum accesserit, in quo postea per vim ab illo detinetur, qui eam in matrimonium exoptat. Erit violenta quidem detentio, an non abductio. Sunt tamen auctores, qui, uti Schmier (1), in hoc casu raptum haberi existiment. Sed, stando sensui obvio raptus, haec sententia ab excessu vix liberari potest.

c) Quoad *voluntatem*, raptae scilicet, plures hypotheses moveri possunt. *α)* Prima hypothesis est mulieris tum quoad abductionem, tum quoad matrimonium ineundum invitae: quo in casu impedimentum raptus existere, extra controversiam est. — *β)* Altera hypothesis ponit mulierem consentientem quidem quoad abductionem, sed invitam quoad matrimonium ineundum. In hoc etiam casu impedimentum adesse dicendum est. Nam littera Concilii Tridentini concordat, et plures causae S. C. C. submissae in idem conspirant. — *γ)* Tertia hypothesis est subtilior. Quid, si blanditiis, fraudibus mulier inducatur ad libere consentiendum tum abductioni, tum ineundo matrimonio? Est, uti aiunt, raptus seductionis. In Gallia quidem, teste Gousset, iste raptus a pluribus, ex praescripta quadam consuetudine, uti impedimentum inducens habitus est. Sed hanc sententiam iure depellit Gury. Missa autem quaestione de Gallia, quid de hoc raptus modo censendum? Non desunt qui, cum Riganti, Card. De Luca, existiment talem seductionem inducere impedimentum, et hanc suam sententiam fulciant tum iure antiquo, quod, uti dici solet, Ecclesia canonizavit, tum S. C. C. iurisprudentia.

At argumentum de iure romano desumptum caret virtute, tum quia Lucius III expresse affirmat, quod « iste raptor dici « non debet, cum mulieris habuerit assensum » (1); tum quia aliunde patet, — v. gr., ex fine intendendo, uti mox patebit, — Concilium Tridentinum noluisse dumtaxat romanam, sed propriam de hoc argumento legem sancire. Porro decisiones pendent plerumque ab adiunctis uniuscuiusque casus.

Quid igitur? Ballerini (2) distinctionem suggerit, iuxta quam raptus seductionis non inducit impedimentum, si tractatus de nuptiis cum raptore praecesserit; secus vero inducit. Quae sane sententia fundamento praesumpto non caret. Scilicet, uti opinamur, totum pendet a libertate seductae mulieris: si haec libertas in assentiendo fuit vera, nullum habetur impedimentum; si non fuit nisi fictitia, impedimentum adest. Praecedens quidem tractatus de nuptiis habeatur in foro externo argumentum verae libertatis: non recuso; sed ratio ob quam non datur impedimentum, est ipsa libertas consensus, cuius libertatis praecedens tractatus de nuptiis non est nisi probabile indicium.

4) Quoad *finem* requiritur intentio ineundi matrimonium, non tantum libidinis explendae; quae tamen, eheu! nimis facile supponitur. Quare rursus heic interest inter crimen et impedimentum raptus, necnon inter legem antiquam romanam et ecclesiasticam.

Quid autem, si mulier abducatur quidem explendae libidinis causa, at in loco ubi detinetur, subveniat matrimonii promissio, v. gr., quia nonnisi sub hac conditione virgo in libidinem consentit?

Sane in raptore intentio ineundi matrimonii iure supponitur; si tamen omnino constet, hanc intentionem in abductione non adfuisse et nonnisi postea in detentione advenisse, dicendum potius videtur, impedimentum raptus non adesse. Odiosa enim sunt restringenda.

5) Quoad *durationem* manifesta est Concilii Tridentini doctrina. Impedimentum scilicet perdurat, usquedum rapta mulier sit in loco tuto collocata. Ratio patet. Concilium enim voluit libertati matrimonialis consensus providere; haec autem libertas constare nequit, nisi rapta mulier quoad locum rursus sui iuris existat. Quare et hic discrimen apparet inter disciplinam ab Innocentio III et a Patribus Tridentinis inductam. Iuxta priorem ad tollendum impedimentum impediens sufficiebat accedens consensus; iuxta alteram consensus iste accedens non sufficit, « quamdiu ipsa in potestate « raptoris manserit ».

Quo certius autem fiat, impedimentum raptus evanuisse, nonnulli theologi exigunt iudicium proprii Episcopi. Sed tale iudicium exigi, non constat. Potest tamen, ut recte monet laudatus De Becker (3), hoc sibi iudicium Episcopus reservare.

Dubium utrum valeant sponsalia inita, dum rapta est in potestate raptoris, quum ad casum non spectet, praetermittendum ducimus.

Et haec de primo quaesito satis.

Ad IIum. Inter Titium et Caiam valida, uti apparet, habita sunt sponsalia, licet reluctante puellae matre, cuius obstinata oppositio videtur limites proprii iuris excessisse, quod non raro accidere solet. Imo verba « Caia saepe ad secum collo-

(1) Cf. De Becker, *De sponsal. et matrim.*, p. 69.

(1) Cap. 6, *De rapt.*

(2) Nota apud Gury, *Compend. Theol. moral.*, t. II, p. 832, sq., edit. 1893.

(3) Op. cit., p. 72.

« quendum domi Titium noctu excipiebat » insinuant, inter sponsos commercium sat intimum exstitisse, imo forte carnale; unde, — nisi Titius Caiae violentiam intulerit, — quod ex verbis nullo modo apparet, imo oppositum potius ex eisdem ducitur, — maius praeiudicium exsurgit consensus Caiae in fugam. Quem quidem consensum ob metum matris exprimere noluit; at non reluctando, sat ostendit, intuitu optatissimarum nuptiarum, fugam sibi non displicere. Quare nonnisi dubia videtur iniusta illa violentia, quae a parte reluctantis voluntatis ad impedimentum raptus exigitur.

Quid iam de impedimento a parte detentionis et consensus postea praestiti?

In duo loca Caiam Titius transtulit.

In domo proprii patrui apparet non fuisse in loco sat tuto et libero posita; nam frustra, licet enixe, rogavit, ut matri restitueretur. Cur igitur eam Titius eo adduxit? Patruus scilicet nuptiis favens, sperabat fore ut reluctantem Caiae timorem precibus vinceret. Caeterum, quum inde Caia asportata sit antequam absolutum consensum dederit, parum refert penitius inquirere, utrum necne ibidem sat tuta et libera fuerit.

Fuitne sat tuta et libera in altero loco? Verba expositionis sonant: « Infelix Caia... transfertur a Titio apud « probatissimam mulierem eidem addictam ». Fateor verba parumper esse ambigua. Estne illud « eidem » referendum ad Titium, an ad Caiam? Probabilius, ex toto contextu, referendum est ad Caiam. Scilicet, quum patruus Caiam depulerit, Titius eam transfert ad mulierem probatissimam quidem, ut famae Caiae consulat; addictam insuper Caiae, ut eam in hisce adiunctis apud se servare velit.

Fuitne igitur Caia in hoc loco satis tuta et libera? Affirmandum potius videtur. Unde consensus, quem mota quidem ratione aliunde petita, at libere praestitit, videtur fuisse consensus omnia requisita habens ad matrimonium valide contrahendum. Quare, iuxta hanc ambiguae sententiae interpretationem, matrimonium valide contractum est, quum impedimentum, caeterum ex parte violentiae dubium, per restitutionem in locum tutum et liberum non amplius exstiterit.

Si tamen vox « eidem » referenda esset ad Titium, quod ex contextu vix suasibile videtur, dicendum potius esset, Caiam non fuisse in locum sat tutum et liberum ut validum ibidem commorans consensum praestaret. Unde in hoc casu, solutio quaesiti pendet ab analysi modi quo, iuxta praedicta, Caia e domo matris asportata est.

Ob rationes allatas existimem, impedimentum raptus in casu probabilius non adfuisse; quod inde quoque suadetur, quod nuptiae « nulla orta de raptu suspicione » celebrari potuerint.

*Ad III*um. Solutio tertii quaesiti pendet a solutione praecedente. Etenim si impedimentum raptus exstitit, primum matrimonium fuit in radice invalidum. Potuit tamen in matrimonium validum transire; sed contextus nihil huiusmodi evenisse insinuat. Quare in hac hypothesi secundae nuptiae validae dicendae sunt.

Si autem impedimentum raptus non exstitit, quod ex dictis nobis probabilius videtur, secundae nuptiae irritae sunt habendae. Imo, — quum matrimonium cum impedimento dubio contractum, ubi agitur de impedimento per legem positivam inducto, probabilius sit validum, praesertim si contrahentes neque suspicantur impedimentum dubium adesse, — etiamsi in casu impedimentum raptus dubium adfuisse dicatur, matrimonium contractum uti probabilius validum est habendum. Etenim, iuxta probatissimorum doctorum sententiam, in talibus adiunctis supplet Ecclesia.

Probabilius igitur standum est pro validitate matrimonii. Quare Caiae suadendum est ut a secundis nuptiis abstineat, usquedum forte, causa iudicio ecclesiastico submissa, primae nuptiae invalidae fuisse declarentur.

D. Laurentius Janssens, O. S. B.
Rector Collegii S. Anselmi,
Epitomator ex officio.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ
NE PEREANT

Novembre 1903.

1 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Richard, Arch. de Paris; — et M. Charles Ponthière.

Potior et gravior difficultas videtur in eo consistere, quod a Capitulo Vetrallensi oggeritur, nempe in gravi damno quod choro obveniret ex gratiae concessione. In supra relata causa *Dubia Iubilationum, 24 Septembris, 17 Decembris 1718*, inter alia hoc dubium fuit disceptatum. *An indulgenda sit iubilatio illis qui inservierunt spatio annorum 40 non obstante parvo numero aliorum qui remanent addicti ecclesiae servitio?* et S. Congregatio rescribere censuit: *Dabitur resolutio in casibus particularibus.* Ex hac resolutione non immerito videtur posse colligi, quod non quodlibet damnum impediat gratiae concessionem, sed gravitas damni ex variis circumstantiis est pensanda. Capitulum Vetrallense oggerit quod annuendo Oratoris precibus chori servitium in Collegiata evanesceret, et diebus festis missae statutis horis quarum celebratio Capitulo incumbit, deficeret. At huic observationi ita occurrit canonicus Franciosoni. « La giubilazione è certo odiosa ai canonici che restano in « servizio, e tutto insieme qui consisterebbe a tre messe « dippiù all'anno a ciascun canonico nei turni, cosa quasi « da nulla, sebbene queste tre messe vengano ad ognuno « con buona elemosina compensate, eppure ad essi rin- « cresce.....

« Faccio considerare poi, che il coro non soffre alcun « detrimento, perchè nella mia grave età, pel male alla « gola ed in ispecie alla laringe, non posso più cantare, nè « vociferare in coro come da detti certificati medici, perciò « non sono adesso di alcun giovamento al coro. Per dippiù « ora mi sopraggiunge altro non lieve incommodo del gon- « fiore ai piedi, pel quale consultati i medici, mi hanno pre- « scritto di fare pian piano anche moto, ma poco o nulla « mi giova ».

Ut H. S. Cong.nis praxim innuam, noto quod in *Ripana Iubilationis die 29 Nov. 1710*, haec gratia concessa fuit canonico Cruciani Concetti quamvis opponeretur, quod demptis ministris altari inservientibus atque alio canonico organum pulsante, et Praeposito confessionibus excipiendis addicto, tres tantum canonici possint interesse. In *Civitatis Castellanae, 15 Iulii 1820* ad dubium: *An concedendum sit indultum Iubilationis canonico Ercoli in casu?* rescriptum fuit: *Affirmative salvo iure Episcopi revocandi ad servitium in casibus urgentis necessitatis*, non obstante Capituli Vallerani oppositione quia « *sic chorale servitium evanesceret* ». Eadem gratia concessa fuit in *Sutrina, 21 Feb. 1824*, non obstante dissensu tum Capituli tum Episcopi eo quod tres tantum reliqui essent canonici choro inservientes; conferri etiam possunt aliae causae *Civitatis Plebis, 21 Nov. 1782; Firmana, 9 aprilis 1859.* et supra citata *Anagnina.*

Ex adverso adverti potest, quod iubilationis indultum non conceditur, quando id in grave vergit chori et divini cultus detrimentum, ut tenuit H. S. Congregatio in *Brictinorien. Iubilationis, die 12 Maii 1792.* Quod ex gratiae concessione in themate hoc grave damnum obveniat testis est nedum Capitulum, sed etiam Episcopus Viterbiensis, qui hac potissimum ratione fretus Oratoris petitioni mordicus obsistit.

At quoniam infirmitas canonici Franciosoni non denegari posse videretur, quamvis prolatae medicae attestationes iuratae non sint, eius preces ita exaudiri possent, concedendo ei nempe indultum vacandi a choro durante infirmitate: neque hoc exulat a praxi H. S. O., uti legitur in una *Urbinaten. Indulti 18 Septembris 1802*, in qua ad dubium: *An et quomodo sit concedendum indultum iubilationis in casu*, rescriptum prodiit: *Negative, sed concedendum indultum abessendi a choro durante infirma valetudine:* eadem prorsus decisio edita fuit in una *Firmana - Iubilationis, 15 Septembris 1862*, inter supplices libellos relata.

Hisce itaque notatis, decernent EE. VV. pro satis perspecta aequitate et prudentia, an et quomodo precibus canonici Oratoris Franciosoni obsequendum sit in casu.

Quare etc.

Emi Patres edixerunt: *Pro gratia iubilationis cum solitis clausulis, servato onere missarum.*

Circa translationem missae pro populo.

Beatissime Pater,

Episcopus Metensis humiliter postulat favore parochorum suae dioecesis facultatem transferendi, in aliam diem sequentem, celebrationem missae pro populo in diebus festis suppressis, quando occurrit celebratio matrimonii vel unius missae exequialis quae anticipari vel transferri nequeat, prout concessum est vicinioribus dioecesibus, stante consuetudine immemoriali.

Die 7 Septembris 1903. S. Congr. Concilii, auctoritate SS.mi D.ni Nostri, attentis expositis, precibus Episcopi Oratoris annuens, petitam gratiam benigne impertita est per quinquennium.

VINCENTIUS, Card. Episc. Praenestin., *Praef.*
C. De Lai, *Pro-Secret.*

DECRETUM.

De clericis ad Americam et ad Philippinas Insulas profecturis.

Clericos peregrinos, a remotis transmarinis oris venientes, iuxta veterum Patrum statuta, et canonicas sanctiones, *tit. 22, lib. I, Decret.*, ipsasque prudentiae regulas, nonnisi caute ad sacri ministerii exercitium esse admittendos, neminem profecto latet. Nam propter distantiam et dissimilitudinem locorum, de personis earumque qualitatibus ac de valore documentorum, quae ab advenis exhibentur, iustum iudicium tute expediteque fieri saepe difficile est; fraus ac dolus (teste experientia) aliquando subrepunt; unde periculum passim imminet, ne indigni ac nequam viri super gregem fidelium constituantur cum gravissima divinae maiestatis offensa et rei christianae iactura.

Ad haec arcenda discrimina S. Concilii Congregatio, de speciali mandato SS.mi D. N. Leonis XIII, circularibus litteris ad Italiae et Americae Ordinarios die 27 mensis Iulii 1890 (1) datis, legem tulit, qua italorum sacerdotum migrationem in Americam certis regulis contineret.

Huiusmodi regulae hae sunt:

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, fasc. praec., p. 60.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* vol. V, p. 490.

« 1) In futurum prohibentur omnino Italiae Episcopi et Ordinarii concedere suis presbyteris e clero saeculari litteras discessoriales ad emigrandum in regiones Americae.

« 2) Exceptio tantummodo admitti poterit, onerata Episcopi conscientia, pro aliquo eius dioecesano sacerdote maturae aetatis, sufficienti sacra scientia praedito, et vere iustam afferente emigrationis causam; qui tamen, bonum testimonium habens intemeratae vitae, in operibus sacri ministerii cum laude spiritus ecclesiastici et studii salutis animarum hactenus peractae, solidam spem exhibeat aedificandi verbo et exemplo fideles ac populos ad quos transire postulat, nec non moralem certitudinem praestet numquam a se maculatam iri sacerdotalem dignitatem exercitatione vulgarium artium et negotiationum.

« 3) Sed in huiusmodi casu idem Italus Episcopus et Ordinarius, omnibus rite perpensis et probatis, rem, absque sacerdotis postulantis interventu, agat cum ipso Ordinario Americano, ad cuius dioecesim ille transire cupit, et habita ab ipso Americano Ordinario eiusdem sacerdotis formali acceptatione, una cum promissione eum ad aliquod ministerii ecclesiastici munus deputandi, de omnibus et singulis ad memoratam S. Congregationem Concilii referat. Quae si tamen assentiatur, tunc poterit Episcopus discessorias litteras concedere, communicando cum Americano Antistite per secretam epistolam, nisi ei iam cognitae sint, notas emigrantis sacerdotis proprias ad impediendas fraudes circa subiecti identitatem.

« Ex ea dioecesi ad aliam in America eidem sacerdoti emigrare ne liceat absque nova sacrae Congregationis licentia.

« 4) Excluduntur in quavis hypothesi presbyteri ritus orientalis.

« 5) Quod si non agatur de emigratione, sed de alio Italiae sacerdote, qui ob suas peculiares honestas ac temporaneas causas pergere velit ad Americae partes, satis erit ut proprius Ordinarius, his perspectis, ac dummodo de caetero nihil obstet, eum muniat in scriptis sua licentia ad tempus (unius anni limitem non excedens), in qua ipsae abeundi causae declarentur, cum conditione, ut suspensus illico maneat a divinis expleto constituto tempore, nisi eius legitimam prorogationem obtinuerit.

« 6) Non comprehenduntur his legibus de emigratione in Americam ii sacerdotes, qui ad hoc speciali aliquo gaudent apostolico privilegio ».

Hac lege, noxia plura remota et sublata fuerunt, non tamen omnia, neque ex toto. Experientia enim docuit, ex praepostera art. 5 superius recensiti interpretatione, salutaris illius legis effectum saepenumero fuisse frustratum. Praeterea constitit, nedum ex Italia, sed ex aliis quoque Europae regionibus nimiam esse, quandoque etiam perniciosam, sacerdotum migrationem in Americam, et ad insulas Philippinas.

Quare E.mi S. C. Patres, plurium Episcoporum relationibus rite, uti par erat, inspectis, eorumdem Episcoporum votis obsecundantes, rebus omnibus mature perpensis, censuerunt latius atque uberius esse hac de re providendum nova generali lege, quae his capitibus continetur:

I. Pro Italiae clericis, firmis dispositionibus contentis in circularibus litteris diei 27 mensis Iulii 1890 sub numm. 1, 2, 3, 4 et 6, Ordinariorum omnium tam Italiae quam Americae conscientia super plena earum observantia graviter oneratur.

Facultas vero sub num. 5 concessa circumscribitur ad casum strictae et urgentis necessitatis ut e. g. pro gravi infirmitate alicuius in America degentis, quem christiana charitas aut pietatis officium invisere exigant, neque tempus suppetat recurrendi ad S. Sedem. Sed in hoc et similibus adiunctis causa urgentis necessitatis in discessoriis litteris clare ac determinate exprimenda erit, absentiae tempus ad sex menses circumscribendum et de re statim edocenda S. Concilii Congregatio.

II. Extra Italiam vero in posterum ne liceat Europae Ordinariis discessoriales pro America suis Clericis largiri, nisi requisito prius consensu Episcopi dioecesis illius, ad quam sacerdos pergere cupit, permutatis ad hunc finem secretis litteris, in quibus de aetate et de moralibus atque intellectualibus qualitatibus migrantis sacerdotis Americanus Praesul doceatur.

Excipitur tamen casus strictae et urgentis necessitatis, in quo, pari modo ac supra, licentia a proprio Ordinario concedi poterit, sed ad sex menses tantum valitura, adnotata causa urgentis necessitatis et monito per Epistolam Episcopo loci ad quem Sacerdos proficiscitur.

III. Pro migraturis denique ex qualibet orbis parte ad Philippinas insulas eaedem leges ac normae serventur ac pro Italis Sacerdotibus ad Americam pergentibus, hac tamen differentia ut pro Europae sacerdotibus venia expetenda sit a S. Congregatione Concilii; pro Americae vero aut alterius regionis sacerdotibus, a Delegatione Apostolica Washingtoniae.

Itaque in posterum discessoriae litterae pro clericis in Americam et ad Insulas Philippinas migraturis conficiantur in forma specifica, iuxta regulas superius statutas: et aliter factae nullius valoris sint, et qua tales ab Ordinariis illarum dioeceseon aestimentur.

Facta autem de his omnibus relatione SS.mo D. N. Pio PP. X in audientia diei 17 Septembris p. e. ab infrascripto Cardinali Praefecto, Sanctitas Sua Decreta Emorum Patrum confirmavit, per circulares S. C. litteras publicari, et ab omnibus rite observari mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex aedibus S. C. Concilii, die 14 Novembris 1903.

V. Card. VANNUTELLI, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

C. De Lai, *Secretarius.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

Duo solvuntur dubia.

R. P. Eulogius Villafranca, Presbyter Cong. Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. et Calendarii ordinator, de consensu sui R.mi P. Superioris Generalis sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

I. An Alumni dictae Congregationis post recentissimam Calendarii proprii concessionem teneantur, exceptis Festis Titularium, Patronorum et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, ad Officia et Missas alicui Regno vel Dioecesi concessa cum clausula praeceptiva pro universo Clero saeculari et regulari?

II. Quum ex documentis scriptis non constet quinam sit Titularis Ecclesiae coenobio adnexae et in loco Sancti Dominici nuncupato erectae, quam nomine S. Francisci Ass. fideles solent appellare; quumque in altari tum Beata Maria Virgo de Angelis vocata, tum S. Franciscus in actu impressionis Sacrarum Stigmatum repraesentetur: quaeritur quinam sit Titularis Ecclesiae?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit:

Ad I. Negative et ad mentem. Mens autem est regulares non teneri ad Officia loci quo degunt nisi quatenus eiusdem loci Calendario utantur.

Ad II. In casu habeantur uti Contitulares aeque principales B. Maria Virgo de Angelis et S. Franciscus Assisiensis.

Atque ita rescripsit, die 6 Decembris 1902.

D. Card. FERRATA, *Praef.*
D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

SEGUSIEN. — DECRETUM

confirmationis cultus S. Iusti, Monachi et Martyris, Patroni Principalis civitatis et dioeceseos Segusiensis.

Peculiari religionis pietatisque studio Segusiensis dioeceseos, tum clerus tum populus ab immemorabili tempore prosequitur titularem Ecclesiae Cathedralis et tamquam patronum totius dioecesis Iustum, monachum et martyrem, sanctum nuncupatum, quem decimo saeculo ineunte Saracenorum turbae in vallem Segusinam late irrumpentes, postquam et coenobium Novaliciense et pagum Ulciensem vastaverint, e specu impendentis montis, ubi se abdiderat, cum socio Flaviano egressum summo cruciatu et supplicio necarunt. Quo autem tanti sceleris et pugilum Christi excideret memoria, Iusti, Flaviani aliorumque martyrum corpora in profundum proiecta sunt puteum, dein occlusum multorum lapidum acervo. Verum, Deo favente, paucos post annos a Fidelibus devotis quaesita et inventa ibidem iuxta basilicam Sancti Laurentii, ideo *de Plebe martyrum* nuncupatam, in veneratione sunt posita, aedificato sacello et postea coenobio in honorem Sanctorum Iusti, Flaviani et sociorum nonaginta martyrum. Interim cultus erga hos Sanctos martyres in valle Segusina et in aliis pedemontanis regionibus propagatus, speciali modo auctus fuit in Sanctum Iustum ob novum templum cum monasterio anno 1027 Segusii extructum in quod, solemni pompa et magna populi frequentia, translatae fuere eiusdem Sancti martyris et titularis reliquiae. Perdurante et succrescente fidelium devotione, etiam festum cum Officio et Missa de communi unius martyris, mense Octobri recolendum, pluribus dioecesibus pedemontanis ab Apostolica Sede concessum fuisse relatum est; et in Kalendario et Proprio Segusiensi ita inscriptum: « *S. Iusti Martyris Patroni Principalis totius dioecesis* ». Pluribus immemorialis cultus monumentis atque hisce Apostolicis Indultis innixus Rev.mus Episcopus Segusiensis, Eduardus Ioseph Rosaz, valde exoptans ut festum patroni suae dioeceseos Lectionibus II nocturni propriis in Officio donaretur, servato iuris ordine, postulavit atque obtinuit per decretum Sacrorum Rituum Congregationis de die 22 Decembris 1902, ut dubium de casu excepto a decretis Urbanianis in Ordinariis eiusdem Sacrae Congregationis Comitiis proponi ac discuti posset, absque praevia formalis processus constructione, sed allatis tantum ad rem necessariis documentis in authenticam formam redactis. Quibus omnibus rite exhibitis, instante eodem Rev.mo Episcopo cum Capitulo Ecclesiae Cathedralis atque parochis et clero totius dioecesis Segusiensis, E.mus et Rev.mus D.nus Cardinalis Dominicus Ferrata huius causae Ponens seu Relator in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum coacto, sequens dubium discutiendum proposuit: *An constet de casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII ad effectum de quo agitur?* Et E.mi ac R.mi Patres Sacris tuendis ritibus praepositi, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, omnibus accurate perpensis rescribendum censuerunt: *Affirmative, seu constare.* Die 1 Septembris 1903.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per subscriptum Sacrae Rituum Congregationis Secretarium relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit; die 7, eisdem mense et anno.

SERAPHINUS Card. CRETONI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Diomedes Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

SURRENTINA.

Tertii Ordines saec. non gaudent communicatione indulg. cum respectivis Ordinibus; exhibeant nova Summaria indulg. approbanda.

De communicatione Indulgentiarum et gratiarum inter Tertiarios Saeculares diversorum Ordinum haec S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita mentem suam iam satis aperuit. Dubio enim proposito: « Utrum, « demptis Tertiariis Saecularibus S. Francisci et Servorum « B. Mariae Virg., quibus per Constitutionem *Misericors* « *Dei Filius* et Rescriptum diei 15 Decembris 1883 respe« ctive provisum est, Tertiarii Saeculares aliorum Ordinum « gaudeant communicatione Indulgentiarum sive cum respe« ctivo Ordine ad quem pertinent, sive cum aliis Tertiariis « et eorum Ordinibus? » Haec S. Congregatio die 31 Ianuarii 1893 (1) respondit: « Negative, nisi constet de speciali « indulto ».

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. I, p. 131.

Nihilominus haud multo post ad eamdem S. Congregationem denuo sequens dubium fuit delatum:

« Utrum detur inter Tertiarios diversorum Ordinum reci-« proca communicatio Indulgentiarum et gratiarum Ordinum « ad quos Tertiarii ipsi pertinent? »

Et Eminentissimi Patres in Generalibus Comitiis apud Vaticanas Aedes habitis die 15 Iulii 1902 responderunt:

« In decisis in Generali Congregatione diei 31 Ianuarii « 1893 ad dubium XVI, et supplicandum SSmo, ut sin-« gulis Tertiis Ordinibus, sublata qualibet, etiam speciali « indulto concessa, Indulgentiarum communicatione, providere « dignetur per concessionem ad instar illius, quae facta est « favore Tertii Ordinis S. Francisci per Breve *Quia multa* « diei 7 Septembris 1901 (1); et ad mentem. Mens autem est, « ut RRmi Patres Generales Ordinum Religiosorum, qui « Tertium Ordinem habent, huic S. Congregationi exhibeant « novum Summarium illarum Indulgentiarum, quas pro suis « Tertiis Ordinibus obtinere cupiunt ».

De quibus omnibus facta relatione SSmo Dno Nro Leoni PP. XIII, ab infrascripto Cardinali Praefecto in audientia habita die 18 Iulii 1902, Sanctitas Sua resolutiones Emorum Patrum confirmavit, easque executioni mandari iussit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 18 Iulii 1902.

SERAPHINUS Card. CRETONI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. FRANCISCO SOGARO Archiep. Amid., *Secretario.*
IOSEPHUS MARIA Can. COSELLI, *Substitutus.*

II.

DECRETUM

De communicatione indulg. cum 1° et 2° Ordine respectivo, pro Institutis Tertiariorum in communi viventium et vota simplicia nuncupantium.

Ad hanc S. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam saepe dubia delata sunt circa relationem Tertiariorum, tanto hodie numero in communitate viventium et simplicia vota nuncupantium, ad respectivos suos Ordines Regulares, quoad Indulgentias et spirituales gratias. Quae dubia succreverunt ex quo Leo XIII fel. rec. speciales Indulgentias pro iis solis Tertiariis, tum Franciscalibus, tum Ordinis Servorum B. M. V., qui in saeculo vivunt, concessit, sublatis omnibus aliis Indulgentiis eousque istis Tertiis Ordinibus tributis. Verum est Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium in suis normis pro approbatione horum Institutorum (Sect. I, § 2, n. 16), statuisse: « Instituta Tertiariorum non approbentur, nisi a Superioribus Generalibus eorum Ordinum, a quibus et nomen et habitum mutuantur, in proprium respectivum Tertium Ordinem aggregentur, et ad Indulgentiarum et gratiarum spiritualium participationem, *quantum concedere fas est*, admittantur; haec tamen postrema verba, ut patet, praesentem quaestionem in ambiguo adhuc reliquerunt:

Quare, ne tot ex utroque sexu Tertiarii horum Institutorum, quae exemplo et opere de re catholica optime sunt merita, diutius Indulgentiis certis careant, quaesitum est:

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. IX, p. 370.

« An generali dispositione omnibus Institutis Tertiario-« rum in communitate degentium et vota simplicia emitten-« tium ab Apostolica Sede sint concedendae Indulgentiae « primo et secundo Ordini respectivo propriae? ».

Et E.mi Patres in Generali Congregatione ad Vaticanum habita, die 18 Augusti 1903, responderunt:

« *Affirmative* ».

De quibus facta relatione SS.mo D.no Nostro Pio PP. X, in Audientia die 28 eiusdem mensis et anni, ab infrascripto Card. Praefecto, Sanctitas Sua Patrum Cardinalium responsum probavit et confirmavit, decrevitque: *primo*, ut Instituta Tertiariorum in Communitate degentium et vota simplicia emittentium, dummodo Ordinibus, a quibus nomen et habitum mutuantur, legitime sint aggregata, participent omnes Indulgentias a Romanis Pontificibus primis et secundis Ordinibus directe tantum concessas; *secundo*, ut eorumdem Ecclesiae eisdem Indulgentiis gaudeant, quibus Ecclesiae respectivi primi et secundi Ordinis fruuntur; *tertio*, ut aliae Indulgentiae huiusmodi Tertiis Ordinibus antea concessae in posterum solis Tertiariis in saeculo viventibus sint propriae.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 28 Augusti 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. FRANC. SOGARO, Archiep. Amid., *Secr.*
IOSEPHUS M. Canonicus COSELLI, *Substit.*

III.

PLURIUM DIOECESIUM

In locis ad duas dioeceses vel Vicariatus Apostolicos etc. pertinentibus, facultates propriae aliquorum Ordinum, concessae cum clausula: « dummodo in dicto loco nullus eorumdem ordinum conventus reperiatur », exerceri possunt in ea parte loci in qua deest conventus, quamvis hic in altera adsit.

Etsi anteactis temporibus vix unquam evenit, ut una eademque civitas ad duas diversas dioeceses vel Vicariatus vel Apostolicas Praefecturas pertinuerit, hodiedum nihilominus id locum obtinet; exemplo sit civitas Londinensis, quae in duas dioeceses dividitur, Westmonasteriensem scilicet et Southwarcensem. Id vero causae est cur a nonnullis dubitetur utrum facultates, quae sunt Regularium propriae et quarum exercitium aliis minime conceditur, nisi pro iis locis, in quibus eorumdem conventus non existit, exerceri valeant ab iis, quibus ex speciali indulto fuerunt tributae, si ipsi commorentur in ea parte civitatis, id est in ea dioecesi, in qua nullus extat Regularium conventus, quamvis extet in altera parte civitatis, id est in alia dioecesi. Quae causa dubitandi potissimum est aucta ex Decreto huius S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae diei 14 Decembris 1857 in una *Tornacensi*, in qua dubium erat propositum: « *An per loca in quibus Ordo Minorum Observantium S. Francisci Assisiensis non existit, intelligendum sit in casu civitas, oppidum, pagus, cum respectivis suburbiis, sive in locis eis adiacentibus?* » Cui responsum fuit: « *Affirmative* ». Porro haec S. Congregatio, attenta casus novitate, ut omnis ambigendi ratio de medio tollatur, cer-

taque agendi norma in posterum statuatur, sequens dubium dirimendum proposuit:

« *An in civitatibus et generatim locis, in quibus sunt constitutae duae dioeceses, vel Vicariatus Apostolici, etc., eae facultates, quae sunt aliquorum Ordinum propriae, quaeque fuerunt concessae per speciale indultum, cum clausula:* DUMMODO IN DICTO LOCO NULLUS EORUMDEM ORDINUM CONVENTUS REPERIATUR, *exerceri valeant in ea parte civitatis vel loci, in qua nullus adsit conventus dictorum Ordinum, adsit vero in alia?* »

Et E.mi Patres in generali Congregatione habita in Palatio Vaticano diei 18 Augusti 1903 proposito dubio respondendum mandarunt:

« *Affirmative* ».

De quibus relatione peracta SS.mo D.no Nostro Pio PP. X in audientia habita die 28 eiusdem mensis et anni ab infrascripto Cardinali Praefecto, Sanctitas Sua E.morum Patrum resolutionem ratam habuit et confirmavit.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 28 Augusti 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

Pro R. P. D. FRANCISCO, Archiep. Amiden., *Secret.*
IOSEPHUS M. Canonicus COSELLI, *Substit.*

IV.

Indulgentia conceditur recitantibus orationem Christo Iesu in Cruce.

Beatissime Pater,

Maria Lampel, v. Castagna, ad osculum S. Pedis profunde provoluta, humiliter Sanctitatem Tuam supplicat ut spiritualem aliquam indulgentiam hanc orationem recitantibus concedere digneris:

CHRISTO IESU IN CRUCE.

Iesu mi Crucifixe, suscipe benignus precem quam nunc pro meae mortis articulo tibi fundo, quando illa iam appetente, omnes mei sensus deficient.

Cum igitur, dulcissime Iesu, mei oculi languidi ac demissi te non amplius respicere poterunt, memento illius succensi aspectus, quem nunc tibi converto et miserere mei.

Cum labia mea arefacta non amplius tuas sacratissimas plagas osculari poterunt, memento illorum osculorum, quae nunc tibi figo et miserere mei.

Cum manus meae frigidae non amplius tuam crucem amplecti poterunt, memento sensus, quo nunc hoc ago et miserere mei.

Et cum tandem mea lingua tumens et immobilis non amplius loqui poterit, memento meae invocationis huius momenti.

Iesu, Ioseph, Maria, vobis commendo animam meam.

« Omnibus hanc orationem recitantibus, concedimus semel in die indulgentiam 300 dierum, et bis in anno, dummodo ad Sacramenta confessionis ac communionis accederint, indulgentiam plenariam ».

Ex Ædibus Vaticanis, die 31 Augusti 1903.

PIUS PP. X.

Praesentis concessionis exemplar delatum fuit ad S. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam. In quorum fidem etc.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 4 Septembris 1903.

IOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Subst.*

NB. S. Congregatio Indulgentiarum, per Rescriptum diei 5 Septembris 1903, declaravit supra relatas indulgentias esse animabus quoque defunctorum in Purgatorio degentibus applicabiles.

V.

Summarium Indulgentiarum Archisodalitati SSmi Cordis Iesu Eucharistici in Ecclesia S. Ioachim de Urbe existenti tributarum.

I.

INDULGENTIAE PLENARIAE.

1. Omnibus ex utroque sexu Christifidelibus die eorum ingressus in Archisodalitatem, dummodo vere poenitentes et confessi S. Synaxim sumpserint.

2. Omnibus Sodalibus, a primis Vesperis ad occasum solis:

a) Feriae V in Coena Domini,

b) diei festi SSmi Cordis Iesu,

si praefatis diebus uti supra dispositi aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint.

3. Iisdem die anniversaria erectionis Archisodalitatis Romanae, dummodo uti supra dispositi respectivam parochialem ecclesiam a primis Vesperis ad occasum solis praedicti diei devote visitaverint ibique uti supra oraverint.

4. Iisdem Sodalibus, qui iuxta Archisodalitatis statuta semel saltem in unaquaque hebdomada per dimidium horae SSmum Sacramentum adorare consueverint, quatuor anni diebus, ab Ordinario semel designandis, quibus confessi ac S. Synaxi refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint.

5. Iisdem Sodalibus, qui pariter semel in hebdomada per dimidium horae praescriptam SSmi Sacramenti adorationem peragere consueverint, atque uti supra dispositi ecclesiam seu oratorium ubi Sodalitas erecta reperitur visitaverint, ibique uti supra etiam oraverint a primis Vesperis ad occasum solis sequentium dierum:

a) Nativitatis D. N. Iesu Christi;

b) Paschatis Resurrectionis;

c) Adscensionis;

d) Pentecostes;

e) SSmi Corporis Christi;

f) Assumptionis B. Mariae Virg.;

g) Prima feria V Aprilis.

II.

INDULGENTIAE PARTIALES.

1. *Bis centum dierum*, semel in die, Sodalibus, qui corde saltem contrito ac devote SSmum Eucharistiae Sacramentum per dimidium horae quocumque anni die adoraverint.

2. *Centum dierum*, item semel in die, si corde pariter contrito ac devote sequentem orationem recitaverint: « Cor « Iesu Eucharisticum, in nostro exilio solatium, da pacem « Ecclesiae ».

3. *Quinquaginta dierum,* pariter semel in die Sodalibus pro recitatione uniuscuiusque ex sequentibus precibus Iaculatoriis: *a)* « Sit Cor Iesu Eucharisticum benedictum! » *b)* « Cor Iesu Eucharisticum, miserere nobis! ».

Omnes et singulae Indulgentiae superius memoratae, sunt etiam applicabiles animabus defunctorum in igne purgatorio detentis.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium, ad examen revocatum, authenticum declaravit illudque typis mandari benigne permisit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 24 Novembris 1903.

L. ✠ S. † Franciscus Sogaro, Archiep. Amidensis, *Secr.*

E SACRA CONGREGATIONE INDICIS

I.

DECRETUM

Varia damnantur opera.

Feria VI, die 4 Decembris 1903.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X, Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, die 4 Decembris 1903, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

Charles Denis. *Un carême apologétique sur les dogmes fondamentaux.* Paris, 1902.

Charles Denis. *L'Eglise et l'Etat; les leçons de l'heure présente.* Paris, 1902.

L'abbé Georgel. *La matière; sa déification; sa réhabilitation au point de vue intellectuel et aimant; ses destinées ultimes.* Oran, 1902-1903.

Joseph Olive. *Lettre aux membres de la pieuse et dévote association du Cœur de Jésus et de N.-D. des sept Douleurs.* Cette, 1886-1903.

P. Sifflet, Decreto S. Congregationis, edito die 5 Martii 1903, quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subiecit.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, die 4 Decembris 1903.

Andreas Card. Steinhuber, *Praef.*

Loco ✠ Sigilli.

Fr. Thomas Esser, Ord. Praed., *a Secretis.*

Die 7 Decembris 1903, ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Henricus Benaglia, *Mag. Curs.*

II.

DECRETUM

Feria VI, die 4 Decembris 1903.

Alia damnantur opera.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X, Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, die 4 Decembris 1903, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

Albert Houtin. *La question biblique chez les catholiques de France au XIXe siècle.*

Albert Houtin. *Mes difficultés avec mon évêque.*

Alfred Loisy. *La Religion d'Israël* Decr. S. Off. fer. IV, 16 Dec. 1903.

Alfred Loisy. *L'Evangile et l'Eglise.* » »

Alfred Loisy. *Etudes évangéliques.* » »

Alfred Loisy. *Autour d'un petit livre.* » »

Alfred Loisy. *Le quatrième Evangile.* » »

Itaque nemo etc.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, die 23 Decembris 1903.

Andreas Card. Steinhuber, *Praef.*

Loco ✠ Sigilli.

Fr. Thomas Esser, Ord. Praed., *a Secretis.*

Die 24 Decembris 1903, ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Henricus Benaglia, *Mag. Curs.*

E SACRA POENITENTIARIA

Dubium circa rescriptum obrepticium pro disp. matr.

Eminentissime Princeps,

Titius adhuc in florenti aetate constitutus, uxorem suam *Caiam* amisit, quae mortua est viro relinquens puellulam. Defuncta *Caia, Titius* sororem huius *Semproniam* adamare coepit, et cum ea matrimonium inire cupiens, dispensationem, ut par erat, obtinuit, componenda satis magna prius soluta. Res bene processisse videtur; sed nunc *Titius*, remordente conscientia, dubitat de validitate dispensationis; nam tamquam unicum motivum tum dispensationis obtinendae, tum ad consensum Semproniam inclinandi, allegavit promissionem factam, aiebat, *Caiae* morienti ducendi Semproniam. Porro de hoc nec verbum fecerat Caia. — Titius vero, propter

verecundiam non ausus rem Confessori suo aperire, negotiorum praetextu satis longum arripuit iter, occasione cuius ad ecclesiam quamdam advenit, et ibi animi anxietates aperit, postulans a confessario solutionem. Iste autem se casui illico solvendo imparem profitens, poenitentem non reversurum de circumstantiis matrimonii diligenter interrogatum dimittit, illi per epistolas, caute tamen, uno vel altero verbo, ne mulier qui negotio exigente in absentia viri litteras aperit, aliquid praeteritae fraudis suspicari possit, solutionem significaturus.

Confessarius ergo apud se omnia recogitans, ex una parte attendit plures, ut videtur, in casu dispensationis causas adfuisse, quas licet vir non allegaverit, bene tamen, quin res resciri possit, sacerdos ad inquisitionem dispensationis praeviam delegatus manifestare potuit: e. g. necessitas providendi prolis educationi, periculum incontinentiae, aetas superadulta mulieris, et, ut caetera omittam, componendae solutae valor haud spernendus, attenta utriusque contrahentis conditione; posito praesertim quod facillime in disciplina hodierna eiusmodi dispensationes concedantur, ita ut, praecipue refrigescente fide ne damna graviora fere semper timenda eveniant, ipsa dispensationis petitio unicum aliquando videatur ipsius concessionis motivum. — Recolit insuper motivum a viro allegatum in se sufficiens non apparere, si causa gravis requireretur ad huiusmodi dispensationem, nec proinde Supremum Tribunal principaliter movisse ad illam concedendam: hinc, etiamsi illud non verificaretur, alia motiva principalia subsistere. — His omnibus perpensis confessarius staret pro valore dispensationis.

Ex alia parte nihilominus, certum est unicum a viro allegatum fuisse motivum, promissionem scilicet Caiae iamiam moriturae factam, idque falsum esse et fraudulenter allegatum, ac fortasse etiam in supplici libello a delegato transmisso unice memoratum. — Insuper ex c. *Super litteris*, *De Rescriptis*, in dolosae obreptionis poenam rescripti nullitas decernitur.

His omnibus positis, Confessarius ambigens, nec valens decisivum dare poenitenti responsum, a Sacro Tribunali petit:

I. Utrum respondere possit Titio ut acquiescat?

Et quatenus *Negative*,

II. Quam enixissime rogat, ut, attenta difficultate maxima Titium revocandi, et illius renitentia alium adeundi confessorem, ac *Semproniae* nullitatem matrimonii iam contracti manifestandi, dicto *Titio* concedatur sanatio in radice absque onere renovandi consensum ante confessarium ac certiorandi alteram partem.

Et Deus.

Sacra Poenitentiaria circa praemissa rescribit: Iuxta exposita orator, de quo in precibus, quoad dubium de valore dispensationis, nec non matrimonii sui cum Sempronia, acquiescat omnino. Datum Romae in S. Poenitentiaria die 24... 1903.

V. Luchetti, *S. P. Canonista.*
A. Can. Martini, *S. P. Secret.*

E VICARIATU URBIS

I.

Instituitur Commissio directiva pro exercitio ministerii ecclesiastici in Urbe.

NOTIFICAZIONE.

PIETRO del Titolo de' SS. Quattro Coronati della S. R. C. Prete Cardinale RESPIGHI, della Santità di N. S. Vicario Generale della Curia Romana e suo Distretto Giudice Ordinario ecc.

I doveri gravissimi del nostro ufficio esigono che ci adoperiamo con ogni impegno perchè non manchino al popolo di quest'alma città i mezzi più opportuni per essere istruito nella fede ed educato alla vita cristiana. A questo altissimo fine intendono sopra tutto le parrocchie, che debbono formare come tanti centri dai quali si diffonda nel popolo la santa attività dell'apostolato cattolico. In aiuto delle parrocchie sorsero benefiche istituzioni fondate dai nostri maggiori, e recentemente dallo zelo di venerandi sacerdoti, di religiose famiglie, ed anche di buoni laici.

Affinchè però proceda regolare e bene ordinato l'andamento delle parrocchie, e conseguentemente di tutte le istituzioni sopra accennate, è necessario che l'attività del clero, e specialmente del clero giovane, si svolga a loro vantaggio, e sia in esse ben disciplinata. Sarà grande senza dubbio l'utilità che ne ricaveranno i fedeli, e sarà pur grande il conforto dei rr. parroci nell'adempimento dei difficili doveri parrocchiali, se i sacerdoti, fino dai primi anni della loro ecclesiastica carriera, mostreranno di amare l'esercizio del ministero sacerdotale per la salvezza delle anime, e se inoltre non si volgeranno di pura loro iniziativa ad una od altra opera di zelo in aiuto dei parroci, ma seguiranno con docile obbedienza le direzioni dell'autorità superiore. E dalla obbedienza alle superiori disposizioni ne deriverà quest'altro bene, che cioè ciascheduno vi troverà la sicurezza di non avere nelle proprie fatiche cercato sè stesso, ma solamente la gloria di Dio e il bene delle anime.

Ad attuare pertanto questo disegno, abbiamo stabilito di nominare e nominiamo una *Commissione direttiva per l'esercizio del ministero sacerdotale in Roma*, presieduta da noi o da Sua Eccellenza Ill.ma e Rev.ma Monsignor Vice-gerente, e composta di distinti ecclesiastici, i quali, per l'ufficio che esercitano, siano in grado di conoscere il clero, specialmente giovane, e di vigilarne lo spirito e l'attività. Perciò deputiamo a membri perpetui della commissione il R.mo Segretario *pro tempore* del Vicariato, il R.mo Prefetto *pro tempore* degli ecclesiastici studenti, e i Reverendissimi Rettori *pro tempore* dei Seminarii Romano e Vaticano e dell'Almo Collegio Capranica. Ci riserviamo di nominare altri membri quando ne dovessimo riconoscere in progresso di tempo la necessità o la evidente utilità.

La Commissione da noi nominata dovrà tenersi in relazione coi rr. parroci e coi deputati alla direzione delle opere di zelo, affine di ben conoscere le varie necessità del ministero sacerdotale in Roma. Si radunerà, in luogo ed ora da destinarsi, il secondo giovedì di ogni mese, ed anche più spesso quando se ne riconosca il bisogno. Dovrà destinare ai singoli uffici le persone che giudicherà più adatte; e i sacerdoti della diocesi dovranno dedicarsi volenterosi a

quegli uffici che verranno loro affidati, e disimpegnarli con ogni diligenza.

Dichiariamo fin d'ora che mai rilascieremo commendatizie pel conseguimento di qualsiasi ufficio o beneficio ecclesiastico senza un certificato della Commissione, dal quale risulti che il concorrente ha esercitato lodevolmente il ministero sacerdotale secondo le proprie forze e con piena dipendenza dalla Commissione medesima.

Nella fiducia che i componenti la Commissione da noi nominata si dedicheranno con tutto l'impegno al gravissimo e delicatissimo compito loro affidato, invochiamo sopra di essi, con tutta l'effusione del cuore, le più elette benedizioni del Signore.

Dato dalla Nostra Residenza, il 1° ottobre 1903.

PIETRO Card. VICARIO.

PIETRO Can. CHECCHI, *Segretario.*

II.

Emus Card. Vicarius Romanos hortatur ut valide obstent nefandis tentaminibus tum haereticorum, tum pravorum scriptorum, in Urbe grassantium.

PIETRO del Titolo de' SS. Quattro Coronati della S. R. C. Prete Cardinale RESPIGHI, della Santità di N. S. Vicario Generale della Curia Romana e suo Distretto Giudice Ordinario ecc.

La Chiesa Cattolica ebbe dal suo divino Institutore promessa infallibile, che il Paracleto, Spirito di verità, non pur discenderebbe sopra di lei, ma con lei rimarrebbe in eterno; *et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis* (IOAN. XIV, 16, 17): nè possiamo menomamente dubitare, che questa promessa siasi compiuta in tutti i tempi trascorsi, e si compia tuttavia al principio del XX secolo della nostra Redenzione.

Lo Spirito Santo è dunque sempre presente nella Chiesa, e non già inoperoso, ma sovranamente attivo e benefico, per reggere i sacri Pastori nel loro governo, illuminare i fedeli, infiammare i cuori, santificare le anime, effondere senza posa i carismi divini della grazia, e in particolar modo per disperdere dal popolo cristiano ogni sorta di errori e di vizi che minaccino la purezza dell'Evangelo. Preparandoci però noi a celebrare con devotissima gioia la discesa dello Spirito Santo sopra gli Apostoli, avvenuta visibilmente a Gerusalemme in sembianza di lingue di fuoco nel giorno della Pentecoste, dobbiamo altresì ravvivare la fede nella invisibile, ma pur salutarissima permanenza di quel medesimo Spirito in cuore alla Chiesa nostra madre, e disporci a rendergli le più calde e sincere azioni di grazie.

Gastaldo divino, come lo chiama con ardita metafora Tertulliano, lo Spirito Santo, *Dottore di verità*, vigila continuo la sacra vigna del cristianesimo, più potente di ogni muro e di ogni baluardo incontro agli assalti nemici, non permettendo mai che *altrimenti s'intenda, altrimenti si creda da quel che Cristo, per bocca degli Apostoli, predicò* (TERTULL., *Praescript.* c. XXVIII). E per Lui la Chiesa ha mantenuto incolume a traverso i secoli il tesoro della dottrina e della morale, onde il Redentore Crocifisso in sin dal principio arricchivala, con proposito che rimanesse immutabile e ognora uguale a se stessa fino alla consumazione dei secoli.

Quali inni pertanto di gloria, o quali osanna di gioia potrebbero mai bastare ad esprimere, per sì segnalato benefizio, la riconoscenza dei fedeli in generale, e massime di voi, o Romani, i quali, a cagione dell'assistenza specialissima onde lo Spirito Santo rende infallibile il magistero universale di Pietro e de' suoi legittimi successori nella Sede romana, potete compiacervi di essere in quest'alma Urbe li ospiti privilegiati dello Spirito Santo? — Agli inni ed agli osanna però, nei petti veramente cristiani e devoti del divin Paracleto, andrà congiunta anche la più cordiale detestazione di tutti i conati delle *porte d'inferno* contro quell'opera magnifica dello Spirito di amore. Avvalorati dalla virtù dello Spirito che in questi giorni più copiosa discende nelle anime, sorgiamo ancor noi, e a tutti i nemici od insidiatori della verità e della santità cattolica diciamo coraggiosamente in faccia col Protomartire Stefano: Voi sempre resistete allo Spirito Santo — *Vos semper Spiritui Sancto resistitis* (ACT. VII, 51).

Qui segnatamente in questa sacra Roma, cuore e vita del Cattolicismo, non vediamo forse noi osteggiata in tanti modi l'opera dello Spirito Santo, e massime per due lacrimevoli fatti: il crescere e il dilatarsi ogni giorno più di una stampa malvagia, la quale, con furore che crederebbesi talvolta diabolico, si ostina a voler schiantare la fede e il buon costume; ed il diffondersi delle sètte eretiche di ogni nome, venute da ogni paese, che rizzano cattedre di pestilenza contro l'unica cattedra da Gesù Cristo ristabilita, ed aprono sempre nuovi templi e scuole ed istituti, valendosi di sottilissime perfidie e profittando perfino della miseria e della fame per istrappare il popolo alla sua madre la Chiesa Cattolica, al venerato suo Padre il Pontefice, Vicario di Cristo?

Riguardo a quest'ultima funestissima sventura incolta a Roma da un trentennio, già l'Emo Sig. Cardinale Monaco La Valletta, Vicario Generale di Sua Santità, emanava sotto la data del 12 luglio 1878 una solenne Notificazione, confermata sei anni appresso dall'Emo Sig. Cardinale Parocchi successore di lui. Nè ristavasi l'augusto Pontefice stesso dal protestare e dal provvedere: in ispecie volle Egli e con ogni zelo promosse la istituzione a voi ben nota dell'Opera che si intitola dalla *Preservazione della Fede* (1), la cui direzione deferì ad una commissione di Emi Porporati. Ma continuando pur troppo ed inasprendosi il male, Noi per l'autorità di cui siamo forniti come Vicario Generale di Sua Santità rinnoviamo le prescrizioni dei nostri Predecessori, o Fedeli, e supplicandovi per ciò che vi ha di più sacro in cielo e in terra, a guardarvi dall'oltraggiare lo Spirito divino di verità, col dare il nome a qualsivoglia eretica setta, od affidare agli emissarî del protestantesimo i vostri figli, o frequentare comecchesia, anche per semplice curiosità, i loro templi e il loro insegnamento.

Contro gli abusi e le intemperanze della stampa libertina, massime giornaliera, troppo avremmo a dire, o Fedeli, disfogando il nostro cuore amareggiato da bestemmie, da oscenità, da incessanti insulti non solo contro la Chiesa, sposa dello Spirito Santo, e le cose e le persone ecclesiastiche, e contro la persona augusta del Vicario di Cristo; ma bensì direttamente contro Dio e contro Gesù Cristo, del quale vengono dileggiati gl'insegnamenti e negata la divinità. Sulle orme tracciate dal nostro Predecessore Si-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. X., p. 472.

gnor Cardinale Costantino Patrizi, Noi potremmo, in virtù del nostro ufficio, esplicitamente condannare parecchi giornali di Roma e intimare le ecclesiastiche sanzioni ai lettori di essi. Ma confidando nella vostra docilità e nei lumi che lo Spirito Santo, in questi giorni, nei quali viene da noi con più ardore invocato, vorrà far discendere sulle anime nostre, ci limitiamo per ora a additare quella turpe pubblicazione che, sotto il titolo di *Asino*, in modo scandaloso e ributtante disonora questa capitale del mondo cattolico, coprendo di vitupero e di fango la religione tutta e nominatamente la morale santissima di S. Alfonso Maria de' Liguori e la pratica stessa della sacramentale Confessione. In genere poi richiamiamo il Decreto del supremo Gerarca contenuto nella Costituzione Apostolica *Officiorum et munerum* del 25 gennaio 1897 (1), sotto il numero 21, il quale stabilisce che *giornali, fogli e periodici che di proposito assalgono la Religione e i buoni costumi, debbonsi ritenere vietati non solo per diritto naturale, ma ancora per diritto ecclesiastico.* Onde conseguita che chi per qualsivoglia ragione dovesse leggere pubblicazioni siffatte è tenuto a chiederne la licenza alla competente Autorità.

Ad impetrare quella luce e quel calore di grazia che sono necessarî per l'adempimento di queste nostre così importanti prescrizioni, Noi vi invitiamo a praticare quest'anno con fervore specialissimo gli esercizi della Novena della Pentecoste.

Sua Santità concede l'indulgenza di sette anni ed altrettante quarantene, per ogni giorno, a quelli che assisteranno alla novena e pregheranno secondo l'intenzione della stessa Santità Sua; la plenaria poi, o in un giorno della novena, o nella festa di Pentecoste ed anche fra l'ottava, purchè confessati e comunicati, preghino secondo la sovra espressa intenzione. Concede gli stessi spirituali favori a quanti, per legittima causa impediti d'assistere alle preghiere pubbliche, le facciano privatamente, salvo l'adempimento delle altre pratiche ingiunte. E, inoltre, ripete l'una e l'altra indulgenza, parziale cioè e plenaria, a tutti coloro, i quali, osservate le condizioni già esposte, reciteranno in pubblico o in privato, alcune preghiere, secondo la propria divozione, allo Spirito Santo, ogni giorno durante l'ottava di Pentecoste, sino alla festa, inclusive, della Santissima Trinità. Tutte queste indulgenze sono applicabili anche alle anime del Purgatorio.

Entriamo, o fedeli romani, nelle intenzioni del Venerando Pontefice, stringendoci insieme cogli Apostoli e colla Vergine benedetta a pregare che avvenga come una nuova Pentecoste, nel giorno auspicatissimo che chiuderà il bel mese di Maria; discenda, cioè, dall'Alto tanta luce di Spirito Divino, che vadano dissipate le tenebre e dispersa la caligine da cui siamo miseramente circondati, e rendasi così gloria a quel Dio, il quale ancora una volta *dixit de tenebris lucem splendescere* (II. Cor. iv, 6).

Dato dalla Nostra Residenza, 16 Maggio 1903.

P. CARD. VICARIO

P. Can. Checchi, *Segretario.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. V, p. 4.

ANALECTA VETERA

Nonnulla documenta inedita S. Congr. Episc. et Reg. (An. 1677-1690).

295. Tarantina. — Processionum.

Eme Domine. Renuentes Patres Ordinis Praedicatorum Ecclesiae S. Dominici Terrae Martinae Adversarii petere licentiam a Parocho semper in praeteritum hilari animo concessam faciendi Processiones SS.mi Rosarii prima Dominica Octobris extra Claustra, seu ambitum suae Ecclesiae, sententiam propitiam a D. Archiepiscopo Tarantino eiusdem Ordinis PP. reportarunt, in gradu vero appellationis cum declaratione eis non licere huiusmodi Processiones peragere sine licentia, consensu, et cruce Parochi extra Claustra, et ambitum Ecclesiae a D. Panciatic, tunc A. C. per aliam sententiam die 15 Septembris 1674, infirmatum Sum°, n. p°. — Qui Patres successive praevio Monitorio A. C. super observatione sententiae a Parocho inhibiti, huiusmodi processiones intra ambitum suae Ecclesiae restrinxerunt. Porrecto a PP. supplici libello huic Sacrae Congregationi non audito Parocho, sed audita relatione Archiepiscopi n. 3° emanatum fuit de mense Martii rescriptum ut non obstante monitorio A. C. servaretur solitum non bene per PP., et per Archiepiscopum suppositum, cuius virtute Dominica 1ª Octobris p.p. per totam terram, nulla petita licentia a Parocho, attentate Processiones ampliarunt.

In hoc statu referente causa E.mo D.no Cardinali Columna, supplicatur ex parte Capituli Terrae Martinae nostri Principalis cui est annexa cura animarum, saltem ex integro per Sacram Congregationem declarari non posse PP. facere Processiones SS.mi Rosarii extra claustra, seu ambitum Ecclesiae, sine licentia, consensu, et Cruce Parochi, sicuti censuit Sacra Congregatio Rituum auditis Procuratoribus Ordinum in una *Hispalen.* sub die 26 Februarii 1678, ubi dixit non posse fieri extra Claustra, et nisi adsint Claustra, fieri deberi intra ambitum, hoc est prope muros Ecclesiae, sive exeundo a ianua Ecclesiae, et intrando per aliam, sive per eamdem et semper prope muros; et idem censuit in alia *Liman.*, die 15 Octobris 1632, relat. a Barbos. in tract. de Offic. Paroch. p° pª, cap. 12, n. 13, et in Collect. Apostolic. decis. Collect. 605, n° 16, et 641, n° 8.

Adeo quod regulares praesumentes facere Processionem extra Claustra, vel ambitum in Civitate Neapoli solent excommunicari, ut testatur Navarr. in Summ. Bull. comment. 104, de Process. extra Claustr., n. 3; qui refert etiam resolutiones Congregationis Rituum in dª *Hispalen.*; et idem tenet Ricc. in decis. 90.

Et sicuti Parocho non permittitur ingredi ianuam Ecclesiae sine licentia Patrum in associatione Cadaveris ibi sepeliendi, cum Ecclesia sit extra territorium Parochi, ita a pari non possunt extra Claustra, seu ambitum suae Ecclesiae

huiusmodi Processiones facere, quia intrarent in territorium Parochi; Rodriguez, in addit. ad Summ., tom. 4, cap. 105, n. 5.

Non obstat consuetudo praeservata in praedictis resolutionibus, considerata etiam a Barbos. in d. Collect. 605, n. 22, et de off. et potest. Episcop. alleg. 73, p° 3, n. 7. Etenim quod talis consuetudo sit in Terra Martinae, non ostenditur, et tamen veniret specifice, et, individualiter probanda, sicuti firmavit Rota in d° 355, n. 5, p° 14, rec. Imo nec probatur in aliis locis, licet D. Archiepiscopus d° n° 3, et eximius Procurator Generalis Ordinis asserant in toto orbe Christiano huiusmodi consuetudinem adesse n. 4°. Et quamvis probaretur esse alibi, cum sit stricti iuris, non extenderetur de loco ad locum, Rot. d° 273, n. 10, d. par 14 rec.

Sed tantum abest, ut adsit, quod Zerol. in praxi Episc. in verbo Proces. rursus ad 4° ait passim vidisse in Processionibus Rosarii, Conceptionis, etc. Neapoli et alibi solum illas facere intra Claustrum vel ambitum Monasterii, quem refert Barbos. in d. alleg. 73, p° 3, n. 7, versus finem.

Et in Urbe, die Dominica prima Octobris, Processiones SS.mi Rosarii in Ecclesia supra Minervam non egrediuntur circumferentiam parvae Plateae ante prospectum Ecclesiae, ut est notissimum.

Minus obstant ass. Privilegia, quae male supponuntur PP. in supplici libello habere d° n° 2°. Siquidem non deducuntur. Nec debent confundi Processiones Sanctissimi Rosarii primae Dominicae Octobris, cum Processionibus in Dominica infra octavam Corporis Christi, ut studuerunt Patres identificare in libello d° n° 2°.

Quia non negamus Processiones Corporis Christi posse fieri per Patres extra Claustra dummodo incedant per loca consueta non mutabilia, nec variabilia et per vias prima vice electas, dum Processiones facere coeperunt virtute Litterarum Apostolicarum San. me. Clementis VIII, ut ait Barbos. in d. tract. de Paroch. p° p^a, cap. 13, n. 14 et 15, fuisse etiam declaratum a Sacra Congregatione Rituum in una *Pisauren.* die 14 Nov. 1613, et in una *Mataren.* 15 Maii 1632 qui in Collect. ad Concil. Sess. 25, cap. 13, n. 29, testatur fuisse ita determinatum a dicta Congregatione Rituum in *Brunusina* de anno 1623 et in *Mataren.* 1629.

Sed cum dictae Litterae sint restrictivae ad Processiones SS.mi Corporis Christi, non debent extendi ad Processiones SS.mi Rosarii, ut firmavit Rot. in decis. 14, n. 10, par. 17, rec.

Caeteris responsionibus satisfaciemus, quia speramus ab E.mo Cardinali Ponente communicationem privilegiorum, et resolutionum Sacrae Congregationis a PP. deducen.

Quare etc.

Vitus Lella Agens.

Rescriptum fuit die 31 Ianuarii 1681: *Manutenendos Patres Dominicanos in quasi-possessione iuxta decretum ultimo loco emanatum Sacrae Congregationis de mense Maii anni 1680.*

Nota E.mi Casanata: — Altera tantum. Quatenus Dominicani non habeant indultum Apostolicum, vel non probent consuetudinem immemorabilem, eis non licere facere processiones neque in dominica prima Octobris.

ANALECTA VARIA

ROMANAE INSTITUTIONES

Casus Conscientiae propositi et soluti Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli. (1)

X.

De impedimento clandestinitatis et qua ratione singulos fideles afficiat.

Die 4 Maii 1903, hora 17 1/2 (5 1/2 pom.)

Titius et Caia ex Gallia, paris census et nobilitatis iuvenes, iam inter se sponsalium vinculo coniuncti, comitantibus utriusque parentibus Londinum se conferunt, causa spectandi publica festa, quae pro novi regis coronatione ibi fuerant indicta. Post diem, ex quo in ea civitate morantur, nuntium per telegraphum accipiunt, patruum sponsi aetate provectum improviso morbo fuisse correptum, adeo ut vix reliqua esset spes sanitatis recuperandae. Timent ambo, ne, si mors illi forte accidat, debeant per totum luctus tempus matrimonium iam quoad omnia paratum differre. Subit tamen in mentem, quod in Anglia matrimonium etiam sine proprii parochi praesentia initum, sit validum Hinc illud sine mora contrahere statuunt; et ne sacer ritus desit, presbyterum amicum rogant ut nuptiis benedicere velit. Vix celebrato matrimonio, in Galliam redeunt et maximo omnium gaudio reperiunt insperato patruum ex morbo iam melius se habentem.

Titius et Caia per aliquot annos pacifice vivunt: verum decursu temporis, dissociatis animis, ab invicem se separant, et divortii sententiam a iudice obtinent. Novum matrimonium Titius inire cupiens, parochum consilii causa adit, eique omnia, quae sibi acciderant, narrat. Dubitat in primis parochus de matrimonii in Anglia contracti validitate; verum, ne in re tanti momenti erret, a docto theologo quaerit:

1° *In quo consistat dirimens impedimentum clandestinitatis?*

2° *An lex clandestinitatis localis sit, vel personalis?*

3° *Utrum matrimonium Titii cum Caia fuerit valide contractum?*

4° *Quid sit Titio consulendum?*

Ad I^{um}. Quum matrimonium christianum sit contractus sacer ad bonum Ecclesiae et reipublicae apprime conducens, ab exordio non sine aliqua religiosa publicitate celebrari solebat.

(1) *N. B.* Hosce nostros casus Consc. sub tutela legum positos, nemo fraudulenter iterum edat, secus iudicialem poenam luet.

Unde S. Ignatius scribit: « Decet ut sponsi et sponsae de « sententia Episcopi coniugium faciant, quo nuptiae sint se- « cundum Dominum et non secundum cupiditatem » (1). Et Tertullianus ait: « Ideo penes nos occultae quoque coniun- « ctiones, id est non prius apud Ecclesiam professae, iuxta « moechiam et fornicationem iudicari periclitantur » (2). Plura huiusmodi testimonia apud Benedictum XIV collecta leguntur (3). Porro clandestina matrimonia ab antiquitus uti illicita habita, Concilium Tridentinum, quo grassantibus malis obveniret, tanquam irrita proscripsit celeberrimo decreto *Tametsi*. Cuius decreti verba praecipua ita sonant: « Qui aliter quam praesente parocho aut alio sacerdote, de « ipsius Parochi aut Ordinarii licentia, et duobus vel tribus « testibus matrimonium attentabunt, eos Sancta Synodus ad « sic contrahendum omnino inhabiles reddit: et huiusmodi « contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos prae- « senti decreto irritos facit et annullat » (4). Quod decretum etiam nunc normam constituit impedimenti dirimentis, quod nomen habet *clandestinitatis*.

Clandestinitati opponitur solemnitas; quae distingui solet substantialis et accidentalis. Substantialis consistit in praesentia parochi et duorum testium. Accidentalis est duplex: antecedens, seu proclamatio (5) triplex nuptiis praemittenda; subsequens, seu benedictio nuptialis.

Iamvero, quum circa hoc decretum non una quaestio moveatur, paucis argumentum complecti sufficiat.

1) Parochus, quum debeat esse non originis, sed domicilii aut quasi-domicilii alterutrius contrahentium, determinanda sunt ea, quae ad domicilium aut quasi-domicilium requiruntur.

a) Domicilium distingui solet voluntarium et coactum. Voluntarium duo exigit: habitationem et intentionem manendi. Tolle hanc intentionem, et habes domicilium coactum.

b) Quasi-domicilium est veluti domicilium in fieri; tunc obtinet, ubi adest intentio manendi per maiorem anni partem.

Ex dispensatione die 9 Nov. 1898 pro civitate Parisiensi obtenta, commoratio per sex menses supplet animum commorandi. Ex decretis 6 et 12 Maii 1886, unus mensis sufficit pro Statibus Unitis Americae Septentrionalis ad quasi-domicilium constituendum, quin de animo ulterius permanendi sit investigandum.

Si autem contrahentes sint vagi, parochus proprius est parochus loci in quo degunt, imo, iuxta Sanchez, parochus qualiscumque.

Quum igitur aliquis possit habere domicilium duplex, sequitur, quatuor dari posse parochos proprios apud quos matrimonium valide et licite contrahatur.

2) Parochus autem ille non debet esse sacerdos, sufficit nominatus; imo valide assistit putativus cum titulo colorato. Invalide autem intrusus, haereticus publicus, aut legitime ab officio depositus.

Sub nomine parochi intelligendus est quoque vicarius perpetuus aut temporalis (non vice-parochus), Ordinarius et Vicarius generalis; pro militibus ad militiam vagam pertinentibus, parochus sive curatus militaris.

Delegari autem nequit non sacerdos, licet sit parochus. Quae delegatio ut sit valida, debet esse facta ab habente ius assistendi, eaque praecedens, non retractata; potest tamen esse generalis; parum refert utrum verbo an scripto significetur; requiri tamen videtur ut delegato innotescat, ab eoque acceptetur.

Hic autem agitatur quaestio de mutua delegatione universali parochorum inter se. S. C. C. pluries de hoc argumento rogata, noluit definire utrum huiusmodi delegatio invalida sit necne. In causa *Posnaniensi* 15 Iun. 1585 respondit, praxim non esse probatam. In casu autem *Coloniensi* et *Aquisgranensi* 18 Mart. 1893 (1) respondit, non constare de nullitate matrimoniorum hoc modo celebratorum; at simul normas statuit ad tutam hanc praxim reddendam; quas normas rursus anno 1898 (2) Archiepiscopo Parisiensi commendavit.

Sed huic argumento diutius immorari praeter scopum est, quum sequentes casus specialius ad id referantur.

3) Testium qualitatem non describit Tridentinum; unde valide assistunt quotquot capaces sunt testimonium ferendi de ineundo contractu.

Illicite tamen pro catholicis, si adsint catholici, adhibentur testes acatholici. Rogata « se sia lecito assumere gli eterodossi a testimoni nel matrimonio dei cattolici », S. Inq., 19 Aug. 1891, respondit: « Non esse adhibendos, posse tamen « ab Ordinario tolerari, ex gravi causa, dummodo non adsit « scandalum ».

Praesentia haec testium requiritur simultanea, physica, moralis et formalis.

4) Poenas Ecclesia congruentes inflixit in illos, qui praedictas legales dispositiones offendunt: suspensionis scilicet poenam in parochum seu sacerdotem matrimonio indebite assistentem; graves poenas tum in parochum matrimonium celebrantem cum minori testium numero, tum in testes assistentes sine parocho. Ita ipsum sancit Concil. Tridentinum in citato decreto *Tametsi*.

5) Conditio autem ut impedimentum clandestinitatis in aliquo loco vigeat, est ut fuerit Tridentinum ibi promulgatum. En ipsa verba Concilii: « Decernit S. Synodus ut huius- « modi decretum in unaquaque parochia suum robur post « triginta dies habere incipiat, a die prima promulgationis « in eadem parochia facta, numerandos ».

Haec igitur promulgatio fieri debet *a*) in quavis parochia, *b*) uti lex conciliaris, *c*) post trigesimum a promulgatione elapsum diem obligatura. Fieri autem debet ab ipso Ordinario dioecesano per semetipsum, aut per ministerium parochorum, sive parochorum vicem gerentium.

In quibusnam regionibus decretum « *Tametsi* » hac ratione publicatum sit, docet elenchus apud scriptores canonistas aut moralistas exhiberi solitus. Unum tamen monemus: promulgationem posse insuper per aliquam consuetudinem generalem suppleri, uti docent plura responsa S. C. C. et Off. Quantum vero tempus ad talem consuetudinem requiratur, difficile est dictu. Consultor in causa *Limburgensi* (10 Ian. 1889) existimavit ad hoc sufficere posse triennium.

Et haec, — omissis quaestionibus de extensione decreti « *Tametsi* » ad christianos non catholicos, aliisque, — de primo quaesito satis.

Ad IIum. Dubitari nequit, legem Tridentinam sancitam per decretum « *Tametsi* » esse simul localem et personalem.

« Lex Tridentina, ait instructio S. Off. ad archiep. S. Fran- « cisci, 14 Dec. 1859, facta semel eius promulgatione eiusque « observantia permanente, territorium afficit, et, adaequate « loquendo, localem esse et personalem, in confesso est apud « omnes: quatenus localis, afficit territorium eosque qui ibi « matrimonio iungendi sunt; quatenus vero personalis est, « obligat qui domicilium vel quasi-domicilium habentes in « loco ubi Tridentinum decretum promulgatum est et viget, « in altero ubi non viget, contrahere vellent ».

(1) *Epist. ad Polycarp.*
(2) *Lib. de pudicit.*, c. 4.
(3) *De Syn.*, VIII, 12.
(4) *Sess. XXIV*, c. 1.
(5) Iam in Conc. Lateran. IV (ann. 1215) proclamationes praescribuntur.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. I, p. 112.
(2) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. VII, p. 62, 194.

Ut utar exemplo: quia lex est localis, catholicus Anglus in Belgium pergens, ibique matrimonium inire cupiens, decretum *Tametsi* servare tenetur. « Locus enim regit actum ». Quia est lex personalis, fraus non iuvare Belgam catholicum qui, nondum in Anglia domicilium adeptus, eodem pergeret ut, non servato ritu Tridentino, matrimonium ibidem iniret.

Quaestio autem non mediocris movetur de extensione huius fraudis; sive, quod practice in idem incidit, de extensione rationis personalis Tridentinae legis etiam extra fraudem, saltem formalem.

Dubium non est, invalide contrahere matrimonium in regione ubi Tridentinum non viget, non servata norma Tridentina, illos qui, domicilium retinentes in regione ubi viget, et in altera nondum adepti nec domicilium nec quasi-domicilium, si in hanc transierunt eo fine ut a lege eximerentur. Id enim aperte sequitur ex declarationibus Ecclesiae.

Quid autem, si sint quidem in tali regione, sed in eam non transierint animo sese a lege Tridentina eximendi? Non desunt sane auctores optimi nominis, a Sanchez usque ad recentissimos, uti D'Annibale, Ballerini, editores actuum S. Sedis, Bucceroni, et, licet mitius, Arendt (1), Lehmkuhl et Noldin, qui existiment, in hoc casu non haberi fraudem, sive non agi « in fraudem legis », ac proin matrimonium esse validum. Alii, praecipue canonistae, uti ex coaevis Gasparri, Santi, Leitner, Aichner et fortius Werntz et De Becker, existimant, cum S. Alphonso, et ibi haberi fraudem, idque omnino constare contendunt ex declarationibus Ecclesiae, maxime autem ex famoso decreto Urbani VIII.

Antequam de hac controversia nonnulla discutiam, iuvat quasdam praemittere distinctiones. Alia fraus obiectiva seu materialis, alia fraus subiectiva seu formalis. Actio scilicet, quae per se est contra legem, defraudat legislatorem bono per legem intento. Si agens hanc defraudationem non intendit, fraus est obiectiva seu materialis; si insuper hanc fraudem intendit, est subiectiva seu formalis. Quare in primo casu agit *cum fraude* legis, in altero agit *in fraudem* legis.

Constituitne igitur casus de quo controversia movetur, defraudationem materialem legis? Hoc pendet ab ipsa lege, seu ab intentione legem ferentis. Potuisse enim et iugiter posse Ecclesiam decretum « *Tametsi* » cum hac amplitudine condere, aut hanc ipsi amplitudinem dare, extra dubium est. Consulamus ergo modum quo Ecclesia legem tulit et interpretata est latam.

Sane verba decreti *Tametsi* quaestionem dirimere sola nequeunt. Nihilominus, videntur sonare potius in favorem sententiae rigidioris, propter suam formam absolutam.

At ecce responsum S. C. C., ab Urbano VIII confirmatum, tam clare fraudem saltem materialem ad alterum casum extendit, ut inspecto hoc responso, videretur controversia sopita dicenda, nisi aliunde dubia moverentur. Ad vim huius documenti plenius perspiciendam, iuvat ipsa ob oculos ponere verba tum quaesiti, tum responsi.

Tria Archiep. Coloniensis rogaverat:

« Quaeritur humiliter a S. Congregatione an incolae tam « masculi, quam foeminae loci, in quo Conc. Trid. in puncto « matrimonii est promulgatum et acceptum, transeuntes per « locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, « retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco « matrimonium sine Parocho et testibus contrahere.

« Secundo quid, si eo praedicti incolae tam masculi, quam « foeminae, solo animo sine Parocho et testibus contra- « hendi, se transferant, habitationem non mutantes.

« Tertio quid, si iidem incolae tam masculi, quam foe- « minae, eo transferant habitationem illo solo animo, ut « absque Parocho et testibus contrahant ».

Die 6 Sept. 1626 ad haec tria S. C. C. sequenti modo respondit:

« S. C. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ad « *primum* et secundum respondit, non esse legitimum ma- « trimonium inter sic se transferentes, et transeuntes *cum* « *fraude.* Ad tertium respondit, nisi domicilium vere trans- « feratur, matrimonium non esse validum ».

Sacra igitur Congregatio respondit, non solum in secundo, sed etiam in primo casu, matrimonium esse invalidum, quia et in hoc casu adest fraus; quae fraus, scilicet materialis in primo, formalis in altero, non tollitur, nisi per acquisitum novum domicilium aut quasi-domicilium. Dicerem igitur in primo casu illos transire cum fraude, et in secundo casu in fraudem. Iam vero, nisi fallor, hic primus casus est ipse casus de quo quaerimus.

Responsum S. C. C. Urbanus VIII anno 1627 litteris in forma Brevis confirmavit.

Benedictus autem XIV, in litteris 19 Martii 1758 ad Archiepisc. Goanum datis, doctrinam huius decreti tam nitide exposuit, ut re vera cum cl. De Becker subscribendum videretur iudicio cl. Werntz S. I. asserentis, opinionem aliorum de hac re esse « rebus antiquatis adnumerandam » (1).

En verba quibus doctissimus Pontifex non solum affirmat et in primo casu haberi fraudem, sed et explicat, hanc fraudem committi in proprium parochum:

« Huius vero definitionis contextu bene perpenso, facile « intelligitur matrimonia *primo* et secundo loco exposita, « irrita, ac nulla ab eadem Congregatione decerni, *eo quia* « *fraus intercessit,* validum autem censeri matrimonium « tertio loco positum, in quo, licet fraus intercesserit, nihi- « lominus is, qui matrimonium contrahit, antequam illud « iniret, domicilium, seu quasi-domicilium, adeptus erat in « loco, ubi matrimonium inivit..... Ex sententia commu- « niter hodie recepta, atque observata, nullum, atque irritum « habendum sit matrimonium, *in fraudem proprii Parochi,* « coram Parocho alterius loci contractum, dummodo tamen « ille, qui contrahit, antequam matrimonio iungatur, legi- « timum domicilium, vel quasi-domicilium revera in hoc « altero loco adeptus non fuisset, atque inibi fortassis post « matrimonium contractum ad aliquod tempus commoratus « non esset ».

Solent insuper patroni rigidioris sententiae coacervare resolutiones in eumdem sensum a romano tribunali latas. Sed caute in huiusmodi conclusionibus est procedendum; nec omnia responsa, quae afferuntur, penitius inspecta, id certo involvunt. Et sane in causa 22 Febr. 1631, etsi ratio impellens ob quam sponsi se excipere voluerint a lege Tridentina, erat timor vexationum a parte parentum, fraus aderat non mere obiectiva, sed et subiectiva. Idem valet de causa 3 Apr. 1841. Pariter in causa 6 Apr. 1895 intentio erat vitandi legem militarem, non directe legem Ecclesiae; at nihilominus e Gallia in Angliam perrexerant sponsi eo fine, ut ibidem clandestine contraherent, quod sufficit ad constituendam fraudem subiectivam. Quare istae solutiones non probant, per se sufficere fraudem dumtaxat obiectivam.

Imo nec ipsa solutio lata in causa Parisiensi 25 Ian. 1873 necessario sententiam strictiorem involvit. Armanda Neoëboracum perrexit, ut ibidem clandestine contraheret, et ideo aperte *in fraudem* legis subiectivam. Albertus autem sine illa intentione hanc regionem petiit. Consensit tamen sollicitanti Armandae, et cum ea matrimonium clandestinum inire conatus est. Cum fraude igitur materiali Albertus contrahebat, cum fraude formali Armanda. Cur igitur, quum pars libe-

(1) Cfr. hac super re Dissert. R. P. Arendt S. I. in *Anal. Eccl.*, vol. VIII, p. 374; vel sub nº 11 Bibliothecae eiusd. Ephem.

(1) In voto exarato pro causa Parisiensi.

rior trahat ad se partem minus liberam, matrimonium declaratum est nullum? Cur, inquam? Si unice quia fraus materialis seu obiectiva sufficit ad inhabilem contrahentem reddendum, actum est: ista solutio applicat solutionem ab Urbano VIII probatam in sensu obvio superius vindicato. Sed nonne dici potest, in Alberto fuisse fraudem subiectivam de iure in foro externo praesumptam? Iam ipse Card. D'Annibale aliquam huiusmodi praesumptionem iuris et de iure suggessit (1), ad solutiones SS. CC. explicandas sententiae suae primo intuitu contrarias.

Num igitur contendimus, solutiones SS. CC. patrocinari illis, qui mitiorem sententiam amplectuntur? Nequaquam. Sed monemus, ne patroni alterius sententiae easdem nimis urgeant.

Quid ergo?

Si non prostarent in hac controversia alia documenta praeter decretum Urbani VIII et interpretationem eiusdem a Benedicto XIV emissam, meo humili iudicio, standum esset conclusioni cl. Werntz.

Sed non desunt rationes, etiam ex auctoritate desumptae, quae oppositam sententiam fulcire videantur.

Sane in Instructione S. Officii 7 Iunii 1867 habetur aliquid, quod videtur mitiori potius sententiae favere: « Iuxta « ea quae in hoc decreto (Urbani VIII) sanciuntur, qui do« micilium habent et retinent in loco ubi Trid. lex viget, « nequeunt valide matrimonium inire in loco ubi non viget « nisi ibi nedum habitationem, sed etiam vere domicilium « fixerint, quo fraudem, *si qua intercessit*, purgare omnino « debeant. » Si in hac Instructione defuissent verba « si qua intercessit », haec instructio fuisset simpliciter in favorem sententiae strictioris, sicuti decretum ipsum Urbani, iuxta quod fraus, sive obiectiva, sive subiectiva, sine ulla restrictione adesse dicitur tam in primo quam in secundo casu.

At adiuncta verba « si qua intercessit » nihil habent quod significent, nisi dari possit casus in quo fraus non adfuerit. Iam vero quisnam erit iste casus, nisi primus?

Re tamen penitius inspecta, non ideo haec instructio liberiori sententiae favet.

Esto quod dicat, fraudem non semper adesse. Inde ad summum demonstratur, — nisi duo documenta sibi contradicant, — fraudem in hac Instructione sumi in sensu formali, dum in responso ab Urbano VIII probato sumitur etiam in sensu materiali. — Caeterum, quod caput est, Instructio cum Decreto concordat, quatenus proclamat inhabilitatem contrahendi in primo et in secundo casu.

Nisi quis hanc interpretationem teneat, non video quomodo haec Instructio cum Urbani Decreto concordet. Quidquid sit de hac concordia, negari nequit, adiunctum incisum, quatenus fraudem restringit, habere aliquam speciem in favorem sententiae latioris. Quae species sufficit ad nutriendum dubium.

Patroni latioris sententiae adducunt etiam verba Benedicti XIV, qui in libro de Synodo affirmat (2), « non obli« gari loci statutis, qui extra statuentis territorium degit », et ab hac obligatione eximit: « si quis e loco egrediatur in legis «fraudem, scilicet solo animo declinandi statuti obligatio« nem ». En, aiunt, fraus restringitur ad fraudem subiectivam seu formalem.

Sed impossibile est, ut tam eruditus scriptor sese in re tanti momenti tam aperte contradixerit. Conciliatio autem in promptu est. Heic Benedictus XIV non intendit specialiter agere de impedimento clandestinitatis; nec doctrina quam tradit modo affirmativo, debet extendi modo exclusivo ad quaestionem quae nos detinet. Nisi haec explicatio admittatur, difficile valde est salvare Benedictum XIV a contradictione; nam eiusdem verba superius citata non videntur ad normam sententiae mitioris posse detorqueri.

Nihilominus hae difficultates satis explicant, quomodo post Decretum Urbani et interpretationem Benedicti XIV, — ut de solutionibus SS. CC. nihil dicam, — sententia mitior adhuc habeat, sciente et non reclamante S. Sede, sat praeclaros propugnatores, ut, saltem ob hanc auctoritatem, sententia haec vere probabilis esse perduret; ac proin in casu, de quo quaerimus, impedimentum clandestinitatis, utpote theoretice dubium, sit practice probabilius, imo reflexe simpliciter nullum.

Nonne forsan optandum, ut suprema Ecclesiae auctoritas authentico tandem ac decisivo oraculo rem determinet tam acriter inter auctores discussam, cum magna iactura temporis, et prope nullo profectu veritatis?

Ad III^{um}. Solutio huius quaesiti pendet ex dictis. In casu nostro habemus, nisi fallor, ipsissimum primum casum Decreti Urbani VIII, ac proin iuxta tenorem huius Decreti matrimonium inter Titium et Caiam esset invalidum, quia « *cum fraude* » si minus formali, saltem materiali transierunt; invalidum quoque esset dicendum iuxta expositionem Benedicti XIV, imo et iuxta Instructionem S. Officii. Nihilominus ob dubia superius exposita, necnon ob auctoritatem auctorum magni nominis qui alteram sententiam adhuc propugnant, aut saltem uti iugiter probabilem habent, dubium dicendum est, utrum necne in praesenti casu impedimentum adsit. Iam vero in hisce adiunctis, quando contrahentes dubium impedimentum neque suspicati sunt, ex principio reflexo valide contraxisse dicendi sunt. Et sane, uti apparet, ipsi de validitate matrimonii sui per plures annos nullomodo dubitavere, et eorum matrimonium, nullo reclamante, uti validum est in propria regione iudicatum.

Quare, licet impedimentum theoretice opiner adfuisse, practice tamen, utpote dubium, non influxisse, et matrimonium validum habendum esse existimem.

Ad IV^{um}. Itaque consulendum est Titio, ut a secundis nuptiis abstineat; aut saltem ut totum casum tribunali ecclesiastico submittat, antequam novum matrimonium inire moliatur. Quodsi Ecclesiae tribunal validum fuisse declaret matrimonium in Anglia contractum, agat cum Caia sicut agendum est in casu divortii illegitime declarati; secus, libere ad novas nuptias convolet.

D. Laurentius Janssens, O. S. B.
Rector Collegii S. Anselmi.
Epitomator ex officio.

XI.

De proprio contrahentium parocho.

Die 18 Maii 1903, hora 17 $^3/_4$ (5 $^3/_4$ pom.).

Titius honestus vir ex industria et labore vivens, defuncta uxore, filiam exiguae aetatis, cui per se providere nequit, alteri iam nuptae filiae custodiendam tradit. Pluribus annis in sororis familia puella moratur, donec nubendi occasionem nanciscitur. Mox contentio oritur inter parochos domicilii Titii et eius filiae, cuinam ex eis ius adsistendi matrimonio competat. Ad litem compescendam episcopus auctoritate sua parochum, in cuius paroeciae finibus puella de facto degit, ad matrimonium celebrandum seligit, adiecta clausula « *specialiter deputamus* ». Dum literae episcopales exhibitae sunt, parochus peregre profectus fuerat, relicto sacerdote ad munia parochialia in sui absentia

(1) *Summ.* ed. 2, III, 317 (43).
(2) Libr. XII, cap. 4, n. 9.

obeunda. Hic non animadvertens clausulam, sub qua data erat facultas, huic etiam matrimonio, prout caeteris quae per illud temporis intervallum celebrata sunt, parochi nomine adsistit.

Cum parochus domum rediisset, de his certior factus primo dubitat, utrum huiusmodi matrimonium validum fuerit ex noto principio: delegatus non potest subdelegare. Deinde pro matrimonii valore sententiam profert ex eo, quod proprium puellae parochum ratione quasi-domicilii se iure putaverit. Cum alteri parocho id postea innotuerit, hic matrimonium nullum esse dictitare coepit. Hic iterum quaestio, quae episcopi prudentia sopita fuerat, gravior exarsit. Ad hanc definiendam vir sacrorum canonum peritus eligitur, qui secum quaerit:

1° *Quinam sit parochus proprius, coram quo contrahentes celebrare matrimonium debeant?*

2° *An filii-familias, adhuc sub paterna potestate manentes, domicilium vel quasi-domicilium ab illo patris distinctum habere possint?*

3° *Quid de validitate matrimonii de quo in casu iudicandum et quid consulendum?*

Ad 1um. — Parochus proprius, coram quo contrahentes celebrare matrimonium debent, ut omnes norunt, est Parochus domicilii. At quoniam fieri potest, ut quis plura habeat domicilia in diversis Paroeciis, vel in una Paroecia habeat domicilium et in altera quasi-domicilium, pariterque cum evenire possit ut unus ex sponsis domicilium vel quasi-domicilium habeat in Paroecia diversa a Paroecia alterius; hinc inquirendum coram quo Parocho ipsi contrahere teneantur vel possint, ut eorum matrimonium sit validum et licitum.

Iam age, ad validitatem quod attinet, ratione Parochi, cum matrimonium sit unus contractus, unumque et individuum Sacramentum, consequens est ut Parochus proprius unius ex Sponsis sit etiam Parochus proprius alterius. Unde matrimonium validum habendum erit sive contractum fuerit coram Parocho sponsi, sive coram Parocho sponsae.

Si vero inquiratur de validitate matrimonii ratione domicilii, statim respondebimus liberum omnino esse sponsis matrimonium contrahere vel coram Parocho domicilii, vel coram Parocho quasi-domicilii. Siquidem, caeteris omissis, sufficit referre verba, quae habet S. C. S. Officii in sua Littera Encyclica diei 7. Iunii 1867, ad Episcopos Angliae etc. Ibi enim dicitur: « Quapropter si legitime constet vel ambos vel « alterutrum ex sponsis animum habere permanendi per maio« rem anni partem, ex eo primum die, quo duo haec simul « concurrunt, nimirum et huiusmodi animus et actualis ha« bitatio, iudicandum est quasi-domicilium acquisitum fuisse, « et matrimonium quod proinde contrahatur esse validum ». Igitur validum habendum erit matrimonium coram eo Parocho contractum, in cuius Paroecia, saltem unus ex sponsis quasi-domicilium habeat.

Et haec quidem quoad validitatem. Si vero sermo sit de licitudine, licet verum sit quod docet Bangen, scilicet locorum usum esse attendendum; tamen generatim loquendo, sive lege consuetudinaria ex bonis moribus inducta, sive etiam alicubi lege synodali, receptum est matrimonium esse celebrandum coram Parocho sponsae, ita ut matrimonium contractum coram Parocho sponsi, licet validum, habendum sit ut illicitum, nisi Parochus sponsae consenserit, vel Ordinarius concesserit.

Ad 2um. — Licet civili iure sancitum sit, ut minores adhuc sub paterna, vel materna, vel tutoria potestate manentes patris, vel matris, vel tutoris domicilium sequantur; et licet Benedictus XIV in sua Notificatione XXXIII doceat in Statu Romano sancitum esse, ut Educandae collegiales, si domum vel familiam habeant in alia Paroecia, ad hanc pertineant tum quoad matrimonia, tum quoad funera; tamen, docente S. Concilii Congregatione, sub die 19 Decembris 1748, certum est Educandas saltem iure communi et abstractione facta a specialibus legibus et consuetudinibus, valide contrahere coram Parocho Ecclesiae parochialis, intra cuius limites situm est Monasterium, ratione quasi-domicilii. Possunt igitur minores, domicilium vel quasi-domicilium habere a paterno, vel materno, vel tutorio distinctum. Idque ex eo confirmatur, quod si aliquando disputatum fuit inter Doctores de Parocho, coram quo contrahere possunt Educandae, studiosi etc., numquam quaestio mota est de Parocho paterni domicilii, sed tantum de Parocho Monasterii, vel de Parocho loci, intra cuius limites Monasterium situm est; et huic altero ius recognitum fuit assistendi Educandarum Matrimoniis.

Ad 3um. — Ex responsione ad 1um patet matrimonium contrahi posse coram proprio Parocho sive domicilii, sive quasi-domicilii, *valide* quidem in omni casu, et etiam *licite*, si agatur de Parocho domicilii vel quasi-domicilii sponsae. Ex responsione vero ad 2um pariter claruit minores quamvis adhuc sub paterna potestate, habere posse domicilium vel quasi-domicilium a paterno distinctum.

Ex his pronum est deducere matrimonium, de quo in themate, valide et licite contractum fuisse coram Parocho loci, in quo Titii filia de facto degebat. Esto quod Episcopus, ad litem compescendam, quae exarserat inter Parochos domicilii paterni et quasi-domicilii puellae, huic altero specialem dederit delegationem, ut puellae matrimonio adsistere posset. Esto quod, absente huiusmodi Parocho, matrimonio adstiterit quidam Sacerdos, qui fuerat a Parocho relictus ad munia parochialia in sui absentia obeunda, quin hic animadverteret ad clausulam specialis delegationis. Haec omnia non destruunt ordinariam illam potestatem, vi cuius Parochus independenter a quacumque speciali delegatione, poterat vel per se vel per alium a se legitime delegatum sponsos in matrimonio coniungere. Unde tenendum est Sacerdotem a Parocho relictum egisse in vim delegationis ipsi a Parocho tributae, non vero in vim specialis illius delegationis datae ab Episcopo, quae inutilis omnino fuit cum Parochus ordinariam in puellam haberet iurisdictionem.

Ast quid dicendum si eorum sententiae subscribendum esset, qui vellent minores aliud domicilium habere non posse nisi paternum? Equidem in hac hypothesi, quam tamen non admittimus, matrimonium, de quo in casu, esset omnino nullum et irritum declarandum. Nam, omissa quaestione de potestate Vice-Parochi in Parochi absentia, certum est quod, in casu, qui fuerat, non ab Episcopo, sed a Parocho relictus ad parochialia munia in sui absentia obeunda, erat simplex quidam Sacerdos, qui proinde carens omni Episcopali mandato, ea tantum munia exercere valebat, quae a Parocho, in vim suae ordinariae iurisdictionis, poterant delegari: atqui specialis illa delegatio quam tribuit Episcopus, a Parocho sive absente, sive etiam praesente delegari non poterat; pertinebat quippe ad extraordinariam iurisdictionem; ergo uti nullum habendum erit matrimonium, quod fuerit in talibus conditionibus celebratum.

Caeterum, ut diximus, hanc hypothesim non admittimus; ideoque concludimus matrimonium, de quo in casu, esse omnino uti validum et licitum habendum.

IOACHIMUS FERRINI, Ministrantium Infirmis.
Epitomator ex officio.

XII.

De modo quo parochus matrimonio adsistere debeat.

Die 8 Iunii 1903, hora 18 (6 pom.).

Titius, ut matrimonium contrahat cum Caia contra expressam parentum voluntatem, noctu cum ipsa Caia et duobus testibus ad parochi domum accedit, et simulata voce eumdem vocat, ut quam citissime ad moribundum accurrat. Sollicitus parochus e domo egredi festinat: at ei iam limen praetergressuro occurrunt praeter duos testes Titius cum Caia qui mutuum consensum de praesenti consueta formula exprimunt. Verum miser parochus nihil de re suspicans, sed potius proditionem timens, ita animo et corpore concidit, ut neminem viderit, nullumque audierit verbum prout paulo post, iuramento etiam praestito, testatur.

Rumori statim occurrit vice-parochus, qui statim animadvertit de qua re ageretur. Hic animo indignatus, et, ne haberi queat velut testis, claudit oculos, obturat aures, clamat et aufugere conatur, ut videlicet actum irritum efficiat. Interim Titius et Caia per eamdem formulam consensum de praesenti iterum exprimunt. Quorum tamen verba a testibus dumtaxat, non autem a vice-parocho audita fuerunt. Post haec Titius et Caia sibi gaudentes quod matrimonium non semel tantum, sed bis contraxerint, domum redeunt.

Quaeritur:

1° *Quo modo parochus matrimonio adsistere debeat?*

2° *An Titius et Caia coram parocho valide matrimonium contraxerunt?*

3° *An saltem valide contraxerint coram vice-parocho?*

Antequam ad dubia solvenda veniamus, nonnulla claritatis ergo praemittere iuvabit. Cum itaque sermo est de modo, quo Parochus matrimonio adsistere debeat, seu quo modo ipse debeat esse praesens, sciendum est Parochum; 1° ita posse praesentem esse ut nihil reapse videat, nihilque audiat eorum, quae ad matrimonium contrahendum ordinem dicunt; vel 2° ita posse esse praesentem ut audiat quidem verba prolata ab uno ex sponsis, non vero verba prolata ab altero; vel 3° ita posse praesentem esse ut et sponsos videat et matrimonialem consensum ab ipsis expressum audiat, sed non fuerit a sponsis requisitus ad eorum actum convalidandum.

Iam vero si Parochus licet physice et materialiter praesens, nihil tamen videat vel audiat in ordine ad matrimonium; certum est matrimonium contractum non fuisse, quamvis et sponsi reapse adfuerint, et matrimonialem consensum, per verba de praesenti, expresserint. Et ratio evidens est; cum enim Parochus, quoad matrimonium, sit testis qualificatus, certe testificari non poterit quae nec vidit, neque audivit. Unde S. Concilii Congregatio in *Romana Super dubiis matrimoniorum*, ad dubium: « An praesentia Parochi « debeat esse moralis humano modo et cum advertentia, « ut possit esse testis matrimonii actualiter et de facto con- « tracti non vero voluntatis contrahendi; vel sufficiat potius « praesentia physica vel materialis? » sub die 7 martii 1700 respondit: *Reprobata opinione quod sufficiat praesentia Parochi pure physica, seu materialis, providendum esse in casibus particularibus.*

Quid autem provisum fuerit in casibus particularibus, docet eadem S. Congregatio in *Giennensi* sub die 26 Iulii 1582; nam proposito dubio: « Si Sacerdos adfuerit, nihil tamen « eorum, quae agebantur vidit, neque audivit, utrum tale « matrimonium valide contrahatur vel potius, tamquam sine « Sacerdote, nullius sit ponderis vel momenti? » Respondit: *Non valere si Sacerdos non intellexit.* Certum est igitur quod si Parochus, quamvis praesens, nihil videat et nihil audiat in ordine ad matrimonium; matrimonium nullum erit licet sponsi revera adfuerint et matrimonialem consensum revera expresserint.

Dixi: *nihil videat et nihil audiat in ordine ad matrimonium;* ut innuerem tria elementa concurrere debere ad hoc ut matrimonium sic contractum nullum declaretur; scilicet 1° quod Parochus nesciverit agi de matrimonio; 2° quod verba sponsorum non audierit, et 3° quod neque sponsos qua tales, neque nutus consensum exprimentes viderit.

Haec autem magni facienda esse puto ad solvendam acerrimam illam quaestionem, quae olim exarsit inter Doctores super dubio: « An affectante Parocho non audire verba vel « non videre nutus attentantium clandestine contrahere ma- « trimonium et revera illa non audiente vel istos non vi- « dente, validum sit matrimonium coram ipso attentatum ». Haec quaestio, ni fallor, ideo acerrima exarsit, quia status quaestionis non fuit satis clare definitus, praesertim quoad omnia et singula elementa illa, quae supra necessario inquirenda dixi. De Parocho enim qui affectat non audire verba et non videre nutus, quaeri potest an sciverit nec ne agi de matrimonio. Et si quidem nesciverit agi de matrimonio, et consequenter nec verba audivit, nec nutus vidit, attentatum matrimonium uti nullum habendum erit; siquidem, stricte loquendo, hic non esset casus *affectationis*, sed pertineret ad particulares illos casus, de quibus loquitur S. C. C. in *Giennensi* supra allegata. Si vero Parochus, qui affectat non audire verba, et non videre nutus, intellexit agi de matrimonio, tunc puto dubium esse aliis verbis proponendum, scilicet: « An sit validum matrimonium clandestinum, con- « tractum coram Parocho, qui sciens quidem agi de matri- « monio, ita tamen se gerit ut neque sponsorum verba au- « diat, neque nutus videat matrimonialem consensum expri- « mentes? »

Sic proposita quaestione, respondere non dubito: Matrimonium habendum esse uti validum. Et quidem quod *affectatio* ex parte Parochi non invalidet matrimonium, ipsa docuit S. Congregatio Concilii in *Giennensi* supra allata: postquam enim dixerat: *Non valere, si Sacerdos non intellexit,* statim adiunxit: *nisi tamen affectasset non intelligere.* Certum est igitur quod matrimonium valuisset si ex *affectatione* Parochi provenisset quod ipse neque verba audivit, neque nutus vidit.

Et re sane vera, posito quod Parochus intellexerit agi de matrimonio, sufficit ut verba sponsorum audiantur, vel nutus matrimonialem consensum exprimentes videantur a testibus, ita ut ab ipsis deponi possint. Sic enim declaravit S. C. C. in *Sarzanensi Matrimonii* sub die 15. Februarii 1646, cum dixit: *Matrimonium sustineri, etiamsi Parochus non intellexerit verba sponsae, dum tamen de illius consensu ex aliis iuxta iuris communis dispositionem legitime constet.* Et clarius in *Tolentina Matrimonii* 28. Nov. 1671, in qua Matrimonii validitas deducitur tum ex eo quod *parochus ex antecedentibus et subsequentibus credebat sponsos habuisse animum contrahendi,* tum ex eo quod *testes quoque deponebant de consensu sponsae,* quem Parochus ex perturbatione animi non audiverat. Quoties igitur Parochus intelligat agi de matrimonio, standum est pro validitate, licet Parochus verba non audierit, neque nutus viderit, dummodo adsint testes, qui de praestito consensu testimonium ferant.

E contra, dato etiam quod Parochus Sponsos viderit, et

